
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

XV467

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES MORALES

ALI'HONSIANÆ

Digitized by Google

Quae jura a lege sunt, auctor sibi reservat.

Digitized by Google

C

INSTITUTIONES MORALES

ALPHONSIANÆ

SEU

DOCTORIS ECCLESIÆ

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

DOCTRINA MORALIS

AD USUM SCHOLARUM ACCOMMODATA

CURA ET STUDIO

P. CLEMENTIS MARC

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

EDITIO TERTIA EMENDATIOR

TOMUS SECUNDUS



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA PACIS, PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace N. 35.*

1887

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES MORALES
ALPHONSIANÆ

PARS TERTIA
DE SACRAMENTIS

PROLOGUS

1389. — Ut homines, qui originalis justitiae jacturam fecerunt, in illum statum revertantur, in quo universis legis naturalis praeceptis vere satisfacere *possint;* utque ad vitam *supernaturalem*, quae in eis, per peccatum, penitus extincta est, rursus assurgere valeant, atque ita honoratissimo filiorum Dei coetui aggregari: jubentur adire fontes gratiae et salutis in medio Ecclesiae positos, SACRAMENTA scilicet NOVAE LEGIS: quae quidem, eo fine, a Christo Domino instituta sunt, ut per eadem a ministris Ecclesiae collata, vita supernaturalis aut primum infundatur, aut amissa restituatur, aut adepta augeatur et inde populus christianus divinitus constituatur.

Hinc novus oritur officiorum ordo, respiciens tum eos, qui ista Sacramenta suscepturi sunt, tum illos, a quibus, ex voluntate Christi, sunt administranda. — Horum officiorum explanatio est munus Theologiae moralis, in qua tamen, pro intima rerum connexione, nonnulla, quae ad dogmaticam disciplinam proprie pertinent, communiter attinguntur.

Tractatus erunt OCTO: 1° de Sacramentis in genere; — 2° de Baptismo; — 3° de Confirmatione; — 4° de Eucharistia; — 5° de Poenitentia; — 6° de Extrema-Unctione; — 7° de Ordine; — 8° de Matrimonio.

Digitized by Google

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Agendum: 1° de Natura; 2° de Ministro; 3° de Subjecto Sacramentorum; 4° de Sacramentalibus [1].

CAPUT I.

DE NATURA SACRAMENTORUM

Ut Sacramentorum natura innotescat, 1° quaedam praemittenda sunt de eorum notione et distinctione, sive numerica, sive specifica; — 2° inquirenda est eorum efficacia, seu virtus; — 3° perpendenda eorum constitutio, quae sita est in materia et in forma.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET DISTINCTIONE SACRAMENTORUM

1390. — DEFINITIO. Sacramentum Novae Legis est signum sensibile invisibilis gratiae, ad populum Dei sanctificandum, a Christo permanenter institutum [2].

Dicitur: 1° *signum sensibile*, id est, quod internam denotet gratiam, et sensu externo percipi possit. Sic enim salutis media aptantur naturae hominis, qui, in operando, subjicitur sensibus, evaduntque simul cultus divini et societatis christianae fundamenta. — 2° *Invisibilis gratiae*, quam Sacramentum producit *ex opere operato*, i. e. vi divinae institutionis independenter ab opere operantis, ministri scilicet conferentis et subjecti suscipientis, modo subjectum sit rite dispositum. — 3° *A Christo institutum*, ad differentiam tum Sacramentorum veteris Legis, tum Sacramentalium Ecclesiae, quae non sunt a Christo instituta. Additur: *permanenter*, seu stabiliter; etenim, quamdiu religio christiana permanebit, tamdiu permanebunt et Sacramenta [3].

« Tria igitur ad constituendum Sacramentum requiruntur: 1° signum externum; 2° promissio gratiae; 3° institutio Christi, cum omnia Sacramenta ex Christi Domini passione vim habeant [4]. » — Vide Dogmaticos.

1391. — DISTINCTIO NUMERICA. « De fide est, septem esse Novae Legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora » ut definivit Concilium Tridentinum, sess. 7. can. 1.

[1] De Sacramentis in genere vide *S. Thom.* 3. q. 60-65; *Salmant.*, tr. I; *Billuart*, etc.; sed legatur in primis *Catech. Romanus.* — [2] Cf. Lib. VI. 2. et Opus in Tridentin. sess. 7.; *Exam. Ordin.* n. 1. — [3] Cf. L. VI. 1-5. — [4] *Exam. Ord.* n. 2.

Digitized by Google

Congruentiam hujus septenarii numeri sic demonstrat Concilium Florentinum in *Decreto ad Armenos:* « Nam vita spiritualis, perinde ac corporalis, septem indiget: 1° Ut fideles generentur, et hoc praestat Baptismus; 2° ut augeantur et roborentur, et hoc dat Confirmatio; 3° ut alantur, et hoc praestat Eucharistia; 4° ut sanentur, et hoc tribuit Poenitentia; 5° ut peccatorum reliquiae tollantur et animi virtutes recreentur, et ad id est Extrema-Unctio; 6° ut ministri Ecclesiae formentur, et hoc praestat Sacra Ordinatio; 7° ut filii ad Dei cultum et humani generis conservationem procreentur et religiose educentur, et hoc dat Matrimonium [1]. »

1392. — DISTINCTIO SPECIFICA. Sacramenta, pro variis eorum proprietatibus, distinguuntur [2]:

1° Sacramenta *mortuorum*, i. e. Baptismus et Poenitentia, quae per se spiritualiter mortuis, i. e. gratia carentibus conferuntur, primamque gratiam producunt; — et *vivorum*, quae per se non ministrantur nisi primam gratiam habentibus, et gratiae augmentum in eis operantur.

2° Sacramenta *iterabilia*, ut Eucharistia, Poenitentia, Extrema-Unctio, Matrimonium; — et *initerabilia*, ut Baptismus, Confirmatio et Ordo, propter characterem, quem indelebiliter imprimunt.

3° Sacramentum *permanens*, ut est Eucharistia, quae consistit in re permanente; — et Sacramenta *transeuntia*, ut sunt omnia alia, « quia tum solum sunt Sacramenta, cum conficiuntur et applicantur [3]. »

4° Sacramenta necessaria *necessitate medii* ad salutem, ut sunt pro omnibus, saltem in voto implicito, Baptismus, et probabilius etiam Eucharistia, ut suo loco explicabitur (n. 1563); item, pro lapsis in mortale, Poenitentia; — et necessaria *necessitate praecepti*, qualia sunt Confirmatio et Extrema-Unctio, juxta sententiam probabiliorem omnino suadendam. Ordo et Matrimonium non sunt necessaria pro privatis, sed pro communitate.

5° Sacramenta dicuntur *formata*, cum in suscipiente gratiam reapse producunt; — *informia*, cum valida quidem sunt secundum se, sed in suscipiente, propter obicem quem ponit, non producunt ultimam formam Sacramenti, i. e. gratiam [4].

1393. — *Nota.* Fuerunt in veteri Lege vera Sacramenta, ut aperte innuit Concilium Tridentinum, cum tradit Sacramenta N. L. a Sacramentis V. L. differre. Tale fuit *lignum vitae* in statu innocentiae; *sacrificium* Melchisedech et *circumcisio* in statu legis naturae; *agnus paschalis*, *variae purgationes* et *consecrationes sacerdotum* in lege Mosaica. — Haec tamen Sacramenta, et vel ipsa circumcisio (ut probabilior sententia docet) non conferebant gratiam vi sibi propria, i. e. ex opere operato, sed ex opere operantis, i. e. ex merito actuum

[1] Cf. *Catech. Rom.* p. 2. c. 1. n. 15; S. Alph. *Condotta ammir.* p. 2. c. 1. n. 6-12. — [2] L. VI. 6; *Exam. Ord.* n. 4. — [3] L. VI. 190. 2°. — [4] L. VI. 6. Not. 4; *Exam. Ord.* n. 4.

Digitized by Google

fidei, religionis, poenitentiae, etc., quos eliciebant ministrantes vel suscipientes. — Ad delendum autem peccatum originale sufficiebat, probabilius, fides in Christum venturum aliquo signo exteriori manifestatum, maxime per circumcisionem [1].

ARTICULUS II.

DE VI ET EFFICACIA SACRAMENTORUM

1394. — Duo sunt Sacramentorum EFFECTUS: alter omnibus communis, nempe *gratia;* alter nonnullis tantum proprius, nempe *character.*

§. 1. *De Sacramentorum gratia.*

Duplex gratia per Sacramenta confertur: gratia sanctificans, et gratia sacramentalis.

1395. — **Principia.** I. Omnia Sacramenta conferunt GRATIAM SANCTIFICANTEM, quae reddit hominem amicum Dei (vide Dogmaticos) [2]. — Haec gratia est PRIMA vel SECUNDA, videlicet: Sacramenta mortuorum, Baptismus et Poenitentia *per se et primario* conferunt gratiam primam, qua nempe peccator justificatur; alia Sacramenta, quae dicuntur vivorum, conferunt *per se et primario* gratiam secundam, i. e. praeexistentis gratiae augmentum.

Diximus *per se et primario.* Etenim: 1° Sacramenta MORTUORUM conferunt aliquando et per accidens secundam gratiam, quando scilicet gratiam in anima jam existentem inveniunt; secus enim essent sterilia, quod utique absurde et impie diceretur. — 2° Sacramenta VIVORUM, juxta sententiam communem, possunt pariter primam gratiam conferre, cum quis scilicet in statu lethalis peccati, Sacramentum cum bona fide simul et cum attritione suscipit. Quod hoc de SS. Eucharistia dicendum sit, concludendum videtur ex verbis Tridentini (sess. 13. can. 5), definientis: « Si quis dixerit praecipuum fructum SS. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, anathema sit ». Hoc ipsum tradit D. Thomas [3], non solum de Eucharistia, sed etiam de Extrema-Unctione; et communiter cum Angelico Doctore concordant Theologi, qui idem de aliis Sacramentis vivorum affirmant. — Affirmationis autem ratio est, quia in Tridentino (sess. 7. can. 6) legitur: « Si quis dixerit, Sacramenta novae Legis... gratiam non ponentibus obicem non conferre... anathema sit; » jam vero, « qui accedit ad Sacramentum vivorum cum attri-

[1] L. VI. 3-4. — [2] Cf. Lugo, *De Sacram.* Disp. 4. sect. 3. — [3] 3. q. 72. a. 7. ad 2; et q. 79. a. 3.

Digitized by Google

tione, quae excludit peccati affectum, tam actualem quam habitualem, jam obicem non ponit; » ergo [1]

Nota. Multipliciter evenire potest, ut quis mortalis peccati reus Sacramentum vivorum bona fide suscipiat, nempe: 1) si invincibiliter ignoret se esse in statu peccati; — 2) si se invincibiliter existimet perfecte contritum, rite absolutum, cum non sit; — 3) si invincibiliter ignoret ad Sacramenti receptiones requiri statum gratiae, etc. (cf. n. 1547).

1396. — II. « Sacramenta conferunt etiam GRATIAM SACRAMENTALEM, auxilia scilicet ad obtinendum finem, ad quem quodlibet Sacramentum est institutum [2]. » — Vide iterum Dogmaticos.

In specie: 1° BAPTISMUS homini obicem non ponenti suppeditat auxilium speciale, ut possit concupiscentiam vincere, mundi oblectamenta contemnere, et opera christiana perficere. — 2° CONFIRMATIO, ut fidem, data occasione, intrepide profiteatur, et propugnet. — 3° EUCHARISTIA, ut maneat in amore Christi et in unione cum Deo, in ea proficiendo de die in diem. — 4° POENITENTIA, ut commissa delicta perfectius detestetur, occasiones peccatorum devitet, in gratia perseveret, praeteritas culpas expiare valeat. — 5° EXTREMA-UNCTIO, ut a peccati reliquiis purgetur, in infirmitate sublevetur, et daemonis insidiis facilius resistat. — 6° ORDO confert sacris ministris auxilia, quibus ecclesiastica munera digne peragant. — 7° MATRIMONIUM tribuit vires conjugibus ad refraenandam inordinatam concupiscentiam, ad servandam fidem conjugalem, ad prolem pie educandam, et ad implendas constanter omnes status conjugalis obligationes [3].

1397. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An Sacramenta* FICTE, *seu* CUM OBICE *recepta, eo sublato, reviviscant?*

Praenot. 1° Cum Sacramentum validum quidem est, sed informe, dicitur FICTE suscipi, eo quod suscipiens quasi fingit se esse ad Sacramenti fructum dispositum, cum non sit. — 2° Fictio haec vocatur OBEX gratiae, et est vel *materialis*, quando scilicet omissio dispositionis requisitae est inculpabilis, ob ignorantiam, oblivionem, etc. — vel *formalis*, quando omissio est culpabilis, ita ut sacrilegii malitiam contineat.

Resp. 1° Sacramentum BAPTISMI, cum fictione, sive materiali, sive formali, susceptum, remoto per subsequentem dispositionem obice, reviviscit. Ita communiter AA. (excepto Scoto et aliis paucis) ex S. Augustino et D. Thoma. [4] « Ratio, quia peccatum ante Baptismum, vel in ipsa perceptione Baptismi consummatum, non subjicitur Ecclesiae clavibus; unde necesse est remitti per solam vir-

[1] L. VI. 6; *Exam. Ord.* n. 4. — [2] Ibid. — [3] Cf. *Exam. Ord.* n. 22; Op. in Trid. sess. VII. n. 8-10. — [4] 3. q. 69. a. 10.

Digitized by Google

tutem Baptismi, qui, sublato obice, habet effectum prius suspensum ratione fictionis [1]. »

2° Multi probabiliter idem docent de Confirmatione, de Ordine, de Extrema-Unctione et de Matrimonio. Ratio, quia Confirmatio et Ordo absolute, Extrema autem Unctio in eodem mortis periculo, et Matrimonium, vivente eodem conjuge, iterari nequeunt; consentaneum tamen bonitati divinae videtur, ut tales suscipientes non maneant, in perpetuum, privati gratia sacramentali, qua indigent.

3° Sacramentum Poenitentiae non reviviscit quando fictio est formalis, et ratio est, quia tum Sacramentum est invalidum. — Utrum vero reviviscat quando fictio est tantummodo materialis, dependet a quaestione, *an hoc Sacramentum possit esse validum simul et informe.* — Alii quidem *negant*, quia suscipientis dispositiones requisitae ad Sacramenti liceitatem sunt simul materia Sacramenti requisita ad ejus validitatem; — sed alii communiter et verius *affirmant*, pro casu nempe quo quis ponit aliquem obicem materialem; si habens v. g. duo peccata mortalia, unum furti et alterum sacrilegii, nullo modo de sacrilegio cogitat, nec illud confitetur, nec de eo, ne implicite quidem, dolet, et de solo furto absolutionem accipit, concepta attritione ex supernaturali illius peccati turpitudine. Hoc enim in casu, Sacramentum, in quo reperiuntur omnes partes essentiales (i. e. attritio et sincera confessio cum absolutione), non potest, una quidem ex parte, dici invalidum; ex altera autem parte, non informatur gratiâ, quia obstat peccatum, de quo neque se accusat neque dolet. Unde, confessio illa, cum sit valida, non est iteranda, ideoque Sacramentum cum obice materiali susceptum, hoc tandem remoto, reviviscit. — Ita Suarez, Lugo cum D. Thoma [2] et aliis.

4° Eucharistia, ut communiter docetur, sive fictio sit materialis, sive formalis, non reviviscit, nisi removeatur obex, antequam sacrae species consummentur. — Non reviviscit, si fictio fuerit formalis; secus enim hoc sequeretur absurdum, quod sacerdos, qui pluries in sua vita sacrilege celebrasset, si in morte cum remissa attritione confiteretur, reciperet totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum Communionum; imo, quo saepius indigne celebrasset, eo uberius gratiis ditaretur [3]. » Nec reviviscit probabilius, si fictio fuerit tantum materialis, quia, cum hoc Sacramentum ex sui institutione frequenter iterari possit, opus non fuit ut amplior ei tribueretur efficacia.

[1] L. VI. 87. — [2] In 4. dist. 17. q. 3. art. 4. ad 1. — [3] L. VI. 87.

Digitized by Google

QUAER 2° *Quomodo* OBEX *tolli debet, ut Sacramentum reviviscat?* *Resp.* Ut Sacramenta valide, sed ficte, suscepta reviviscant, probabilius *requiritur* et *sufficit* eadem dispositio, quae erat in ipsa receptione requisita ac sufficiens ad gratiam consequendam. — Hinc: 1° Sacramenta mortuorum, Baptismus scilicet et Poenitentia (cum obice materiali suscepta), reviviscunt per attritionem universalem. — 2° Sacramenta vivorum, i. e. Confirmatio, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium, et, sacris speciebus nondum consummatis, Eucharistia, reviviscunt pariter per attritionem, si fuerint cum obice materiali recepta; in tali enim casu, etiam haec Sacramenta per accidens producunt in attrito gratiam. — Secus, si fuerint recepta cum obice formali, quia aliter reviviscere non posse videntur, nisi per Sacramentum Poenitentiae susceptum, sive in re cum attritione, sive in voto cum contritione perfecta [1].

§. 2. *De Charactere.*

1398. — « Character est quoddam signaculum spirituale, indelebile, impressum in anima suscipientis Sacramentum. — Illud imprimitur tantum in Baptismo, Confirmatione et Ordine; et significat potestatem sive dignitatem ex hujusmodi Sacramentis susceptam [2]. »

Conveniens est, juxta Angelicum [3], ut Sacramenta, per quae homo constituitur in aliquo statu de se perpetuo, imprimant characterem, quo homo deputatur ad illum statum; atqui, per ista sola tria Sacramenta homo constituitur in aliquo novo statu de se perpetuo, nempe per BAPTISMUM adscribitur perpetuo familiae Christi, per CONFIRMATIONEM militiae Christi, per ORDINEM ministerio Christi. Sic tria tantum sunt Sacramenta quae, etiam illicite suscepta, imprimunt characterem. — Hinc: « 1° In Baptismo character est signum *ovium* Christi, quo fideles efficiuntur idonei ad alia Sacramenta recipienda. — 2° In Confirmatione est signum *militum* Christi, quo vim accipiunt ad Fidem constanter profitendam. — 3° In Ordine est signum *ministrorum* Christi, quo potestatem acquirunt ad Sacramenta fidelibus ministranda [4]. »

ARTICULUS III.

DE CONSTITUTIONE SACRAMENTORUM, SEU DE MATERIA ET FORMA

1399. — « Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam *materia*, verbis tanquam *forma*, et persona *ministri* conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. » Ita Eugen. IV, *ad Armenos.* — De MINISTRO agemus in cap. II.

DEFINITIONES. Generatim, illud habet rationem *materiae*, quod

[1] Cf. Lugo, Disp. 9. n. 50. sqq. — [2] *Exam. Ord.* n. 24. — [3] 3. q. 63. a. 6. — [4] *Exam. Ord.* l. c.

Digitized by Google

est determinabile et perfectibile per aliud; illud autem habet rationem *formae,* quod est alterius determinativum et perfectivum[1].— Hinc in Sacramentis:

1° Materia est res sensibilis, ad rationem Sacramenti per formam determinanda. — Duplex est: *remota*, seu res sensibilis praeexistens, quae in Sacramento adhibetur, vel circa quam actio sacramentalis exercetur; et *proxima*, quae est ipsamet applicatio seu usus materiae remotae in actione sacramentali. Sic in Baptismo aqua est materia remota, ablutio materia proxima.

2° Forma est pars Sacramenti, quae determinat materiam ad effectum sacramentalem producendum: et consistit in verbis a ministro prolatis, vel, pro sacramento Matrimonii, hocque solo, in signis quae locum tenere possunt verborum [2].

1400. — **Principia.** I. Quodlibet Sacramentum habet propriam divinitusque institutam tum materiam, tum formam. — Certum est, Christum in specie determinasse materiam et formam Baptismi et Eucharistiae, ut patet ex Scripturis. — Quoad alia Sacramenta, idem non omnino constat. — Alii enim cum *S. Bonaventura* probabiliter putant, Dominum, nonnisi generali ratione, plurium Sacramentorum, v. g. Confirmationis et Ordinis, materiam et formam constituisse committendo suis Apostolis curam, ea signa, data occasione, peculiarius determinandi. — Alii tamen cum *D. Thoma* communius et probabilius affirmant, omnes materias, et quoad substantiam etiam formas, fuisse in specie a Christo determinatas; ac proinde sacramentalium rituum diversitatem, quae inter Latinos et Graecos, aut inter priscam atque hodiernam Ecclesiam intercedit, non pertinere ad rerum essentiam [3].

Hinc deduces: 1° Christus Dominus dicendus est immediatus auctor Sacramentorum: quia, etiam in priori sententia, ipse omnia Sacramenta singillatim distinxit. — 2° Ecclesia, in Sacramentorum dispensatione, potest ea statuere vel mutare, quae suscipientium utilitati vel ipsorum Sacramentorum venerationi judicat magis expedire, salva tamen illorum substantia, ut habet Tridentinum sess. 21. cap. 2.

1401. — II. Ad conficiendum Sacramentum, debent ab eodem ministro simul applicari materia et forma certae, exclusa qualibet essentiali variatione. — Requiri autem, ex institutione Christi, materiae et formae *conjunctionem*, *invariabilitatem* ac *certitudinem*, patebit ex dicendis; de singulis enim singillatim agendum est.

[1] Billuart, *de Sacram.* Diss. 1. art. 4. §. 2. — [2] Cf. L. VI. 887. — [3] L. VI. 12; H. A. XVII. 15; *1 Elench. qq. ref.* n. 60.

Digitized by Google

1. — *Quoad materiae ac formae conjunctionem.*

1402. — Ut valide conficiatur Sacramentum, duae servandae sunt REGULAE:

Regula 1ª Materia et forma UNIRI seu applicari debent *ab eodem ministro*, et erga *idem subjectum* [1]. Ratio est, quia, si unus materiam, alter formam poneret, verba formae non verificarentur: v. g. si Titius diceret: « Ego te baptizo, » dum Cajus effundit aquam, Titius falsum proferret, ut palam est.

Regula 2ª Inter materiam et formam debet esse talis CONJUNCTIO, ut secundum moralem hominum aestimationem, spectata cujusque Sacramenti natura, altera alteram *afficiat;* — seu, aliis verbis, ea debet esse conjunctio, ut, secundum humanum usum, verba in talem rem cadere, et cum ea *unum morale signum* constituere censeantur; secus enim verba formae non exprimerent veritatem.

Diximus *spectata cujusque Sacramenti natura;* pro diversitate enim Sacramentorum, conjunctio, seu simultaneitas, debet esse diversa. — Unde: 1° In EUCHARISTIA requiritur conjunctio physica, cum pronomen demonstrativum Hoc et HIC non possit verificari, nisi sit praesens materia. — 2° In BAPTISMO [2], CONFIRMATIONE, EXTREMA-UNCTIONE et ORDINE sufficit ad valorem, ut materia applicetur immediate antequam pronuntietur forma, vel immediate postquam prolata sit. Mora autem unius *Pater noster* inter utrumque invalidaret Sacramentum. — Unde, in praxi, tanquam tutior consulenda est sententia Cajetani, qui requirit, ut forma inchoetur priusquam materiae applicatio absolvatur, vel e converso. — 3° In POENITENTIA, quae naturam judicii sequitur, mora temporis longior, v. g. unius horae, inter accusationem et absolutionem intercedere potest. — 4° In MATRIMONIO denique, idem admittitur intervallum ac in contractibus, nempe sufficit, ut consensus unius ponatur, dum consensus alterius perseverat [3].

2. — *Quoad invariabilitatem.*

1403. — *Praenot.* In materia et forma Sacramentorum potest contingere duplex variatio seu mutatio, *substantialis* nempe et *accidentalis.* « Substantialis mutatio materiae dicitur, quando, secundum communem usum et aestimationem hominum, differt, nomine et re, ab ea quam Christus praescripsit. Accidentalis dicitur, quando cum

[1] Gury, n. 197. III. — [2] *1. Elench. qq. ref.* n. 59. — [3] L. VI. 9. 10. 446.

Digitized by Google

ea eumdem retinet usum et nomen. — Formae mutatio essentialis est, quando non manet idem sensus; accidentalis, quando manet [1].»

1404. — Principia. I. Mutatio SUBSTANTIALIS in materia vel in forma, sive fiat ex proposito et deliberate, sive ex errore vel ex inadvertentia, officit semper valori Sacramenti. — Ratio est, quia per talem mutationem tollitur ritus a Christo institutus (cf. n. 1400).

1405. — II. Mutatio ACCIDENTALIS non officit valori Sacramenti; sed, pro mutationis gravitate vel parvitate, inducit peccatum grave vel leve. Ratio *primi* est, quia mutatio accidentalis non tollit Christi institutionem. Ratio *secundi*, quia tollit ritum ab Ecclesia praescriptum: vel sub gravi, v. g. cum mandat ut adhibeatur in Baptismo solemni aqua consecrata; vel sub levi, v. g. cum jubet ut vitetur etiam minima interruptio in pronuntiando verba formae [2].

Materia mutatur substantialiter multis modis, quorum praecipuos propriis locis recensebimus.

1406. — Forma SEX praesertim MODIS mutari potest, prout his indicatur versiculis:

> Nil formae demas, nil addas, nil variabis,
> Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

1° OMISSIONE: istiusmodi mutatio est substantialis, si syllabae aut verba essentialia praetermittantur, v. g. verbum *Te* in Baptismi collatione; est autem solum accidentalis, si verba non essentialia praetermittantur, v. g. *Ego*, in eadem Baptismi collatione

2° ADDITIONE: quae est substantialis, si tollat veritatem Sacramenti, v. g. si dicas: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris*, etc; accidentalis, si non auferat debitum sensum, v. g. si dicas: *In nomine Patris, qui te creavit*, etc.

3° VARIATIONE verborum: haec potest esse substantialis vel accidentalis, prout sensus explicitus formae tollitur, v. g. si dicas: *In nomine SS. Trinitatis;* vel retinetur, v. g. *Ego te abluo.*

4° TRANSPOSITIONE; quae ordinarie accidentalis tantum est, ut: *Te ego baptizo.*

5° CORRUPTIONE verborum, nempe ex litterarum mutatione. Talis mutatio est facilius substantialis in principio quam in fine verborum; quia sensus facilius pro audientibus mutatur, v. g. si dicatur: *in nomine matris* pro *Patris;* quam si dicatur: *calis* pro *calix.*

6° INTERRUPTIONE, qua orationis unitas tolli potest, ut si dicto, *Hoc est*, psalmum recites aut multum immoreris; non vero, si dicto *Ego te*, tussires, vel silentium pueris imponeres, et deinde illico concluderes *baptizo*, etc.

[1] L. VI. 11. — [2] L. VI. 109; cf. *Exam. Ord.* n. 6.

Digitized by Google

3. — *Quoad certitudinem.*

1407. — *Praenot.* Dubium, circa materiam aut formam Sacramentorum, potest esse *juris* vel *facti.* — Primum est, quando dubitatur, utrum talis materia (v. g. in Baptismo aqua ex floribus extracta), vel talis forma fuerit a Christo instituta seu valida. — Alterum est, quando dubitatur, utrum adhibenda vel jam adhibita materia aut forma sit illa, quam Christus instituit: v. g. utrum iste liquor sit aqua; utrum forma fuerit debite prolata.

REGULAE. — In omni dubio, sive juris, sive facti, circa materiam et formam, seu generatim circa VALOREM Sacramentorum, tres servandae sunt regulae: — *Prima* est: Si possibilitas adest, eligatur via tutissima, i. e. sententia tutior vel moraliter certa. — *Secunda:* Si possibilitas non adest, eligatur via quae sit tutissimae proxima, i. e. deficiente materia certa, adhibeatur materia dubia vel probabilis, sub forma tamen conditionata, ut consulatur tum necessitati aut gravi utilitati suscipientis, tum reverentiae Sacramento debitae. — *Tertia:* Cessante impossibilitate, caute supplendum est quod impossibilitas prohibebat [1]. — Prima et secunda regula jam fuerunt expensae in Tract. *de Conscientia* (n. 82). Circa tertiam demum hic

1408. — QUAERITUR. *Utrum et quandonam* ITERARI *possit aut debeat Sacramentum non rite confectum?*

Resp. 1° Si prudenter dubitetur, an aliquod ex tribus Sacramentis *non iterabilibus* fuerit valide collatum, debet iterum sub conditione conferri: Baptismus quidem, propter summam hujus Sacramenti necessitatem; Ordo, ne contingat invalide administrari Sacramenta; Confirmatio, ne miles Christi careat robore ad fidem constanter tenendam et profitendam. — Ratio est, quia, ex una parte, in dubio circa valorem Sacramenti, praeferenda est opinio favens animabus; ex altera vero, nulla irrogatur irreverentia Sacramento, dum confertur sub conditione, ex rationabili causa.

Resp. 2° Si prudenter dubitetur de valore Sacramenti *iterabilis*, POTEST illud denuo conferri sub conditione, quando subest notabilis proximi utilitas; DEBET autem, quando Sacramentum est necessarium. — Ratio est eadem ac supra.

Resp. 3° Iterare, ob inane dubium, Sacramentum, quamvis sub conditione, est per se peccatum grave. Ratio est, quia temeraria sacramentalis actionis iteratio est gravis irreverentia. — Per accidens tamen excusantur scrupulosi, ob perplexitatem. Et veniali-

[1] Cf. Haine, *de Sacram.* cap. 4. dub. 11.

Digitized by Google

ter tantum peccare videtur, qui verbum vel syllabam repetit, in prolatione formae.

Nota. Quando Baptismus dubius publice confertur, *conditio verbis exprimenda est* (ut vult Rituale), ne adstantes credant Baptismum absolute iterari contra legem Ecclesiae. — Imo, tutius (aut saltem decentius) erit, conditionem verbis exprimere quoties ministratur sub conditione, sive publice sive private, quodcumque Sacramentum [1].

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM

1409. — DEFINITIO. Sacramentorum minister dicitur ille, qui nomine Christi, cujus est mandatarius, sacramentalem actionem perficit.

DIVISIO. Minister alius est *ordinarius*, qui, juxta ordinem consuetum a Christo et ab Ecclesia constitutum, Sacramentum conficere potest. Alius est *extraordinarius*, qui, praeter hunc ordinem, conficit aliqua Sacramenta, sed ob peculiare privilegium, delegationem vel necessitatem. — Sic in Baptismo minister ordinarius est sacerdos; minister extraordinarius, in casu necessitatis, est quivis homo (cf. n. 1411).

His praenotatis, agemus de illis, quae requiruntur in ministro, 1° ut valide, 2° ut licite operetur.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS IN MINISTRO UT VALIDE OPERETUR

1410. — **Principia.** I. Ad validam Sacramentorum confectionem vel administrationem non requiruntur in ministro, nec STATUS GRATIAE, nec PROBITAS VITAE, imo nec ipsa FIDES. — Id constat ex Tridentino, sess. 7, can. 11 et 12; et ratio est, quia Sacramenta operantur non ex dispositione ministri, sed per virtutem divinam, secundum institutionem ac merita Christi [2]. — At vero

1411. — II. Requiritur in ministro POTESTAS divinitus concessa. Ratio est, quia solus Deus actibus ministri gratiam adjungere potest. — Quaedam vero Sacramenta a solis Episcopis conferri possunt, vel exclusive, ut Ordo, vel ordinaria facultate, ut Confirmatio. — Alia cadunt aeque sub potestate Episcoporum et simplicium sacerdotum, cum conveniente tamen subordinatione, ut Eucharistia, Poenitentia, et Extrema-Unctio. — Alia demum non sibi ministrum specialiter

[1] L. VI. 23-29, et 2 *Elench. qq. ref.* 17; cf. etiam MISSALE, *de Defectibus*, V. 2. ubi valet conditio *tacita*. — [2] L. VI. 13.

Digitized by Google

consecratum seu deputatum requirunt, ut Baptismus, qui ab omni homine valide conferri potest; et Matrimonium, cujus ministri sunt ipsi contrahentes [1].

1412. — III. Requiritur in ministro INTENTIO saltem, seu voluntas faciendi quod facit Ecclesia; sufficit autem intentio VIRTUALIS. — Ratio cur aliqua intentio requiratur, est, quia materiae et formae Sacramentorum sunt de se indifferentes ad esse Sacramenti, cum ad jocum, aliumve finem ordinari possint; ergo per intentionem determinandae sunt [2]. — Porro, ad denotandum objectum et qualitatem intentionis,

Dicitur 1° *Requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia;* id patet ex Decreto Concilii Florentini, ubi dicitur, Sacramenta confici « cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. » Idem declaravit Nicolaus I, qui respondit, Baptismum a Judaeo vel pagano collatum validum esse, « si collatus fuerit cum vera materia et forma; valet enim tale Baptisma, ob intentionem generalem faciendi, quod audierit Judaeus vel paganus fieri a Christianis vel ab Ecclesia Christi [3]. »

Ex quo deduces: 1° Non requiri ad valorem Sacramenti intentionem *explicitam* conficiendi Sacramentum; aut peragendi ritum externum, ut formaliter et absolute sacrum; aut producendi effectum Sacramenti: haec enim implicite habentur in intentione faciendi quod facit Ecclesia. — 2° Non sufficere intentionem *mimicam*, aut aliam, qua excluderetur intentio faciendi rem sacram: ut eruitur ex damnatione Lutheri [4]; nec sufficere intentionem, etsi seriam, *ponendi actum externum;* nam ille actus posset ad alios fines dirigi, v. g. ad excitandam fidem, ut volunt haeretici; unde vix est probabilis (et ideo nullatenus tuta) opinio *Catharini*, docentis, intentionem externam sufficere, licet circa hanc opinionem nulla prodierit expressa Apostolicae Sedis definitio [5]. — 3° Addunt AA. non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia *Romana*, sed sufficere intentionem faciendi quod facit vera Ecclesia a Christo instituta. Unde, rite baptizati ab haereticis, qui negant Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, non sunt rebaptizandi [6].

1413. — Dicitur 2° *Sufficit intentio* VIRTUALIS (cf. n. 272. 6°). — Certum est enim non requiri intentionem *actualem*; quae tametsi optima sit, ideoque summopere exoptanda, non tamen semper est homini possibilis, « quia, praeter intentionem, ut scribit S. Thomas [7], cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare. » — Certum

[1] *Exam. Ord.* n. 10; L. VI. 113. 170. 539. 761. 897. — [2] *Exam. Ordin.* n. 9. 18. — [3] L. VI. 22. fin. — [4] Trid. sess. 14. can. 9. *de Poenit.* — [5] Cf. Panzuti, lib. VI. 19-21. — [6] L. VI. 20-23 — [7] 3. q. 64. a. 8. ad 3.

Digitized by Google

est pariter, non sufficere intentionem *habitualem* (quam scilicet quis habuit aliquando et non revocavit, et quae in nullo effectu perdurat); quia hujusmodi intentio non facit, ut actio sit elicita more humano, prout requiritur in ministro, a quo procedunt Sacramenta tanquam a causa operante. — Multo minus sufficiens erit intentio quae dicitur *interpretativa,* cum quis (v. g. dormiens aut ebrius) nullam habet aut habuit unquam intentionem actualem, sed eam haberet, si animadverteret. — Ergo *requiritur et sufficit intentio* VIRTUALIS, illa nempe qua quis, licet hic et nunc non intendat conficere Sacramentum, agit tamen virtute actualis intentionis prius habitae: ut si quis v. gr. habita mane intentione Missam celebrandi, postea adeat ecclesiam, sacris se vestibus induat, etc. Tali enim intentione ductus, minister more vere humano operatur, cum intentio sit vera causa actus, quem ponit. — Ita omnes [1].

Hinc deduces: 1° Minister, qui *de more* posuit actiones ad Sacramentum requisitas, modo non excluserit intentionem, nonnisi imprudenter de eadem postea dubitat; quia saltem voluit facere, quod alias a seipso vel ab aliis fieri solet, et sic intentionem habuit in actu exercito. — 2° Sufficit ad valorem Sacramenti intentio etiam *coacta* et *metu extorta,* quia metus non tollit voluntarium. Excipe Matrimonium; a quo vis et metus abesse debent, saltem ex definitione Ecclesiae. — 3° Validum est Sacramentum, etiamsi minister forte *erraverit* circa personam suscipientis: nisi ejus intentio alicui determinatae personae, exclusive, alligata fuerit, quod nonnisi in Matrimonio evenire solet.

1414. — Quaesita. QUAER. 1° *An validum sit Sacramentum cum intentione* CONDITIONATA *collatum?*

Resp. Affirm., si conditio apponatur *de re praesenti* vel *praeterita;* nam, cum adjecta conditio jam sit verificata, conditionalis intentio transit in absolutam. Nec solum hujusmodi apposita conditio non officit valori Sacramenti, sed nec ejus liceitati, si nempe ob justam causam, ut suo loco (n. 1663. q. 5°) dicemus, apponatur. — Non vero validum est Sacramentum, si conditio sit *de futuro;* quia nullum Sacramentum perficitur, nisi forma applicetur materiae praesenti. Excipe matrimonium, quod, ad instar aliorum contractuum, sub conditione de futuro celebrari potest; tunc enim perficitur Sacramentum, quando, impleta conditione, perficitur contractus [2].

Nec, similiter, valet Sacramentum, si apponatur conditio, quae humanitus cognosci nequeat, v. g. « ego te absolvo, si Deus revera futurum esse praenoscit ut tu restituas. » Ratio est, quia,

[1] L. VI. 15-18; H. A. XIV. 2. — [2] L. VI. 25. 26.

Digitized by Google

cum Deus Sacramentorum administrationem hominum cognitioni ac voluntati commiserit, non potest apponi conditio, quae humanae cognitioni est impervia [1]. — Recole dicta, n. 1408. *Nota.*

QUAER. 2° *Quid, si minister habeat duas intentiones contrarias?*

Resp. 1° Si duae illae contrariae intentiones sint *simultaneae*, valet praedominans, nempe quae eligeretur a ministro, si cognosceret utramque consistere non posse; quod si neutra sit praedominans, minister nihil efficit; nam altera alteram destruit. — 2° Si una intentio *succedat* alteri, valet posterior. Excipe, si per priorem revocata fuerit, saltem virtualiter, voluntas quaecumque subsequens; tunc enim prior voluntas, modo expresse non revocetur, certe praevalet. Dubio perseverante, dubia erit Sacramenti validitas. — Haec praesertim in Eucharistia et in Matrimonio evenire possunt [2].

QUAER. 3° *An, praeter intentionem, requiratur etiam* ATTENTIO *in conficiente Sacramentum?*

Resp. Certe requiritur attentio ad LICEITATEM, ut infra videbitur [3]. — Sed improbabilis videtur opinio Lacroixii, qui attentionem affirmat esse necessariam ad VALOREM Sacramenti. Omnes enim auctores dicunt ad valorem Sacramenti, nihil aliud, praeter materiam et formam, requiri, quam intentionem ministri, ut definitum fuit a Conciliis. — Nec officit dicere, non esse humanam actionem, quae fiat sine attentione; nam, licet homini, humano modo operaturo, attendendum sit ad finem operis, quod perficere intendit: non tamen requiritur, ut actualiter attendat ad opus quod exequitur. Hinc, optime docet Suarez, ministrum, etsi distractum, vere conficere Sacramentum; quia, ut ait, actio ejus est simpliciter humana et libera, et procedit a priori intentione [4].

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS IN MINISTRO UT LICITE OPERETUR

Praeter ea, quae ad valorem necessaria sunt, tria ex parte ministri requiruntur, scilicet ut 1° dignus sit et idoneus; 2° ut digne ac rite agat; 3° ut Sacramenta conferat dignis.

1. — *Dignus sit et idoneus.*

1415. — Principia. I. Ut minister Sacramentorum dignus sit et idoneus, requiritur in primis, ut ECCLESIA eum aliquo modo DEPU-

[1] Ib. 26; vide etiam S. ALPH. in Trid. sess. 7. n. 31. — [2] L. VI. 21. — [3] Cf. L. VI. 224. et 410. dub. 5. — [4] L. VI. 14.

Digitized by Google

TAVERIT. — Ratio est, quia Sacramentorum confectio et administratio est pars sacri ministerii, quod Christus Ecclesiae suae commisit.

Deputatur autem vel generaliter, vel specialiter: *generaliter* quidem pro Baptismo privato, in casu necessitatis, et pro Matrimonio; *specialiter* autem, pro aliis Sacramentis; haec enim nequeunt valide confici, nisi a ministro consecrato seu ordinato, nec licite administrari (imo, si de Poenitentia agatur, nec valide), nisi a ministro aliqua jurisdictione, saltem delegata, donato.

1416. — II. Ad licitam Sacramentorum confectionem et administrationem requiritur, ut minister (saltem si est consecratus et ministrat solemniter) sit IN STATU GRATIAE. — Ratio est, quia sancta sancte tractanda sunt, et quia minister conformandus est Christo, cujus personam gerit, et in cujus nomine operatur [1]. « Quamobrem (sic Rit. Rom.) illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam, etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris effectus impediri: impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt » (cf. n. 583).

1417. — *Ex his sequitur:* 1° Parochi aliique sacerdotes, quibus ex officio incumbit Sacramenta ministrare, tenentur semper *se paratos habere* ad ministranda Sacramenta in statu gratiae. — Quod si quis, existens in mortali, ea ministrare debeat, tenetur prius ad eliciendum actum contritionis perfectae; ad confitendum vero nulla lege tenetur, nisi ante Communionem vel Missae celebrationem, juxta Decretum Tridentini, sess. 13. cap. 7 [2]. « Sed si habeat copiam Confessarii et temporis locique ratio ferat, *convenit* confiteri ». Ita Rit. Rom. (cf. n. 1547).

2° Celebrans Missam in mortali committit *quatuor* peccata mortalia; quia indigne consecrat, indigne ministrat, ministrat sibi indigno, et indigne suscipit [3]. Quae tamen sufficienter exprimit in confessione, si dicat: « Celebravi in mortali. »

3° Sacerdos (aut Diaconus) ministrans *Eucharistiam* in mortali, peccat mortaliter, quia ponit indigne actum, quo concurrit proxime ad sanctificationem communicantium. Ita tenendum cum Suaresio et pluribus contra Lugonem et alios. — Nec tamen plura peccata committit, si Communionem dispenset pluribus, quia unum est convivium [4].

4° Confessarius tot committit peccata, quot personas *absolvit* in mortali constitutus; quia unaquaeque absolutio est judicium completum. — Si vero confessionem tantum audiat, probabilius non peccat *graviter*, quia non conficit Sacramentum [5].

NB. Alia vide n. 1439, de MINISTRO indigno.

1418. — **Quaesita.** — QUAER. 1° *An peccet graviter, qui, cogente necessitate, ministrat in mortali Sacramentum, si ad illud* NON EST ORDINATUS; — *vel, si est ordinatus, illud ministrat* NON SOLEMNITER? [6]

[1] Cf. S. Thom. 3. q. 64. a. 6. — [2] L. VI. 33. fin. et 34. — [3] Ib. 35. Hinc; et *Exam.. Ordin.* n. 11. fin. — [4] L. VI. 35; *Exam. Ordin.* 13; *1 Elench. qq. ref.* n. 62. — [5] L. V. 50. q. 6; VI. 36; — [6] H. A. XIV. 6. fin.; *Exam. Ordin.* n. 12.

Digitized by Google

Resp. Prima sententia *negat* cum D. Thoma; quia non se exhibet ut ministrum Ecclesiae, sed subvenit patienti necessitatem. Haec sententia est quidem *probabilis;* — sed secunda sententia *affirmans*, spectata ratione, *videtur probabilior.* Ratio est, quia obligatio ministrandi in statu gratiae non derivatur tantum a consecratione ministri, sed etiam a sanctitate ipsorum Sacramentorum, quae semper sancte tractanda sunt; et quidem sub gravi, in re gravi. Insuper, quamvis minister, non consecratus, non agat nomine Ecclesiae, agit tamen nomine Christi, cooperando immediate cum ipso ad sanctificationem animae: unde, quicumque tale munus exercet, sanctitate praeditus sit oportet [1].

Hinc, probabilius, *per se loquendo*, peccant graviter: 1° Laicus, vel sacerdos Baptismum ministrans non solemniter in casu necessitatis, si ministret in mortali; 2° contrahens matrimonium in mortali; et cum talis suscipiat simul et ministret Sacramentum duplici peccato se coinquinat. [2]. — « Diximus *per se loquendo;* nam, per accidens, minister, tam consecratus, quam non consecratus, excusatur, si ministret in mortali Sacramentum Baptismi aut Poenitentiae in necessitate, puta si non posset tam cito conteri, et periculum esset quod moribundus decederet sine Baptismo aut absolutione, ut communiter docent [3] ».

QUAER. 2° *An graviter peccet minister exercens in mortali alias* FUNCTIONES SACRAS, *quae non sunt confectiones aut administrationes Sacramentorum ?*

Resp. Alii *affirmant* cum S. Thoma, qui dicit, omnes exercentes, ex officio, functiones Ordinis suscepti, ab Episcopo usque ad Ostiarium, committere, si in mortali sint, culpam gravem. — Alii autem communius, et satis probabiliter, *negant* cum Suarez; et ratio est, quia, cum omnia alia exercitia Ordinum, praeter confectionem et administrationem Sacramentorum, non sint proxime ordinata ad sanctificationem animae, non videntur sub gravi exigere exercentium sanctitatem. Hi tamen culpam venialem committunt, et quidem eo graviorem, quo magis eorum actio accedit ad Sacramenti ministerium [4].

Hinc: 1° Non improbabiliter asserunt plures AA., non peccare graviter, qui, existens in mortali, Eucharistiam ex officio tangit immediate vel mediate, puta gestando in processione, vel populum benedicendo. Opposita tamen sententia D. Thomae est etiam valde probabilis [5].

2° Non peccant graviter, juxta opinionem satis probabilem, diaconi et subdiaconi, qui, in mortali, ministrant ad altare; etiamsi frequenter ministrent [6].

3° Non videtur peccare graviter Episcopus, qui, in mortali, conficit chrisma, vel oleum sanctum [7]. — Nec peccat mortaliter Episcopus vel sacerdos, qui, in mortali, consecrat templum, benedicit vestes sacras, aut corpo-

[1] L. VI. 32; *Ex Ord.* n. 12. — [2] Ib. fin.; *1. El. qq. ref.* n. 61. — [3]. Ib. 33. — [4] Ib. 37-40. — [5] Ib. 35. fin. — [6] Ib. 38. — [7] Ib. 39.

Digitized by Google

ralia, assistit matrimonio, benedicit cineres, aquam lustralem, etc. — Ita communissime contra paucos [1].

4° Concionator, praedicans in mortali, non peccat graviter, ut communius et probabilius docetur. Communiter tamen AA. non excusant eum a veniali, ob aliquam irreverentiam, quae fit verbo divino. Quinimo, si concionator increpet vitium, de quo ipse publice est diffamatus, non videtur excusari a mortali; quia tunc scandalum praebet, impeditque finem doctrinae [2].

2. — *Digne et rite agat.*

1419. — Inter RITUS sacramentales, alii sunt essentiales, alii solum accidentales: — ESSENTIALES sunt, quos ipse Christus Dominus instituit, et sine quibus invalidum est Sacramentum. — ACCIDENTALES dicuntur illi, quos Ecclesia praescripsit, ad aptiorem actionis sacramentalis decentiam ac splendorem.

1420. — **Principia.** I. Est gravis obligatio omnes ritus Sacramentorum ESSENTIALES servandi. — Id nimirum requirit: 1° Religio; « est enim quodammodo illudere Christo, Sacramentorum auctori, contra ejus institutionem adhibere signa ad gratiam ejus nomine conferendam, quae ipse ad hoc non assumpsit [3]; » — 2° Charitas, quia secus proximus privatur magno bono spirituali; — 3° Justitia, si petatur Sacramentum; nam eo ipso quod minister illud conferre consentit, obligat se tacite ad validam ejus collationem [4].

Hinc: 1° Peccat ministrans mortaliter, si utatur materia vel forma falsa, vel (extra necessitatem) dubia. — 2° Peccat quoque graviter, cum verba formae *corrupte*, *inarticulate*, *indevote* pronuntiat, si exinde periculum proximum subeat errandi in substantialibus. — Secus venialiter, nisi adsit scandalum, vel contemptus (cf. n. 1405 et 1406).

1421. — II. Omnes ritus ab ECCLESIA praescripti, aut consuetudine recepti, etiam IN ACCIDENTALIBUS, sedula cura observandi sunt. — Ratio est, quia Sacramenta ut res sanctae sancte sunt tractanda, et praecepta Ecclesiae obligant in conscientia. Unde Tridentinum (sess. 7. can. 13): « Si quis dixerit receptos, et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios, per quemcumque Ecclesiarum Pastorem, mutari posse: anathema sit (cf. n. 583).

Hinc: 1° Si *ex contemptu* omittantur vel mutentur praefati ritus, mortale est. — 2° Si *ex negligentia*, saepe est mortale, quando omissio vel mutatio est notabilis, vel in re gravi. Quaenam autem

[1] L. VI. 40. — [2] Ib. 41. — [3] Reuter, p. 4. tract. 1. cap. 1. n. 14. — [4] L. VI. 619.

Digitized by Google

omissio materia gravis, in singulis Sacramentis, notabilis habenda sit, infra, propriis locis explicabitur. — 3° Si omittatur aliqua caerimonia vel laudabilis consuetudo, quae est tantum *de consilio*, nullum erit per se peccatum [1].

1422. — QUAERITUR. *An sit de praecepto uti* RITUALI ROMANO *in administratione Sacramentorum et Sacramentalium?*

Resp. Affirm., nisi forte alii ritus alicubi concessi fuerint. Constat ex Bulla Pauli V *Apostolicae Sedis* de 16 junii 1614, in qua legitur, Rituale Romanum continere « ritus... qui observari debent » ab omnibus curam animarum exercentibus. — Idipsum declaravit (die 7 aprilis 1832, et 23 maji 1835) S. Rit. C., dicens: « Illi soli libri adhibendi (sunt), et in illis tantum benedictionibus, quae Rituali Romano sunt conformes;... nec aliae adhibeantur (formulae), dummodo non constet ab hac S. Congregatione fuisse approbatas [2] ». — Nec licet Episcopis praescripta Ritualis Romani ad libitum mutare; et si forte Episcopus mutationes statuisset, hoc non est pro sacerdotibus sufficiens dispensatio (S. R. C., 10 jan. 1852) [3].

Diximus *nisi alii ritus alicubi concessi fuerint;* nam S. Sedes, pro diversis dioecesibus, Ritualia a Rituali Romano in pluribus rebus discrepantia approbavit. — Praeterea, consuetudines *juxta* vel *praeter* legem retineri possunt, ut patet ex ipso Rituali Romano, et ex pluribus S. Rit. C. declarationibus. — Consuetudines vero *contra* Rubricas et decisiones S. Rit. Congregationis eliminari debent. Attamen, si abusus sint generales et inveterati, (Episcopus) « in istis corrigendis procedat cum omni patientia et doctrina, et, juxta datam sibi opportunitatem, ita illos eliminare satagat, ut nullum inde fideles scandalum patiantur. » S. R. C., 9 maji 1857, ad Episc. *Limburgen* [4].

Nota. (ex RIT. ROM.): 1° « In omni Sacramentorum administratione *superpelliceo* sit indutus (Sacerdos), et desuper *stola* ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit; nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando, occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat. — 2° Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures *clericos*, prout loci et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu, et superpelliceo pariter indutos. »

3. — *Dignis Sacramenta conferat.*

1423. — Principia. I. Minister conferens Sacramenta INDIGNIS peccat graviter, nisi ex denegatione graviora sequantur incommoda. — *Primum* patet: 1° ex Matth. 7, 6.: « Nolite dare sanctum canibus... » Et ex 1. Cor. 4, 2: « Hic jam quaeritur inter dispensato-

[1] Ib. 285. dub. 4. — [2] Cf. Gardellini, n. 4681. 5°; 4748. 9° — [3] Ib. n. 5165. 4°. — [4] Benger, *Compend.* n. 317.

Digitized by Google

res, ut fidelis quis inveniatur. » 2° Ex ratione; minister enim, qui sciens et volens dispensaret Sacramenta indignis, violaret tum virtutem religionis, quia tractaret Sacramenta irreverenter, eaque suis effectibus fraudaret; tum praeceptum charitatis, quia peccato indigne suscipientium cooperaretur. — *Secundum* sequitur ex dictis *de Cooperatione;* licitum est enim, ob causas proportionate graves, et dando operam rei bonae, ad peccata aliena materialiter cooperari. Unde, licet indigne petenti ministrare Sacramenta, si necesse sit ad vitandum scandalum, vel injustam infamationem, vel sacramentalis sigilli violationem.

1424. — II. Minister debet de dignitate suscipientis INQUIRERE, juxta naturam cujusque Sacramenti. Scilicet, discernenda sunt Sacramenta, in quorum administratione sacerdos est *judex*, ab illis, in quorum collatione est solummodo *dispensator*. — Prioris generis sunt Baptismus adultorum, Poenitentia, Ordo, et Matrimonium quoad Matrimonii impedimenta: pro his igitur Sacramentis, debet minister, ex positivis indiciis, de suscipientium dignitate aut idoneitate prudens sibi formare judicium. — Posterioris generis sunt Confirmatio, Eucharistia, atque Extrema-Unctio, ad quae Sacramenta omnes jus habent qui catholice vivunt. Unde ad ea administranda sufficit, ut ministro non constet petentes esse positive indignos [1].

Ex praemissis principiis eruuntur REGULAE sequentes:

1425. — *Regula* 1ª Peccatori OCCULTO *publice* petenti non est negandum Sacramentum. — Constat exemplo Christi, qui Judae Communionem porrexit. Et ratio est, quia in his adjunctis censetur Christus cedere juri suo, tum ut peccator famam, ad quam jus habet, non amittat; tum maxime, ut multa, haecque gravissima, incommoda, qualia sunt scandala, Sacramentorum omissio, etc. vitentur [2].

1426. — *Regula* 2ª Peccatori OCCULTO, *occulte* petenti, denegandum est Sacramentum, donec de ejus poenitentia constet. Ratio est, quia hoc sibi expostulant tum reverentia Sacramenti, tum ipsius petentis bonum.

Dicitur 1° *peccatori occulto*, quem nempe minister, ut talem ex certa scientia, sed extra confessionem, cognoscit; — 2° *occulte petenti:* quod tunc fit cum petens vel solus cum ministro reperitur, vel cum paucis tantum, talisque conditionis, ut merito ad illos non attendendum sit, quales forent pueruli; — 3° *donec de ejus poenitentia constet;* de hac autem constat, si ministro notum sit, reum confessionem vel apud se, vel apud alium sacerdotem, licet occulte, insti-

[1] L. VI. 43. — [2] L. VI. 50; cf. Lugo, *de Sacram.* Disp. 8. sect. 10-14.

Digitized by Google

tuisse. Nec inquirendum est, utrum data fuerit absolutio; nam, licet ipse minister eam denegasset, non posset, citra sigilli fractionem, reum admonere, nec (sicut verior tenet sententia), sub praetextu aliarum causarum, eum a Sacramento repellere.

1427. — *Regula* 3ª Peccatori PUBLICO, nisi sufficientia conversionis signa dederit, et scandalum amoverit, denegandum est Sacramentum, sive illud *publice* petat, sive *occulte*. Ratio est, quia urget praeceptum divinum: « Nolite dare sanctum canibus; » nec datur causa excusans, ut palam est ex dictis.

Dicitur 1° *peccatori publico*. Peccator autem dicitur publicus vel *absolute*, cum scilicet ejus indignitas certa et notoria est communitati, notorietate juris, aut facti, aut famae (cf. n. 1199); vel *respective*, cum indignitas nota est iis tantum, in quorum praesentia petitur Sacramentum. Si igitur communitas, vel omnes praesentes indignitatem petentis cognoscunt, negandum est Sacramentum. Et idem dicendum est, si criminis in alio loco commissi notitia in parochiam facile perventura sit, aut si ejus tam gravis jam existat suspicio, ut morali certitudini aequivaleat. — Probabilius vero negandum non est, si petentis indignitas plerisque tantum ex praesentibus nota sit. Ratio est, quia talis peccator possidet adhuc suam famam, respective ad illos, qui ejus crimen ignorant [1].

Dicitur 2° *negandum est Sacramentum;* sub quo nomine non solum SS. Eucharistia intelligenda est, sed alia etiam Sacramenta, tametsi sacerdos sit simplex eorum dispensator. Sola excipitur Poenitentia, quae cum pro peccatoribus instituta fuerit, nemini unquam deneganda est, nisi forte specialis facta sit prohibitio, v. g. ob censuras reservatas, vel quia poenitens debet prius satisfacere, aut cautionem satisfaciendi praebere [2].

Dicitur 3° *nisi sufficientia... conversionis signa dederit.* Quoties enim certum et notorium est crimen, debet poenitentia pariter certa esse ac notoria. — Sufficiens vero conversionis indicium habetur, si peccator, qui non versatur in habituali scandalo, confessionem instituat publice vel coram pluribus, ita ut poenitentia sit brevi manifestanda. Secus, si adesset occasio notoria prius relinquenda, vel si urgeret aliqua praevie facienda retractatio [3].

1428. — *Notetur* [4]: 1° Inter eos qui tanquam publice indigni a Communione arcendi sunt, enumerantur in Rituali Romano: *excommunicati* (notorie), *interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores* (saltem *jure* publici seu sententia judicis condemnati), *magi, sortilegi* (quos inter et fatidici), *blasphemi* (v. g. qui scriptis aut verbis religionem et Ecclesiam calumniis lacessere solent), et *alii ejus generis publici peccatores,* ut sunt

[1] L. VI. 44. 45. — [2] Scavini, III. n. 40. — [3] L. VI. 47. — [4] Konings. n. 1233.

Digitized by Google

publici consuetudinarii, sectis damnatis notorie adscripti, actores et actrices ludos impios vel turpes exhibentes, rebellantes in legitimam praesulum suorum auctoritatem, etc. — His insuper adnumerandi veniunt, ut patet, qui publice et actualiter in peccato sunt, v. g. manifeste hic et nunc ebrii, vel mulieres ita immodeste denudatae, ut denudatio per se mortalis sit.

2° « Sacramenta, si publice neganda sint, debent *modo prudenti* negari. — Unde, a ministro cavenda sunt omnia, quibus vel ipse obnoxius fieret legibus diffamationem punientibus, vel conversioni indigni majus impedimentum objiceretur. Non sunt igitur denegationis motiva publice exponenda; quare, si indignus cum aliis ad sacram Mensam accedat, sacerdos eum ita pertranseat, ut nihil nec verbis, nec nutu detegat. Si vero intra Missam solus accedat, remaneat sacerdos ad altare, et per alium ei renuntiet se non posse porrigere sacrum epulum, quin tamen dicat, cur non possit [1].

Quoad *moribundos* in specie, vide n. 1851 in Tract. *de Poenitentia.*

1429. — Quaesita. QUAER. 1° *Quid agendum* IN DUBIO *de crimine vel de poenitentia?*

Resp. Dist. 1° Si crimen est certum, et poenitentia dubia, Sacramentum certe denegandum est, donec constet de poenitentia, quia possidet infamia. 2° Si dubitatur de crimine, non potest Sacramentum negari, nisi casu quo requireretur positivum signum de idoneitate petentis [2], ut dictum est (n. 1424).

Excipitur: 1° Sacramentum ORDINIS, a quo clericus indignus, licet occultus, omnino arcendus est; quia qui se ingerit in munera publica, ad quae non est idoneus, repellendus est etiam cum infamia, si aliter non possit, ob bonum publicum. Ita ex Tridentino (sess. 14. cap. 1 *de Ref.*). — Nec obligatur Episcopus ad manifestandam repulsus causam; nec repulso competit appellatio, sed solummodo recursus ad S. Sedem [3] (Vide n. 1916. q. 2).

2° MATRIMONIUM, cui parochus assistere prohibetur, v. g. si extra Confessionem aliquod impedimentum cognoverit, ut suo loco dicetur. — Excusari tamen potest, licet contrahentes sint publice indigni, si assistat ad vitandam mortem vel gravia mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato, v. g. in matrimonio civili [4].

QUAER. 2° *An metus* MORTIS *vel* INFAMIAE *possit ministrum excusare, si conferat Sacramentum indigno?*

Resp. 1° « Prima sententia *affirmat*, modo Sacramentum non petatur in odium fidei, vel in contemptum religionis. Ratio est, quia si infamia peccatoris publice petentis Sacramentum talem ministrationem excusat, et irreverentiam Sacramenti reparat, cur mors vel infamia subeunda a ministro eum non excusare debet? »

2° Secunda autem sententia, cui adhaeret S. Alphonsus [5],

[1] Konings, n. 1233. — [2] L. VI. 50. — [3] Ib. 52. — [4] Ib. 54. — [5] Ib. 49 (cf. *1. El. qq. ref.* n. 63).

Digitized by Google

negat; quia adaequata ratio, ob quam non est negandum Sacramentum peccatori occulto, non est ut fama ei servetur, sed potissimum (casu Matrimonii excepto), ut vitentur « gravia incommoda, quae inde sequerentur, nempe scandala aliorum, quibus si sacerdos possit ob crimen occultum publice Communionem negare, forte etiam boni deterrerentur a susceptione Communionis, timentes ne propter odium vel imprudentiam a sacerdote ejicerentur, etc. Haec autem inconvenientia et scandala non certe interveniunt in ministro, qui metu cogeretur ad ministrandum Sacramentum indigno; imo aedificationi esset populo, si, ad reverentiam Sacramento servandam, periculo mortis se exponeret ».

Quaer. 3° *An liceat* simulare *vel* dissimulare *Sacramentum, ne indigno conferatur?*

Praenot. 1° Simulatio Sacramenti tunc habetur, cum minister ponit ejus materiam et formam, vel solam formam, sine intentione interna Sacramentum conficiendi. – Distinguitur in *formalem* et in *materialem.* Formalis est, qua directe intenditur alterius deceptio; materialis est, qua alterius deceptio tantum permittitur. — 2° Dissimulatio autem Sacramenti haberi dicitur, cum fictio seu defectus est ita *exterior*, ut per se agnosci possit: ut v. g. si Sacramenti non ponatur materia vel forma, sed ejus loco aliud substituatur, ita ut fiat aliquid aliud a Sacramento.

Resp. 1° Nunquam licet, ne materialiter quidem, simulare Sacramentum. Ratio est, quia omnis simulatio irrogat gravem injuriam Auctori Sacramentorum, abutendo rebus sacris ab ipso institutis. — Hinc, Innocentius XI proscripsit hanc propositionem: « Urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi ». — Idem dic de *susceptione*, quia currit eadem ratio.

Resp. 2° Licet, ex causa, dissimulare Sacramentum; modo id fiat citra contemptum, scandalum, intentionem fallendi, aliamve malam circumstantiam. — Ratio est, quia tunc neque committitur sacrilegium, cum absit signum sacrum a Christo institutum; neque mendacium, cum non intendatur neque necessario habeatur deceptio proximi; solummodo veritas occultatur, quod, justa accedente causa, omnes cum D. Thoma permittunt [1] (cf. n. 1181).

1430. — *Ex his resolves:* 1° Nunquam licet proferre verba absolutionis super indispositum; aut verba consecrationis super panem sine intentione consecrandi; vel inter Missae celebrationem omittere consecrationem. — Nec similiter licet ad sacram Mensam accedenti, etiam scienti et consentienti, praebere hostiam non consecratam loco consecratae. Ratio est, quia in hoc casu, « etsi quidem non simuletur Sacramentum, quod ibi non est, tamen exponitur

[1] L. VI. 59.

Digitized by Google

panis adorationi adstantium, et ipsius suscipientis, qui sicut peccaret externe adorando idolum, etiam ex metu mortis: sic quoque peccaret externe adorando hostiam non consecratam; et peccaret gravius, quam si indigne communicaret».

2° Licitum est confessario, super indispositum orare, eique benedictionem impertiri, ne ejus indispositio caeteris prodatur; hoc enim non est rei sacrae abusus, cum nulla res sacramentalis ponatur; nec mendacium, quia vel ex se, vel ex circumstantiis actio explicari potest, et nonnisi gravi de causa error aliorum permittitur. — Item, potest quis, sine simulatione, accedere ad confessionale, genuflectere et loqui de negotio. Item, casu quo quis, non potest se disponere ad Communionem, licet ei, ad infamiam vel scandalum vitandum, convenire cum sacerdote, ut hic tantum verba: *Corpus D. N. J. C.* etc., in eum proferat, non praebendo hostiam; quia tunc non simulatur Sacramentum. — Nec denique sponsis illicitum est, ob gravem metum v. g. infamiae, scandali, simulare celebrationem externam matrimonii; ubi enim deest consensus voluntarius, ibi deest materia et forma Sacramenti: unde, simulatur quidem contractus, sed non simulatur Sacramentum [1].

Nota. De OBLIGATIONE, quam habet parochus ministrandi Sacramenta, dicetur in Tract. *De statu clericali* (n. 2271). — Vide jam dicta n. 485 sqq. et 491 sqq. quoad obligationem charitatis, qua tenentur alii sacerdotes.

CAPUT III.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM

1431. — SUBJECTUM Sacramenti est ille, qui Sacramentum suscipit et est capax effectus Sacramenti.

Quod solus homo viator sit subjectum Sacramenti, constat tum ex Sacra Scriptura, tum ex perpetua Ecclesiae traditione; nam ille solus est capax primae gratiae aut ejus augmenti. — Nec tamen omnis homo viator est omnium Sacramentorum capax. Sic infantes sunt incapaces Poenitentiae et Matrimonii; feminae, Ordinis; sani, Extremae-Unctionis [2].

In hoc capite tractandum est: 1° de requisitis ad validam susceptionem Sacramenti; 2° de requisitis ad susceptionem licitam.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD VALIDAM SACRAMENTI SUSCEPTIONEM

1432. — **Principia.** I. Ad VALIDAM Sacramentorum susceptionem non requiritur fides, nec probitas in subjecto, si Poenitentia excipias. — Constat ex praxi Ecclesiae, quae nunquam permisit iterum baptizari, aut ordinari haereticos, aut improbos homines rite

[1] L. VI. 59-62; *Exam. Ordin.* 16-17. — [2] L. VI. 79.

Digitized by Google

baptizatos, aut ordinatos. — A fortiori, non requiritur ATTENTIO, quae, ne in ministro quidem, exigitur.

1433. — II. In omni suscipiente, praerequiritur BAPTISMUS ad valorem aliorum Sacramentorum: « Ratio, quia Sacramenta instituta sunt pro sola Ecclesia, et per solum Baptismum fiunt homines de corpore Ecclesiae, ut definivit Eugenius IV in Decreto fidei ad Armenos ».

Hinc: 1° Si Eucharistia Judaeo aut pagano ministraretur, ipse reciperet quidem Corpus Christi, sed materialiter tantum, sicut pyxis illud recipit. — 2° Infidelium matrimonium, etsi fieret juxta ritum Ecclesiae, merus semper foret contractus [1].

1434. — III. In ADULTIS, ad validam Sacramentorum susceptionem, requiritur INTENTIO, diversa tamen pro diversa Sacramentorum natura. — Ratio est, quia Deus, in praesenti sua rerum providentia, non vult adultos justificari aut sanctificari sine ipsorum voluntate et consensu; ideoque statuit, ut media salutis nonnisi volentibus applicarentur. Unde Innocentius III [2]: « Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti ». — Igitur qui se habet mere passive (nec volens, nec dissentiens) et a fortiori, qui reluctatur, vel qui intendit ludum facere, non percipit Sacramentum.

Diximus *requiritur intentio diversa pro diversa Sacramentorum natura.* Ratio, quia alia Sacramenta aliam cooperationem a suscipientibus requirunt. — Etenim: 1° Alia, ut POENITENTIA et MATRIMONIUM non conficiuntur nisi ipsis actibus Subjecti, qui se habent ut materia vel forma, et ideo ad valorem istorum Sacramentorum requiritur in suscipiente, sicut in ministro, saltem intentio *virtualis.*

2° Alia, ut BAPTISMUS et ORDO, hoc sibi habent proprium, ut suscipientibus obligationes novi status imponant. Cum autem minime aequum sit, ut tales obligationes adulto, sine positivo ipsius consensu, imponantur, sequitur, ad utriusque Sacramenti susceptionem, requiri intentionem saltem *habitualem*, idest intentionem jam habitam et non retractatam. — Confirmatur assertum praxi Ecclesiae; nam ex una parte, prohibetur in Rituali Romano, ne adultus, qui in amentiam vel in repentinum morbum incidit, baptizetur, nisi prius, cum sui compos esset, Baptismum expetiverit [3]; et ex altera parte, Ecclesia nunquam reiterat Sacramenta Baptismi et Ordinis, illis qui ea ex voluntate prius habita susceperunt.

3° Alia demum, ut CONFIRMATIO, EUCHARISTIA, EXTREMA-UNCTIO hoc solum sibi requirunt, ut Subjectum sit capax operationis sa-

[1] L. VI. 79. — [2] Cap *Majores*, v. fin. *de Baptismo.* — [3] L. VI. 82; *Exam. Ordin.* 19.

Digitized by Google

cramentalis, quae est Dei beneficium ex opere operato. — Unde, ut valide suscipiantur, sufficit intentio *interpretativa*, illa nempe, quam suscipiens nunquam quidem habuit, sed probabiliter habiturus esset, si foret sui compos. — Speciatim de Extrema-Unctione haec habet Rituale Romanum: « Hoc Sacramentum praebendum est sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu *verisimiliter* petiissent ». Idem etiam de Confirmatione et S. Eucharistia communiter admittitur, cum Lugo, Sporer, etc. [1]. — Adverte tamen illicitum esse, extra periculum mortis aut perpetuae amentiae, conferre Sacramenta adultis, dum actuali rationis usu non gaudent.

1435. — IV. In INFANTIBUS, et perpetuo amentibus, ad VALIDE suscipienda Sacramenta, quorum sunt capaces, nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam et Ordinem, nulla requiritur dispositio, vel intentio. — Constat ex praxi Ecclesiae et sententia communi. Ratio est, quia infantes non justificantur nec sanctificantur per actum propriae voluntatis, cujus scilicet sunt incapaces, sed per voluntatem alienam; unde eorum intentionem censentur supplere Christus et Ecclesia, sicut in civilibus tutor supplet pro pupillo [2].

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS AD LICITAM SACRAMENTI SUSCEPTIONEM

In infantibus et perpetuo amentibus nullam requiri dispositionem, ut Sacramenta, quorum sunt capaces, *utiliter* suscipiant, communis est sententia. — In adultis vero, praeter ea quae ad validam, plura alia ad licitam Sacramenti susceptionem requiruntur. — Sequentia teneto

1436. — **Principia.** I. Ad licite et fructuose recipienda Sacramenta MORTUORUM, Baptismum scilicet et Poenitentiam, requiruntur in adultis actus FIDEI, SPEI, saltem virtualis, ac doloris de peccatis, qui saltem sit ATTRITIO. — Constat ex Tridentino, sess. 14. cap. 1, ubi dispositiones ad justificationem necessariae fuse exponuntur. Dolor tamen in baptizando afficere debet peccata actualia, non originale; quia neminem facti alieni poenitet [3].

1437. — II. Ad licite et fructuose recipienda Sacramenta VIVORUM, divina lege requiritur STATUS GRATIAE praeexistens. — Ratio est, quia Sacramenta vivorum primario instituta sunt ad augendam gratiam sanctificantem; ergo, per se loquendo, jam praesupponunt

[1] L. VI. 82. — [2] Ib. 80. — [3] Ib. 86.

Digitized by Google

eam in subjecto praesentem, etsi per accidens eam generare possint (cf. n. 1395).

Hinc: 1° Qui Sacramentum vivorum, in statu peccati mortalis, scienter suscipit, peccat graviter: et quidem gravius quam minister, qui illud conficit aut ministrat, quia illud non solum indigne tractat sed et inutile reddit, sicque Christo Domino, Sacramentorum Auctori, impie illudit. — 2° Qui gravis culpae sibi conscius est, tenetur confiteri, antequam Eucharistiam suscipiat, ut praecipit Tridentinum. Si agatur de caeteris Sacramentis vivorum, tenetur conteri [1]; an teneatur etiam confiteri, communius et probabilius negatur [2] (cf. n. 1500 et 1684. 2°).

1438. — III. Praeter dictas conditiones, reverentia Sacramento debita exigit actualem DEVOTIONEM; quae quanto major est, tanto uberiores fructus ex Sacramento percipiuntur. — Constat ex Tridentino, sess. 6. cap. 7. — Ratio *primae* partis per se patet. Ratio *secundae* est, quia, etsi Sacramenta gratiam ex opere operato conferant, sapientia tamen divina, quae, in omnibus et per omnia, bonam hominis voluntatem promovere satagit, ita Sacramenta instituit, ut, pro majori subjecti dispositione, uberior gratiarum copia conferatur. « Sic ab eodem igne (inquit Angelicus) [3] accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis, quantum de se est, aequaliter ad omnes, suum calorem effundat » (cf. 534).

Hinc sequitur, non admittendam esse in praxi sententiam, quae licitam facit SUSCEPTIONEM Sacramentorum *cum opinione probabili;* quia talis sententia, etsi speculative non destituatur aliquo fundamento, « fere nunquam poterit deduci in praxim a suscipientibus, sine propriae animae detrimento [4] ».

Sunt praeterea et aliae CONDITIONES, ex lege Ecclesiae, in Sacramentorum susceptione adimplendae: has exponemus, cum ad singula Sacramenta devenerimus. Interim

1439. — QUAERITUR. *An liceat fideli* SUSCIPERE *vel* PETERE *Sacramenta a ministro indigno?*

Resp. 1° Quando minister est indignus OB ALIQUAM CENSURAM vel INHABILITATEM, licet ab eo petere Sacramenta, etiam sine gravi causa, *si sit toleratus;* quia Concilium Constantiense absolute concessit fidelibus communicationem cum toleratis. — Si vero non sit toleratus, sed *vitandus*, vel *haereticus* aut *schismaticus*, tunc in extrema tantum vel gravissima necessitate licet ab eo suscipere Poenitentiam vel Baptismum; probabiliter etiam Eucharistiam et Extremam-Unctionem, casu nempe quo infirmus alia Sacramenta recipere non

[1] L. VI. 86. — [2] Ib 34. — [3] 3. q. 69. a. 8. — [4] L. I. 51.

Digitized by Google

possit (modo vitetur scandalum seu suspicio communicationis cum intrusis vel haereticis)[1]. Et haec quidem ex lege Ecclesiae circa censuras (cf. n. 1292. 2° et 1327. Quaer.). — Ad jus naturale quod attinet, attendatur ad REGULAM sequentem:

2° Si minister certe indignus est OB PECCATUM MORTALE, non licet, sine gravi causa, petere ab eo Sacramenta. Ratio est, quia ex lege charitatis tenemur impedire peccatum proximi, cum illud sine gravi incommodo impedire possumus. Atque hoc valet, licet ministrans sit parochus, vel aliunde jam paratus; quia peccatum etiam externum impediri debet. « Tantum, ait *S. Alphonsus*, exciperem eum, qui sumeret Eucharistiam a sacerdote indigno, qui eam actu aliis ministraret, juxta sententiam... quod unum tantum sit peccatum pluribus Eucharistiam ministrare ». — Diximus *sine gravi causa*, necessitatis scilicet vel notabilis utilitatis: qua stante, licet Sacramenta petere a malo ministro, quia cooperatio ad ejus peccatum est mere materialis (cf. n. 519).

« Hinc ajunt DD. LICITE recipi Sacramenta a ministro peccatore: 1° Si urgeat praeceptum confessionis, vel communionis; 2° si ex dilatione susceptionis immineat periculum lapsus; 3° si debes implere praeceptum Missae audiendae; 4° si alias diu debeas permanere in mortali, et nequeas (imo, si nolis) alium adire confessarium; neque ad horam expectare, quia non est modica utilitas quamprimum a peccato liberari; 5° si carere debeas, saltem diu, Communione, (aut, fructu confessionis, etiam si non habeas mortale; 6° si alias nequeas lucrari jubilaeum; 7° si indigeas perito directore, et non habeas alium; modo, addit Sporer, diu debeas alium expectare; 8° si vis Missam applicare pro amico defuncto[2] ».

Quid, QUAERES, *in dubio an minister sit indignus?*

Resp. 1° Quivis minister praesumitur dignus, nisi constet de opposito. — Hinc, probabiliter, potes Sacramentum petere etiam ab eo, quem scis paulo ante peccasse, quia praesumendus est jam se disposuisse, saltem per contritionem. — 2° Minister judicatur indignus, si sit consuetudinarius, vel si versetur voluntarie in occasione proxima peccati. Item, si post peccatum non praemiserit confessionem, ante Missae celebrationem[3].

[1] L. VI. 88; cf. VII. 339 et II. 79; cf. et 2 *Elench. qq. ref.* n. 19. — [2] L. VI. 89. — [3] Ib. fin.

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE SACRAMENTALIBUS

1440. — DEFINITIO. Sacramentalia sunt caeremoniae ecclesiasticae, seu actus externi religionis ad colendum Deum accommodati [1].

DIVISIO. Reducuntur Sacramentalia ad quatuor species, quae sunt: 1° Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia utitur in administratione Sacramentorum. — 2° Benedictiones et exorcismi, extra Sacramentorum dispensationem. — 3° Res sacrae, quibus, vel ex divina institutione, ut SS. Nomini Jesu, et signo crucis; vel ex benedictione Ecclesiae, ut aquae lustrali, vis aliqua salutifera annexa est. — 4° Pia quaedam exercitia, ut oratio in ecclesia dedicatâ, Oratio Dominica, praesertim nomine Ecclesiae recitata, tunsio pectoris, *Confiteor*, eleemosyna ab Ecclesia praescripta [2].

Praecipua Sacramentalia hoc versiculo exprimi solent:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

1. — *De vi et efficacia Sacramentalium.*

1441. — I. « Sacramentalia habent aliquos EFFECTUS, non tamen infallibiles, quorum participes fiunt pie et debite eis utentes. — *Primus* est excitatio piorum motuum per gratias praevenientes. *Secundus* est remissio peccatorum venialium, mediantibus ejusmodi motibus, poenitentia expressa, vel implicita. *Tertius* est remissio poenae temporalis debitae peccatis. *Quartus* est effugatio vel repressio daemonis. *Quintus* est sanitas corporalis, simileve beneficium temporale [3] ».

Quemnam effectum particularem, in ordine temporali, hoc vel illud Sacramentale specialiter possit producere, colligendum est ex singulorum institutione, ex modo et precibus Ecclesiae, quibus conficiuntur; non enim singula instituta sunt ad eumdem finem singularem, quamvis omnia tendant ad cultum divinum et ad nostrum profectum [4].

1442. — II. « Hos effectus causant Sacramentalia, non ex opere operato, sed EX OPERE OPERANTIS: Ecclesiae scilicet oratione sua eos impetrantis; fidelium quoque pie utentium Sacramentalibus, v. g. signo crucis, aqua benedicta [5]. » « Hinc, omnibus fidelibus consultum fit post sumptionem aquae benedictae, etc., se excitare ad actum doloris, sive amoris [6]. »

[1] Cf. Cavalieri, tom. IV. cap. 11-15 et cap. 23-28. — [2] L. VI. 90. — [3] Polman, 3. p. n. 197; cf. Suarez, in 3. P. *Disp.* 15, q. 65. Sect. 5. — [4] L. VI. 93. — [5] Polman, loc. cit. — [6] L. VI. 92.

Digitized by Google

2. — *De Exorcismis et Benedictionibus.*

Praecipuum inter Sacramentalia locum obtinent Exorcismi et Benedictiones liturgicae.

1443. — I. EXORCISMI, ex communi DD. sententia, id habent speciale, quod infallibiliter expellunt aut saltem reprimunt daemones quasi ex opere operato, ob peculiarem potestatem a Christo Domino Ecclesiae concessam imperandi daemonibus. — Recole dicta, n. 622.

1444. — II. BENEDICTIONES LITURGICAE sunt ritus, qui, nomine Ecclesiae, a sacris ministris peraguntur, et sic differunt a benedictionibus quae, nomine privato, a laicis, v. g. a parentibus filiis tribuuntur. — Varie DIVIDUNTUR [1]:

1° Ratione effectuum, sunt constitutivae, vel invocativae. — 1) Benedictiones CONSTITUTIVAE seu *consecrativae* sunt illae, quibus aut personae aut res ad cultum divinum deputantur, seu in esse sacro ac religioso permanenter constituuntur; dicuntur Sacramentalia *permanentia*, quia imitantur Sacramenta, quae caracterem imprimunt. — Hujusmodi sunt: 1. quoad PERSONAS, prima tonsura, consecratio Abbatis, abbatissae, monialis, etc.; 2. quoad RES, benedictio ecclesiae, oratorii, coemeterii, calicis, patenae, chrismatis, oleorum sacrorum, salis pro baptismo, paramentorum pro Sacrificio, altaris, agni cerei, etc. — 2) Benedictiones INVOCATIVAE, sunt illae, quibus benignitas Dei invocatur, ut personis vel rebus benedicendis aliquid boni tribuat; dicuntur Sacramentalia *transeuntia*, quia res ita benedictae statum non mutant, seu non fiunt stricte sacrae, ideoque ad usus profanos, honestos tamen, converti possunt. — Ejusmodi sunt benedictio S. Pontificis, Episcopi, et presbyteri in Missa, et multo magis Benedictio cum SS. Sacramento, benedictio nuptialis, mulieris post partum, etc.; item benedictio domuum, agrorum, frugum, esculentorum, etc.

2° Ratione ritus, aliae sunt REALES, in quibus unctio adhibetur; aliae VERBALES, quae solis verbis perficiuntur. — Item, aliae sunt *solemnes*, aliae *simplices*, prout cum majori pompa, vel sine apparatu fiunt.

3° Ratione ministri, aliae sunt PAPALES, ut benedictio Pallii, agni cerei, rosae aureae, et gladii principis; aliae EPISCOPALES, vel SACERDOTALES, de quibus uberius dicendum est.

A) Ad EPISCOPOS pertinent: 1° Benedictiones reales, ut calicis, altaris, campanae; item benedictio ipsius chrismatis sacrorumque]

[1] Cf. Quarti, *de sacris Bened ;* et Ferraris, Verb. *Benedictio.*

Digitized by Google

oleorum. Hae reperiuntur in solo Pontificali, suntque Episcopis ita propriae, ut sine Indulto Pontificio presbyteris delegari nequeant. Unde res, quae sine ejusmodi Indulto benedictae fuerunt, debent ante usum de novo, si sine scandalo fieri possit, benedici (S. R. C. decreto 22 sept. 1703 ad 3) [1]. — 2° Benedictiones, quae reperiuntur in Missali et Rituali sub titulo: *Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendae*, videlicet: Benedictio sacerdotalium indumentorum, mapparum et corporalium, tabernaculi, (i. e. pyxidis et lunulae); item crucis vel imaginum si fiat *solemniter* cum populi concursu: — deinde: Benedictio et reconciliatio ecclesiae nondum consecratae, publici oratorii, vel coemeterii, vel primarii lapidis. In his ab ipso Rituali, in illis a S. Sede per indultum accipiunt Episcopi facultatem delegandi. Crucis tamen benedictio fieri potest de licentia Episcopi [2].

B) Ad SACERDOTES, absque delegatione, pertinent omnes benedictiones, quae in Missali et Rituali habentur, a benedictione aquae usque ad benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendis. — Attamen, nonnullae earum sunt *de jure parochi*, et notantur in Rituali, ut a *Parocho* fiant, vel *ab alio sacerdote* (intellige, de licentia parochi, ex communi interpretatione). Hujusmodi sunt benedictio nuptiarum, benedictio fontis baptismalis, benedictio domuum in Sabbato sancto, benedictio communis super fruges, et benedictio agrorum, saltem si solemniter fiat; item benedictio mulierum post partum (ad quam jus tantummodo habent mulieres, quae legitimo matrimonio peperérunt [3]), ubi consuetudo vel statuta synodalia ita disponunt [4].

1445. — QUAERITUR. *Quo ritu benedictiones sint faciendae?*

Resp. « Benedictiones, quae de praecepto vel publice in ecclesiis vel in oratoriis publicis coram populo ad id congregato fiunt, extra Missam dandae sunt cum superpelliceo et stola pro ratione temporis, stando et aperto capite, manibus junctis, cum ministro deferente vas aquae benedictae et aspergillo, et formula in Missali vel Rituali Romano praescripta, aut a S. C. Rituum probata. — Ad benedicenda ea, ad quae specialis benedictio non habetur, adhiberi potest benedictio ad omnia; vel producendum est signum crucis super re benedicenda, cum formula: « In nomine Patris, etc. » Deinde res ipsa cum acqua benedicta aspergatur.

« Si crux habeat effigiem Crucifixi, adhibenda est benedictio pro imaginibus. — Si benedictio fiat ad altare, omnia recitantur in cornu Epistolae, et sacerdos utitur pluviali. Res benedicendae, si sint paramenta sacerdotalia, poni possunt super altare; secus, si sint candelae et alia hujusmodi, quae collocanda sunt super mensam ante altare, vel in cornu Epistolae [5] ».

[1] Gardellini, n. 3663. — [2] Gardellini, n. 764. — [3] S. C. Conc. 18 jun. 1859. — [4] Konings, n. 1247-D. — [5] Konings, n. 1248.

Digitized by Google

3. — *De signo crucis et aqua lustrali.*

1446. — I. In benedictionibus, in caeremoniis, in nostrisque actionibus CRUCIS SIGNUM saepe usurpamus, et convenientissime: hoc enim signum vim habet: 1° per modum invocationis, nempe Christi crucifixi et meritorum ejus; 2° tamquam opus fidei et professio religionis christianae; 3° propter honorem, quem cruci tribuimus [1].

II. AQUAE LUSTRALIS seu BENEDICTAE usus antiquitate commendatur; ab Apostolica enim traditione eum manasse semperque in Ecclesia viguisse docent eruditi. Aspersio aquae lustralis est symbolum interioris ablutionis; et per preces Ecclesiae sanctificata, habet, ex ejusdem Ecclesiae meritis, multum efficaciae ad salutares effectus producendos, praesertim vero ad arcendos daemones. Hinc, « acqua benedicta *infirmi* asperguntur ex praescripto RITUALIS, ut validiores sint ad daemonis tentationes repellendas. Asperguntur orando ipsa *mortuorum* cadavera, ut animabus Purgatorii ardor mitigetur et omnino extinguatur [2] ».

Nota. 1° Aquae benedictae, accedente causa, aqua non benedicta adjungi potest, dummodo haec semper sit in minori quantitate. — 2° Tempore Interdicti fieri potest aspersio aquae benedictae, modo populus sine ulla solemnitate aspergatur. — Ad consequendos effectus aquae benedictae sufficit contactus moralis [3].

[1] Scavini, L. III. n. 211. — [2] Scavini, III. 212. — [3] Cf. Ferraris, v. *Aqua;* Quarti, *De sacris Benedictionibus.*

Digitized by Google

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO

1447. — Baptismus *primo loco* inter Sacramenta ponitur; nec sine causa: est enim primum, non quidem dignitate, sed necessitate atque ordine receptionis.

Disseremus: 1° de natura Baptismi; 2° de ejus ministro; 3° de subjecto; 4° de caeremoniis Baptismi solemnis [1].

CAPUT I.

DE NATURA BAPTISMI

Agendum: 1° de notione, efficacia et necessitate Baptismi; 2° de materia et forma, quibus constituitur.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE, EFFICACIA ET NECESSITATE BAPTISMI

1448. — DEFINITIO. Baptismus derivatur a verbo graeco βαπτίζω, i. e. lavo, tingo, immergo, et triplex distingui solet, nempe, *sanguinis*, *flaminis* et *fluminis*.

1° Baptismus SANGUINIS est effusio sanguinis, seu mors tolerata pro fide, aut pro alia virtute christiana. — 2° Baptismus FLAMINIS, seu desiderii, est perfecta ad Deum conversio per contritionem, vel amorem Dei super omnia, cum voto explicito vel implicito veri Baptismi fluminis. — 3° Baptismus FLUMINIS est ipsum Sacramentum, de quo nunc tractandum est.

Definitur: Sacramentum Novae Legis a Christo institutum, ad spiritualem regenerationem, per ablutionem corporis externam, sub praescripta forma verborum [2].

1449. — **Principia.** I. De fide est, BAPTISMUM esse verum Sacramentum Novae Legis. — Ratio est, quia tria requisita ad verum Sacramentum in eo concurrunt: 1° Ritus sensibilis, scil. ablutio cum aqua et invocatio expressa SS. Trinitatis. — 2° Christi institutio, ut probatur ex Matth. 28, 19. Probabilius, institutum est ante

[1] De Baptismo tractat S. THOM. 3. qu. 66. sqq.; vide speciatim *Tournely*. — Lib. VI. 95-97.

Digitized by Google

ejus Passionem, tempore nempe, quo ipse a Joanne baptizatus est: unde dicitur: Joan. 3, 22: « Venit Jesus... et baptizabat » nimirum per discipulos, ut constat ex cap. 4, 2: « quamquam Jesus non baptizaret. » — 3° Collatio gratiae, ex divina institutione: « Nisi quis renatus fuerit etc. » (Joan. 3, 3).

1450. — II. EFFECTUS Sacramenti Baptismi sunt: 1° *Remissio totius culpae*, originalis et personalis, quam in anima reperit; unde Tridentinum (sess 5. can. 5.): « In renatis nihil odit Deus » (vide, quoad adultos n. 1475). — 2° *Condonatio totius poenae*, aeternae scilicet et temporalis, ita ut nihil prorsus baptizatos ab ingressu coeli remoretur, ut idem habet Tridentinum (ibid.); et hinc adultis baptizatis nulla imponi debet poenitentia, saltem laboriosa et satisfactoria, ex Concilio Florentino [1]. — 3° *Largitio gratiae sanctificantis*, qua filii Dei et coeli haeredes efficimur; et simul infusio donorum Spiritus Sancti et omnium virtutum, tum theologicarum, tum moralium, ut habet Catechismus Romanus. — Porro intuitu ejusdem gratiae conferuntur suo tempore gratiae actuales fini Baptismi accommodatae, nempe ad sancte et christiane vivendum, ut decet filios Dei adoptivos. — 4° *Impressio characteris*, quod est quasi sigillum Christi, eximiae dignitatis signum, quo baptizatus Deo consecratur et ejus servitio in aeternum mancipatur [2]. — 5° *Cooptatio in coetum* fidelium, qua scilicet baptizatus fit membrum Ecclesiae, ejusque auctoritati subjicitur [3].

« Remanet tamen in baptizatis *peccati fomes*, qui non est peccatum, et si ei resistitur, proderit ad coronam [4]. » Remanent etiam *poenalitates* hujus vitae, v. g. dolores, mors, etc., tum ut Christo simus conformes, tum quia Deus, hominem erigendo, noluit, ut ille sui lapsus vestigia deponeret [5].

1451. — III. Baptismus, post sufficientem Evangelii promulgationem, omnibus NECESSARIUS EST ad salutem, necessitate medii, nisi vices ejus suppleat Sacramenti votum, vel martyrium. — Est de fide, ex Tridentino, sic definiente [6]: « Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit. » Quam necessitatem declarans [7], docet translationem hominis a statu peccati originalis in statum gratiae, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse, ex eo quod scriptum sit (Joan. 3, 5): « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. »

Ex his sequitur: 1° Quemlibet adultum, statim ac fuerit sufficienter instructus, teneri, et quidem jure divino, suscipere Baptis-

[1] *Decret. ad Armenos.* — [2] Cf. S. Th. 3. q. 63. — [3] L. VI. 138. — [4] Ibid. — [5] De his vide *Cath. Rom.* n. 41-48. — [6] Sess. VII. can. 5. — [7] Sess. VI. cap. 5.

Digitized by Google

mum, et per hunc ingredi Christi Ecclesiam hujusque profiteri fidem. — 2° Parvulos, cum sint incapaces voti seu desiderii, non posse salvari, extra causam martyrii, nisi per Baptismum in re [1]: unde *S. Augustinus* [2]: « Noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte praeventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus. » — 3° Graviter peccare eos, qui absque urgente causa, infantis Baptismum notabiliter procrastinant. — Notabilis vero procrastinatio, communius et probabilius, illa censetur, quae ultra 10 vel 11 dies excurreret [3]. Hinc, plures Synodi poenam excommunicationis minantur parentibus, qui Baptismum ultra octiduum per negligentiam producunt [4].

1452. — Quaesita. QUAER. 1° *Quomodo Baptismus* FLAMINIS *et* SANGUINIS *suppleat vices Sacramenti?*

Resp. 1° Baptismus FLAMINIS supplet *ex opere operantis*, in quantum nempe homo, divino afflante Spiritu, justificatur vi charitatis quoad peccatum originale, vi autem contritionis perfectae, quoad peccata actualia, quorum sibi conscius est. — Nec ad hos pariendos effectus requiritur, ut votum Baptismi sit explicitum, sed sufficit (saltem in eo qui legem Baptismi ignorat, vel ad eam non advertit) *votum implicitum*, quale nempe includitur in dispositione faciendi omnia quaecumque a Deo injuncta sunt. Ita S. Alphonsus [5] cum D. Thoma [6]. — Hic tamen baptismus non imprimit characterem, nec confert jus ad alia Sacramenta; nec remittit totam poenam temporalem, nisi forte tam intensa sit charitas, ut omnis poenae relaxationem mereatur (cf. n. 1674).

Resp. 2° Baptismus SANGUINIS seu MARTYRIUM aequiparatur vero Baptismo, quia *quasi ex opere operato*, ad instar veri Baptismi, remittit omnem culpam et poenam. — Dicitur *quasi*, quia non ita stricte operatur, sicut Sacramentum, sed ex quodam privilegio ratione imitationis passionis Christi [7]. Ideo martyrium prodest etiam infantibus. Quod confirmat Ecclesiae praxis, quae colit ut Sanctos et veros martyres, tum sanctos Innocentes pro Christo occisos, tum illos fidei testes, qui trucidati fuerunt, quin percepissent Baptismum fluminis [8].

QUAER. 2° *Quaenam requirantur, ut martyrium sit verum, et praedictos effectus pariat?*

Resp. 1° Requiritur *perpessio mortis*, vel *cruciatus lethalis*, seu talium malorum, quae de natura sua ad mortem perducunt, licet quis ex eis miraculose evadat, ut juxta communem Theologorum doctrinam affirmat Benedictus XIV [9].

2° Requiritur *causa pia;* quia « martyres non facit poena, sed causa » ait S. Augustinus [10]. Unde necesse est, ut mors violenta sustineatur propter professionem fidei, ut constat ex Luc. 9, 26; 12, 8; vel propter alterius cujusdam christianae virtutis exercitium, quia omnium virtutum opera sunt quaedam fidei protestationes, ut Doctor Angelicus dicit [11]. Imo, tamquam veri martyres, probabilius, habendi sunt illi, qui in obsequio pestiferorum, ex charitate, mo-

[1] Cf. S. Alph. in Trid. sess. VII. n. 45. — [2] L. 3. *de Anima*, cap. IX. n. 12. — [3] L. VI. 118. — [4] *Analecta J. P.* series 2ª, pag. 1807. — [5] H. A. XIV. 7. — [6] 3. p. q. 68. a. 2. — [7] Cf. S. THOM. in 4. dist. 4. q. 3. art. 3. ad 3am q. ad 1um — [8] L. VI. 97. — [9] *De Beatific. SS.* lib. 3. cap. 12. — [10] In Psalm. 34. n. 13. — [11] 2. 2. q. 124. a. 5.

Digitized by Google

riuntur, affirmatque S. Alphonsus pro ista sententia stare 12 Academias, 13 Cardinales et plus quam 300 Auctores contra Hurtadum et alios [1].

3° Requiruntur in adultis quaedam dispositiones positivae, quae sunt: 1° *Acceptatio mortis*, saltem habitualis ex motivo supernaturali: ut communiter tenent contra quosdam: quia mors, ut sit meritoria, debet esse aliquo modo voluntaria in iis, qui sunt voluntarii capaces. Unde, abesse debet voluntas sese defendendi, sicut et temeraria propriae vitae expositio; adeoque non sunt, probabiliter, veri martyres milites, qui in bello religionis occiduntur, quia sese defendunt. — 2° *Dolor supernaturalis de peccatis;* quae secus non remittuntur. — An vero perfecta charitas requiratur, ab aliis quidem negatur; sed probabilius affirmatur ab aliis cum S. Alphonso [2], tum ex I. Epist. ad Chorinth. 13, 3, tum quia martyrium non necessario importat charitatem perfectam, cum quis nempe metu inferni mavult mori quam peccare. Consonare videtur S. Thomas, dum ait: « Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate [3]. » Ex quo patet baptismum flaminis includi in baptismo sanguinis; sed non vice versa.

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI

§. 1. *De materia baptismi.*

Materia Baptismi *remota* est aqua; *proxima* autem est ipsa ablutio.

I. — De materia remota.

1453. — **Principia.** I. Materia VALIDA Baptismi est aqua naturalis seu elementaris. — Est de fide, ut constat ex Conciliis, praesertim ex Tridentino, sess. 7. can. 2, *de Baptismo*: « Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba Domini N. J. C.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit: anathema sit. »

Hinc: 1° Materia certe *valida* est: 1. aqua fontium, puteorum, maris, fluminum, lacuum, stagnorum, cisternarum et pluvialis; et sic quaecumque simplex et pura, quae propriam aquae speciem retineat; nec refert frigida sit an calida, ex Rituali Romano; — 2. aqua resoluta ex nive, glacie et grandine; — 3. aqua sulphurea, sive mineralis; — 4. aqua defluens in tempore nimboso a pariete, foliis, etc.; — 5. aqua turbida mixta cum alia re, modo aqua sit materia praedominans; — 6. ros, et aqua collecta ex vaporibus densatis, puta in operculo ollae; — 7. aqua simpliciter distillata, rosis aut aliis foliis in acqua infusis [4].

[1] L. VI. 100. — [2] Ib. 98. — [3] 3. q. 66. a. 12. ad 2. — [4] L. VI. 103. 104.

Digitized by Google

2° Materia certe *invalida* est: 1. sanguis, lac, vinum, urina, pituita, saliva, sudor, lacrymae; — 2. succus expressus ex floribus, herbis et radicibus [1].

3° Materia *dubia* est: 1. jus et lixivium; — 2. aqua ex sale soluto; — 3. cerevisia tenuis, tenue atramentum, aqua fluens ex vite aliisve arboribus, et glacies sive nix non soluta; — 4. aqua per artem chimicam educta ex floribus, plantis, radicibus, vino aut oleo; — 5. una vel altera gutta aquae [2].

1454. — II. Materia LICITA Baptismi est sola aqua munda, et in Baptismo solemni debet insuper esse consecrata. Ratio est, quia hoc requiritur tum ex praescripto Ecclesiae, tum propter reverentiam Sacramenti [3].

Hinc: 1° Sacrilegium committit, qui absque necessitate utitur aqua impura, turbida aut faeculenta, quamvis naturali. — 2° Graviter peccat contra praeceptum Ecclesiae, qui non utitur aqua consecrata, in Baptismo solemni. — 3° Si aqua consecrata fuerit corrupta, praeferenda est aqua naturalis; si vero tempus suppetat, nova consecretur brevi formula, ut habetur in Rituali. — Ita ex Resp. S. OFFICII, 17 april. 1839 [4]. — 4° In Baptismo privato probabiliter licita est aqua non consecrata; attamen curandum est, ut adhibeatur saltem aqua benedicta, seu lustralis ad majorem decentiam [5].

1455. — III. In casibus NECESSITATIS, deficiente materia certe valida, adhibenda est dubia, sed adjecta hac CONDITIONE: « Si haec materia sit sufficiens »; tunc enim sufficit etiam tenuis probabilitas de valore materiae (vide n. 82 et 1407). Si vero sic baptizatus supervixerit, habita copia materiae certe validae, iterum baptizari debet sub hac conditione: « Si non es baptizatus, ego te baptizo, etc. [6] ».

II. — De materia proxima.

1456. — Principia. I. Ad validitatem Baptismi requiritur vera corporis ABLUTIO per aquam: i. e. talis applicatio aquae, qualis in aestimatione morali necessaria est, ut homo dicatur vere lotus sive ablutus [7].

Unde requiritur: 1° Ut aqua *immediate* baptizandi corpus tangat. Invalidus est ergo Baptismus, si, prole nondum nata, corpus matris abluatur; item, si aqua solum vestes baptizandi tangat; dubius autem, si tantum ejus crines, aut secundinas. — 2° Ut fiat

[1] L. VI. 103. 104. — [2] Ibid.; H. A. XIV. 8; vide Ninzatti, n. 1001. — [3] L. VI. 102. — [4] *Collectanea S. Sedis*, n. 186. — [5] L. VI. 102. fin.; ita etiam *Collectanea S. Sedis*, n. 185. — [6] H. A. XIV. 8; L. VI. 103. fin. — [7] L. VI. 105.

Digitized by Google

in capite (ut decet, quia in eo omnes sensus vigent), aut saltem, ut communissime docent, in alia *notabili corporis parte*, v. g. in scapulis, vel in pectore. Unde, si ex necessitate in parte minus notabili, v. g. in manu, digitis aut pede, collatus fuerit baptismus, sub conditione est omnino iterandus; quinimo, idem videtur faciendum ad cautelam, etsi in parte notabili baptismus collatus fuerit; « quia, ex D. Thoma [1] in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit sicut in capite ». — 3° Ut contactus aquae sit *successivus*, ita scilicet ut corpori aqua, vel corpus aquae successive applicetur. Hinc dubius esset Baptismus, si baptizandus in aquam projiceretur, ex qua non emergeret. — 4° Ut habeatur *quantitas* aquae ad lotionem vere sufficiens: valide igitur baptizaret, qui baptizandum aquae ex tecto defluenti submitteret et formam proferret; non vero, juxta communem sententiam, valide baptizaret, si solum cum una vel altera gutta baptizandi corpus attingeret. Baptismus sic collatus, praesertim si gutta non fluxerit, foret omnino dubius. — Attamen, si baptizans motu digiti madefacti ablueret partem corporis baptizandi, AA. communiter habent talem Baptismum ut certum, licet nonnulli adhuc de ejus validitate dubitent [2].

Ad validitatem nihil refert, an ablutio fiat per *immersionem*, an per *aspersionem*, modo fluat aqua; an per *infusionem* trinam aut unicam [3].

1457. — II. Ad LICEITATEM quod attinet, servandus est, et quidem generatim sub gravi, ille abluendi modus, qui est usitatus in singulis Ecclesiis. — Graeci quidem *trinam immersionem* retinent, quam etiam adhibere possunt, dum commorantur apud Latinos, ut constat ex Benedicti XIV Constit. *Etsi pastoralis*. — RITUALE vero ROMANUM haec habet: « Sacerdos vasculo seu urceolo accipit aquam baptismalem, et de ea ter fundit supra caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit: *N... Ego te baptizo in nomine Pa†tris*, fundat primo: *et Fi†lii*, fundat secundo: *et Spiritus†Sancti*, fundat tertio. » — Ubi autem est consuetudo baptizandi per IMMERSIONEM, v. g. in Ecclesia Mediolanensi, sacerdos accipit infantem, et advertens ne laedatur, caute caput ejus immergit, et trina immersione baptizat, semel tantum dicens: *N... Ego te baptizo*, etc. [4].

Trina ablutio, extra casum necessitatis, ex sententia veriore, *sub gravi* praescribitur; quia hujusmodi ritus est materia satis gravis: in illa enim exprimitur mysterium SS. Trinitatis. — Et

[1] 3. q. 68. a. 11. ad 4. — [2] Cf. L. VI. 105-107; H. A. XIV. 11-12. — [3] H. A. ib. 13; cf. S. A. in Trid. sess. 7. n. 56, — [4] Scavini, L. III. 55. not. 3.

Digitized by Google

advertendum, non esse terminandam formam ante tertiam ablutionem [1].

§. 2. *De forma Baptismi.*

1458. — I. FORMA Baptismi valida et legitima in Ecclesia latina, est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* [2]. — Sic definivit Concilium Tridentinum juxta verba ipsius Domini (Matth. 28, 19): « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » — Apud Graecos aequivalenter dicitur: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris*, etc. — Haec forma est valida ex Instructione Eugenii IV ad Armenos: sed in sola Ecclesia Graeca licita est [3].

1459. — II. Ut in variatione formae, validitas Baptismi ab invaliditate discerni possit, attendendum est, utrum substantia sensus remaneat, nec ne. — Jam vero, substantia requirit, ut exprimatur: 1° persona baptizantis, saltem in actu exercito; 2° persona baptizati; 3° actio baptizantis; 4° invocatio SS. Trinitatis exprimens tum unitatem naturae divinae, tum distinctionem Personarum, et probabilius cum propriis vocabulis [4].

Hinc sequitur: 1° Forma est VALIDA per se (etsi illicita saltem venialiter), si Latinus adhibeat verba Graecorum; — si mutetur idioma (praestat tamen laicos, praesertim mulieres uti lingua vernacula, ad vitandum errandi periculum); — si substituantur verba synonyma, v. g. « ego te abluo, lavo, intingo, etc. »; — si corrumpantur verba in fine: quia Zacharias Papa validam declaravit hanc formam ex ignorantia linguae latinae adhibitam: « ego te baptizo in nomine Patria, et Filia et Spiritus Sancta »; — item, si omittatur verbum *ego*, quia adhuc satis redditur sensus (secus tamen in lingua vernacula, v. g. in Gallica, Anglica, Germanica); vel conjunctio *et*, modo praeponatur tertiae Personae; — item si dicatur « cum nomine Patris, etc. » ex decisione S. C. C., 24 maji 1823 [5]. — Valet etiam forma, si addantur verba sensum non corrumpentia, v. g. si quis diceret: « In nomine Patris omnipotentis » vel « qui te creavit, etc. »; — aut si fiant transpositiones: « In nomine Filii et Patris, etc. »; quia nomen Patris *per se* sonat esse principium Filii, et ideo ibi confessio SS. Trinitatis adhuc recta est substantialiter; nec obstat quod minister erret *interne* circa fidem, quia error in-

[1] L. VI. 107, q. 5; H. A. XIV. 13. — [2] *Inst. catech.* p. 2. cap. 2. n. 6; et *Conf. dir.* XIII. 10; juxta RIT. ROM. a *Bened. XIV* emendatum; cf. *Collectanea S. Sedis*, n. 192. — [3] Gury, II. 241. — [4] L. VI. 108. — [5] *Thesaurus*, tom. 83. p. 134. 137.

Digitized by Google

ternus non praejudicat valori Sacramenti [1]. — Diximus *per se;* quia, ut advertit S. Thomas [2], si quis, formam sic mutando, intenderet alium ritum inducere, jam non intenderet facere quod facit Ecclesia, et sic Sacramentum fieret invalidum.

2° Invalida est haec forma: « Ego te *ungo* in nomine, etc. » vel: « Ego baptizo in nomine, etc... »; quia verbum *te*, aut aequivalens est de essentia [3]. — Item, si quis diceret: « Ego te baptizo in Patre et Filio, etc... » vel... « cum Patre et Filio, etc. »; — vel « in nomine Patris per Filium »; — vel « in nominibus Patris, etc... » quia haec et similia, vel diversitatem naturae divinae significant, vel ejus unitatem non satis exprimunt. — Item, si diceret: « In nomine Patris majoris et Filii minoris »; nam sic aperte tolleretur veritas Sacramenti. — Item, si quis uteretur his verbis: « Ego te baptizo in nomine Dei, vel in nomine Christi. » Nec obstant quae leguntur in Act. 8, 12; quia, juxta probabiliorem sententiam, ibi pro nomine Christi intelligitur Baptismum a Christo institutum ad distinctionem baptismi Joannis [4].

3° Dubia est forma Baptismi: « In nomine SS. Trinitatis » vel « in nomine Dei unius et trini », — vel « in nomine trium Personarum, » imo, juxta plures, esset certe invalida. — Item dubius habendus est, ex S. Thoma, Baptismus collatus « In nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque »; quia debent probabilius nomina vulgaria usurpari. — Item, si quis dicat: « In nomine Patris, in nomine Filii, etc. »; quia, etsi haec repetitio probabilius non mutet sensum, opinio tamen opposita non est omnino improbabilis [5]. — Item, aliquod dubium circa valorem inducit omissio vocis *in;* et multo magis totalis omissio vocis *et*, si dicatur nempe: *In nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti.*

Si quis autem ad nomina trium Personarum adderet nomen B. M. V., dicit D. Thomas [6], quod si hoc faceret mente haeretica, intendens Baptismum conferre in nomine Virginis, sicut in nomine SS. Trinitatis, invalidus esset; quia perverteretur vera Divinitatis confessio. Secus, si quis rusticus ob importunam tantum devotionem nomen Virginis adjiceret.

Nota. Curare debet parochus, inquit Rituale Romanum, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent [7].

[1] H. A. XIV. 14; Lib. VI. 109-112. — [2] 3. q. 60. a. 8. — [3] Cf. *Collectanea S. Sedis*, n. 190. — [4] L. VI. 112. dub. 3. — [5] L. VI. 109. *Utrum* et 111; cf. et Op. in Trid. sess. 7. n. 57-58. — [6] 3. q. 60. a. 8. — [7] Cf. Scavini, lib. 3. n. 223.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE MINISTRO BAPTISMI

1460. — VALIDE baptizat omnis homo ratione utens, servatis materia et forma atque intentione Ecclesiae [1]. — Est de fide ex Decreto Eugenii IV *ad Armenos*, et ex Concilio Lateranensi IV, cap. *Firmiter*.

Quod spectat ad LICEITATEM, plura distinguenda sunt; etenim, quia Baptismus conferri potest, vel *solemniter*, i. e. cum ritibus ab Ecclesia praescriptis, vel *privatim*, ob casum nempe necessitatis; hinc minister est, vel minister solemnitatis, vel minister necessitatis. — Deinde, in ordine ad ipsum Baptismum, minister solemnitatis est vel *ordinarius* vel *extraordinarius*, prout nempe vi ordinationis suae illum confert; in ordine vero ad baptizandum, est vel *proprius* minister, vel minister *delegatus*, prout, ex dispositione juris ecclesiastici, illum confert jure proprio, vel jure delegato. — His praemissis, statuimus sequentia

1461. — **Principia.** I. Minister Baptismi solemnis ORDINARIUS de jure divino est sacerdos; de jure ecclesiastico est Episcopus in sua dioecesi, et parochus in sua parochia. — *Primum* constat ex Decreto Eugenii IV, in quo traditur: « Minister hujus Sacramenti Baptismi est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. » — *Secundum* constat ex jure canonico [2] et ex Rituali Romano; et ratio est, quia per Baptismum unusquisque aggregatur non solum Ecclesiae universali, sed etiam particulari. Aggregare autem Ecclesiae particulari pertinet ad illum, qui huic Ecclesiae praeest. Parochus tamen non potest hoc sibi jus attribuere, si in sua ecclesia non exstet fons baptismalis, sed Praepositus ecclesiae in qua baptisterium reperitur; nam iste solus debet, ex praescripto Ritualis Romani, conferre Baptismum [3].

Hinc: 1° « Neque Episcopus, neque parochus, absque commissione, extra suam dioecesim vel parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat. Ideoque peccant etiam parentes, qui, sine licentia Praelati sui, alteri deferunt prolem baptizandam, cum violent jus parochi [4]. »

2° Peccat mortaliter sacerdos qui, extra casum necessitatis, infantem vel adultum, sine proprii parochi aut Ordinarii licentia,

[1] L. VI. 113. — [2] Can. *Diaconos*, 13. dist. 93. — [3] Cf. Bened. XIV. *Notif* I. n. 6. — [4] L. VI. 114.

Digitized by Google

baptizat. Sufficit vero licentia tacita, vel etiam praesumpta ex justa et rationabili causa [1].

3° « Peregrini vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in ecclesia quam elegerint. Si autem mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda; verumtamen, si ille pagus parum distet a pago proprio, v. g. duabus vel tribus horis, potest baptizari proles etiam in ecclesia sua [2]. »

4° Advenae, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, possunt recipere Baptismum et alia Sacramenta a parocho loci, ubi jam quasi-domicilium contraxerunt [3].

Nota. S. Congr. DE PROP. FIDE, die 21 jan. 1789, edixit: « Sacerdotem suspensum et interdictum nullo unquam tempore administrare posse Baptismum cum solemnitatibus, sed, quando propter necessitatem urgentem debeat baptizare, baptizet private [4]. »

1462. — II. Minister EXTRAORDINARIUS Baptismi SOLEMNIS est Diaconus. Constat ex jure canonico et ex Pontificali. — Quamvis autem Diaconus, vi ordinationis suae, solemniter baptizare possit, id tamen *licite* facere nequit, nisi ex ministri ordinarii commissione. Nec vero potest talis commissio ad parochi aut ipsius Episcopi arbitrium dari, sed ob solam necessitatem, vel ob magnam Ecclesiae utilitatem: puta, si deficientibus aliis sacerdotibus, multitudo adsit baptizandorum; aut si parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel alias occupatus confessionibus excipiendis aut praedicatione. — Quod si diaconus, absque legitima delegatione (etiam in casu necessitatis), solemniter baptizet, juxta communissimam sententiam, incidit in *irregularitatem;* et in hanc poenam certe incidunt alii inferioris Ordinis clerici [5]; his enim, ut solemniter baptizare valeant, nullo unquam in casu, sufficit parochi aut Episcopi commissio; sed requiritur ipsius S. Pontificis delegatio [6].

1463. — III. Minister legitimus Baptismi PRIVATI, in casu NECESSITATIS, est quilibet homo ratione utens. — Sic enim habet Rituale Romanum: « Quoties infans aut adultus versatur in vitae periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico, sive laico etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive haeretico, sive viro, sive femina, servata tamen forma et intentione Ecclesiae. »

ORDO autem inter ministros servandus est, quem RITUALE sic designat: « Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae; nisi pudoris gratia deceat

[1] L. VI. 115. fin. — [2] Ib. 115. pr. — [3] Ibid. *Sed hic.* — [4] Cf. *Collectanea S. Sedis*, n. 196. — [5] Ex cap. *Si quis 1. de cler. non ord. min.* — [6] L. VI. 116.

Digitized by Google

feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum; vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. » — Item, ex Rituali et ex Jure canonico, extra summam necessitatem, nec *patri*, nec *matri* licet propriam prolem baptizare. Hanc in vitae discrimen adductam baptizet extraneus, si quis adsit. — Sacerdoti autem, sed excommunicato, anteponendus est laicus non excommunicatus, cum excommunicatus non amplius Ecclesiae membris adnumeretur [1]. — S. C. S. Off. 20 aug. 1671 respondit: « Non permittat (Episcopus) schismaticis administrare Sacramentum Baptismatis, nisi in casu necessitatis, et deficiente alia quacumque persona [2]. »

Ex his resolves: 1° Peccat *graviter* quicumque Baptismum, in casu necessitatis, conferre omittit; quia, ut ait *Tertullianus* [3], « reus est perditi hominis. » — Signa autem periculi pro infante, haec sunt praecipua: — « si oriatur sine vagitu et lacrymis; — si modice respiret, — si appareat lividus, praesertim in facie aut capite; — si nascatur post multum laboris obstetricis, vel ante septimum mensem; — si cranium habeat molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas [4] ».

2° Item peccat graviter *laicus* qui, spreto ordine, baptizat *coram sacerdote*, sicut et ipse sacerdos qui, absque ratione legitima, laico suum officium cedit baptizandi. — In caeteris, inversio ordinis ministrorum non est nisi peccatum veniale; quod probabiliter etiam dicendum est, si laicus baptizet coram diacono per parochum non deputato [5].

1464. — Quaesita. Quaer. 1° *An plures possint simul* unum *baptizare, aut* unus *plures?*

Resp. 1° Si quilibet baptizantium intendit agere *independenter* ab alio, ut causa particularis et individua, validus est Baptismus; quia adsunt omnia requisita, ut patet a simili in Ordinatione, qua sacerdotes noviter ordinati simul consecrant cum Episcopo; et in tali casu, qui primus formam complet, ipse solus baptizat. — Si vero unus intendit agere *dependenter* ab alio, ut causa communis et simultanea, invalidus est Baptismus, sive dicat: «ego te baptizo», sive dicat: « nos te baptizamus ». Nam, ut ait S. Thomas [6] « homo non baptizat, nisi ut minister Christi et vicem ejus gerens. Unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repraesentet. » — In utroque casu, illicite agitur, nisi excuset praecipitantia [7].

Resp. 2° *Illicite*, extra casum necessitatis, *plures* eodem tempore *ab uno* baptizantur; nam Rituale formam illam « ego vos baptizo » ad plures simul directam reprobat, nisi adsit mortis periculum,

[1] H. A. XIV. 16; Lib. VI. 117. — [2] Cf. *Collectanea S. Sedis*, n. 195. — [3] *De Bapt.* cap. 17. — [4] L. VI. 106. v. fin. — [5] L. VI. 117. — [6] 3. q. 67. a. 6. — [7] L. VI. 120.

Digitized by Google

nec tempus sinat, ut singuli separatim baptizari valeant. « *Valide* tamen baptizantur; quia, sic agendo, non diversificatur forma necessaria, cum plurale sit singulare geminatum [1].

QUAER. 2° *An quis possit* SEIPSUM *baptizare?*

Resp. Non potest, nec licite, nec valide; tum quia persona baptizantis omnino diversa esse debet a persona baptizati [2]; tum quia Baptismus est spiritualis generatio: jam vero, nullus potest seipsum generare. — Sed vide dicta n. 1452. q. 1.

CAPUT III.

DE SUBJECTO BAPTISMI

1465. — SUBJECTUM capax Baptismi est omnis et solus homo vivus ab Adamo descendens, nondum baptizatus. — Constat ex verbis Christi Domini, qui de omnibus indiscriminatim dicit: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (Joan. 3, 5).

Hinc, valide et licite baptizantur: 1° infantes, ut expresse definitum est a Tridentino (sess. 7. can. 13. *de Bapt.*); — 2° perpetuo amentes, qui nunquam usi sunt ratione; quia censentur ejusdem conditionis ac infantes [3]. — Recole dicta n. 1435.

His in genere praemissis, speciatim agendum venit: 1° de infantibus in utero matris baptizandis; 2° de abortivis et monstris; 3° de filiis infidelium vel haereticorum; 4° de adultis; 5° de dubie baptizatis.

1. — *Infantes in utero matris.*

1466. — I. Extra mortis periculum, nullus infans baptizandus est, nisi sit perfecte natus. — Ratio est, quia prius est nasci quam renasci, atque hoc est quod Christus Dominus innuere videtur cum dicit: « nisi quis renatus fuerit etc. »

Diximus *extra mortis periculum;* nam Rituale Romanum haec habet: « Sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. — At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. »

1467. — II. « Si mater praegnans mortua fuerit, foetus, quam primum, caute extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur. » Ita RIT.

[1] L. VI. 124. fin. — [2] Ib. 118. — [3] Cf. *Collectanea* S. *Sedis*, n. 218.

Digitized by Google

Rom., et plane constat ex obligatione charitatis (cf. n. 483. Reg. 2).— Quare, graviter peccant parentes, qui negligunt ventris incisionem fieri; pariterque chirurgi aut alii periti, qui eam facere omittunt aut differunt; sed et parochus tenetur curare, ne, incisione praetermissa, mater sepeliatur [1].

Hodie tamen (in diversis regionibus) de re admonendus est loci Praefectus, et adhibendi sunt testes ab ipso approbati, tum ad mortem recognoscendam, tum ad majorem rei certitudinem, ac praesertim ne operationis auctor tanquam homicidii reus traducatur [2].

1468. — Quaesita. Quaer. 1° *An infans, in periculo mortis, possit baptizari clausus in utero matris?*

Resp. 1° Si sit in utero omnino clausus, ita ut aqua attingi nequeat, non potest baptizari: id certum est apud omnes.

2° Si, reserato jam uteri ostio, aqua attingi possit per instrumentum, disputant DD. Alii quidem *negant*, quia nemo dicitur renasci, nisi prius fuerit natus; sed alii valde probabiliter *affirmant*, quia talis infans est jam homo viator, et potest dici inchoate natus, juxta illud (Matth. 1, 20): «Quod in ea natum est (i. e. conceptum) de Spiritu Sancto est.» Ergo, in praxi, a chirurgo vel obstetrice baptizandus est *sub conditione:* «Si capax es, etc.» (cf. n. 1456). At vero: «Foetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo *sub conditione* rebaptizetur.» Ita S. C. C. 12 julii 1794, *in Sutrina* [3].

Quaer. 2° *An possit et teneatur mater subire* sectionem caesaream, *ut proles baptizetur?*

Resp. Affirm. si sequentes conditiones simul concurrant, videlicet: 1° Si ipsa non possit naturaliter parere; — 2° si sectio, periti chirurgi judicio, eam non adductura sit in proximum mortis periculum, et ex viribus tum matris tum foetus, aliisque circumstantiis utriusque salus prudenter sperari possit: ubi enim mortis periculum leve tantum ac remotum judicatur, mors, si incisionem subsequatur, habenda est evenisse per accidens; — 3° si proles non possit aliter baptizari. In his enim circumstantiis, urget obligatio patiendi quodlibet temporale incommodum, ad procurandam infantis vitam spiritualem et aeternam [4]. — Quod si modica tantum spes affulgeat, fore ut proles servari possit, mater *potest* quidem, sed non tenetur subire operationem; quia charitas non urget in tanta eventus incertitudine (cf. n. 744).

[1] L. VI. 106; cf. Konings, n. 1269, ubi plura; Craisson, *Notiones theol. circa Sextum*, n. 342. — [2] Cf. *Collectanea S. Sedis*, n. 208, ubi respondetur pluribus difficultatibus admotis. — [3] *Collect. S. Sedis*, n. 218. — [4] L. VI. 106; H. A. VIII. 26; cf. Capellmann, *Med. pastor.* pag. 21.

Digitized by Google

De caetero, prudentia ut plurimum suadebit, ut mater, quae in bona fide est, de gravi obligatione non admoneatur. Ipsa solum *adhortanda* est ad consentiendum sectioni, ne forte ob denegatum consensum in malo statu moriatur, ut recte observat *Cangiamila* [1].

Nota. Puella inhoneste, et occulte praegnans, ac morti proxima, si ob provectam graviditatem probabile sit, Baptismum posse foetui conferri, tenetur statum suum extra confessionem patefacere, ut operatio, ea mortua, fiat. — Nec tamen admoneri debet, si in bona fide versetur, et minime speretur ex monitione fructus.

2. — *Foetus abortivi vel monstruosi.*

1469. — I. Foetus ABORTIVUS, utcumque parvus, baptizari debet; et quidem absolute, si de ejus animatione et formatione constat; sub conditione autem, si de ejus vita aut formatione dubitatur. Nec Baptismus praetermittendus est, eo quod foetus sit recentissimus; nam, « hodie viget opinio, non sine plausu a peritis recepta (ait S. Alph.) [2] quod foetus, ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies, animâ informentur ». Atque hinc est cur, quotiescumque aliquod vitae signum in eis reperitur, nec constat eos anima esse destitutos, baptizandi sint, cum multa quidem cautione, ne enecentur, et adjecta conditione: *Si vivis.* — « Quot foetus abortivos, ait Roncaglia [3], ex ignorantia obstetricum et matrum, excipit latrina, quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in aeternum videret, et corpus licet informe esset decentius tumulandum! Sed quibus potissimum sub gravi culpa competit expellere ignorantiam? nonne parochis? [4] »

Notentur sequentia: 1° Baptizandus est foetus, qui prima saltem habet humani corporis lineamenta, quod jam die tertio contingere asserunt periti, ut refert Cangiamila [5]. Agnitio tamen foetus, qua talis, intra primas hebdomades est difficilis; post mensem vero facilis, ut testatur Capellmann [6]. — 2° Foetus incompletus, seu nondum formatus baptizetur per immersionem in catino vel cyatho aqua tepida pleno: absolute quidem, si motus vitalis in eo apprehendatur; sub conditione: SI VIVIS, quando sine motu apparet, sed a mola certo distinguitur; sub conditione demum SI ES CAPAX, quando dubius foetus humanus est. — 3° Foetus aut embryon, quem in secundinis pelliculis inclusum mulier ejecerit, *statim*, ne pereat, super his baptizetur conditionate: SI EX CAPAX; deinde, involucris suis caute spoliatus iterum abluatur sub conditione: SI NON ES BAPTIZATUS [7]. — 4° Nequaquam baptizari debet mola carnea seu falsum germen. Foetus porro discernitur a mola in eo quod foetus apparet membrana circumdatus, quae est subalbi coloris, similis intestinis, figurae

[1] *Sacra Embryol.* L. 3. c. 4. n. 2; cf. Konings, loco cit. — [2] L. VI. 124. — [3] *De Bapt.* c. 4. fin. — [4] Cf. Scavini, lib. III, n. 71; cf. *Analecta*, serie 5ª, pag 1112-1130. seqq. — [5] L. I. cap. 6. n. 8. — [6] *Medic. pastor.* pag. 108. pr. — [7] *Disput. physiologico-theolog.* (auct. A. E.) pag. 250.

Digitized by Google

ovalis, et quae digito tacta mollescit et cedit; mola vero apparet caro informis, sanguinei vel varii coloris, ad tactum dura [1].

1470. — II. Simili modo baptizanti sunt partus MONSTRUOSI. — Hi vero juxta regulas sequentes:

1° « Monstrum, quod humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet: de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo....* » Ita RITUALE ROM. — Hinc, si monstrum habeat *caput* humanum, baptizandum est absolute, quidquid sit de caeteris membris: imo, etiamsi habeat caput ferinum, baptizandum est saltem sub conditione. *Si tu es capax;* quia, testantibus hodiernis medicis, species ferina soli mulieris phantasiae, vel conformationis defectui adscribenda est [2].

2° Monstrum, de quo dubium est an *una* sit persona vel *plures*, non baptizetur, donec id discernatur. — Discerni autem potest: 1° si habeat *plura capita* et *plura pectora* distincta; tunc enim totidem sunt homines distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat ut singuli separatim baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare, dicendo: « Ego vos baptizo, etc. » — 2° Si habeat *duo capita* et *unum pectus*, vel *duo pectora* et *unum caput*, vel denique *duo capita* et *duo pectora non bene distincta*, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: « Si non es baptizatus, ego te baptizo, etc. » Ita RITUALE ROM. — Si habeat *unum caput* et *duo pectora*, post baptismum capitis, utrumque pectus baptizetur sub conditione: « Si non es baptizatus »; quia ignoratur quodnam pectus anima capitis informetur.

Caeterum in his casibus, nisi necessitas urgeat, non festinanter agatur; tum ut consulatur Ordinarius loci, vel alius peritus ut monet RITUALE; tum ut lapsu temporis natura se explicet [3].

3. — *Filii, invitis parentibus.*

1471. — VALIDE quidem baptizantur filii, invitis parentibus; non enim scriptum est, inquit S. Augustinus, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc. — Quaeritur autem hic, an semper LICITE? — Quocirca haec teneto

Principia. I. Certum est penes Ecclesiam jus esse baptizandi infantes filios HAERETICORUM vel SCHISMATICORUM, ac praepediendi,

[1] Cangiamila, l. c. n. 12 et 13. — [2] Cf. Capellmann, loc. cit. ubi addit: « Generatio inter hominem et brutum, quam Liguori incredibilem quidem esse putat, certissime non existit. » — [3] L. VI. 125.

Digitized by Google

ne parentum erroribus imbuantur, neque de hoc Ecclesiae jure ulla dubitatio moveri potest (cf. n. 132 sq.) — At vero, prudentiae causa, « ut minister catholicus licite Baptismum praebeat, necessarium (est), ut probabilem spem concipiat fore, ut hujusmodi puer baptizatus possit, suo tempore, in vera fide instrui. Quod si nulla via possit hujusmodi spem moralem habere, deberet certe potius a Baptismo abstinere, supponendo parvulum non esse in extrema necessitate, in qua quilibet alius baptizari potest. » — S. C. de Prop. Fid. 17 apr. 1777 [1].

Nota. Eadem S. Congr., die 29 nov. 1672, declaravit: « Licere parocho baptizare puerum, consentiente *uno* e parentibus catholico, etiamsi certe sciat alterum postea curaturum, ut infans baptizetur a ministro haeretico; sed conjux catholicus tenetur monere conjugem haereticum, filium jam legitime esse baptizatum [2]. »

1472. — II. Filios infidelium licet baptizare, invitis parentibus, in sequentibus casibus: — 1° Si habeant usum rationis (vel in dubio, septem annos completos) et Baptismum petant, praecauto tamen perversionis periculo. — 2° Si sint in mortis periculo et baptizari possint secreto, sine violentia illata parentibus, et sine infidelium scandalo [3]. — 3° Si sint positi extra curam parentum, et absit timor, ne ad eos revertantur, ut si essent expositi vel derelicti. — 4° Si sint perpetuo amentes. — 5° Si jure belli capti sint; item, si eorum parentes sint mancipia christianorum. — 6° Si unus parentum consentiat in Baptismum, altero reluctante. Idem dicendum, si, mortuo patre, avus paternus consentiat in Baptismum, licet mater repugnet [4].

1473. — III. Extra praefatos casus, non licet baptizare filios infidelium invitis parentibus. — Ratio est, quia, si in parentum potestate relinquantur, Sacramentum certe exponeretur periculo profanationis ob indubium perversionis et apostasiae periculum; si subtrahantur parentibus, laederetur jus naturale parentum, quo liberi, quamdiu rationis usu non fruuntur, sub potestate et cura parentum sunt, sicut caeterae res eorum. Ita sententia communior DD. contra Scotistas, confirmata usu Ecclesiae et Constitutione Benedicti XIV *Postremo mense* 28 febr. 1747 [5].

IV. Proles, sive licite, sive illicite, invitis parentibus, baptizata, eorum subtrahenda est potestati, ut in suscepta fide instruatur et *perseveret.* — Ratio est, quia homo per Baptismum subjicitur jurisdictioni Ecclesiae, et consequenter jure liberatur a paterna cura, in iis, quae ad gubernationem animae spectant, quatenus juri Ecclesiae

[1] *Collect. S. Sedis*, n. 217; cf. *Nouv. rev. th.*, XVII. 605. — [2] Ib. n. 200. — [3] Ib. n. 211. ad 3. — [4] L. VI. 128-131.; cf. Ninzatti, n. 1022. — [5] L. VI. 132.

Digitized by Google

acquisito contraria esse potest; nam jus paternitatis naturalis debet cedere juri paternitatis spiritualis Ecclesiae [1]. — Vix tamen hodie potest haec doctrina in praxim traduci, siquidem obstant leges civiles.

4. — *Adulti.*

In ADULTIS requiruntur certae dispositiones, tum ad validam, tum ad licitam susceptionem Baptismi. — Quocirca haec teneto

1474. — Principia. I. Ad VALIDAM susceptionem Baptismi in adultis REQUIRITUR et SUFFICIT intentio saltem habitualis, i. e. habita et non retractata, suscipiendi Baptismum (cf. n. 1434).

Hinc infertur: 1° Validus est Baptismus, ex gravi metu susceptus. Cum enim sufficienter voluntarius sit, suscipitur Sacramentum, quamvis res seu gratia Sacramenti non suscipiatur. — 2° Item, validus est Baptismus collatus dormienti vel amenti, qui sui compos antea petierit, vel in quo, ut ait Rituale Romanum, apparuit Baptismi desiderium [2].

1475. — II. Ad LICITAM et FRUCTUOSAM Baptismi susceptionem requiruntur in adultis, praeter intentionem, DISPOSITIONES, quas Concilium Tridentinum docet esse pro justificatione impii necessarias [3] (cf. n. 1644).

Hinc deduces: 1° Si quis adultus *sit jam prius justificatus* per charitatem aut contritionem, nihil amplius requiritur in eo, nisi *voluntas* suscipiendi Sacramentum, quo character imprimatur, poena peccati dimittatur, et gratia augeatur (cf. n. 1450).

2° Si *non sit justificatus*, solum tamen habeat peccatum originale, requiritur et sufficit in eo *fides* explicita mysteriorum fidei, quae de necessitate medii credenda sunt, et implicita aliorum quae a Deo sunt revelata; dein *spes* justificationis et vitae aeternae, cum *initio amoris*, quo nempe Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiat, et divina mandata observare sibi proponat.

3° Si habeat etiam *peccata personalia*, requiritur insuper *dolor supernaturalis* de peccatis, juxta illud (Act. 2, 38): « Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum »; et ratio est, quia actualia peccata deleri non possunt sine retractatione peccatoris. Verius autem tradunt DD. sufficere *attritionem;* cum enim Baptismus institutus sit ad delenda etiam actualia peccata, ante ejus susceptionem commissa, si praeexigeret contritionem, quae operit multitudinem peccatorum, praeexigeret effectum, ad quem producendum institutus est; ergo. Ita communissime cum S. Thoma.

[1] L. VI. 127. 128. — [2] Ib. 139; H. A. XIV. 28. — [3] Ibid. 139 et 437.

Digitized by Google

qui dicit [1]: « Ad hoc quod homo se praeparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, praeexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio praecedens, etsi non sit contritio [2]. »

Monet RITUALE ROMANUM: « 1° Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundum apostolicam regulam, in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum saepius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari [3]. » — Antiquitus, diversa tempora, pro CATECHUMENIS probandis et instruendis, praescripta fuerant; nunc res tota Episcopi judicio relinquitur [4].

2° Pro reverentia Sacramenti, tam baptizantem quam baptizandos, qui sani sunt, convenit esse jejunos. Ita etiam RITUALE.

5. — *Dubie baptizati.*

1476. — QUAERITUR. *An et quando Baptismus sit* SUB CONDITIONE *iterandus?*

Resp. 1° Semper fuit in Ecclesia praxis baptizandi, saltem sub tacita conditione, illos de quibus dubitabatur, num per regenerationis lavacrum ab originali culpa essent expiati; ut fuse probat Benedictus XIV [5] contra Natalem Alexandrum. — At vero Alexander III [6] ita statuit: « De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: *Si baptizatus es, non te baptizo, sed, si nondum baptizatus es, ego te baptizo*, etc.

2° « Debet sub conditione iterari Baptismus, non passim et absque causa; sed tunc solum quando prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit baptizatus, nec, diligenti praemissa indagatione, potuit rei veritas innotescere », ut habet idem Benedictus XIV [7]. — Atque hoc servandum est sub gravi, tum in dubio *juris*, quando constat nempe baptisma fuisse collatum cum materia, vel forma, vel intentione dubia, aut de cujus valore controversia est; tum in dubio *facti*, quando prudenter dubitatur (sive positive, sive negative) an Baptismus sit datus an non: quia, in utroque dubio, aeque periclitatur salus hominis. — Hinc regula, quam tradit Concilium Carthaginense V [8]: « Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque scrupulo esse rebaptizandos [9].

1477. — *Ex dictis deduces* [10]: I. Sub conditione baptizari DEBENT: 1° Infantes *expositi*, qui reperiuntur sine schedula de Baptismo. Et idem sentiendum cum Benedicto XIV, etiamsi collo gererent

[1] In. 4. dist. 6. q. 1. a. 3. ad 5um. — [2] Cf. Panzuti, VI. 53. — [3] Cf. *Collectanea S. Sedis*, n. 224 et sqq. — [4] Cf. Scavini, L. III. n. 76. — [5] *De Synodo*, lib. 7. cap. 6. — [6] Cap. 2. *De Baptismo*. — [7] Loc. cit. — [8] Can. *Placuit*, 111. *de Consecr.* dist. 4. — [9] Quoad modum procedendi vide Craisson, n. 6120. — [10] L. 135-137.

Digitized by Google

testimonium Baptismi, quando scheda non parit certitudinem, i. e. quando non deprehenditur schedulae auctorem esse fide dignum. Ita ex declaratione S. C. C., 18 dec. 1723 [1]. — 2° Illi omnes, pro quibus *nullum signum* haberi potest recepti Baptismi, nec matrimonii parentum. — 3° *Haeretici* multi. Hi vero rebaptizandi sunt, non quod fuerint ab haereticis baptizati, sed quod haeretici baptizantes non solent, quas praescribit Ecclesia, adimplere conditiones. Atque hoc nominatim asserit *S. Alphonsus* de Lutheranis et Calvinistis, qui, cum Baptismum non absolute necessarium esse judicent, materiam et formam parum curant. « Aliqui ex illis, ait, utuntur aquis distillatis; alii solent in baptizando hunc morem servare, ut unus proferat formam, et alius applicet materiam; nonnulli infundunt aquam super vestes tantum, aliique communius deficiunt in intentione [2]. »

Nota. 1° Accurate et VALIDE solent baptismum conferre *Graeci Schismatici, Eutychiani, Nestoriani*, et alii haeretici *Orientales;* item Schismatici Gallici (*petite Eglise*), *Veteres Catholici*, et inter Anglicanos *Ritualistae.* — 2° Minus accurate ideoque DUBIE Baptismum administrant tum *Methodistae* et *Presbyteriani*, qui solent baptizare per aspersionem; tum *Episcopaliani*, qui, hodie praesertim censent Baptismum esse ritum nudum absque vera efficacia; tum denique *Congregationalistae, Unitariani*, et *Universalistae*, qui Baptismum ceu quid liberum existimant. — 3° *Baptistae* adultos tantum baptizant, et quidem dubie, quia formam proferunt integram antequam incipiat immersio. *Sociniani* et *Quackeri* nullum prorsus baptismum conferunt [3].

Advertatur insuper Sectas esse *variabiles*, easque hodie, in variis locis, magis magisque accedere ad Rationalismum.

1478. — II. Non sunt iterum, ne sub conditione quidem, baptizandi: 1° Infantes, quorum Baptismum unus saltem testis fide dignus affirmat, ut docet ipse Benedictus XIV [4]. Idque, etiamsi testis sit femina (modo sit exceptione major), nec sint alii testes contrarium deponentes. — 2° Adultus, qui natus est ex parentibus vere christianis, et educatus fuit inter fideles; quia, nisi evidentissimae rationes dentur in contrarium, pro hujus Baptismo stat violenta praesumptio, quae certitudinem parit. Si tamen ordinandus sit, requiritur testimonium positivum Baptismi. — 3° Baptizatus ab obstetrice, vel alia perita persona, nisi adsit, re diligenter examinata, probabilis suspicio erroris [5].

1479. — *Notentur sequentia* S. OFFICII *Responsa:* — I. Proposito dubio, utrum conferri debeat Baptismus sub conditione haereticis, qui ad catholicam fidem convertuntur, ex quocumque loco proveniant, et ad quamcumque sectam pertineant, Emi. responderunt *Negative;* sed in conversione haereticorum, a

[1] *Thesaur. Resolut.* tom. 2. p. 413; cf. et *Collectanea S. Sedis*, n. 246 et 247. — [2] H. A. XIV. 26; cf. Scavini, III. 219. — [3] Sabetti, n. 662; Konings, n. 1261. — [4] *Inst.* 8. n. 8. — [5] H. A. XIV. 23. 27; L. VI. 134-137, ubi plura.

Digitized by Google

quocumque loco vel a quacumque secta venerint, *inquirendum est* de validitate Baptismi in haeresi suscepti. — Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt *absolute*. — Si autem pro temporum aut locorum ratione, investigatione peracta, nihil, sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc *sub conditione* secreto baptizentur. — Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu professionem fidei [1] (Decret. fer. IV. 20. nov. 1878).

II. Quaesitum fuit: « 1° Utrum, in casu dubii de valore Baptismi, qui ita Baptismum susceperunt Japonenses, ut Christiani vel Infideles adhuc considerandi sint? — 2° Utrum, si dubium de valore Baptismi remaneat, et non visum sit opportunum solvere dubium de his, qui sic dubie baptizati sunt, in rebus quae ad Matrimonium spectant, ac si vere et valide baptizati fuissent judicandum sit, vel non? — *Ad 1.* Generatim loquendo, ut christiani habendi sunt ii, de quibus dubitatur, an valide baptizati fuerint. — *Ad 2.* Censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem Matrimonii [2] » (Decret. 9 sept. 1868).

CAPUT IV.

DE CÆREMONIIS BAPTISM

1480. — *Praenotanda.* 1° « Privatus Baptismus dicitur ille, in quo nulla alia caeremonia a Rituali praescripta adhibetur, nisi ablutio baptizandi; verbis formae prolatis, iis videlicet, quae Baptismo jure divino sunt necessaria. — Solemnis vero censetur, quando ii adhibentur ritus ac caeremoniae, quas Rituale Romanum memorat acceptas et approbatas ab apostolica et vetustissima traditione fuisse, et ad ejus solemnitatem pertinere [3]. »

2° Quaesitum fuit: « An in locis, ubi non adest ecclesia parochialis, nec fons baptismalis, conferri possit Baptismus cum omnibus solemnitatibus et caeremoniis Ecclesiae consuetis? » — Et per Decretum S. Officii, die 29 febr. 1663, missionariis praescriptum fuit: *quod possint, imo teneantur uti illis caeremoniis, quibus possint uti.* « Quare, liquet illico privatum solemni Baptismo substituendum non esse, eo quod aliqua fieri nequeat caeremonia; nam, hac omissa, caeterae adimplendae sunt [4]. »

Quibus praemissis, agemus: 1° de loco et tempore Baptismi solemnis; 2° de patrinis; 3° de Baptismi ritibus accessoriis.

I. — De loco et tempore Baptismi.

1481. — I. Locus Baptismi solemnis regulariter non potest esse nisi ecclesia, in qua fons sacer reperitur constitutus. — Constat

[1] Cf. *Nouv. Rev. théol.* (an. 1884) tom. XVI. p. 264. — [2] *Collectanea S. Sedis*, n. 243. — [3] Ib. n. 270. — [4] Ibid.

Digitized by Google

ex Rituali Romano, et ex Decreto Clementis V in Concilio Viennensi. — Unde *S. Alphonsus:* « Mortale est, inquit, sine necessitate baptizare extra ecclesiam [1]. »

Diximus *regulariter;* excipitur enim : 1° *Casus necessitatis,* quae adesse censetur, non modo cum mortis periculum infanti imminet, sed etiam cum infans in ecclesiam deferri nequit sine periculo infamiae parentum, aut alius gravis damni : quo in casu, ex Episcopi saltem licentia, domi solemniter Baptismum conferri posse affirmat Croix cum aliis [2]. — 2° *Privilegium Regum et Principum,* quorum filios et descendentes in eorum sacellis solemniter baptizare licet. Principum autem nomine, juxta probabiliorem sententiam, non intelligendi sunt magnates, etiam temporalem jurisdictionem habentes, sed ii dumtaxat, qui absoluta auctoritate potiuntur. « Attamen, puto, inquit *S. Alphonsus* [3], quod ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum, ipsa non est facile improbanda, ut ait Croix. »

1482. — II. Olim TEMPUS Baptismi solemnis assignabatur bis in anno, scilicet in Vigilia Paschatis, et in Vigilia Pentecostes. Et hic quidem mos viget adhuc Romae, pro Baptismo Hebraeorum aliorumve Infidelium conversorum; sed alibi jam abiit in desuetudinem.

II. — De Patrinis.

Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de sacro fonte suscipiunt in suam curam [4].

1483. — **Principia.** I. In Baptismo SOLEMNI, adhibendus est, et quidem sub gravi, UNUS saltem patrinus, sive vir hic sit sive mulier; nec possunt adhiberi licite plures quam DUO. — Ita statuit Concilium Tridentinum (sess. 24. *de ref. matr.* cap. 2). «Patrinorum (autem) praesentia in Baptismate, ex vetustissima traditione, semper tanquam praecipua caeremonia in Ecclesia Christi habita est, ut spiritualis generationis significatio servaretur per patrinos, et ipsorum sponsione in tuto religiosa pueri educatio poneretur [5]. »

Diximus: 1° *in Baptismo solemni;* quamvis enim adhiberi possit, imo laudabiliter adhibeatur patrinus in Baptismo *privato,* licite tamen omittitur [6]. — 2° *Sive vir, sive mulier:* sunt verba Tridentini, ex quibus probabilius colligitur, si unicus sit patrinus aut unica matrina, adhiberi posse marem aut feminam, cujuscumque sexus sit baptizandus. — 3° *Nec possunt adhiberi licite plures quam duo,* unus scilicet et una, ne multiplicentur cognationes.

[1] L. VI. 142: H A. XIV. 30 — [2] Ib. 142. — [3] Ib. 118. fin. — [4] Ib. 146. — [5] *Collect. S. Sed.* n. 270. p. med. — [6] L. VI. 147. fin.

Digitized by Google

Hinc: 1° Parochus, qui nullum vel qui plures quam duos patrinos admittit, peccat graviter; transgreditur enim praeceptum Ecclesiae, sub gravi impositum. — Patrini et matrinae non possunt esse duo mares aut duae feminae; etsi controvertatur utrum hoc esset mortale, an solum veniale. Verius tamen videtur S. Alphonso esse *mortale*, si patrini, matrinaeve a baptizando in sexu differant, quia sic multiplicarentur cognationes, contra intentum Concilii Tridentini [1].

2° Improbanda est parentum incuria, qui munus patrini, non selectis idoneisque personis, sed cuicumque, qui primus obvenit, committunt, licet pro certo habeant ipsum suum spiritualem filium non amplius esse revisurum [2].

3° Patrinos saltem in aetate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos, esse maxime convenit. — Rit. Rom.

1484. — II. Ut quis VALIDE sit patrinus, et contrahat obligationes officio patrini adnexas, requiruntur sequentes conditiones: — 1° Ut habeat usum rationis, et sit baptizatus. — 2° Ut habeat intentionem id munus gerendi. Unde jura exigunt: 3° Ut sit designatus a parentibus, vel saltem a parocho, si parentes eum non designassent; sed parocho non licet, nisi gravis adsit ratio (de qua vide n. 1486), mutare patrinum designatum a parentibus. — 4° Ut in ipso Baptismo, per se vel per procuratorem, physice teneat aut tangat infantem dum baptizatur, vel statim levet aut suscipiat de sacro fonte, aut de manibus baptizantis [3].

1485. — III. Ex susceptione baptizati de sacro fonte oritur officium paedagogi et cognatio spiritualis. — 1° OFFICIUM PAEDAGOGI; patrini enim tenentur habere curam de baptizato, id est, illum instruere circa fidem et mores. Attamen, haec obligatio tunc tantum urget, cum vera necessitas id exigit, v. g. casu quo baptizati inter infideles nutrirentur. « Cum autem, inquit D. Thomas [4], nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur, secundum modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere. » — 2° COGNATIO SPIRITUALIS, quae oritur inter levantes (patrinum et matrinam) et baptizatum, hujusque patrem et matrem, atque inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem [5]. Haec cognatio est impedimentum dirimens matrimonii, de quo sermo erit in Tract. de Matrimonio, n. 2021 seq.

[1] L. VI. 155; H. A. XIV. 36. — [2] *Collect. S. Sedis*, n. 270. fin — [3] H. A. XIV. 32; L. VI. 146-151. — [4] 3. p. q. 67. a. 8. — [5] L. VI. 156. fin.

Digitized by Google

1486. — QUAERITUR. *Quinam* PROHIBEANTUR *esse patrini?*

Resp. Illicite, quamvis valide, sunt patrini: 1° *Apostatae, haeretici, publice excommunicati*, et omnes ex criminibus *infames.* — 2° *Ignorantes* rudimenta fidei; nemo enim fit magister, quin prius fuerit discipulus. — 3° *Monachi, Moniales*, et omnes *Regulares* a saeculo segregati, nisi Regulares facti sint Episcopi. — 4° *Conjuges* respectu conjugum, et *parentes* respectu filiorum; nam, respectu alienorum, ex hodierna saltem consuetudine, ambo conjuges admitti possunt [1]. Et « nihil impedit, quominus *parentes*, in casu necessitatis, patrinorum vices gerant, suos infantes materialiter tenendo, et pro iis baptizanti respondendo, citra tamen veri et proprie sumpti patrinatus praerogativam, videlicet, citra necessitatem obeundi onera, quae ejusmodi munus secum fert, contrahendi impedimentum cognationis spiritualis, usum matrimonii prohibens [2]. »

Nota. Ex RIT. ROM. publici peccatores a patrini officio arceri debent, « Sed oportet: 1° ut vere sint tales *publice* noti; — 2° ut rejectio fiat *prudenter*, v. g. curando prius bonis modis, ut se non praesentent, aut vocando eos ad colloquium secretum et dicendo quod Ecclesia illos admittere nequit ut patrinos, quamvis possint assistere ut testes; sed nunquam publice (et saepe ne private quidem ad vitanda litigia) indicetur motivum; et, si alius patrinus commode accersiri nequit, sine patrino Baptismus conferatur; — 3° ut rejectio ita peragi possit, ut mala *majora* non provocentur; de quibus in nostris civitatibus vix unquam timendum non erit [3] » (cf. n. 1294).

Serventur, ubi vigent, STATUTA PARTICULARIA, quae ab officio patrini removent quosdam alios, v. g. clericos saeculares, laicos non implentes praeceptum confessionis annuae, vel Communionis paschalis, etc. — In casibus implicatis, consulatur, quoad ejus fieri potest, Episcopus [4].

III. — De ritibus accessoriis.

1487. — I. Ritus ACCESSORII seu *Caeremoniae* antecedentes, concomitantes aut subsequentes Baptismum, sub gravi praecepto, adhiberi debent. — Ratio est, quia praescribuntur a Rituali Romano in finem gravem, et habent fructus speciales, ita ut mortale sit omittere, absque gravi causa, omnes Baptismi caeremonias, aut aliquam ex eis notabilem, speciatim usum aquae consecratae, unctionem olei catechumenorum, et chrismatis [5]. — Hinc, censet Laymann, graviter peccare magnates qui, extra necessitatem, faciunt filios baptizare domi, vel in ecclesia privatim, ut deinde cum pompa caeremoniae perficiantur in ecclesia, postquam advenerint

[1] Ib. 156. 157; H. A. XIV. 37. — [2] *Collect. S. Sed.* n. 270. p. m. — [3] Berardi, *Prax.* n. 757. X. — [4] Cf. Scavini. L. III, 228-230. — [5] L. VI. 141. et Op. in Trid. sess. 7. n. 62.

Digitized by Google

patrini; qui, caeteroquin, collato jam antea Baptismo, nec vere patrini efficiuntur [1]. (Cf. n. 2021 seq.)

1488. — II. Cum caeremoniae, ob necessitatem vel negligentiam omissae fuerint, sunt solemniter, et quidem sub gravi, in ecclesia SUPPLENDAE. — Constat ex Rituali Romano tit. *Ordo supplendi omissa*, et ex sententia communi. Id tamen non est de more in haereticis conversis, ne plebs putet nos eorum Baptismum, etsi rite collatum, improbare. — An autem caeremoniae repetendae sint, quando Baptismus solemniter collatus deprehenditur invalidus, controvertitur. Tutius tamen est eas repetere, et in praxi consulitur, nisi obstet periculum scandali aut infamiae [2].

Huc spectant varia S. SEDIS decreta:

1° Ad *quaesitum:* « An, in administratione Baptismi, interrogationes, quibus respondere debet patrinus infantis, fieri possint *vernacula lingua*, quandocumque dictus patrinus latinam ignorat, an saltem interrogatio sermone latino facta, ut fert Rituale, illico in vulgarem transferri possit? » — S. Rit. C. 31 aug. 1867, in *Ambianen.* respondit: Negative ad utrumque, juxta Decretum in *Molinen.*, diei 12 sept. 1847 [3]: « Caeterum nihil obstat quominus lingua vernacula explicentur ea omnia, quae pertinent ad ipsum Sacramentum Baptismi. » Ita S. C. DE PROP. FIDE ad Vic. Ap. Siam. 30. apr. 1808 [4].

2° Si sacerdos baptizet, in casu necessitatis, extra ecclesiam, debet omittere omnes caeremonias, quae Baptismum praecedunt, etiamsi infans tamdiu victurus videatur. Collato autem Baptismo, ut supra, debet eum in vertice ungere chrismate si habeat, imponere vestem albam et candelam accensam praebere. — Cum autem convaluerit infans, praesentandus est in ecclesia; *ibique* supplendae sunt omissae caeremoniae, quae Baptismum praecedunt. Ita S. Rit. C. 23 sept. 1820, in *Colagurit* [5].

3° *Quaesitum fuit:* 1° Quaenam caeremoniae supplendae sunt super adultum *catholicum:* an illae, quae in Rituali assignantur pro Baptismo adultorum, vel pro Baptismo infantium? 2° Quaenam servandae sint pro adulto *haeretico* ad Fidem catholicam converso, cum baptizandus est sub conditione, ob dubium fundatum de validitate Baptismi? — Et respondit S. Rit. C. (27 august. 1836 in *Rhedonen.* sub 3 et 4): Ad 1. « Caeremoniae et preces serventur, quae in Rituali assignantur pro Baptismo infantium » Ad 2. « Quatenus supplendae sint, et supplendae credantur caeremoniae, ut in dubio, illae supplendae sunt, quae pro adultorum Baptismo sunt praescriptae [6]. »

« Pro ANGLIA data est facultas conferendi in hoc casu Baptismum sine caeremoniis, quod pro AMERICA, Episcopis anno 1866 petentibus negatum est. Videtur tamen in casu particulari, ex gravi causa, Episcopum dispensare posse ut liceat caeremonias omittere, ut conjeceris ex ipsa nota, quae adjecta est in Collectione *Gardell.* ad decretum modo citatum in *Rhedon.* [7]. »

4° *Ad quaesitum Episcopi Tunkinensis:* « An his locis, ubi non est ecclesia seu oratorium commune, liceat sacerdoti solemniter, i. e. adhibitis om-

[1] L. VI. 118. fin; cf. *Nouv. Revue théol.* tom. X. p. 149 et XI. p. 614. — [2] L. VI. 144. — [3] Gardellini, n. 5382. ad I. — [4] *Collectanea S. Sedis*, n. 273 et 274. — [5] Gardellini, ad n. 4572. — [6] Gardellini, n. 4780; cf. et *Collectanea S. Sedis*, n. 285; et Konings, n. 1264. II. — [7] Lehmkuhl, II. n. 69. not. 4°.

Digitized by Google

nibus caeremoniis et precibus in Rituali Romano praescriptis, baptizare liberos christianorum, in eorum domibus privatis? — S. C. Prop. die 21 jan. 1789, respondit: Non solum LICERE, sed DEBERE [1]. »

1489. — Quaesita. QUAER. 1° *Quomodo intelligenda sit prohibitio utendi* CHRISMATE VETERI, *seu alterius anni?*

Resp. Stricte sumenda est, quando chrisma novum habetur. Graviter igitur peccaret sacerdos, qui, chrismate recenti posthabito, veteri uteretur. — Licet autem, sive in ipso Baptismo, sive in benedictione Fontis Sabbato Sancto peragenda, uti chrismate anni praecedentis, cum chrisma recens haberi nequit. Nec differenda est caeremonia a Rituali Romano praescripta, usquedum nova olea recipiantur. Ex resp. S. R. C. in *Oriolen.* 23 sept. 1837 [2] (cf. n. 545. fin.).

QUAER. 2° *Quid notandum circa* NOMINIS *impositionem?*

Resp. Nomen generatim imponi debet: excipe, si urgeat mortis periculum et dubitetur de sexu. — Monet autem RITUALE ROMANUM: « Curet (parochus) ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius quatenus fieri potest Sanctorum. » — Unde, *prohibetur* solum imponere nomina obscoena, etc., et *consulitur* imponere nomina Sanctorum. — Nomina autem in Baptismate imposita licite mutari possunt in Confirmatione, imo et aliis temporibus, privata etiam auctoritate [3].

QUAER. 3° *Quid agere debeat minister* POST *Baptismum?*

Resp. Parochus debet: « 1° adnotare in Libro nomina baptizati ejusque parentum ac susceptorum; — 2° monere patrinos de cognatione contracta eorumque obligatione; — 3° inculcare matribus et nutricibus, ne decumbant cum infantibus ob periculum suffocationis. » — Si tamen « lectus est latus, puer implacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum » videtur periculum abesse [4].

1490. — *Nota.* Circa DESCRIPTIONEM in Libro haec etiam notentur: 1° Cum necessaria sit inscriptio Baptismi nominumque baptizati et patrinorum, ad fidem faciendam de existentia Baptismi et impedimenti cognationis, tenetur parochus sub gravi librum Baptismorum accurate scribere et servare. — 2° Si infans privatim domi valide baptizatus fuerit, vel in ecclesia sub conditione, ob dubium positivum de valore prioris Baptismi, praestat utrumque diligenter notare, [5]. — 3° Cauta esse debet inscriptio infantis illegitimi. De adulterino nulla est difficultas; nam, nisi constet de adulterio per sententiam judicis,

[1] *Analecta J. P.* ser. 8. col. 1703. n. 185. — [2] Gardellini, n. 4820; *Collectanea S. Sedis*, n. 289. — [3] L. VI. 145. — [4] L. VI. 160. — [5] De libris ex Rit. Rom. servandis vide Lucidi, *De Visit. SS. Liminum*, (ed. 3ª) tom. I. pag. 396; Mach, *Tesoro del sacerd.* Tr. XI. c. I.

Digitized by Google

standum est effato juris: « Ille est pater, quem nuptiae demonstrant. » Si natus est ex matrimonio mere civili, inscribatur ut talis, sine alia nota. Si naturalis est, a nemine agnitus, inscribatur natus *ab ignotis parentibus;* si agnoscitur a patre coram testibus, inseratur ejus declaratio, ab eo et testibus subscribenda; item de matre, si haec per se, aut scripta, aut per idoneos testes, infantem agnoscit ut suum — Ita Martinet [1].

Cum illegitimorum baptismus celebratur, non eaedem quam pro legitimis adhibendae sunt in extrinseco apparatu solemnitates (S. C. Conc. 31 jul. 1867) [2].

[1] *Th. mor.* L. 3. art. 3. n. 4. (tom. II. p. 334). — [2] Nouv. Revue théol. tom. XVII. pag. 229.

Digitized by Google

TRACTATUS III.
DE CONFIRMATIONE

Agendum: 1° de natura; 2° de ministro et subjecto; 3° de caeremoniis Confirmationis.

CAPUT I.

DE NATURA CONFIRMATIONIS

Dicemus: 1° de notione et effectu Confirmationis; 2° de materia et forma, quibus constituitur.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET EFFECTU CONFIRMATIONIS

1491. — DEFINITIO. Confirmatio, perfectio quaedam et consummatio Baptismi, sic definiri potest: Sacramentum a Christo institutum, quo per impositionem manuum et per unctionem chrismatis, sub certa verborum forma, factam in fronte baptizati, confertur gratiae sanctificantis augmentum, et singulare robur ad fidem firmiter tenendam et intrepide profitendam [1].

I. De fide est, contra Lutherum et Calvinum, Confirmationem esse verum et proprium Sacramentum. — Constat ex Tridentino, sess. 7. can. 1. *de Confirm.*: « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum: anathema sit. » — Evincitur etiam ex Scriptura (Act. 8, 15. 17), ubi legitur quod, cum Petrus et Joannes venissent ad credentes Samariae « oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. » Hic enim habetur: 1° *ritus exterior*, in manuum impositione et oratione; 2° *collatio gratiae*, quia accipiebant omnes Spiritum Sanctum; ergo gratiam sanctificantem: nam, non omnibus concedebantur gratiae gratis datae, ut constat ex 1. Cor. 7; 3° *institutio divina*, quae satis intelligitur ex effectu, cum solius divinae virtutis sit inanimatas res ad eam dignitatem efferre, ut gratiam in nobis producant.

[1] Cf. S. Th. 3. q. 72. — Pro praxi vid. *Analecta J. P.* ser. 1ª, p 293.

Digitized by Google

De TEMPORE, quo hoc Sacramentum *institutum fuerit*, existit inter Theologos controversia. — Communius tamen, institutum creditur in nocte Coenae, in qua Christus Dominus Apostolos chrisma conficere docuit; sicut colligitur ex traditione Apostolica, et ex praxi Ecclesiae consecrantis chrisma feria V in Coena Domini [1].

1492. — II. EFFECTUS Confirmationis sunt: 1° *Character*, quo adscribitur christianus militiae Christi. — 2° *Gratia sanctificans*, i. e. ejusdem gratiae augmentum cum augmento Donorum Spiritus Sancti; per accidens produci potest etiam prima gratia, ut dictum est (n. 1395). — 3° *Gratia sacramentalis*, quae est gratia perficiens et corroborans christianum ad intrepidam fidei et vitae christianae professionem adversus quoslibet fidei hostes et contra daemonis et mundi tentationes [2]. Unde D. Thomas [3]: « In hoc Sacramento, inquit, datur Spiritus Sanctus ad robur sicut Apostolis datus est in die Pentecostes. » — Habetur etiam, ex jure canonico, ut in Baptismo, effectus secundarius, nempe: 4° *Cognatio spiritualis*, quae contrahitur tum inter confirmantem et confirmatum hujusque patrem et matrem, tum inter patrinum et susceptum hujusque patrem et matrem. (cf. n. 1504, 1506).

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS

§. 1. *De materia.*

1493. — **Principia.** I. Materia Confirmationis REMOTA est chrisma ex oleo olivarum balsamoque confectum, et ab Episcopo benedictum. — Constat tum ex Concilio Florentino in decreto Eugenii IV, tum ex perpetua traditione usuque Ecclesiae. — Quare dicimus:

1° OLEUM est de necessitate Sacramenti, et quidem *ex olivis* expressum, ut docet *S. Thomas* [4], quia hoc est proprie oleum, per quod significatur gratia Spiritus Sancti, quae a Christo nostro Capite in nos effunditur.

2° BALSAMUM (quo designatur bonus odor Christi et immunitas a vitiorum corruptela) requiritur *de praecepto*, et probabilius etiam *de necessitate* Sacramenti. — Dicitur enim, confirmandos esse chrismate inungendos; atqui chrisma denotat oleum permixtum cum balsamo. Sententia tamen opposita est etiam probabilis: quare, in casu necessitatis, potest Confirmatio cum solo oleo, v. g. cum oleo

[1] L. VI. 161. — [2] Ib. 169. — [3] 3. q. 72. a. 7. c. — [4] Loc. cit. art. 2.

Digitized by Google

catechumenorum vel infirmorum, sed sub conditione, administrari. — Sufficit autem balsamum cujuscumque regionis, sive Palaestinum sive Indicum, modo sit in ea quantitate, ut det sui odorem, quamvis non misceatur cum singulis olei partibus [1].

3° Quod chrisma, de necessitate praecepti, BENEDICENDUM sit ab EPISCOPO, certum est, et constat ex perpetua praxi Ecclesiae. Utrum autem haec Episcopi benedictio sit de ipsa necessitate Sacramenti, disputatur quidem, sed communis et tutior, adeoque sequenda sententia affirmat, ex decreto Eugenii IV, ubi dicitur, materiam Confirmationis esse chrisma ab Episcopo benedictum. — Nec tamen improbabilis est sententia, quae docet balsamum posse etiam benedici a simplici sacerdote, de licentia Romani Pontificis. Chrisma autem debet, ex Ecclesiae praecepto, esse novum, idest illius anni. — Hinc, qui vetere utitur, peccat graviter; Summus tamen Pontifex, aliquando ab hoc praecepto dispensat, quando v. g. simplex sacerdos debet in regione longinqua confirmare [2].

1494. — II. Materia PROXIMA Confirmationis est unctio chrismatis per impositionem manus Episcopi facta. — Ita communius et verius. — Quia vero *duplex* in Confirmatione fit manuum impositio, *una*, quae praemittitur unctioni, et habetur cum Episcopus extendit manus super confirmandos, invocando Spiritum Sanctum; *altera*, quae est indistincta ab actione manus Episcopi inungentis frontem: ideo non desunt Theologi, qui cum Aureolo et Sambovio dicunt, primam impositionem, et non secundam esse materiam Confirmationis; dum alii cum Merbesio, Concina, etc. utramque necessariam esse contendunt. — Contra quos, *S. Alphonsus* in longiori dissertatione demonstrat certissimam, atque ideo, in praxi, tenendam sententiam esse tertiam, nempe sententiam S. Thomae, S. Bonaventurae, Bellarmini et aliorum, quae materiam adaequatam, totalem et necessariam Confirmationis omnino reponit in *chrismatione per manum Episcopi*, seu in impositione manuum, quae cum unctione chrismatis conjungitur [3].

Huc praesertim facit axioma *D. Augustini:* « quod universa tenet Ecclesia nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, apostolica auctoritate traditum rectissime traditur. » Jam vero, ex historia comprobatur chrismatis unctionem fuisse semper adhibitam in Ecclesia, tam Latina quam Graeca: quod idem dici nequit de illa prima manuum impositione. — Confirmatur ex Catechismo Romano, ex decreto Eugenii IV *ad Armenos*, et tandem ex Epistola Encyclica Benedicti XIV *Ex quo primum*, data ad Archiepiscopos

[1] L. VI. 162; H. A. XIV. 39. — [2] L. VI. 163; H. A. XIV. 40. — [3] Ib. 164.

Digitized by Google

et Episcopos ritus Graeci (an. 1750) ubi de sola unctione chrismatis manu Episcopi peracta fit mentio, tanquam de materia totali seu adaequata. Ex quibus omnibus concludit Sylvius, id esse de fide tenendum [1].

1495. — *Hinc infertur*: 1° Necesse non est, ad valorem Sacramenti, ut confirmandi adsint initio ritus, quando fit prima et generalis impositio manuum; nec in fine, dum Episcopus dat ultimam benedictionem: quia haec merae caeremoniae sunt.

2° Necesse est ad valorem Sacramenti, ut unctio fiat immediate per *manum* ministri, non mediante instrumento, v. g. penicillo; quia tunc deesset manus impositio, quae non est necessaria in Extrema-Unctione. — Item, essentiale est, ut ungatur confirmandus *in fronte*, ad ostendendum quod Christum non erubescit, et quidem *in forma crucis*, ut verificetur forma: « Signo te signo crucis, etc. [2]. »

3° Ex praecepto, debet unctio fieri *pollice dextro* Episcopi, ut praescribit PONTIFICALE. Valida tamen foret unctio si alio digito fieret, et etiamsi esset digitus manus sinistrae, quia fieret vere per impositionem manus Episcopi. Peccaret autem Episcopus, qui hoc sine necessitate faceret; quia recederet a praxi universalis Ecclesiae; quamquam non appareat, inversionem dictae caeremoniae pertingere ad culpam gravem.

4° Quoad *quantitatem* chrismatis, ea requiritur et sufficit, quae satis est ad ungendam frontem in forma crucis; unde, advertat Episcopus, ne chrisma in pollice deficiat [3].

§. 2. *De forma Confirmationis.*

1496. — Consequenter ad ea quae de materia diximus, haec de forma tenenda sunt:

I. FORMA Sacramenti Confirmationis consistit in his verbis, quae unctionem comitantur, scilicet: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* — Constat ex Catechismo Romano [4], ubi dicitur « hanc esse veram et absolutam hujus Sacramenti formam » et additur, quod « auctoritas Ecclesiae catholicae non patitur de ea re quidquam dubitare. » Eamdem formam tradit Eugenius IV in decreto *ad Armenos* [5].

« In hac autem forma, ut docet *D. Thomas*, adaequate omnia explicantur, quae in hoc Sacramento continentur, nempe SIGNUM militiae Christi, cum adscribuntur confirmati per illa verba, *signo te signo crucis;* EFFECTUS Sacra-

[1] Cf. Op. dogm. in Trid. sess. 7. n. 9-16. — [2] L. VI. 165. 166; H. A. XIV. 42. — [3] Loc. cit. — [4] *De Confirm.* n. 11 et 12. — [5] H A. XIV. 43.

Digitized by Google

menti, i. e. gratia roborans per illa verba, *Confirmo te chrismate salutis;* et CAUSA GRATIAE, nempe SS. Trinitas, per illa verba, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* [1]. »

II. Ad ESSENTIAM pertinent: verba *signo* et *confirmo;* expressio *Trinitatis* (quae a Graecis invocatur prius); verbum *te;* item *signo crucis, chrismate salutis.*

Mutatio esset ACCIDENTALIS, si diceretur *corroboro* pro *confirmo,* vel *sanctificationis* pro *salutis.*

Forma Graecorum est: *Signaculum doni Spiritus Sancti:* in qua, juxta illius linguae indolem, subintelligitur *ecce,* vel *datur tibi.* Quae forma utique valida est, uti declaravit Urbanus VIII [2].

CAPUT II.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

1497. — I. Minister Confirmationis ORDINARIUS est solus Episcopus. — Est de fide, contra Photium, Graecos hodiernos, etc., ut constat ex Tridentino, sess. 7. can. 3. *de Confirm.:* « Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: anathema sit. » — Attamen:

II. Simplex sacerdos potest esse minister EXTRAORDINARIUS Confirmationis ex concessione S. Pontificis. Constat ex Decreto *ad Armenos,* ubi sic Eugenius IV: « Legitur tamen aliquando, per Apostolicae Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. — Constat etiam ex praxi et auctoritate plurium Pontificum, speciatim Benedicti XIV, qui Bulla *Eo quamvis tempore* indulsit, ut sacerdotes missionarii darent Cophtis, in casu necessitatis, Confirmationem [3]. — Insuper, presbyteri Ecclesiae Graecae, ex consuetudine, inungunt, statim post collatum Baptismum, pueros sacro chrismate, quod a SS. Pontificibus non reprobatur. — Unde dicendum est, sacerdotes per Ordinationem incomplete et inchoative potestatem hanc accipere, illamque completam fieri ac perfici per delegationem S. Pontificis, sive expressam, uti requiritur apud Latinos; sive tacitam, ut conceditur ex prudentia apud Graecos [4].

[1] L. VI. 167. — [2] Ibid. 169. — [3] Et recentissime, grassante in Neapoli *morbo asiatico,* concessa est Archiepiscopo facultas delegandi sacerdotes, qui hoc Sacramentum moribundis ministrarent (*Monit. eccles.* 30 sett. 1884). — [4] L. VI. 170; H. A. XIV. 44.

Digitized by Google

Diximus *ex concessione S. Pontificis;* nam neque ad liceitatem, neque ad valorem Sacramenti, sufficit sola Episcopi delegatio; ut probat Benedictus XIV [1], qui hujusmodi concessionem actum esse affirmat supremae illius potestatis, quam Christus Dominus suo Vicario in terris commisit.

1498. — QUAERITUR. *Quale peccatum committat Episcopus non confirmando suos, aut confirmando extraneos?*

Resp. 1° Peccat graviter omittendo, longo temporis spatio, v. g. per octo vel decem annos, Confirmationem suorum. Ratio est, quia privat ingenti fructu eos, quorum bono, ex officio, consulere debet. Hinc, nisi morali impotentia excusetur, tenetur, et quidem propriis expensis, suam dioecesim circumire, saltem loca praecipua, ad conferendam Confirmationem. — Cum tamen hoc Sacramentum non sit absolute necessarium, ut infra (n. 1501) dicetur, non videtur teneri illud conferre peste affectis, nec cuilibet moribundo illud petenti. Gravis enim incommoditas eum excusat, sicut et communis praxis [2].

Resp. 2° Episcopus confirmans *in dioecesi non sua*, sive alienos, sive suos subditos, sine consensu Episcopi dioecesani, peccat graviter et incurrit suspensionem a Pontificalibus ipso jure latam, ex Tridentino, sess. 6. cap. 5. *de Ref.* (cf. n. 1368). — Quod si extraneos confirmat in sua dioecesi, id est *per se* illicitum; sed, ex usu communi, consensus eorum Episcopi praesumitur [3].

CAPUT III.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS

1499. — I. VALIDE confirmantur omnes et soli baptizati nondum confirmati. — Constat tum ex dictis de natura Sacramenti, tum ex usu et traditione Ecclesiae (cf. n. 1432 et 1433).

Hinc inferes: 1° Confirmandi sunt *moribundi*, ut in resurrectione perfecti appareant, et animose cum diabolo pugnare possint, praesertim circa fidem, si forte indigeant [4].

2° Valide et licite confirmantur *perpetuo amentes;* licet enim nunquam videantur spiritualiter pugnaturi, id tamen per accidens contingit. — Caeterum, fieri potest ut aliquo saltem fruantur lucido intervallo, quo tantum auxilium eis proderit ad salutem [5].

3° Valide confirmantur *infantes* nondum usum rationis adepti; quia corporalis aetas non praejudicat animae, ideoque sicut potest

[1] *De Synodo*, lib. 7. cap. 8. — [2] L. VI. 175. — [3] Ib. 172. 173; H. A. XIV. 45. — [4] Scavini, L. III. 95. — [5] L. VI. 180; H. A. XIV. 49. fin.

Digitized by Google

senex spiritualem nativitatem consequi per Baptismum, ita puer vel infans potest per Confirmationem consequi perfectam aetatem spiritualem. Ita S. Thomas [1].

Utrum licite, QUAERES, *confirmentur infantes nondum usum rationis adepti? — Resp.* Regulariter id illicitum est, prout declaravit Benedictus XIV [2]. — Usus enim contrarius invaluit in Ecclesia Romana, tum ob reverentiam Sacramenti, tum ad vitandum periculum iterationis, tum denique ut suscipientes intelligant, se per Baptismum fuisse quidem ad christianam militiam acceptos, per Confirmationem vero fuisse ad pugnam roboratos, et ad perferendos agones per gratiam instructos. « Quare, si *duodecimus* annus expectandus non videatur, usque ad *septimum* certe hoc Sacramentum differre maxime convenit [3]. » — Diximus *regulariter;* quia licite confirmantur ante usum rationis, si justae accedunt causae, v. g. periculum mortis, diuturna Episcopi absentia, legitima consuetudo, etc.

4° Dubitans an sit confirmatus, potest sub conditione confirmari: sed requiritur majus dubium quam pro Baptismo; et ad id non tenetur, qui est probabiliter confirmatus, etiamsi sit ordinandus [4].

1500. — II. Ut adultus LICITE Sacramentum Confirmationis suscipiat, praeter conditiones ad validitatem apponendas, requiritur in eo: — 1° *Status gratiae*, quia Confirmatio est Sacramentum vivorum. Hinc Pontificale Romanum: « Adulti debent prius peccata confiteri et postea confirmari, vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur. » Indignis confertur quidem character, sed non gratia [5]. — 2° *Cognitio rudimentorum fidei*, praesertim eorum quae sunt de necessitate medii, et quae spectant ad suscipiendum Sacramentum. — 3° Ex jure videtur etiam requiri, ut tum confirmans, tum confirmandus sint *jejuni;* sed AA. id de consilio esse dicunt, vel si praeceptum sit, non obligare sub gravi, vel non esse receptum, vel contraria jam cessasse consuetudine [6].

1501. — QUAERITUR. *An sit* OBLIGATIO *suscipiendi Sacramentum Confirmationis?*

Resp. Sacramentum Confirmationis non est necessarium *necessitate medii* ad salutem. Id omnes confitentur, et ratio est, quia per solum Baptismum haberi potest gratia sanctificationis et vita aeterna. — Est autem, absque dubio, necessarium *necessitate prae-*

[1] 3. q. 72. a. 8; L. VI. 177. 178. — [2] Const. *Eo quamvis*. — [3] Catech. Rom. *De Sacra Confirm.* — [4] L. VI. 178; H A. XIV. 48; cf. *Collectanea S. Sedis*, n. 300. — [5] L. VI. 179. — [6] Ib. 174; H A. XIV. 50. 4°.

Digitized by Google

cepti, quoties, ex omissione ipsius, vel haberetur Sacramenti contemptus, vel oriretur grave scandalum, vel certe immineret animae periculum amittendi fidem aut charitatem, v. g. in locis, in quibus persecutiones contra Catholicos ingruunt. Ita communiter. — *Quaestio autem est an sit obligatio* PER SE *suscipiendi hoc Sacramentum ?* — Alii quidem cum D. Thoma [1] *negant*, ullum de hac re existere praeceptum, sive naturale, sive positivum, saltem sub gravi. — Alii autem verius *affirmant* cum S. Antonino et S. Bonaventura; et dicunt gravem esse obligationem, ex praecepto divino, suscipiendi hoc Sacramentum, saltem decurrente vita, et data opportunitate. Ratio est quia, eo ipso quod Christus Dominus illud instituerit, tanquam peculiare remedium ad retundendos hostium impetus, praecipue contra fidem, profecto talem ei gratiam sacramentalem adnexit, quae omnibus maximi est auxilii et utilitatis. Jam vero tanto bono sponte se privare repugnat graviter charitati et curae salutis; ergo, in charitatem erga seipsum manifeste peccat, qui, nullo detentus impedimento, negligit confirmari [2].

At vero, haec gravis obligatio praecipue probatur ex declaratione BENEDICTI XIV in Bulla *Etsi pastoralia*, de ritibus et dogmatibus Graecorum. Sic enim loquitur (§. 3. n. 4): « Monendi sunt (qui non sunt confirmati) ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt. » — Consonat RIT. ROM., in cujus novissima Appendice [3] haec leguntur: « Etsi hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen, sine gravis peccati reatu, *respui* non potest ac *negligi*, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio ». Unde, sententia negans non videtur remanere probabilis [4].

CAPUT IV.

DE CÆREMONIIS CONFIRMATIONIS

1502. — Caeremoniae Confirmationis aliae *antecedunt*, aliae *comitantur*, aliae *subsequuntur* hujusce Sacramenti collationem. Cum in Pontificali praescribantur, dicendum est eas, in genere, obligare sub gravi, ita ut certe mortale esset eas omnes omittere [5]. — Ita communiter.

Agemus speciatim: 1° de patrino; 2° de aliis caeremoniis.

[1] In 4. dist. 7. q. 1. a. 1. ad 2^{am}. — [2] L. VI. 181-182. — [3] Instr. pro simplici sacerdote ex decreto S. C. DE PROP. FIDE, 4. maji 1774. — [4] L. VI. 182; H. A. XIV. 47; cf. Op. dogm. in Trid. sess. 7. n. 17; *Inst. Catech.* p. 2. c. 3. n. 4. — [5] L. VI. 184.

Digitized by Google

1. — *De Patrino.*

1503. — I. Requiritur PATRINUS, et quidem sub gravi, ut communiter docetur. « Qui accipit hoc Sacramentum, ait S. Thomas [1], ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. » — Attamen, si patrinus haberi non posset, liceret sine eo conferre Confirmationem [2].

1504. — II. Ut quis VALIDE sit patrinus, necesse est: 1° Ut sit rationis compos, quamvis adhuc impuber. — 2° Ut sit ab ipso confirmando, vel si iste puer sit, a parentibus, aut saltem ab Episcopo, designatus. — 3° Ut confirmandum physice tangat; sive iste, juxta rubricam Pontificalis, ponat pedem suum super pedem dextrum patrini sui; sive ille, juxta probatam consuetudinem, manum dextram super dextrum humerum confirmandi mittat (S. Rit. C., 20 sept. 1749 in *Laurin*) [3]. — 4° Ut sit ipse confirmatus; nam in Pontificali Romano habetur: « Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in Confirmatione patrinus. » Quod intelligitur, non solum de prohibitione gravi, ut certum est apud omnes; sed probabilius etiam de nullitate actus. Et id, saltem pro praxi, tutum est ex declaratione S. C. C., quae in *Lycien.* 13 junii 1654 edixit: « Non confirmatum non contrahere cognationem spiritualem [4]. »

« Verum, quia contingere potest, ut in locis Missionum nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur, in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini caeterorum esse poterunt. » — Instr. S. C. PROP. FIDE, 4 maji 1774.

1505. — III. Ut quis LICITE sit patrinus, requiritur praeterea: 1° Ut sit unus tantum, vel una, ex jure canonico; – 2° diversus a patrino Baptismi, nisi adsit justa causa in contrarium; — 3° ejusdem sexus, ac ipse confirmandus (nec minor annis quatuordecim, ex cit. Inst. S. C. PROP. FID. 4 maii 1774); — 4° non sit Religiosus vel Monialis, nisi persona confirmanda sit pariter regularis, ex jure canonico; — 5° nec pater, aut mater, maritus, aut uxor confirmandi, ex Pontificali Romano; — 6° non excommunicatus, interdictus, gravioribus facinoribus contaminatus, vel fidei rudimentorum ignarus, ex eodem Pontificali [5].

1506. — *Nota.* 1° Invaluerat olim usus in Dioecesi Fesulana (*Fiesole*), ut unus patrinus pro omnibus masculis, et una matrina pro omnibus feminis a parocho, vel ab Episcopo deputaretur. Ex quo cum evenisset, ut filii spirituales, ut plurimum, non cognoscerent patrinos, nec patrini filios spirituales: propositum est sequens dubium: *An et quomodo probandus sit usus Fesulanae dioecesis*

3. q. 72. a. 10. — [2] L. VI. 185. — [3] Gardellini, n. 4205. ad 8. — [4] Pignatelli, tom I. consult. 10; cf. Lucidi, tom. I. p. 187. n. 142; Berengo, *Theol. past.* n. 93. — [5] H. A. XIV. 51.

Digitized by Google

in casu? Et S. C. Conc., 12 julii 1823, respondit [1]: « Non esse probandum, sed tolerandum in casu necessitatis ab Episcopo judicandae, ad formam Pontificalis Romani. » Forma autem haec est: « Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi. » — Si Episcopus velit non tantum ministri, sed etiam patrini officium gerere, gerat officium patrini per procuratorem (S. Rit. C., 14 junii 1873 in *Policastren.*) [2].

2° Circa cognationem spiritualem, quae in hoc Sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus [3]: *Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* » Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis, qui ad Tridentina statuta servanda adstringuntur. Caeteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti, hac in parte, se conforment. » Ita Instr. S. C. Prop. Fid. 4 maii 1774. (cf. n. 2021).

2. — *De aliis Caeremoniis.*

1507. — *Notentur sequentia:* 1° Sacramentum Confirmationis potest conferri minus solemniter, quocumque die, hora et loco, ex justa causa, ad arbitrium Episcopi. — Ministrare autem hoc Sacramentum, absque causa, extra ecclesiam vel sacellum, a veniali excusari nequit [4].

2° « Episcopus debet esse indutus amictu super rochetum (vel superpelliceum, si sit Religiosus), ac stola, pluviali albi coloris, mitra et baculo. » Et, juxta veriorem sententiam « mortale est omittere omnia praedicta instrumenta, cum ipsa pertineant ad reverentiam Sacramenti; secus, si aliquod tantum omittatur, quia id non videtur esse materia gravis [5]. » Usus tamen Pontificalium prohibetur simplici sacerdoti hoc Sacramentum ex concessione S. Pontificis administranti, nisi speciale privilegium habeat [6].

3° Cereum et alapam omittere non excedit veniale.

4° Licet mutare nomen in Confirmatione [7]. — Imo, « si quis turpe nomen vel christiano homini non conveniens haberet, aliud in Confirmatione assumat. » Ex Instr. S. C. Prop. Fid., 4 maii 1774.

5° Post unctionem, fasciâ lineâ frons cingenda esset, ex Pontificali; sed nunc, abstersio frontis, ejus loco, invaluit.

6° Benedictio omnibus datur ab Episcopo in fine: quae tamen caeremonia omitti solet, sicut et monitio, ne antea discedant, quando magnus est concursus confirmandorum [8].

7° Parochus confirmatorum et patrinorum nomina in Libro adnotet: tum ad detegendas cognationes spirituales, tum propter sacrorum Ordinum susceptionem [9].

[1] *Thesaur. Resol.* tom. 84. p. 167. — [2] Gardellini, n. 5555. — [3] Sess. 24. *de Ref. Matrim.* cap. 2. — [4] L. VI. 174. 184. — [5] Ibid. 184. — [6] Decr. S. C. Prop. Fid. 23 apr. 1774 in novissima Append. Rit. Rom. — [7] L. VI. 145. — [8] L. VI. 188. — [9] Ibid.; et H.A. XIV. 52.

Digitized by Google

TRACTATUS IV.
DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

1508. — « Ex omnibus sacris mysteriis, quae nobis tanquam gratiae certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, nullum est, quod cum sanctissimo EUCHARISTIAE Sacramento comparari queat [1], in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum. [2] »

Cur autem hoc augustissimum Sacramentum institutum fuerit, duas potissimas causas affert Catechismus Romanus, inquiens: « Altera est, ut coeleste animae nostrae ALIMENTUM esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus; altera, ut Ecclesia PERPETUUM SACRIFICIUM haberet, quo peccata nostra expiarentur, et coelestis Pater, sceleribus nostris saepe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justae animadversionis severitate ad clementiam traduceretur [3]. »

Exinde patet, hunc tractatum apte in duas dissertationes dividi: quarum prior tractabit de Eucharistia prout est *Sacramentum*, posterior prout est *Sacrificium*.

DISSERTATIO I.
DE SS. EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM

In hac dissertatione agendum est: 1° de natura Eucharistiae; 2° de Ministro; 3° de Subjecto; 4° de asservatione et cultu Eucharistiae.

CAPUT I.
DE NATURA EUCHARISTIÆ

Naturam Eucharistiae in duplici articulo investigabimus. Sermo erit in 1° de ejus notione et effectu; in 2° de ejus constitutivis, i. e. de ejus materia et forma.

[1] *Catech. Rom* p. 2 cap. 4. n. 1. — [2] Trid sess. 13. cap. 2. — [3] Loc. cit. n. 70.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET EFFECTU EUCHARISTIÆ

1509. — DEFINITIO. Eucharistia (i. e. bona gratia) est Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum [1].

Dicitur 1° *est Sacramentum;* « etenim, in eo sunt signa externa et sensibus subjecta; habet deinde gratiae significationem et efficientiam; praeterea, de Christi institutione neque Evangelistae [2], neque Apostoli [3] dubitandi locum relinquunt [4]. »

Dicitur 2° *corporis et sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini:* Tridentina enim Synodus docet « in almo sanctae Eucharistiae Sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri [5]. »

Dicitur 3° *ad spiritualem animae refectionem divinitus institutum:* quibus verbis principalis hujus Sacramenti effectus exprimitur. Nam « quemadmodum terrenus panis nutrit corpus, ita panis coelestis nutrit animam, facitque ut in divino excrescat amore [6]. »

1510. — Cum igitur SS. EUCHARISTIA tum corpore Christi constet, tum speciebus, sub quibus Christi corpus latitat, si quaeratur in quo praecise hujus Sacramenti essentia sita sit, respondet *S. Alphonsus:* « Plures sunt sententiae, sed duae magis receptae. — Alii dicunt essentiam Eucharistiae *in recto* consistere in panis et vini speciebus; et corpus Christi tantum *in obliquo*, i. e. tanquam quid extrinsece connotatum, ad Sacramentum pertinere. — Alii dicunt, *in recto* consistere aeque in speciebus ac in corpore Christi. — Utraque sententia est probabilis [7]. »

Si vero quaeratur, QUO MODO Corpus Christi praesens fieri incipiat, dicendum est, ipsum praesens fieri nec per productionem ex nihilo, nec per adductionem de coelo, sed « per conversionem totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis ejus; quae conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia TRANSUBSTANTIATIO est appellata [8]. »

1511. — **Principia.** I. Totus CHRISTUS sub utraque specie, et sub quavis utriusque speciei parte, REALITER PRAESENS est. — Prima propositionis pars est de fide; item secunda, si de separatis specierum partibus intelligatur [9]. Si autem intelligatur de partibus continuis, ante separationem factam, est certa, et omnino tenenda [10].

[1] L. VI. 189. — [2] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; Luc. 22, 19. — [3] I. Cor. 11, 24. 25. — [4] *Catech. Rom.* p. 2. c. 4. n. 7. — [5] Trid. sess. 13. c. 1. — [6] *Inst. catech.* p. 2. c. 4. n. 3. — [7] L. VI. 189. 190. — [8] Trid. sess. 13. cap. 4. — [9] Ib. sess. 13. cap. 3. et can. 3. — [10] Cf. Lugo, *De Euchar.* Disp. 7. sect. 3.

Digitized by Google

Apposite ad rem sic TRIDENTINUM CONCILIUM: « Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, *verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem, sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate existere;* sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro, propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. — Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit [1]. »

Christus igitur EXISTIT in Sacramento MODO singulari et prorsus ineffabili, quem *D. Thomas* sic exprimit: « Corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiae, i. e. per modum, quo substantia est sub dimensionibus... Manifestum est autem, quod natura substantiae tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis. Et hoc indifferenter, sive sint dimensiones actu divisae (sicut cum aër dividitur, vel panis secatur), vel etiam sint actu indivisae, divisibiles vero potentia [2].

Atque hinc est, cur aliqui doceant totam *specificam* hujus Sacramenti rationem salvari in sola specie panis aut vini, seorsim sumpta. Probabilis est quidem haec sententia; sed opposita est probabilior, cum solum per utramque speciem significetur CONVIVIUM seu *refectio cibi et potus,* in qua consistit ratio specifica seu essentia hujus Sacramenti [3].

QUAERITUR. *Unde sumatur* UNITAS NUMERICA *hujus Sacramenti?*

Resp. Alii dicunt sumi ab unitate corporis Christi; alii a physica continuatione partium ipsarum specierum; alii demum, et probabilius, a *morali conjunctione* quam habent species, dum per modum unius proponuntur aut sumuntur. — Unde, si diversae species consecratae, vel plures partes ejusdem speciei, eodem tempore et in eodem altari proponuntur, vel eidem personae ministrantur, *unum* erit Sacramentum; si vero eaedem species dividuntur, et in diversis proponuntur altaribus, vel diversis personis, aut eidem diversis vicibus moraliter distinctis ministrantur, *diversa* erunt Sacramenta [4].

1512. — II. Eucharistia est Sacramentum PERMANENS. « Illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est; nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse, quod praebebat [5]. »

QUAER. *Quandonam Christi corpus* DESINAT *esse sub speciebus?*

Resp. Desinit, ubi tanta facta est specierum immutatio, quanta

[1] Sess. 13. cap. 3. — [2] 3. p. q. 76. a. 3. — [3] L. VI. 191. q. 1; cf. Laymann, L. V. Tr. 4. c. 1. n. 2. — [4] L. VI. 191. q. 2. — [5] Trid. sess. 13. cap. 3.

Digitized by Google

fieri debuisset, ut substantia panis et vini in speciebus non consecratis corrumperetur [1].

Hinc: 1° Si modicum vini consecrati misceatur cum vino alio, saltem ejusdem speciei (uti fit in prima ablutione) non desinit ibi esse Christus. — Si vinum est valde diversum, disputatur utrum ex specierum permixtione talis immutatio exoriatur, quae sufficiat ad destruendam consecrati vini substantiam. Attamen, in hoc dubio, tenendum est species non esse corruptas. — Si autem vino consecrato admisceatur liquor alterius speciei, v. g. aqua, in tanta copia, ut vini accidentia corrumpantur (ita nempe ut non posset, si adesset, vini substantia conservari), Christus sub illis speciebus adesse desinit [2].

2° Species, in suscipiente Sacramentum, citius tardiusve consummantur pro majori vel minori vi digestiva. Communiter tamen, in homine sano, species corrumpi censentur, saltem post quadrantem a Communione, etiam in sacerdote [3]. — Secus in *aegroto*, qui etiam post horam species plane incorruptas rejicere potest.

3° « Species per vomitum rejectae, si tales sint, ut sub illis panis vel vinum possit existere, vere sunt adorandae; et si iterum sumantur, iterum conferre gratiam, docet Card. de Lugo [4]. »

1513. — III. EFFECTUS Eucharistiae est NUTRITIO animarum per charitatis perfectionem. — Illud quidem SS. Eucharistia cum caeteris Sacramentis vivorum commune habet, ut conferat AUGMENTUM GRATIAE (non autem gratiam primam nisi per accidens, ut supra dictum est n. 1395). Effectus autem ejus *proprius* est, ut hoc gratiae augmentum importet ad reficiendam animam, nempe ad fovendam charitatem, perficiendamque UNIONEM cum Christo, sicut ipse promisit apud Joan. 6, 57, inquiens: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. »

Cum autem almum hoc Sacramentum rationem CIBI habeat, « ideo, omnem effectum, quem cibus et potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem (quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat) hoc totum facit hoc Sacramentum, quantum ad vitam spiritualem. » Ita *S. Thomas* [5].

EFFECTUS igitur Eucharistiae in ANIMA, praeter *augmentum gratiae,* praecipui sunt sequentes [6]:

1° REMISSIO VENIALIUM (*reparat*); hoc enim Sacramentum, juxta Tridentinum [7] « est *antidotum*, quo liberamur a culpis venialibus, et a peccatis mortalibus praeservamur. » — « Putant autem Salmanticenses cum aliis Com-

[1] L. VI. 225. — [2] Ib. 229. — [3] Ib. 225. — [4] Ib. 223. — [5] 3. p. q. 79. a. 1. — [6] L. VI. 269; cf. S. Bonav. in 4. Sent. Dist. 12. a. 1. q. 3. — [7] Sess. 13. cap. 2; cf. S. Th. 3. q. 79. a. 4.

Digitized by Google

munionem ex se delere venialia ex opere operato, per ipsam gratiae infusionem, qua anima reficitur. Sed melius dicit Tournely Sacramentum non immediate ex se, sed mediante actu charitatis, quem in anima excitat, delere venialia [1]. » Et eodem modo remittit *poenam temporalem* debitam pro peccatis.

2° PRAESERVATIO A MORTALIBUS (*sustentat*); ut constat ex laudatis Tridentini verbis. Praeservat autem nos Eucharistia a morte animae, per auxilium gratiae sacramentalis, qua excitatur devotio, fortius resistitur tentationibus, fugantur daemones, etc. — Imo, graves auctores asserunt ex Eucharistiae susceptione animam ejusmodi *externa protectione* muniri, ut Deus non permittat eam versari in occasionibus, in quibus esset in peccatum prolapsura [2].

3° INCREMENTUM VIRTUTUM (*auget*); nam, sicut corpus per cibum naturalem non solum conservatur, sed etiam increscit: ita similiter anima per cibum supernaturalem, i. e. Eucharistiam, non solum sustentatur, verum etiam corroboratur et ditescit copia gratiarum, quibus omnium virtutum, praesertim charitatis, exercitium magis magisque promovetur.

4° SUAVITAS SPIRITUALIS (*delectat*); et hic quidem effectus est infallibilis, nisi ob suscipientis culpam praepediatur. — Consistit autem haec suavitas in quadam alacritate voluntatis peragendi omnia, quae Deo grata acceptaque esse cognoscuntur (cf. n. 536).

5° ADEPTIO GLORIAE, juxta illud Christi (Joan. 6, 59): « *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* » « Hujus videlicet Sacramenti gratia fideles, dum hanc vitam degunt, summa conscientiae pace et tranquillitate perfruuntur: deinde, ejus virtute recreati, non secus atque Elias, qui subcinericii panis fortitudine ambulavit usque ad montem Dei Horeb, cum ex vita emigrandi tempus advenerit ad aeternam gloriam et beatitudinem ascendunt [3]. »

1514. — Nec ad solam animam, sed etiam ad ipsum CORPUS, sicuti Patres docent, Eucharistiae effectus extenduntur. Sunt autem sequentes:

1° SEDATIO CONCUPISCENTIAE, fomitisque peccati. Hanc autem sedationem operatur Eucharistia partim daemones fugando, ne excitent turpis objecti species, partim reprimendo humorum vires, mitigando ardorem, etc. [4].

2° Futura corporis RESURRECTIO ET GLORIA, ob specialem titulum, nempe propter unionem corporum nostrorum cum vivifica Christi carne, quae est causa nostrae resurrectionis, sicut promisit Christus, dicens apud Joan. 6, 55: « Ego resuscitabo eum in novissimo die. »

QUAERITUR. *Utrum Eucharistia, quatenus est Sacramentum,* ALIIS *quam sumentibus prodesse possit?*

Resp. 1° Non potest prodesse DIRECTE et *ex opere operato;* quia instituta est per modum cibi; cibus autem non prodest nisi sumenti. — 2° Potest prodesse INDIRECTE et *ex opere operantis,* tum viventibus per modum impetrationis, tum defunctis per modum satisfactionis et suffragii, si nempe communicans, in eorum gratiam, hunc religionis actum Deo offerat. Adde, quod *preces* quae Communionem comitantur aut subsequuntur, sunt Deo magis acceptae, quam quae alio tempore funduntur. — Unde S. INDICIS Congregatio, sub Innocentio X, damnavit [5] librum Theophili Raynaudi, qui impugnabat morem *pro defunctis* communicandi. Vide AA. dogmaticos.

[1] H. A. XV. 5. — [2] Salmant. *de Euch.* c. 6. n. 30. — [3] *Catech. Rom.* p. 2. c. 4. n. 51. — [4] Lugo, *de Euch.* Disp. 12. n. 100. — [5] Decreto 18 dec. 1646.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ

§. 1. *De materia Eucharistiae.*

1515. — « Sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, *proxima* nempe et *remota,* ita etiam hic, sed ordine inverso: nam in aliis, materia remota est res permanens; proxima vero ejus usus, qui transit: hic vero remota transit, et proxima remanet, scilicet species panis et vini [1]. » Et quoniam, pro praxi, *de remota solum* tractandum est, i. e. de illa quae, per consecrationem, transit in corpus et sanguinem Christi, agemus: 1° de materia remota in genere; 2° de materia panis; 3° de materia vini; 4° de conditionibus requisitis ad consecrationem ex parte materiae.

I. — De materia remota in genere.

1516. — Principia. I. Materia Eucharistiae est PANIS et VINUM. — Est de fide, ex definitionibus Concil. Florentini [2], Lateranensis IV [3] et Tridentini [4]. Ratio est, quia Christus, instituendo hoc Sacramentum, adhibuit panem et vinum, idemque suos Apostolos facere jussit [5].

1517. — II. Utraque materia, panis scilicet et vinum, REQUIRITUR ad conficiendum LICITE Sacramentum. — « Certum est, necessarium esse de necessitate praecepti consecrare Eucharistiam sub utraque specie, ut docet *S. Thomas* [6] cum aliis communiter... Unde commune ac certum est apud omnes, nec etiam in articulo mortis licitum esse consecrare unam speciem, ad Viaticum infirmo porrigendum [7]. »

Quod autem hoc praeceptum non tantum ecclesiasticum sit, sed etiam divinum, « patet ex Trid. sess. 22. cap. 1, ubi dicitur, Christum praecepisse sacerdotibus, ut corpus suum offerrent non aliter quam sub utraque specie. — En verba Concilii: « Christus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem *(nota)* rerum symbolis Apostolis, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent praecepit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem;* ut semper catholica Ecclesia intellexit et docuit [8]. »

[1] L. VI. 194. — [2] *Decret. ad Armen.* — [3] Cap. *Firmiter*, I. 1. 1. — [4] Sess. 13. cap. 3 et Sess. 22. cap. 1. — [5] Matth. 26, 26. sqq. — [6] 3. p. q. 80. a. 12. ad 3. — [7] L. VI. 196. — [8] Ib. dub. 1.

Digitized by Google

An vero S. Pontifex DISPENSARE possit, ita ut in una tantum specie consecrare liceat, *controvertitur*. Communiter autem AA. negant, tum quia Ecclesia nequit divinam institutionem mutare, in modo conficiendi Sacramenta et offerendi Deo Sacrificium, tum quia improbabile non est, extra sacrificium non fieri Sacramentum; unde non potest sententia affirmans in praxim deduci, et « Ecclesia in hoc praecepto nunquam dispensavit, nec unquam dispensabit [1]. »

1518. — QUAERITUR. *An consecratio unius speciei sine altera sit* VALIDA?

Resp. 1° Nemo dubitat, quin valida sit, si id *casu* accidat, v. g. si quis per errorem aquam pro vino consecrasset. — 2° Si sacerdos autem positivam haberet intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera, *disputatur*. « Negat Lugo, quia, ut ait, ratio Sacramenti nequit dividi a ratione sacrificii...: alii vero communiter affirmant, quia, in omni Sacramento, semper ac minister formam profert super materiam, cum debita intentione, perficit Sacramentum. Haec sententia est quidem valde probabilis; sed opposita non videtur improbabilis [2]. »

II. — De materia panis.

1519. — Principia. I. Materia VALIDA Eucharistiae pro prima consecratione est solus PANIS TRITICEUS et USUALIS; qualis nempe, morali hominum judicio, censetur ille tantum, qui ex farina triticea, et aqua naturali mixtus, et igne coctus, sive assus, atque in sua specie incorruptus est: quia hic solus simpliciter dicitur PANIS. — Constat ex Decreto Eugenii IV, ubi dicitur de Eucharistia: « cujus materia est *panis triticeus*, et vinum de vite; » et ex Rubricis Missalis, ubi legitur: « Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacramentum [3]. »

Perinde est ad *valorem* Sacramenti, sive panis sit azymus, sive fermentatus. — Ex praecepto tamen Ecclesiae, quod obligat sub gravi, Latini *azymo*, Graeci *fermentato* uti tenentur [4].

Hinc: 1° Defectu *farinae triticeae*, INVALIDA materia est panis ex oryza, avena, milio et similibus granis: haec enim differunt specie a tritico, juxta communem aestimationem. Materia DUBIA esset panis ex farre seu spelta; item, ex siligine seu secali. — Permixtio alienae substantiae in quantitate notabili, puta in quantitate coaequali vel quasi coaequali, reddit materiam invalidam.

[1] L. VI. 196. dub. 2. — [2] Ib. dub. 3. et n. 197. — [3] L. VI. 198. — [4] Ib. 202.

Digitized by Google

2° Defectu *aquae naturalis*, INVALIDA materia est panis subactus ex oleo, butyro, lacte, ovis, saccharo, aliove liquore; quia non esset panis usualis. — Admixtio aquae artificialis reddit materiam saltem *dubiam*.

3° Defectu *praeparationis*, INVALIDA foret massa triticea cruda, per calorem solis indurata, vel non cocta per modum panis, sed frixa, vel elixa ad modum placentae [1].

1520. — II. Materia, etsi valida, ILLICITA est, si non sit congruens et ad praescriptum Ecclesiae confecta. — Jam vero,

1° Panis non esset congruens, si v. g. aliquot grana, vel guttae alterius speciei cum tritico et aqua miscerentur, etsi triticum et aqua multum praedominarentur. — Item incongruens, seu illicitus foret panis *mucidus*, qui jam tendit ad corruptionem. « Hoc esset, ait S. Alphonsus [2], si sapor aliqualiter mutaretur, et tunc esset mortale illo uti. » — Quapropter, advigilandum est, ut hostiae ac particulae sint *recentes* (ab uno mense, ad summum, confectae). Sacra enim Rituum Congregatio [3] damnat, tanquam ingentem abusum, consuetudinem consecrandi hostias, quae a tribus quatuorve mensibus forent confectae. — Nec solum recentes esse debent, sed etiam *integrae* ac *nitidae*. Attamen « secluso scandalo, est tantum veniale, sine rationabili causa, consecrare hostiam fractam vel maculatam; nisi fractura vel macula esset enormis; tunc enim esset mortale. Si tamen fractura deprehendatur post oblationem, licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur [4]. »

2° Ad FIGURAM panis quod attinet, requiritur penes Latinos hostia *orbicularis*, pro celebrante major, in qua crucis signum sit expressum, ut constans est Ecclesiae consuetudo [5]. — Si major hostia desit, POTEST probabiliter sacerdos, etiam devotionis causa, consecrare *minorem;* modo caveatur scandalum: quod caveri potest, si v. g. moneatur populus de defectu hostiae majoris. Imo, non desunt AA., qui docent sacerdotem TENERI in hostia minori consecrare, si populo esset, ex praecepto, interveniendum Missae, aut si dandum esset Viaticum infirmo. — Nunquam autem licet sacerdoti, seposita hostia majori, v. g. ad exponendam in hierotheca, sumere minorem, nisi et hanc in eadem Missa consecraverit; quia debet communicare de suo Sacrificio [6].

1521. — QUAERITUR. *An Latinus possit aliquando celebrare in* FERMENTATO, *aut Graecus in* AZYMO.

[1] L. VI. 199. 200 — [2] Ib. 201. — [3] Decr. 16 dec. 1826. *Gandaven.* (Gardellini, n. 4623). — [4] L. VI. 204. — [5] Gardellini, n. 4723 (26 april. 1834 *Immolen.*) — [6] L. VI. 205.

Digitized by Google

Resp. 1° In locis, ubi proprii ritus ecclesia habetur, id absolute, et quidem sub poena perpetuae suspensionis a Divinis, prohibetur [1]; etiamsi moribundo dandum esset Viaticum: quia, hoc in casu, praeferenda est reverentia erga tantum Sacramentum utilitati proximi, cui tale Sacramentum non est simpliciter necessarium [2].

Resp. 2° In locis autem, ubi proprii ritus ecclesia non habetur, v. g. si Graecus transeat per loca Latinorum, vel Latinus per fines Graecorum, licet celebrare sive in fermentato, sive in azymo [3].

III. — De materia vini.

1522. — Principia. I. Materia VALIDA secundae consecrationis est solum VINUM DE VITE, et quidem USUALE. — Constat ex Matth. 26, 29: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem, etc.; » et ex Decreto Florentino jam citato, quod confirmat constans Ecclesiae praxis.

Hinc, non est materia apta ad validam consecrationem:

1° « *Sicera*, et quicumque liquor ex moris, malogranatis, pomis, etc., sive dicatur vinum, sive non. — 2° *Agresta*, sive *omphacium*, i. e. succus ex uvis immaturis expressus; quia non est vinum, sed in via ad vinum, cujus naturam nondum induit. — 3° *Acetum*, quod est vinum substantialiter corruptum; unde, si sacerdos post consecrationem prudenter dubitat, fueritne acetum an vinum, consecratio repetenda est, sed sub conditione, propter dubium. — 4° *Uvae* seu vinum intra uvas contentum, vel *imbibitum* in offa panis; quia non tam est potus, quam cibus. — 5° *Sapa*, seu defrutum, i. e. mustum ad dimidiam, seu tertiam partem decoctum; quia non est amplius vinum, nec potus, sed cibus. — 6° *Lora*, i. e. aqua expressis acinis superfusa. — 7° *Spiritus vini*, cum non sit proprie vinum [4]. »

1523. — II. Materia valida, sed ILLICITA, est vinum verum, aliquo modo VITIATUM, vel MIXTUM. — Ratio, quia est contra reverentiam Sacramento debitam. — Unde, caute adhibendum est vinum exoticum, quia est saepenumero alienis commixtum substantiis, ideoque illicitum; imo, non raro reperire est, quod est omnino factitium, et consequenter invalidum.

Hinc, valida quidem consecratio, sed *illicita* est: 1° *in musto*, et quidem sub mortali, juxta Suarez, saltem extra necessitatem; etsi enim substantialiter sit vinum, non est tamen vinum perfectum, nec purum, utpote nondum concoctum, neque a faece secretum. — 2° *In vino* aliis liquoribus aromatibusve ita modice *permixto*,

[1] L. VI. 202. — [2] Ib. 203. dub. 2. — [3] Ibid. dub. 1. — [4] Ib. 206; cf. 1 *Elench. qq. ref.* n. 75.

Digitized by Google

ut vini quidem naturam retineat. Si vero mixtio sit immodica, erit materia dubia. — 3° *In vino acescente:* uti constat ex Rubrica, ubi dicitur: « Si vinum coeperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre..., conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat. » — Deficiente tamen alio vino, licet uti vino solummodo *parum* acescente; Rubrica enim non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat vel ipsos primos acrimoniae gradus. — 4° *In vino congelato;* unde, graviter prohibetur illud consecrare, nisi fuerit liquefactum. — At casu, quo sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, istud habendum est pro vere consecrato, nec posset licite, alterum vinum consecrare; nam, ex Rubrica clare patet consecrationem esse validam; et ratio est quia, licet vinum congelatum non sit actu potabile, est tamen potabile ex sui natura [1].

Ad QUAESITUM: « *Utrum liceat celebrare cum vino facto ex uvis passis?* » S. C. DE PROPAG. FIDE, 23 julii 1706, respondit: « Licere, dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum [2]. »

1524. — III. AQUA caeremonialiter vino consecrando PERMISCENDA EST; non quidem ex necessitate Sacramenti, sed vi praecepti graviter obligantis. — Audiatur Tridentinum [3]: « Monet deinde Sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia ex latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur ».

Aqua vero debet esse *naturalis:* « qui autem misceret rosaceam vel aliam artificialem, etsi in necessitate, licet valide consecraret, peccaret tamen mortaliter [4]. » — Ad *quantitatem* quod attinet, sufficit *una gutta*, modo sit sensibilis; requiritur vero, etsi vinum sit valde generosum, ut nunquam tertiam ejus partem excedat. Imo, si vinum sit parum generosum, haec quantitas a multis jam ut nimia habetur; quare consultum est, ut sacerdos non excedat *octo* vel *decem* guttas [5]. — Hinc, si nimium aquae infundat, aliquid iterum vini addendum est.

Facienda est autem mixtio *in ipso calice* atque *intra ipsum Sacrum;* secus enim ad sacramenti significationem non sufficeret, essetque gravis Rubricarum praetermissio. — Hinc, casu quo omissa fuisset, supplenda est, si omissio ante calicis consecrationem deprehendatur; secus, si deprehendatur post consecrationem [6].

[1] *Exam. Ord.* n. 98; L. VI. 207 (a 6ª edit.). — [2] *Collect. S. Sed.* n. 318. — [3] Sess. 22. cap. 7. — [4] L. VI. 208. — [5] Ib. 210. — [6] Ib. 208.

Digitized by Google

Certum est, quamvis non sit de fide, permixtam illam aquam converti in Sanguinem Christi. Ita *D. Thomas* [1], qui oppositam sententiam defendi posse negat. — Quomodo autem haec conversio fiat, immediatene, an mediate, per praeviam scilicet conversionem aquae in vinum, utrinque probabiliter affirmatur [2].

IV. — De conditionibus requisitis ad consecrationem ex parte materiae.

1525. — Principia. I. Ad VALIDAM consecrationem, praeter aptam materiam, requiritur ut haec sit PRAESENS atque DETERMINATA.

Requiritur 1° ut materia sacerdoti consecranti moraliter et sensibiliter sit PRAESENS. — Ratio desumitur ex Christi institutione et verbis demonstrativis formae; item ex ratione Sacrificii, quod requirit hostiam praesentem. Ad moralem vero praesentiam sufficit, ut res, sive in se, sive in alio videri, vel tangi possit.

Hinc: 1° *Invalide* consecratur materia tam modica ut sensu percipi nequeat, aut valde remota, v. g. ad centum passus, vel posita post tergum, vel clausa in tabernaculo; quia non censetur sacerdoti moraliter praesens. — 2° *Valide* consecrat caecus, vel existens in tenebris, si aliunde moraliter certus sit de praesentia materiae. — Item, valide consecrantur vinum in calice cooperto, hostiae in ciborio clauso, vel in cumulo sub aliis latitantes, aut sub palla, velo, etc. — Porro hic notandum est, communiter improbari praxim eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in calicem et panem inspirent [3].

Requiritur 2° ut materia sit CERTA, et per consecrantis *intentionem* in individuo DETERMINATA. — Et haec quidem sententia est communis, tum quia hoc exigunt pronomina *Hoc* et *Hic,* tum quia actiones sunt circa singularia, quae debent esse certa et determinata [4]. Sufficit autem intentio *virtualis*, ut supra dictum est (n. 1413).

Hinc: 1° « *Invalide* consecraret, qui vellet tantum consecrare tertiam vel mediam hostiae partem, vel ex multis, v. g. viginti praesentibus, tantum quatuor aut quinque, nullas designando; quia non est ratio, cur una magis quam altera consecretur. — Item, non consecratur hostia, inscio sacerdote, posita sive in corporali (sejuncta tamen a cumulo) sive infra illud. Ratio est, quia non est determinata in mente sacerdotis, cujus voluntas non fertur in incognitum [5]. »

2° *Valida* vero consecratio est, si sacerdos plures hostias consecrat in cumulo, quamvis circa earum numerum in errore sit:

[1] 3. q. 74. a. 8. — [2] L. VI. 209 — [3] Ib. 211 213; *Exam. Ord.* n. 99. — Ib. 214. — [5] Ib. 214 215.

Digitized by Google

ratio est, quia semper praesumitur velle consecrare quidquid est decenter consecrabile. — Unde, si *post* consecrationem duas hostias simul junctas advertat, utramque ut consecratam sumat, juxta Rubricam Missalis. Si vero *ante* consecrationem, postquam obtulit, advertat, unam seponat et post Missam vel ipse vel alius eam sumat tanquam panem benedictum. — Item, valida est consecratio, si ipse plures particulas ad altare consecrandas attulerit, aut rationabili modo adverterit ab alio adferri a se consecrandas, vel ante Sacrificium monitus fuerit de consecrandis in altari jam positis; tunc enim, etsi intra consecrationis actum earum non ita expresse meminerit, aut etiam ad oblationem eas non detegerit, omnes tamen consecrat, modo sint praesentes in corporali; quia habita intentio respectu ad illas virtualiter perseverat [1].

1526. — II. « Ad LICITAM materiae consecrationem requiritur: 1° Ut non sit major quantitas, quam tempore opportuno possit absumi, quia periculum esset, ne species computrescerent. — 2° Ut (celebrans) ab usu Ecclesiae, praesertim in Missali praescripto, non recedat [2]. » — Quocirca haec in primis tenenda sunt:

1° Materia consecranda reponatur super corporale et sacram petram: quae obligatio urget sub gravi [3].

2° Hostiae, quae in Missa consecrandae sunt pro Communione fidelium, ponendae sunt super corporale vel super patenam, vel in aliquo calice aut in pyxide. Haec dein pyxis aperienda est ad primam oblationem et ad consecrationem, ut celebrans intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigat [4]. Consecrare tamen in pyxide clausa, non videtur esse graviter inverecundum [5].

3° « Si paulo post factam oblationem, parvae hostiae pro communicando populo afferantur, hae *licite* consecrantur, suppleta oblatione mentaliter. » — Si, Canone jam incepto, afferantur, *distinguendum:* casu quo plures sine Communione remanerent, consecrare licet; casu autem quo unus tantum remaneret, non licet; huic vero, ob justam causam, pars magnae hostiae porrigatur. Porro, causa sufficienter justa esset, si communicaturo diu expectandum esset; vel si Viaticum dandum esset infirmo [6].

1527. — Quaesita. QUAER. 1° *An censendum sit consecratum ciborium, ex oblivione, extra* CORPORALE *vel* SACRAM PETRAM *relictum?*

Resp. 1° Si celebrans actuali intentione consecrare intendit, non advertens ciborium extra corporale locari, certe est consecratum,

[1] L. VI. 216. — [2] Ib. 218. — [3] Ib. 217. — [4] *Rit. celebr. Miss.* tit. II. 3; VII. 3; VIII. 5. 6. — [5] Gury, II. 283. q. 2°. — [6] L. VI. 217.

Digitized by Google

cum revera praesens sit, et sacerdotis intentio absolute in illud feratur, etsi, cognito defectu, id non fieret [1].

Resp. 2° Item, certa est consecratio, si ciborium positum sit extra petram quidem, sed IN CORPORALI super petram extenso, etsi de ciborio consecrando non recurrat cogitatio. Hoc enim in casu, jam moraliter in petra invenitur; unde, valida est consecratio ex intentione virtuali consecrandi quamcumque materiam aptam in corporali repositam [2].

Resp. 3° Si ciborium EXTRA CORPORALE remaneat, quin sacerdos de eo consecrando cogitet, *controvertitur:* « Prima sententia, quam varii AA. ceu probabilem habent, *affirmat;* quia, ut dicunt, voluntas consecrandi jam adfuit, et non fuit retractata. — Secunda sententia tamen communis et probabilior *negat.* Ratio est quia, cum intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, illam tu habuisse non praesumeris. Sed quia prima sententia non videtur improbabilis, res dubia remanet. » — Quapropter, particulae illae dubie sic consecratae, vel sumendae sunt post pretiosum Sanguinem et ablutionem, sed ante purificationem (cum reliquiae Sanguinis sint certe Sacramentum, dum de illis hostiis dubitatur an sint Sacramentum): vel, si justa habeatur causa, consecrandae sunt in alia Missa, sub conditione. Porro, causa foret justa, si particulae illae essent in nimia quantitate, ita ut non facile consumi possent, vel si, opportuno tempore, aliae particulae non possent haberi [3].

QUAER. 2° *An censeantur consecratae hostiae, si ciborium, positum quidem fuit in corporali, sed tempore consecrationis, ex oblivione, remansit* CLAUSUM?

Resp. Affirm.; etenim: 1° materia erat sufficienter praesens in pyxide clausa; 2° non defuit intentio, cum prius habita ex praedicta oblivione non fuerit retractata [4]. Intentio autem, quam quilibet bonus sacerdos habet, nullum Ecclesiae violandi praeceptum, minime includit intentionem non consecrandi, quoties sibi *non advertenti* aliquis defectus occurrat.

QUAER. 3° *Quid agendum sit sacerdoti, si, aliquo casu, hostiae non consecratae cum consecratis* PERMISCEANTUR?

Resp. Totus cumulus est ad altare deferendus, ut ita sacerdos vel intendat consecrare non consecratas; vel, juxta alios, ut consecret totum cumulum sub conditione, si non sint consecratae. « Et hoc potius faciendum est, quia, in consecrando hostias non consecratas,

[1] Elbel, *de Euch.* n. 48. — [2] Konings, n. 1283. q. 1°. — [3] L. VI. 217. — [4] Ibid.

Digitized by Google

deficit vera determinatio materiae, nec potest verificare verbum *Hoc;* unde debent consecrari omnes hostiae sub conditione, ut valide consecrentur. [1] »

QUAER. 4° *An consecratae censeantur* GUTTAE VINI *calici inhaerentes, si sacerdos nihil circa eas intenderit?*

Resp. 1° Guttae *exterius* calici adhaerentes non consecrantur, quia intentio illas consecrandi praesumi nequit, cum foret graviter illicita. — 2° Probabilius nec consecrantur guttae *interius* adhaerentes, quia intentio Ecclesiae esse videtur, ideoque et sacerdotis esse debet, consecrare id, quod per modum unius continui est in calice. Unde, ad omnem praecavendam sollicitudinem, bene faciet sacerdos, si, semel pro semper, intentionem determinet. — Expedit autem, ut intendat guttas separatas consecrare, sed eas tantum quae proximae sunt *fundo*, non vero remotas. — Similiter « sacerdos debet consecrare micas adhaerentes hostiis, non autem separatas in patena vel corporali. Nec obstat quod, eas sumendo, laederetur jejunium; nam, magis videtur tunc praecavenda irreverentia Sacramenti, quam laesio jejunii. Si vero micae sint in ciborio, eas etiam intendat consecrare, cum absit periculum eas perdendi [2]. »

1528. — QUAER. 5° *Quid agendum sit celebranti, si aliquem* DEFECTUM *circa materiam sive panis, sive vini adverterit?*

Resp. Ex Rubrica Missalis haec tenenda sunt:

I. *Quoad defectum* PANIS: 1° « Si celebrans *ante* consecrationem adverterit hostiam esse *corruptam*, aut *non esse triticeam:* remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit. »

2° « Si id adverterit *post* consecrationem, etiam *post illius hostiae sumptionem*, posita alia, faciat oblationem ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur;* et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel aliis sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. — Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam quam consecravit: quia praeceptum de perfectione Sacramenti majoris est momenti, quam quod a jejunis sumatur. »

3° « Quod si hoc contingat *post sumptionem sanguinis*, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua; et facta prius oblatione ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie:* ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo. »

4° « Si hostia consecrata *dispareat,* vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo: *Qui pridie quam pateretur,* facta ejus prius oblatione, ut supra [3]. »

II. *Quoad defectum* VINI: 1° « Si celebrans ANTE *consecrationem sanguinis,* quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut

[1] L. VI. 216. — [2] Ib. 215. — [3] Rub. *de defectibus,* tit. III. 4-7.

Digitized by Google

utrumque non esse in calice (vel vinum esse corruptum); debet statim apponere vinum cum aqua; et facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*, etc. »

2° « Si POST *verba consecrationis* advertat vinum non fuisse positum, sed aquam: deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis: *Simili modo*, etc. »

3° « Si hoc advertat *post sumptionem Corporis* vel hujusmodi *aquae*, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi caetera [1]. »

Idem agendum, si post sumptionem, *dubitetur* cum fundamento, *an liquor haustus sit vinum purum aut corruptum;* sed inter DD. non convenit, an absolute, an conditionate proferenda sint verba consecrationis — « Puto (inquit *S. Alphonsus*) non esse aliud vinum certum rursus consecrandum absolute, quia tunc idem urgeret periculum faciendi secundum Sacrificium mutilatum, si forte prior materia fuerit vere apta; dico igitur hanc secundam consecrationem fieri debere *sub conditione*, nempe si prior materia non fuerit consecrata; periculum enim non relinquendi Sacrificium mutilatum, justa erit causa repetendi consecrationem sub praedicta conditione [2]. »

4° « Si contingat totum Sanguinem post consecrationem *effundi*, si quidem aliquid, vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est in Rubr. praecedenti » (scilicet Missalis). « Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco, *Simili modo*, facta prius tamen calicis oblatione, ut supra [3]. »

Notandum: « Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, *non posset ullo modo haberi;* si id sit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem corporis, aut etiam vini, deprehendatur defectus alterius speciei, altera jam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit et Missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. — Quod si *expectando* aliquandiu (v. g. per horam) haberi possit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum [4]. »

§. 2. *De forma Eucharistiae.*

1529. — FORMA Sacramenti Eucharistiae sunt ipsa verba, quibus Christus Dominus hoc Sacramentum confecit. — In nomine enim, et in persona Christi loquitur et operatur sacerdos faciens Sacrum.

Principia. — I. Forma praescripta pro consecratione PANIS desumpta est ex S. Matthaeo Evangelista, et constat his verbis: Hoc EST ENIM CORPUS MEUM. — Vox *enim* ponitur secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae a B. Petro derivatam; inseritur autem, ut forma cum praecedentibus verbis cohaereat.

[1] Rub. *de defect.* tit. IV. 3-5. — [2] L. VI. 206. — [3] Rub. l. c. tit. X. n. 13. — [4] Ib. tit. IV. n. 8.

Digitized by Google

In hac forma, verba *essentialia* sunt: « Hoc est corpus meum; » significant enim complete et important conversionem panis in Corpus Christi. — Hinc, ad essentiam non pertinet verbum *enim*, et ideo ejus omissio censetur esse tantum venialis. « Sed non improbabiliter Concina et Roncaglia damnant id de mortali; ac revera in re tanti momenti, non videtur levis quaecumque mutatio *deliberate* apposita [1]. » Et idem dicendum de eadem voce in sequenti forma.

1530. — II. Forma, pro consecratione CALICIS sequens assignatur: HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. — Quae omnia verba desumpta sunt vel ex diversis S. Scripturae locis, vel ex apostolica traditione, ut docet S. Thomas [2].

Essentialia verba sunt probabilius haec sola: « Hic est calix Sanguinis mei » cum praesentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini perfecte exprimant. Nec tamen probabilitate caret altera sententia, quae caetera etiam verba, utpote virtutem passionis Christi exprimentia, essentialia esse docet; exceptis tantum hisce: *aeterni* et *mysterium fidei*, quae virtualiter in aliis includuntur. — Hinc, certe graviter peccaret sacerdos, si non proferret omnia verba, quae in consecratione calicis habentur; et si forte sola prima verba dixisset, deberet utique repetere, sub conditione, integram formam [3].

1531. — III. « Forma Eucharistiae debet proferri RECITATIVE et SIGNIFICATIVE, i. e. referendo verba Christi et applicando illa ad materiam praesentem, ut transmutetur ipsa in Corpus et Sanguinem Christi [4]. » Ita omnes cum S. Thoma.

IV. Mutatio verborum, quae nullam sensus mutationem importat, non reddit consecrationem invalidam. — Constat ex rubrica Missalis: « Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis, et verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret [5]. » — Nec similiter *vitiosa pronuntiatio* impedit, quominus valida sit consecratio. « Ratio, est, quia voces ita constitutae sunt, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent; sufficit enim, ut verba formae ingerant sensum a Christo intentum; secus, si alium sensum ingererent [6]. »

Ex his resolves: 1° Valida, sed GRAVITER ILLICITA est consecratio, si dicatur: *Hic cibus est corpus meum, hic calix est sanguis meus; colpus* pro *corpus, meus* pro *meum, es* pro *est, calis* pro *calix, sanguis* pro *sanguinis*, etc. Unde,

[1] L. VI. 220. — [2] 3. p. q. 78. a. 3. ad 9. — [3] L. VI. 223. — [4] *Exam Ord.* n. 100. — [5] *De defect.* V. 1. — [6] L. VI. 224.

Digitized by Google

a peccato veniali excusari non potest, qui debitam diligentiam non adhibet ad verba consecrationis rite pronuntianda [1].

2° Invalida est consecratio, si dicatur: *Hoc enim corpus meum;* omittendo *est* [2]. — Item, si dicatur: *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum; hoc corpus est meum;* vel *hic sanguis est meus;* quia haec verba non habent sensum, quo id significetur, quod operari debent. — Item, si dicatur: *Illud est corpus meum; ille est sanguis meus;* mutatur enim sensus formae, ut per se patet [3].

3° Dubia est consecratio, si dicatur: *Haec est caro mea; istud est corpus meum; iste est sanguis meus* [4].

1532. — Quaesita. QUAER. 1° *An in consecratione ut essentialia habenda sint haec verba:* QUI PRIDIE, *etc...* SIMILI MODO, *etc?*

Resp. Sententia communis et probabilissima negat, et probatur: 1° ex Decreto Eugenii IV *ad Armenos*, ubi dicitur consecrationem non aliis fieri nisi verbis Christi, quae haec tantum sunt: *Hoc est corpus*, etc., *Hic est calix*, etc. [5]; 2° ex rubrica Missalis, quae docet verba necessitate Sacramenti requisita esse verba formae, scilicet *Hoc est corpus meum*, etc., *Hic est calix*, etc.

QUAER. 2° *Quid agendum sit celebranti, si* NON RECORDETUR *se omnia consecrationis verba protulisse?*

Resp. Ex rubrica Missalis [6] haec sunt tenenda: « Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. — Si tamen certo ei constat se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate Sacramenti, resumat formam. — Si vero valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. »

CAPUT II.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ

Minister Eucharistiae debet ad suum munus reddi IDONEUS per potestatem Ordinis, habere jurisdictionem, et observare ordinem ab Ecclesia praescriptum. — Unde, triplex erit articulus: 1[s] de requisita potestate Ordinis in ministro; 2[s] de requisita jurisdictione; 3[s] de ordine servando.

ARTICULUS I.

DE REQUISITA POTESTATE ORDINIS IN MINISTRO

Duplex Eucharistiae minister distinguitur: minister *consecrans* et minister *dispensans.*

[1] L. VI. 221; *Exam. Ord.* n. 100. — [2] L. VI. 223. q. 4. — [3] Ib 221. — [4] Ita recte apud Busenbaum in sua *Medulla* (edit. princeps 1650, pag. 591). — [5] L. VI. 222. — [6] *De Defect.* tit. V. 2.

Digitized by Google

1533. — Principia. I. Minister CONSECRANS Eucharistiae est solus sacerdos rite ordinatus. — Constat ex verbis Christi, qui solis Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus dixit: « Hoc facite in meam commemorationem [1]. » Hinc, Concilium Lateranense IV [2] ita definivit: « Hoc utique (Eucharistiae) Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos qui fuerit rite ordinatus. »

QUAERITUR. *An* PLURES *sacerdotes possint consecrare simul* EAMDEM *materiam?*

Resp. Affirm., si eodem instanti verba formae proferant. Est commune. « E converso, si unus eorum ante alios formam compleat independenter ab aliorum intentione, jam conficit Sacramentum, ita ut alii frustra formam postea absolverent. — Hinc, sacerdotes novi, qui cum Episcopo consecrant, primo curare debent, quoad fieri potest, simul cum Episcopo formam absolvere. Praeterea, habere debent intentionem consecrandi *tunc tantum*, quando in eodem tempore cum Episcopo formam absolvunt; imo, ultra hoc, in consecratione *calicis* intendant etiam non consecrare, si panem forte ipsi non consecraverint [3]. »

1534. — II. Minister ordinarius DISPENSANDAE Eucharistiae est solus sacerdos [4]. — Constat ex Tridentino sess. 13. cap. 8, ubi dicitur: « Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus Communionem acciperent; sacerdotes autem seipsos communicarent. » Idem suadet et ratio theologica; cum enim consecratio ad distributionem ordinetur, illius esse debet distribuere, cujus est consecrare. Quod et confirmat universalis Ecclesiae praxis.

QUAERITUR. *An possit sacerdos* EXTRA MISSAM *seipsum communicare?*

Resp. « Probabile est, etiam extra mortis periculum, *ex gravi causa,* licere sacerdoti, praeciso scandalo, sacram Hostiam sumere ex sacrario, vel a diacono allatam sibi ipsi dare, v. g. si in longo morbo diu non communicasset. — Imo Croix, Suarez et alii dicunt, *sola devotionis causa* sacerdotem semper posse seipsum communicare; quia, praeciso scandalo, nulla est irreverentia, nec ullibi est vetitum, nisi adsit alius sacerdos [5]. »

1535. — III. Diaconus, vi suae Ordinationis, est minister Eucharistiae EXTRAORDINARIUS, ita ut ei committi possit, EX JUSTA CAUSA, hujus Sacramenti dispensatio. — Constat: 1° ex praxi priorum saeculorum, in quibus diaconi universe Eucharistiam (praesertim divinum Sanguinem) ministrabant; 2° ex variis Conciliis, v. g. Nicaeno I generali, Carthaginensi IV, etc. [6].

[1] L. VI. 231. — [2] Cap. *Firmiter.* — [3] L. VI. 232. — [4] Ib. 230. — [5] Ib. 238 — [6] Ib. 237.

Digitized by Google

Diximus *ex justa causa;* quae non est tantum necessitas extrema, ut volunt Habert et Tournely, sed etiam necessitas gravis, vel notabilis, ut si parochus esset occupatus in die magnae festivitatis, aut numerus communicantium esset magnus. — In necessitate *extrema*, absente sacerdote, diaconus non solum potest, sed TENETUR Viaticum ministrare, adhuc sine commissione expressa. — In aliis autem casibus, si, absque commissione Episcopi vel parochi legitime concessa, Eucharistiam dispensat, peccat graviter et incurrit irregularitatem [1].

Nota. Asserunt graves Theologi cum Suarez (etsi dissentiat S. Thomas) simplicem CLERICUM, imo et LAICUM posse in casu extremae necessitatis, vel tempore pestis, Viaticum *sibimetipsi* vel *aliis* praebere. Ratio est, quia tunc urget praeceptum divinum communicandi, nec ulla fit Sacramento injuria, si, in tali necessitate, Eucharistia a laico ministretur, ut olim in primitiva Ecclesia usus obtinuerat. — Nec obstat *scandalum;* tale enim scandalum vel admiratio praecaveri potest, si admoneantur adstantes, id in tali necessitate permitti. Sed nec objici potest *contraria consuetudo;* cum enim casus iste rarissime eveniat, nequit haec contraria consuetudo probari [2].

ARTICULUS II.

DE JURISDICTIONE REQUISITA

1536. — Principia. I. Jurisdictio ORDINARIA dispensandi Eucharistiam, solis animarum pastoribus competit, nempe Episcopis in sua dioecesi, parochis in sua parochia, Praelatis regularibus in sua Religione. — Ratio est, quia pastorum proprium est pascere, quod praecipue fit per Sacramenta [3]. — Hinc, qui Eucharistiam sine debita licentia dispensat, peccat mortaliter, quia laedit, in re gravi, legitimi pastoris jurisdictionem [4]; nisi hujus consensum rationabiliter praesumere possit. Quocirca hoc notandum est: si cui conceditur facultas celebrandi, eo ipso conceditur et facultas ministrandi Eucharistiam: sic enim fert usus communis. At vero, non facile praesumendus est consensus parochi, si de Communione ex obligatione suscipienda agatur [5].

In casu porro *necessitatis,* nempe « si infirmus sacro Viatico muniendus sit, et proprius pastor absit, vel praesens non possit deferre Eucharistiam; quivis alius sacerdos vel regularis vel saecularis, et hoc deficiente, etiam diaconus, ei conferre potest; quia tunc praesumitur voluntas Episcopi aut Papae, etsi parochus renuat, sed injuste .[6] »

[1] L. VI. 237. et H. A. XV. 9. — [2] L. VI. 237. qq. 2° et 3°; H. A. XV. 10; cf. Laymann, *De Euch.* c. 7 n. 3, 6. — [3] L. VI. 230. — [4] Ib. 234. — [5] Ib. 235. — [6] Ib. 236.

Digitized by Google

1537. — II. Ex privilegio, possunt REGULARES in suis ecclesiis per se, vel per alios sacerdotes illic celebrantes, Communionem dispensare quibuscumque Christi fidelibus, excepta sola Communione paschali et Viatico [1]. — Quocirca haec statuta sunt:

1° Regulares prohibentur *die Paschatis* [2] (et aliquibus in locis, v. g. Romae, etiam feria V in Coena Domini) dispensare in suis ecclesiis Communionem fidelibus, iis solis exceptis quibus, in hisce ecclesiis, praecepto paschali satisfacere concessum est (cf. n. 1571). — Si autem in aliquo loco consuetudo contraria introducta sit, possunt, die Paschatis, Communionem praebere omnibus fidelibus, cum consuetudo jurisdictionem praebeat [3].

2° Regulares non possunt ministrare *Viaticum* nisi iis qui exemptionis privilegio gaudent: quales sunt Religiosi tum professi, tum novitii; item famuli monasteriorum, « qui actu inserviunt, intra eorum septa ac domos resident, sub eorumque obedientia vivunt [4]. » « Religiosi autem praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia, » excommunicationem Papae reservatam incurrunt [5] (cf. n. 1341).

1538. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An liceat Regularibus Eucharistiam deferre ad infirmos, pro Communione ex* DEVOTIONE?

Resp. « Nunquam, sine licentia Episcopi vel parochi, licet Religiosis *publice* Eucharistiam deferre per plateas, cum id juri parochorum, consuetudine obtento, deroget. » — Atvero, occasione Missae, quam Religiosus in aegroti domo legitime celebrat, potest huic licite porrigere Communionem [6].

QUAER. 2° *Quaenam sit, pro ministro,* OBLIGATIO *ministrandi Eucharistiam?*

Resp. Animarum pastores eorumque coadjutores, aut alii ab ipsis delegati, tenentur, *ex justitia*, Communionem ministrare non solum moribundis, sed etiam sanis, quoties rationabiliter et opportune requisiti fuerint [7]. — Deficiente pastore, quilibet alius sacerdos ad id tenetur *ex charitate*, et quidem sub gravi, si de Viatico ministrando agatur (cf. n. 2271).

Nota. Praeter potestatem et jurisdictionem, requiritur etiam *status gratiae*, et exemptio a censura, ut supra dictum est (n. 1416).

[1] L. VI. 239. — [2] Ibid. — [3] Ib. 240. 5°. — [4] Ib. 240. 10°; cf. Ben. XIV. *de Synodo*, L. 7. c. 42. — [5] Ex Const. *Apostol. Sedis*, sect. II. n. XIV. — [6] L. VI. 240. 7°. — [7] H. A. XV. 8.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE ORDINE SERVANDO IN EUCHARISTIÆ ADMINISTRATIONE

Duo sunt, de quibus hic agendum est; nempe: 1° de modo administrandi sacram Communionem in genere, 2° de ordine servando in administrando sacro Viatico.

§. 1. *De modo administrandi S. Communionem.*

1539. — Ordo praescriptus respicit tum locum debitum, tum tempus, tum ritum; quocirca haec tenenda sunt:

I. *Quoad locum.* SS. Eucharistia fidelibus dispensari potest in omnibus *ecclesiis* vel *oratoriis publicis*, non autem in oratoriis privatis, nisi de expressa Ordinarii licentia [1]. — Potest etiam in privata domo, si communicandus est infirmus.

1540. — II. *Quoad tempus.* Permittitur SS. Eucharistiae dispensatio: 1° quolibet *die*, excepto tempore Interdicti localis (cf. n. 1308. 2°), et (nisi de Viatico agatur) tempore a repositione SS. Sacramenti in feria V Majoris hebdomadae usque ad finem Missae solemnis in Sabbato Sancto [2]; et etiam intra hanc Missam, ubi viget consuetudo. Ita S. R. C., 23 sept. 1837, in *Brundusina* [3].

2° Permittitur qualibet diei *hora;* non vero permittitur, cum jam noctescere aut multum advesperascere coepit, nisi justa adsit causa. — Intempesta autem nocte, id est, elapsis jam multis noctis horis, nunquam licet, nisi Viaticum in necessitate deferendum sit [4]. Attamen, in Communitatibus, ubi SS. Eucharistia in sacello domestico asservatur, etiam noctis tempore ministrari potest, justa adstante causa, v. g. si quis infirmus jejunium protrahere nequeat.

QUAERITUR. *An Communionem dispensare liceat in Missa Natalis Domini, quae* MEDIA NOCTE *celebratur?*

Resp. Neg., nisi ex speciali privilegio [5]. — Id nonnullis Galliae Episcopis concessum est ea lege, ut nullum scandali periculum adsit [6].

1541. — III. *Quoad ritum:* 1° Communio, quoad ejus fieri potest, porrigenda est *intra Missam*, nempe post ipsius celebrantis Communionem. Cujus rei rationem affert Rituale Romanum, dicens: « cum orationes, quae post Communionem dicuntur, non solum ad

[1] Bened. XIV. in Const. *Magno*, §. 15. — [2] L. VI. 252. — [3] Gardellini, n. 4815 ad II. — [4] H. A. XV. 17. — [5] L. VI. 252. — [6] Gury, II. 297. fin.

Digitized by Google

sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent [1]. » — Porro, *ex rationabili causa*, porrigenda est etiam extra Missam, v. g. si S. Communionem suscepturi commode expectare nequeant, vel si multi communicandi sint, ne taedio afficiantur qui non communicant. Et in multis locis *usus jam invaluit* Communionem ministrandi indistincte sive intra, sive extra Missam [2].

2° Sacerdos SS. Eucharistiam ministraturus *vestibus sacris* sit indutus, nempe extra Missam, superpelliceo (vel alba) et stola coloris Officio illius diei convenientis (hanc diaconus, si ministret, transversim gerat); ardeant *cerei*, praemittatur *confessio generalis*, et consuetae dicantur *orationes*, prout in Rituali praescribitur.

Super his notetur: — 1° Si necessitas id postulet, Communio dari potest a sacerdote *missalibus vestibus* induto, qui in alio altari Missam celebravit, aut celebraturus est. — Ita S. R. C., 12 martii 1836, in *Trident.* [3].

2° In porrigenda sacra Communione, sacerdos uti debet solo *pollice* et *indice;* nam, licet tota manus consecrata sit, attamen *solus* pollex et index, ex ritu Ecclesiae, ad hoc ministerium deputantur. — Auctores tamen communiter excipiunt casum necessitatis extremae, aut gravissimae [4] (cf. n. 1544. q. 3° et 4°).

3° Si *minister* inserviens sacerdoti desit, ipse communicaturus, si sit vir, respondere potest; nec vero id potest mulier, nisi sit monialis intra claustrum. Suppleat ergo sacerdos, dicendo: *Confiteor*, respondendo *Amen*, etc.

4° In Communione Monialium, *Misereatur*, *Ecce Agnus*, etc. dicenda sunt versus Moniales, non versus populum. Sacerdos vero debet descendere et reverti per gradus anteriores altaris, non per laterales [5]. — Licita est praxis apud Moniales recepta (*votorum renovationem* ante Communionem immediate instituere). S. R. C., 12 sept. 1857 in *Taurinen.* [6].

5° Communio *prius ministris* servientibus est ministranda, non ratione praeeminentiae, sed ministerii (S. R. C., 13 julii 1658) [7].

6° « Juxta praesentem disciplinam nunquam licitum est, sine Pontificis dispensatione, etiam ad praebendum Viaticum, Eucharistiam administrare *sub utraque specie*, aut in sola *vini* specie; nam praeceptum Viatici non obligat, cum sumi nequit juxta Ecclesiae ritum [8]. » Prohibetur similiter DARE communicanti *plures* particulas vel unam *majorem:* ex Decr. S. C. C., 12 febr. 1679 [9].

7° Data Communione extra Missam, « sacerdos *reversus* ad altare, dicere poterit: *O sacrum convivium*, etc.: mox dicit: *Domine exaudi*, etc. *Dominus vobiscum*, etc. » deinde Orationem *Deus qui nobis*, etc. cum integra conclusione. Tempore paschali dicitur oratio *Spiritum nobis*, etc. cum breviori conclusione. — Post haec, digitis ablutis, et S. Ciborio in tabernaculo reposito, benedicat manu, non pyxide (nisi post Viaticum) iis, qui communicarunt, cum formula: *Benedictio Dei omnipotentis Patris*, etc. — Ita ex Rituali Romano, et ex Resp. S. R. C., 24 sept. 1842 [10].

1542. — Quaesita. QUAER. 1° *Quale peccatum sit* OMITTERE *caeremonias in Communione ministranda praeceptas?*

[1] Cap. 2. *Ordo admin. S. Commun.* n. 10. — [2] Cf. Gardellini, n. 4984. (Januen, 7 Dec. 1844). — [3] Gardellini, n. 4777. ad 12. — [4] L. VI. 244. — [5] H. A. XV. n. 88. fin. — [6] Gardell., n. 5252. ad 19. — [7] Ibid. n. 1907. — [8] H. A. XV. 14. — [9] Cf. *Analecta*, serie 7ª, pag. 829. — [10] Gardell., n. 4947; cf. Schober, p. 119.

Digitized by Google

Resp. « Ministrare Eucharistiam sine lumine et solita confessione, communiter, veniale tantum reputatur. Ministrare autem sine stola et superpelliceo, communiter censent AA., esse mortale ex genere suo; omissa tamen tantum stola, pluribus videtur solum veniale. — Deferre autem Eucharistiam ad aliud altare, sine vestibus sacris, dicunt communiter, non excedere peccatum veniale [1]. »

QUAER. 2° *An dari possit S. Communio* CUM PARAMENTIS NIGRIS *aut in Missis defunctorum?*

Resp. Magna olim fuit hac de re controversia; sed in praesentiarum causa finita est; nam, die 27 junii 1868 generale Decretum a S. C. Rituum [2] editum, et a Pio IX die 23 julii confirmatum prodiit, quo declaratum est: « Posse *in Missis defunctorum*, cum paramentis nigris, sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse, item in paramentis nigris ministrari Communionem immediate *post Missam* defunctorum; data autem rationali causa, immediate quoque *ante eamdem Missam;* in utroque tamen casu, omittendam esse benedictionem. — Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut *violacea* adhiberi nequeant, nisi in casu quo, die 2 novembris, SS. Eucharistiae Sacramentum publice fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione 40 horarum, prout cautum est in Decreto sacrae hujus Congreg. die 16 septemb. 1801 [3]. »

QUAER. 3° *Quid agendum sit, si* SACRAE PARTICULAE, *pro populi Communione, non reperiantur in numero sufficienti?*

Resp. Servetur consuetudo dividendi particulas consecratas in partes minores [4]; non tamen adeo parvas, ut honeste dari non possint [5].

QUAER. 4° *Quid faciendum, casu quo* DECIDAT *hostia?*

Resp. « Primo tegendus locus, et postea abluendus, ut praecipiunt Rubricae; quae tamen non obligant sub gravi, et ita ordinarie omitti potest ablutio vestis, aut barbae, ad evitandam turbationem populi. — Locus vero, ubi incidunt species vini, debet semper ablui, cum ipsae imbibantur, etsi non sit opus eas comburere. — Si hostia decidat super ubera mulieris, non debet sacerdos ipse auferre, sed ipsa mulier manu abstrahat, et reponat in ciborio [6]. » Item, si cadat intra clausuram Monialium. Digiti vero mulieris abluantur, et ablutio in piscinam dejiciatur. — Si mulier nequeat facile hostiam ibidem accipere, seorsim recedat, v. g. in aliquod sacellum, vel in sacristiam, etc. [7].

[1] L. VI. 241. — [2] Gardellini, n. 5403. — [3] Ibid. n. 4477. — [4] S. R. C. 16 martii 1833 in *Veronen.* (Gardellini, n. 4707). — [5] L. VI. 245. — [6] Ib. 250. — [7] Gury, II. 296. fin.

Digitized by Google

Quaer. 5° *Quid faciendum, si hostiarum* fragmenta *reperiantur?*

Resp. Missalis Rubrica quaestioni hunc in modum respondet: « Si deprehendat (sacerdos) post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint, sive magnae, quia ad idem Sacrificium spectant. » — Et hoc non solum immediate post Missam, ut commune est, sed etiam si sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. Dictum est, *adhuc indutus;* nam si sacerdos jam se exuerit vestibus sacris, tunc reliquiae vel reponendae sunt in tabernaculo, si adsit, vel reservandae alteri sacerdoti celebraturo eodem mane; secus, sumendae sunt ab eodem qui celebravit [1]. — Quod si fragmenta illa sint reliquiae alterius Sacrificii, non licet ea sumere, nisi adsit periculum irreverentiae; quia sacerdoti non jejuno Rubrica permittit tantum sumere reliquias, quae *ad idem Sacrificium spectant*, siquidem illud perficiunt [2].

Quaer. 6° *Quid, si integra* particula *reperiatur?*

Resp. « Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam (sacerdos) in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra corporale decenter opertam, sumendam una cum altera quam est consecraturus, relinquat; vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere [3]. » — Particulae autem inventae extra corporale, *in dubio* an sint consecratae, sumendae sunt post ablutionem, et melius cum eadem ablutione [4].

Nota. Si *laicus* particulam vel fragmentum hostiae reperiat, quamprimum sacerdotem moneat, qui juxta praedicta aget. Si autem sacerdos non possit haberi, colligatur reverenter fragmentum ab ipso laico in charta vel linteolo mundo, mediante spinula, et reponatur intra corporale aut in vase decenti, donec sacerdos advenerit [5].

§. 2. *De ordine servando in administrando sacro Viatico.*

1543. — Ex Rituali Romano sequentia notamus:

1° *Quoad obligationem ministrandi.* « 1. Viaticum sacratissimi Corporis D. N. J. C. summo studio ac diligentia aegrotantibus *opportuno tempore* procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono, parochi incuria, privatos decedere... 2. Hortetur parochus infirmum, ut *sacram Communionem* sumat, etiam si graviter non

[1] L. VI. 251. — [2] Ibid. — [3] Rubr. *De defect.* VII. 3. — [4] L. VI. 251. fin. et H. A. XV. 18. — [5] Gury, II. 312.

Digitized by Google

aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit... 3. Pro Viatico autem ministrabit cum *probabile* est quod eam amplius sumere non poterit... 4. Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis seu cujusvis rei praetextu, ad ostendendum non deferatur. » Ita Rituale.

2° *Quoad modum deferendi.* Praemoneat parochus, ut *in aegrotantis cubiculo* omnia rite disponantur secundum praescripta Ritualis. Parentur lumina, ac vasculum cum aqua (qua digiti abluantur). Praeterea, linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate.

Porro, SS. Eucharistia *deferenda est* ab ecclesia ad privatas domos aegrotantium, decenti habitu, superposito mundo velamine, *manifeste* et *honorifice* ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente. — Sacerdos autem indutus superpelliceo et stola albi coloris, impositoque prius ab utroque humero oblongo velo decente, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, et deinde baldachinum, seu umbellam subeat, si haberi possit, et nudo capite procedat. — Eundo autem dicit *Miserere*, et alios Psalmos et Cantica; redeundo *Laudate Dominum de coelis*, et alios Psalmos et Hymnos; sed haec de consilio tantum.

3° *Quoad ministrandi ritum.* Recitentur preces, caeteraque observentur, prout praescribitur in Rituali Romano. — Pro circumstantiarum diversitate, reditus fiat solemnis, vel privatus.

1544: — Quaesita. Quaer. 1° *An aliquando Eucharistia deferri possit infirmis* secreto?

Resp. De licentia Episcopi id licet in locis haereticorum, et etiam catholicorum, si aliter deferri non possit, sine proximo irreverentiae periculo [1]. — De modo deferendi Eucharistiam secreto, haec in Supplemento ad Rituale Romanum habentur: « Ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos semper habeat stolam propriis coopertam vestibus: in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quem per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli in defectu clerici, associetur. » Ex Const. Bened. XIV, *Inter omnigenas*, §. 25.

Quaer. 2° *An sacerdoti deferenti Eucharistiam liceat, in casu* necessitatis, *currere, equitare, vel cooperto capite procedere?*

Resp. 1° *Currere* in necessitate, probabiliter, non est contra reverentiam debitam; unde urgente necessitate licebit [2]. — 2° Lice *equitare* in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsus, si nempe

[1] Gousset, *de Euch.* 240. — [2] L. VI. 242.

Digitized by Google

longius aut difficilius iter obeundum sit; nunquam autem licet pyxidem portandam dare laico, quantumvis lassus sit sacerdos, quo in casu bursa potius ex collo suspendatur [1]. — 3° Licet aliquando, ex Indulto Apostolico, incedere *capite cooperto,* neque hoc adeo difficile conceditur, tempestatis vel infirmitatis causa; quare, urgente necessitate, etiam praesumi posset. Potest etiam probabiliter Episcopus dispensare, ut Viaticum deferatur cum pileo in capite, cum diu per villas et pagos progrediendum est [2].

QUAER. 3° *An liceat, in casu necessitatis, ministrare Viaticum sine* LUMINE *et* VESTIBUS SACRIS ?

Resp. Affirm., juxta communiorem et sat probabilem sententiam. « Ratio quia non rationabiliter praesumitur quod Christus, qui hoc Sacramentum ad subsidium animarum instituit, et Ecclesia quae benigna est mater, voluerint moribundos tanto bono privari, ne praescriptae caeremoniae omittantur [3]. »

QUAER. 4° *An liceat, tempore pestis, porrigere Eucharistiam cum aliquo* INSTRUMENTO ?

Resp. Affirm. probabiliter, puta imposita particula in cochleari (quantum fieri potest, argenteo) cum vino aut aqua; nam necessitas videtur sufficiens causa, cur a solito Ecclesiae ritu recedere liceat. Et similiter cum cochleari porrigi potest infirmo, qui ob oris siccitatem hostiam deglutire nequiret [4].

QUAER. 5° *An sacerdos ministrans Viaticum possit aliquando omittere illa verba in Rituali praescripta;* ACCIPE VIATICUM, *etc., substituendo formulam communem:* CORPUS D. N. J. C., *etc.?*

Resp. Affirm. probabiliter, in casu, quo infirmus judicatur cum magna animi tristitia Viaticum suscepturus: nam, praeceptum illa proferendi verba nonnisi levem obligationem inducit, a qua bene excusat quaelibet justa causa, qualis esset nimia infirmi perturbatio [5].

QUAER. 6° *Quid faciendum, si infirmus receptam hostiam* EVOMAT ?

Resp. Si sacrae species apparent, debent sedulo in vase mundo colligi, in ecclesiam deferri, et in loco tuto et bene clauso servari, donec sint omnino corruptae, ita ut in piscinam sine irreverentia projici possint. — Si non possint discerni, utpote sordibus omnino permixtae, os quidem infirmi detergendum est; quidquid vero fuerit rejectum stuppis colligatur; deinde, combustis stuppis, cineres projiciendae sunt in piscinam [6].

[1] L. VI. 243. — [2] Ib. 241. fin.; H. A. XV. 12. — [3] Ibid, 241. — [4] Ib. 244; H. A. XV. 12. — [5] H. A. XV. 50, L. VI. 285. dub. 4°. — [6] Gousset, II. 232; cf. Haine, t. II. q. 42, quoad sacrilegos.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ

Quatuor in hoc capite perpendenda veniunt: 1° Quinam SS. Eucharistiam suscipere possint? 2° Quaenam ad hoc dispositiones requirantur? 3° Quae et quanta sit obligatio Eucharistiam suscipiendi? 4° Quid de Communione frequenti sit sentiendum?

ARTICULUS I.

DE IIS QUI SS. EUCHARISTIAM SUSCIPERE POSSUNT

1545. — Principia. I. Subjectum CAPAX suscipiendi cum fructu Eucharistiam est omnis homo baptizatus, modo per peccatum mortale gratiae obicem non ponat. — Pro omnibus enim christianis instituta est; ergo potest omnibus rite dispositis prodesse, juxta verba Christi (Joan. 6, 55): « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. »

II. Ex praesenti Ecclesiae disciplina, Eucharistia concedi NON DEBET iis, qui caelestem hunc cibum a profano discernere nequeunt. — Est praxis universalis, et constat ex Rituali Romano.

Hinc: 1° Pueri baptizati, *rationis usu* adhuc carentes, tametsi in Sacramenti susceptione vere gratiae augmentum perciperent, ob majorem tamen reverentiam ab ejus receptione, etiam in articulo mortis, prohibentur [1].

2° Perpetuo *amentibus* item omnino neganda est. — Aliis vero amentibus qui *non semper* caruerunt usu rationis et *pie vixerunt*, danda est IN ARTICULO MORTIS, nisi periculum vomitus aut expuitionis adsit. Ita S. Thomas et Catech. Romanus cum Concilio Carthaginensi [2]. « Ratio, quia ex una parte praesumitur is interpretative Communionem petere; ex altera huic Eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe si incidisset in amentiam, existens in peccato mortali, de quo solum attritus fuerit. Excipiunt tamen DD., si certo praesumatur talis in amentiam incidisse penitus impoenitens. » — Iisdem, EXTRA MORTIS ARTICULUM, communicare non licet. « Licebit tamen (item phreneticis) si quando habeant lucida intervalla et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit. » Ita RIT. ROM. [3].

[1] L. VI. 301. — [2] Ib. 302; H. A. XII. 44. — [3] *De Euch.* cap. I. n. 10. (edit. typ.)

Digitized by Google

1546. — Quaesita. QUAER. 1° *An concedenda sit Eucharistia semifatuis, surdo-mutis, epilepticis et obsessis?*

Resp. 1° SEMIFATUIS, modo coelestem hunc cibum a profano discernere valeant, danda est Communio, in articulo mortis et tempore praecepti; imo et frequentius, si majori discretione polleant. — Idem valet de SENIBUS, qui, ut dicitur, *repuerascunt.*

2° SURDO-MUTIS a nativitate, juxta eamdem normam, danda est Communio, dummodo ex signis constet eos discretionem habere. Ex hodiernis autem experimentis constat, surdo-mutos, juxta recentiores methodos haud edoctos, vix habere posse religionis et mysteriorum cognitionem. — Qui vero, in hodiernis institutis instructi sunt, non secus ac alii fideles possunt communicare. — E contra, *mutis*, *surdis* et simul *caecis* a nativitate omnino neganda est Communio.

3° EPILEPTICIS in paroxysmo tantum, Communio negetur.

4° OBSESSIS A DAEMONE item negetur, quando non sunt sui compotes. — Caeterum, recte dicunt AA. eam pluries in anno, juxta prudentiam confessarii, eis esse concedendam, cum Eucharistia sit speciale remedium ad arcendos daemones [1].

QUAER. 2° *An* CAPITE DAMNATIS *S. Communio concedenda sit?*

Resp. Affirm., modo per confessionem sacramentalem sint ad eam dispositi: nam, ex praescripto Concilii Nicaeni, danda est Eucharistia omnibus, qui ad vitae finem pervenerunt [2]. Quin etiam reus potest, non jejunus, communicare per modum Viatici, quia tunc vere est in articulo mortis. — Additque *S. Alphonsus*: potest laudabiliter communicare ipsa die mortis, modo Communio praecedat per horam executionem [3] (cf. n. 731).

NB. Quinam a S. Communione arcendi sint tanquam indigni, vide n. 1426 et 1427 sq.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS AD SUSCIPIENDAM SS. EUCHARISTIAM

Ad suscipiendam Eucharistiam, quaedam dispositiones, tum ex parte *animae*, tum ex parte *corporis* requiruntur.

§. 1. *De dispositionibus requisitis ex parte animae.*

1547. — *A)* In suscipiente SS. Eucharistiam, praeter *fidem* et *immunitatem a censuris*, requiritur in primis STATUS GRATIAE; tum quia

[1] L. VI. 303. — [2] Ibid. 247; L. III. 379.; cf. *Collect. S. Sedis.* n. 363. — [3] L. VI 285, Hic autem, 293. 0°.

Digitized by Google

Eucharistia est Sacramentum vivorum, quod gratiam primam in subjecto praesupponit; tum quia est cibus spiritualis, qui spiritualiter mortuo prodesse nequit.

Apposite ad rem sic TRIDENTINA SYNODUS [1]: « Si non decet, » inquit « ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe quo magis sanctitas, et divinitas caelestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini.* — Quare, communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum: *Probet seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam a sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris: quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. »

At vero, haec Tridentini praescripta uberiorem explanationem sibi exposcunt. Unde sint sequentia

1548. — Principia. I. Nullus peccati mortalis sibi conscius, quantumvis contritus sibi videatur, potest, absque praemissa SACRAMENTALI CONFESSIONE ad S. Eucharistiam accedere. — Dicit enim Apostolus: « Probet seipsum homo, et sic de illo pane edat. » Constat autem, ex ecclesiastica consuetudine, ipsam confessionem esse necessariam illam probationem [2].

Sunt quidem, hi vero pauci, qui dicunt hoc praeceptum esse solum ecclesiasticum; sed « communis et vera sententia docet PRAECEPTUM hoc esse DIVINUM. Ratio, quia ex una parte constat, quod ex praecepto Christi praemittenda sit probatio, dum Apostolus testatur illud a Domino accepisse; ex alia parte, ex Tridentino clare patet, quod haec requisita probatio sit confessio...; nam Concilium non dixit hoc praeceptum confessionis ab ecclesiastica consuetudine introductum fuisse, sed per eam tale praeceptum fuisse declaratum; unde ex praecepto divino confessio jubetur. — Neque huic obstat, quod dicatur praeceptum Apostoli, quia revera est praeceptum Christi per Apostolum promulgatum [3]. »

Dicitur 1° *peccati mortalis*, quia peccata venialia, quotquot sint, sicut gratia divina non privant, ita nec prohibent, quominus ad sacram Mensam quis accedat [4].

Dicitur 2° *sibi conscius*, i. e. moraliter certus de gravi peccato commisso, quod per Sacramentum Poenitentiae non fuit remissum.

[1] Sess. 13. cap. 7. et can. 11. — [2] H. A. XV. 22. — [3] L. VI. 256. — [4] H. A. XV. 23.

Digitized by Google

— In DUBIO autem an commissum fuerit, sic distinguendum esse docet *S. Alphonsus:* « Si quis dubitat, an graviter peccaverit nec ne, tunc licite, non praemissa confessione, potest ad Communionem accedere, sive dubium sit negativum, sive positivum (sufficiendo sibi, ut tutius fructum Sacramenti percipiat, ut praemittat contritionem)...; quia praeceptum prohibitionis non incipit possidere, nisi postquam homo sit sui peccati conscius. — Contra, si quis est certus de peccato commisso, tunc non potest communicare, nisi certus sit se per confessionem probatum fuisse; quia tunc certe possidet in eo praeceptum prohibitionis[1]. »

1549. — QUAERITUR. *An si quis post confessionem* RECORDETUR *alicujus peccati mortalis* INCULPABILITER *obliti, teneatur ante Communionem illud confiteri?*

Resp. Controvertitur. — Prima sententia inter AA. communissima *affirmat*, quia id verbis Tridentini magis conforme videtur. — « Secunda sententia vero *negat*.... eaque, spectato intrinseco fundamento, omnino rationi consentanea videtur, atque aliis valde probabilis videtur. Ratio, quia qui confessionem Communioni praemisit, jam implevit praeceptum confessionis, vi cujus peccatum oblitum jam est indirecte remissum, et poenitens jam probatus existit.... In Tridentino enim id tantum praecipitur, ut poenitens accedat ad Communionem justificatus non per solam contritionem, sed etiam per confessionem; at hic jam est etiam per confessionem justificatus, ideoque non tenetur statim ante Communionem iterum confiteri. — Praxis autem fidelium, quae opponitur, non est habenda ut regula certa obligationis, sed potius ut pius et laudabilis usus, qui caeteroquin omnibus *suadendus* est, quoties causa aliqua in oppositum aliud non suadeat[2]. »

Sed nec talis fidelis, juxta communem sententiam, tenetur *contritionis actum* elicere. Cum enim justificatus sit, nullum apparet fundamentum, ex quo contritio requiratur; non ex praecepto, quia hoc nullibi invenitur praescriptum; non ad delendum peccatum, quia hoc jam deletum est per confessionem antea factam[3].

1550. — II. Licet accipere Eucharistiam, praemissa sola contritione absque confessione, quando adest celebrandi, aut communicandi NECESSITAS, et CONFESSARII COPIA deest. — Ita Tridentinum, et ratio est, quia praeceptum positivum non obligat cum tanto incommodo.

Dicitur 1° QUANDO ADEST NECESSITAS; per necessitatem autem non intelligitur magna devotio, nec sacerdotis paupertas, nisi esset paupertas valde gravis; sed intelligitur necessitas urgens. — Hinc,

[1] H. A. XV. 34. — [2] L. VI. 257; H. A. XV. 23. — [3] Ib. 257. fin.

Digitized by Google

Excusat 1) Periculum *mortis*, quando scilicet consecranda est hostia pro morituro; — item, periculum *infamiae* aut *scandali*, v. g. si quis in communicantium scamno jam reperiretur, nec discedere posset, quin ab aliis notaretur. Idem dicendum, si, allato Viatico ad infirmum, confessio, ob angustiam temporis, perfici non posset sine periculo mortis, aut infamiae. Quo in casu debet sacerdos, audito aliquo peccato, moribundum absolvere, eique Communionem praebere, imposita ei obligatione perficiendi confessionem, si convaluerit. — Hic tamen sedulo advertendum est, quod *scandalum* tunc dicitur, quando datur occasio detrahendi vel temere judicandi, non vero quando datur solum occasio admirationis.

Excusat 2) Obligatio ex officio *celebrandi*, ut populus Sacrum audiat, dummodo non adsit alius qui celebret. — Qui autem ex officio non tenetur providere, ut populus Sacro intersit, non potest celebrare, etsi ipse vel populus, in die festo, Missa carere deberet. Nam praeceptum confitendi, quod est divinum, praeferendum est ecclesiastico de Missa audienda. — An autem, deficiente confessarii copia, possit quis communicare cum sola contritione, *ut praecepto paschali satisfaciat*, controvertitur: *affirmant* communissime, ex eo quod praeceptum paschale sit etiam divinum; alii tamen *negant*, et dicunt posse paschalis Communionis praeceptum differri, donec confessarii copia habeatur. Utraque sententia est probabilis.

Excusat 3) Necessitas *absolvendi inchoatum Sacrificium*, puta, si sacerdos, inter celebrandum, peccati mortalis recordetur. — Hic tamen *distinguendum est.* Si recordetur peccati *post* consecrationem, non est interrumpenda Missa, ut confiteatur, sicuti docet S. Thomas, et expressum habetur in Rubrica. Sin autem recordetur *ante* consecrationem, et praesertim ante Canonem, debet confiteri, si adsit confessarius, et absque infamiae nota id efficere possit, v. g. in Missa solemni, sub cantu vel inter sacram concionem. — Quod si confiteri nequeat, et nullum timendum sit infamiae periculum, *probabilius* tenetur a Missa desistere. Ita multi et hoc constare videtur ex Rubrica dicente: « si ante consecrationem recordetur sacerdos se esse in peccato mortali..., si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere. » Diximus *probabilius*, quia certum non est, an Rubrica verbo *debet* imponat praeceptum grave. Caeterum, bene advertunt DD., in tali casu, vix fieri posse ut infamiae nota vitetur [1].

Dicitur 2° ET CONFESSARII COPIA DEEST; deesse autem censetur, non, ut quidam volunt, si absit is, cui solet et cuperet confiteri,

[1] L. VI. 259-263; H. A. XV. 24. 25.

Digitized by Google

vel cui devotius aut utilius confiteretur; sed si nullus idoneus sit praesens, absens vero sine magna difficultate adiri non possit. — Porro, haec difficultas aestimanda est, spectatis tum debilitate, aetate, et negotiis personae, tum aliis circumstantiis, ut aëris, brevitatis temporis, distantiae, etc. Regulariter, distantia duarum horarum excusat; et multo minor, si sacerdos esset brevi celebraturus [1].

1551. — QUAERITUR. *An qui habet peccatum* RESERVATUM, *teneatur deficiente confessario facultate donato, confiteri simplici confessario, ut communicet?*

Resp. 1° Si non habeat aliud peccatum, ac reservatum, ex communi sententia, non tenetur; ita ut possit, urgente necessitate, cum *contritione* communicare. — Attamen, si solam attritionem habeat, tenetur confiteri venialia quae habet, vel mortale alias confessum, ut ita, saltem indirecte, a reservato absolvatur. Atque hoc idem facere potest, licet contritionem habeat, quo securius Eucharistiam suscipiat (cf. n. 1283. 3°).

Resp. 2° Si habeat reservata et non reservata, dicimus cum sententia communissima et probabiliori, illum teneri ad confessionem. Ratio quia, cum urgeat praeceptum divinum praemittendi confessionem Communioni, debet fieri confessio saltem formaliter integra, si non possit fieri integra materialiter. — Sed, in hoc secundo casu, ex sententia vere probabili, *per se* sufficit poenitenti, ut non reservata declaret. Dicimus *per se;* quia per accidens aliquando etiam reservata declarare tenetur, ut confessarius de dispositione recte possit judicare, puta si sit recidivus in reservatis, vel in occasione proxima peccandi [2] (cf. n. 1778).

1552. — III. Sacerdos qui, urgente necessitate, absque praevia confessione celebraverit, QUAMPRIMUM confiteri tenetur. — Est lex ecclesiastica in Tridentino aperte expressa.

Dicitur 1° *Sacerdos;* nam, ex communissima et probabiliori sententia, hoc praeceptum confitendi *quamprimum* non obligat laicos. Ratio est, tum quia Concilium solos sacerdotes nominat, tum quia non eadem pro laicis quam pro sacerdotibus currit ratio. In sacerdotibus enim facilius occurrit necessitas communicandi sine confessione, ideoque ipsi facilius, sub hujus necessitatis praetextu, praetermissa confessione, celebrarent [3].

Dicitur 2° *tenetur;* quia Tridentinum non exprimit consilium, sed praeceptum. Patet ex propos. 38ª ab Alexandro VII damnata, quae sic sonat: « Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti

[1] L. VI. 264; H. A. XV. 26. — [2] L. VI. 265. — [3] Ib. 268; H. A. XV. 33.

Digitized by Google

ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum. » — Utrum vero hoc praeceptum obliget sacerdotem, *qui meminerit peccati post consecrationem,* controvertitur. Alii negant, quia Rubrica, de illo loquens, dicit tantum: *conteratur cum proposito confitendi.* « Haec sententia non videtur improbabilis, sed est communior et forte probabilior contraria, quia jam tunc verificatur casus a Concilio suppositus, quod jam celebrat in peccato, et sine confessione: tanto magis quod in illo *confitendi* Rubricae, facile subintelligitur verbum *quamprimum,* jam paulo ante a Rubrica expressum [1]. »

Dicitur 3° *quamprimum,* i. e. intra triduum, juxta communem AA. interpretationem. In legibus enim ecclesiasticis illud *quamprimum,* vel aliud simile verbum, debent intelligi moraliter, ideoque, prout communiter docent, ad spatium trium dierum extenditur. « Advertunt tamen AA., fieri posse ut sacerdos, per accidens, ex hoc praecepto teneatur confiteri eodem die, et forte eadem hora, puta si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec posset confiteri [2]. »

1553. — QUAERITUR. *An teneatur sacerdos confiteri quamprimum si, omissa confessione,* SACRILEGE *celebravit?*

Resp. Dist. 1° Si absque necessitate, vel data confessarii copia, celebravit, communissima et verior sententia negat illum teneri. — Ratio, quia praeceptum Tridentini ordinatum est ad metum incutiendum iis, qui praetextu necessitatis, differunt confessionem; non autem sacrilege celebrantibus, quibus praeceptum hoc valde raro esset profuturum; illi enim qui, contempto praecepto divino, audent scienter in peccato celebrare, facilius ecclesiasticum contemnent praeceptum.

2° Si autem, urgente necessitate, et deficiente confessarii copia, non contritus celebravit, tenetur utique confiteri quamprimum; quia praeceptum Tridentini non distinguit inter sacerdotem habentem, vel non habentem contritionem, sed loquitur de quocumque sacerdote ex necessitate celebrante [3].

1554. — *B*) Praeter statum gratiae omnino necessarium, requiritur in suscipiente S. Eucharistiam IMMUNITAS A VENIALIBUS, et ACTUALIS DEVOTIO; ut nempe uberior gratiarum messis ex Sacramenti perceptione colligatur. — Etenim, quo purior est anima, eo arctius conjungitur cum Domino, qui est ipsa Puritas; et quo majori devotione in eum fertur, eo amantius ab Amatore animarum

[1] H. A. XV. 31. — [2] L. VI. 266. q. 4. fin. — [3] Ib. 266. q. 5.

Digitized by Google

tractatur, uberioribusque gratiis cumulatur. — Porro actualis illa devotio optime promovetur per actus vividae fidei, humilitatis sincerae, ardentis desiderii, et flagrantis charitatis.

Atque hic est, cur populus saepe admonendus sit, « qua PRAEPARATIONE, et quanta animi religione ac pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accedere. — Moneantur praeterea communicantes, ut, sumpto Sacramento, non statim ab ecclesia discedant, aut colloquantur, ne statim vagis oculis circumspiciant...; sed, qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant, GRATIAS AGENTES DEO de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione Dominica, in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur [1]. »

1555. — Quaesita. QUAER. 1° *An accedere ad Eucharistiam* CUM PECCATO VENIALI, *sit novum veniale?*

Resp. 1° Accedere cum peccato veniali *habituali*, probabiliter, non est novum peccatum. « Ratio, tum quia potius esset deficientia perfectae reverentiae, quam positiva irreverentia; tum quia ipsa voluntas recipiendi Eucharistiam et ejus effectum, est quaedam virtualis venialium detestatio, qua culpae removentur, ita ut ipsae minime Sacramenti fructum impediant [2].

Resp. 2° Accedere cum peccato veniali *actuali* concomitante, v. g. ob vanam gloriam, vel cum proposito postea mentiendi, est peccatum; quia talis communicans irrogat positivam injuriam Sacramento. Ita communiter et verius, contra nonnullos [3].

QUAER. 2° *An veniale peccatum actuale* IMPEDIAT *fructum Sacramenti?*

Resp. Ex sententia longe communiori, non impedit effectum principalem, habitualis scilicet gratiae augmentum; quamvis impediat aliquos fructus, puta fervorem charitatis (atque inde est, cur observentur plures sacerdotes quotidie celebrantes in gratia, et tamen nihil proficientes). Ratio est, quia veniale non pugnat cum gratia habituali, nec cum quocumque ejus augmento, ac proinde illud non impedit (cf. n. 1548).

QUAER. 3° *Quandonam Eucharistia in suscipiente rite disposito producat suos effectus?*

Resp. 1° Gratia datur *in ipso actu manducationis*, scilicet quando fit trajectio ex ore in stomachum. Unde « species non sunt retinendae in ore tamdiu, donec penitus pereant: quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia Sacramenti conferretur; » sicut nec confertur, si quis moriatur, dum hostiam in ore retinet [4].

Resp. 2° Est valde probabile, si dispositio subjecti fiat melior, gratiam semper adaugeri, *quamdiu species sacramentales in stomacho*

[1] Rit. Rom. *De SS. Euch.* c. I. n. 3, 4. — [2] L. VI. 270. q. 1. — [3] Ib. q. 2. — [4] Ib. 226.

Digitized by Google

perdurant. « Ratio, quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi: unde, sicut cibus toto tempore, quo in stomacho manet, corpus nutrit, ita pariter, semper ac Eucharistia in corpore manet, nutrit animam, augendo gratiam [1]. »

QUAER. 4° *Quid, si* SACERDOS *se disponeret inter sumptionem?*

Resp. « Si quis partem vini vel hostiae sumpsisset indispositus, et deinde se disponeret, acciperet adhuc gratiam in sumptione alterius partis; quia adhuc tunc Eucharistia habet vim conferendi gratiam ex opere operato. Quod etiam aliqui probabiliter dicunt futurum, si se disponat antequam species consummentur in stomacho [2]. »

§. 2. *De dispositionibus ex parte corporis.*

Ex parte corporis, duo requiruntur: 1° jejunium; 2° mundities et decens habitus.

1. — *Jejunium.*

Primo dicemus de obligatione jejunii, dein de causis ab eo excusantibus.

I. De obligatione jejunii.

1556. — Principia. I. Ad licitam Eucharistiae sumptionem requiritur JEJUNIUM NATURALE, nempe, ut communicaturus, a medio noctis, nihil cibi aut potus sumpserit. — Constat tum ex universali consuetudine, quae ab Apostolorum tempore usque in praesens constanter viguit, tum ex variis Conciliis, praesertim ex Constantiensi [3]. Sancitum est autem hoc praeceptum propter reverentiam Sacramento debitam, et propter illius significationem, « ut scilicet detur intelligi, quod Christus (qui est res hujus Sacramenti) et charitas ejus debet primo fundari in cordibus nostris [4]. »

Quamvis autem hoc praeceptum non sit de jure divino, sed solum de jure ecclesiastico, non admittit tamen *parvitatem materiae:* « quia praeceptum non jam est accedendi ad Eucharistiam jejunus, sed non accedendi post cibum aut potum; qui autem communicat post quamcumque minimam partem, jam communicat post cibum aut potum. Ita omnes [5]. »

1557. — II. Ad frangendum jejunium naturale TRIA requiruntur: 1° ut quod sumitur, proveniat ab extrinseco; 2° ut habeat rationem

[1] L. VI. 228; H. A. XV. 6. — [2] Ib. 227. — [3] Sess. 13. §. *In nomine sanctae,* etc.; L. VI. 278. — [4] S. Th. 3. p. q. 80. a. 8. — [5] L. VI. 278.

Digitized by Google

cibi, vel potus; 3° ut sumatur per modum comestionis, aut potationis. — Ita AA. communiter [1].

Requiritur 1° *Ut quod sumitur, proveniat ab extrinseco;* nam, ut S. Thomas observat, quod provenit ab intrinseco, non comeditur, ideoque non laedit jejunium naturale. — Hinc, communicare potest, qui deglutivit salivam, vel pituitam, vel sanguinem ex interiori capite vel gengivis manantem, etiamsi ex proposito deglutiverit. — Nec vero communicare potest, qui noctu saccharum in os immisit, et post mediam noctem aliquid sorbuit; nec qui sorbuit sanguinem ex digitis defluentem, vel lacrymas manantes ex oculis; nec qui in flumen lapsus aut dejectus aquas deglutivit [2].

Requiritur 2° *Ut habeat rationem cibi vel potus;* nam juxta communiorem et probabiliorem sententiam, sola digestibilia solvunt jejunium; non vero indigestibilia. — Hinc: capilli, metalla, crystallus, ungues, fila serica aut lanea, ossicula fructuum omnino depurata, quia non digeruntur, non habent rationem cibi. — Secus dicendum de charta, paleis, filis lineis, pulvere medicinali, cera, terra seu creta, etc., quae, in stomacho alterata in substantiam hominis converti possunt [3].

Requiritur 3° *Ut sumatur per modum comestionis aut potationis.* Proinde, omne digestibile, quod consulto in stomachum transmittitur, solvit jejunium; tametsi transmittatur modo non consueto, v. g. per nares; quia talis actio aequivalet moraliter potationi, aut manducationi. — Id vero quod *inconsulto*, per modum *respirationis* aut *salivae* hauritur, non frangit jejunium. — Hinc, jejunium non frangitur, si quis, respirando, muscas, aquas, nivem, etc., fortuito attrahit; frangitur autem, si quis talia attrahit ex proposito. Item, non frangitur per *tabacum* naribus sumptum, nec per fumum tabaci, aut per succum camphorae, nec per tabacum dentibus attritum; modo succus exspuatur, et si quid praeter intentionem deglutiatur, salivae commixtum est, et qua talis trajicitur, non qua cibus. Licet autem hujusmodi masticatio Communionem non impediat, indecens tamen est, nec facile a veniali excusatur [4].

1558. — Quaesita. QUAER. 1° *An deglutire* RELIQUIAS CIBI *in ore relictas, vel* GUTTULAS AQUAE *cum saliva permixtas frangant jejunium?*

Resp. Prima sententia non improbabilis *negat* simpliciter, sive id casualiter, sive ex proposito fiat. Ratio, tum quia talium reliquiarum trajectio non est reputanda tanquam nova comestio, sed pars comestionis praecedentis; tum quia, non per modum cibi,

[1] L. VI. 278. — [2] Ib. 279; H. A. XV. 35-37. — [3] Ib. 281; ibid. 42. 43. — [4] Ib. 280; H. A. ib. 38-41.

Digitized by Google

sed per modum salivae sumuntur. Et huic quidem opinioni Missalis Rubrica suffragari videtur. — Secunda vero sententia communior et probabilior dicit, frangi jejunium, si *ex proposito* deglutiantur, non autem, si casualiter. Ratio, quia hujusmodi reliquiarum trajectio, cum fit ex industria, videtur esse nova comestio. — Nulla tamen datur obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas; « alias enim haec obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia, ad quod certe non praesumitur Ecclesia voluisse obligare [1]. « Hinc etiam non frangitur jejunium, juxta Rubricam, « si lavando os, deglutiatur stilla aquae, praeter intentionem; » dummodo non trajiciatur in magna quantitate, sed permixta salivae, quod vitari non potest. Et idem dicendum de reliquiis *vini*, aut *jusculi*, quod quis degustavit [2].

QUAER. 2° *An liceat, immediate post susceptam Eucharistiam sumere* ABLUTIONEM, *qua facilius particula deglutiatur?*

Resp. Affirm., ubi talis mos viget, vel necessitas id requirit, v. g. si quis maximam oris siccitatem patiatur. Hoc vero in casu, « quamvis ablutio prius deglutiatur quam hostia vel hostiae fragmenta, hoc tamen non obstat jejunio. Ratio, quia violatio non censetur moraliter Communionem praecessisse; praeceptum enim jejunii est ut ante Eucharistiae sumptionem nihil sumatur; quando autem una cum ablutione simul sumitur Eucharistia, tunc totum illud ex ablutione et particulis sumitur unica sumptione; unde, bene verificatur violationem jejunii Communionem non praecessisse [3]. »

QUAER. 3° *An qui ante mediam noctem coenavit,* PAULO POST, *et cibo nondum digesto, communicare possit?*

Resp. Id ratione jejunii non prohibetur, cum hoc revera servetur; quare, justa adstante causa, fieri potest [4].

QUAER. 4° *Quomodo computandum sit tempus* MEDIAE NOCTIS?

Resp. Computandum est physice, non moraliter. Jam vero, ad primum horae ictum, media nox expleta est; quare non potest communicare, qui cibum deglutit post primum ictum, sed ante ultimum [5]. — Tempus autem recte determinatur ex horologiis publicis; nam, in temporis designatione, Ecclesia eam regulam sequitur, quae omnia hominum negotia publice in singulis locis dirigit [6]. Licet tamen, pro libitu, sequi tempus *verum* vel *medium*; imo tempus meridiani alieni v. g. metropolis, si horologia publica loci illud signent [7].

[1] L. VI. 279. dub. 1. — [2] Ib. dub. 2. — [3] L. VI. 288. v. fin. — [4] Ib. 289. fin. — [5] Ib 232. — [6] *Acta S. Sedis,* VII. 390; S. R. Congr. 7 Aug. 1875. (Gardellini, n. 5622. ad IX.) — [7] *Acta S. Sedis.* t. VII. p. 399; XV. p. 445.

Digitized by Google

QUAER. 5° *An* IN DUBIO, *utrum jejunium fregerit, possit quis communicare?*

Resp. Affirm. Lex enim jejunii est prohibitiva, vetans nempe, ne quis communicet post cibum sumptum; quare, probandum est factum jejunii fracti, ut quis communicare prohibeatur. Et quamdiu de fractione non constiterit, possidet libertas communicandi. Haec ratio valet, tum pro casu quo dubitas, num aliquid cibi vel potus sumpseris, tum pro casu, quo certus de sumptione, dubitas, an sumpseris post mediam noctem[1] (cf. n. 49. 2°).

Hinc, communissime affirmant DD., inter plura horologia dissonantia, licere sequi ultimum, ad accipiendam Communionem; dummodo de errore non constet, vel horologium non sit de illis, quae ut plurimum errant, quia haec praesumuntur semper errare[2]. Ratio est, quia singula bona horologia gignunt opinionem probabilem, ac proinde dubium positivum.

QUAER. 6° *An liceat edere vel bibere* STATIM *post Communionem?*

Resp. Olim praecipiebatur jejunium post Communionem usque ad Sextam; sed hoc praeceptum jam diu est abrogatum. Attamen, comedere et bibere sine causa, dum sacrae species adhuc in stomacho perdurant (ubi perdurare censentur per horae quadrantem in sacerdotibus), non excusatur a veniali. Ita communiter. — Dictum est *sine causa;* quia quaelibit justa causa excusat, v. g. si daretur signum mensae pro Religioso[3].

QUAER. 7° *An liceat* EXSPUERE *statim post Communionem?*

Resp. « Omnes conveniunt congruum quidem esse, ut communicantes per aliquod temporis intervallum abstineant ab exspuendo (et consonat Rituale). — Dicunt tament AA., nullum esse peccatum exspuere post Communionem, si nullum hostiae fragmentum remanserit in ore[4]. »

II. De causis a jejunio excusantibus.

1559. — Lex jejunii eucharistici, cum sit positiva et ecclesiastica, admittit aliquando exceptionem, ob causas tamen gravissimas, quae stare possunt sive ex parte *Sacramenti,* sive ex parte *hominis* — CASUS, in quibus Eucharistia a non jejuno suscipi potest, enumerantur QUATUOR:

I. Cum *perficiendum est* Sacrificium. — Quod multifariam evenire potest, videlicet: — 1° Si sacerdos animadvertat se pro vino sumpsisse aquam, etc; quo in casu, debet iterum consecrare, vel utramque speciem, vel saltem vinum, ut supra dictum est (n. 1528. II).

[1] L. I. 38. 39. (a 6ª ed.) — [2] L. VI. 282. — [3] Ib. 283; H. A. XV. 45. — [4] Ib. 283.

Digitized by Google

— 2° Si accidat, ut sacerdos post consecrationem deficiat; in quo casu tenetur alius sacerdos, etiam non jejunus, perficere Sacrificium. — 3° Si sacerdos post consecrationem, etiam unius speciei, recordetur se non esse jejunum, tenetur absolvere Sacrum. Dictum est *post consecrationem;* nam si recordetur ante, tenetur desistere, quoties hoc sine scandalo aut infamia fieri potest. — 4° Si sacerdos, post sumptam ablutionem, advertat aliquas reliquias ejusdem Sacrificii, debet eas sumere, ut diximus (n. 1542. q. 4°) [1].

II. Cum vitanda est *gravis irreverentia* contra Sacramentum; puta si periculum sit, ne sacra Hostia pereat, vel corrumpatur, vel male tractetur ab infidelibus aut haereticis; quia praeceptum impediendi talem irreverentiam praevalet praecepto jejunii, ut communiter docent. — Unde, si sacerdos tunc desit, potest laicus sacram Hostiam sumere: imo, in tali casu, potest sacerdos sacras particulas praebere laicis non jejunis [2].

III. Cum vitandum est *infamiae* vel *scandali periculum*, quod ex Missae Communionisve omissione oriretur; hoc enim casu urget praeceptum naturale, quod praevalet praecepto ecclesiastico. — Jam vero, casus esset, si sacerdos celebrans in publico recordaretur ante consecrationem, se non esse jejunum, et non posset sine scandalo discedere. — Similiter, si die dominico aut festo Missa celebranda esset pro populo, et parochus non jejunus alium sacerdotem jejunum non haberet ad celebrandum. Supponitur tamen in hoc postremo casu, neminem scire, parochum non esse jejunum; alias enim majus scandalum oriretur, saltem apud rudes, ex celebratione, quam ex omissione Missae [3].

IV. Cum instat *articulus* vel *periculum mortis*, ex quacumque causa periculum proveniat, sive ex morbo naturali, sive ex judicis sententia (cf. n. 1565). — Licitum est etiam non jejuno celebrare *ad vitandum* periculum mortis, modo id non exigatur in Ecclesiae contemptum [4].

Hic et quintus casus addi potest, ex responso a S. C. de Prop. Fide Vic. Ap. Tonckini Orientalis dato (13 febr. 1806), quod ita se habet: « Sale a Catechumenis in collatione Baptismi praegustato, etsi jejunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est quin ad Sacram Communionem, suscepto Baptismate, admitti possint, imo vero debeant [5]. »

1560. — Quaesita. QUAER. 1° *An et* QUOTIES *in eadem infirmitate liceat infirmo non jejuno* ITERARE *Communionem per modum Viatici?*

Resp. 1° « Non dubitatur a DD., quin possit pluries accipi Via-

[1] L. VI. 287. 288; H. A. XV. 54. — [2] H. A. XV. 52. — [3] Ib. 53; L. VI. 287; cf. Croix, lib. VI. n. 572, ubi alii similes casus. — [4] H. A. XV. 55. — [5] *Collect S. Sedis*, n. 282.

Digitized by Google

ticum, etiam durante eadem infirmitate, cum hoc Sacramentum sumi debeat, non solum ob praecepti satisfactionem, sed etiam ad robur adversus tentationes, quae in morte sunt validiores et periculosiores. Et hoc non tantum, si novum superveniat periculum, sed etiam si idem perduret. Ita communiter [1]. » Et *Benedictus XIV* [2] adhortatur Episcopos, ut etiam « poenam decernant in parochos, qui, aegrotis devote postulantibus, iterum ac tertio Eucharistiam deferre detrectent falsis praetextibus. »

Resp. 2° Communis sententia est, interjiciendum esse inter Communiones intervallum dierum octo vel etiam sex. — Attamen, alii non improbabiliter docent, posse Viaticum jam die consequenti replicari, casu quo infirmus frequenti Communioni fuisset assuefactus, immineretque mortis periculum. Imo plures AA. admittunt universe, Communionem posse *quolibet die* porrigi, si circumstantiae id suadeant [3]. Sic in monasteriis, et ubi minor apparatus requiritur, facilius concedi potest. — Statuta particularia, hac in re, etiam attendenda sunt.

QUAER. 2° *An possit sacerdos, ad Viaticum ministrandum,* CELEBRARE *non jejunus?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ipse sacerdos, morti proximus, debeat celebrare ad dandum *sibi* Viaticum: tunc enim in eadem persona concurrunt praeceptum ecclesiasticum et divinum, hoc vero praeferendum est. Ita communiter.

Resp. 2° Si Viaticum dandum sit *alteri*, controvertitur. Prima sententia probabilis *affirmat*, quia praeferendum est praeceptum divinum de dando et recipiendo Viatico, praecepto ecclesiastico de servando jejunio. — Secunda vero sententia communis et forte probabilior *negat* [4]; quia praeceptum non celebrandi post cibi sumptionem est etiam divinum quoad substantiam, ratione scilicet reverentiae, quae Sacramento debetur. Cessat vero praeceptum ministrandi Viaticum, quando rite ministrari nequit. — Secus tamen, si moribundus non posset Sacramento Poenitentiae vel Extremae-Unctionis muniri; nam Eucharistia, in hoc casu poterit esse Sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus [5].

QUAER. 3° *An liceat aliquando,* EXTRA MORTIS PERICULUM, *dare Communionem infirmo non jejuno, qui jejunium servare nequit, si nempe morbus futurus sit diuturnus?*

Resp. Negat communis sententia, quam communis etiam praxis confirmat; cum solus Pontifex in gravissima hac lege dispensare

[1] H. A. XV. 46; L. VI. 285. — [2] *De Synodo*, lib. 7. c. 12. n. 5. v. fin. — [3] H. A. XV. 47; L. VI. 285; *Conf. dir.* XIV. 9. — [4] *Conf. dir.* ibid. — [5] L. VI. 286; H. A. XV. 51.

Digitized by Google

valeat [1]. — Hinc, si talis casus incidat, Eucharistia, de licentia Episcopi, nocte deferenda est, ut ita infirmus, statim post mediam noctem, jejunus communicare possit. Quod si hoc fieri nequeat, ad S. Pontificem pro dispensatione recurrendum est [2]. (cf. n. 1881, fin.)

2. — *Munditiæ et decens habitus.*

1561. — Principia. I. « Nulla corporis macula PER SE impedit susceptionem Eucharistiae, cum parum faciat ad bonitatem vel malitiam moralem; potest tamen aliquando PER ACCIDENS impedire, propter effectus secutos [3]. » — Etenim prae omnibus requiritur, ut suscepturus Eucharistiam sit immunis ab omni sorde venerea. — Qua super re sequentia notanda sunt:

1° Ob pollutionem *voluntariam*, quae eodem die accidit, etsi per Poenitentiae Sacramentum fuerit expiata, sub veniali abstinendum est a Communione, sicut et a celebratione, nisi justa causa excuset, « prout prudenti confessario videbitur » ut loquitur Rubrica Missalis [4]. — Ob pollutionem vero *involuntariam* non est abstinendum, nisi forte ex corporis commotione perturbatio mentis adhuc perduret; nam, cum hujusmodi perturbatione accedere, communiter non excusatur a veniali, nisi adsit aliqua justa causa, vel nisi homo conetur, quantum potest, turbatam mentem tranquillare, afferatque diligentiam, ut devote accedat, prout rationabiliter docent omnes [5].

2° Actus conjugalis, per se, non impedit dignam Communionem, si debitum *petitum* aut *redditum* fuerit ex *bono fine*, v. g. ad obtinendam prolem, vel ad vitandam incontinentiam. Si vero solius voluptatis causa redditum vel petitum fuerit, vel si animo exinde inhaereat perturbatio, etc., sub veniali ea die abstinendum est, ob decentiam. Excusat tamen quaelibet rationabilis causa [6]. — Conjugi quaerenti, *an teneatur reddere die Communionis*, hanc REGULAM proponit S. Alphonsus [7]: Si frequenter communicet, debet reddere, ne devotione sua gravet consortem, et ne laedatur justitia vel charitas; si vero communicet dumtaxat in praecipuis festivitatibus, conjugem invitet ad continendum, in honorem Sacramenti; illo renitente, reddat, et nihilominus communicet, modo aliunde dispositus sit.

3° Habentes immunditiam *externam* notabilem, quae tolli facile possit, merito abstineant, donec mundati fuerint. — Si tamen est occulta, aut perpetua et involuntaria, ut lepra, fluxus sanguinis, scabies, non impedit Communionem. — Sacerdoti autem leproso, aut

[1] Bened. XIV in epist. *Quadam de more*, 24 mart. 1756. §. 4. — [2] Cf. Lugo, *de Euch.* Disp. 15. n. 35, 64. — [3] L. VI. 271. — [4] *De defect.* IX. 5. — [5] H. A. XV. 56. — [6] L. VI. 273. — [7] Ib. 274.

Digitized by Google

horrifico morbo laboranti, permittitur privatim celebrare, cum in Jure prohibeatur tantum « pro scandalo et abominatione populi [1]. »

1562. — II. De jure naturali, requiritur EXTERIOR HABITUS et corporis COMPOSITIO, quae internam animi reverentiam et devotionem exhibeat. — Ratio patet; debetur enim huic augustissimo Sacramento non solum interna, sed etiam externa veneratio, cum ipse Christus, mediis speciebus, sensibili quodam modo in eo existat et tractetur [2].

Hinc: 1° Mulieres accedere debent ad S. Communionem in ornatu sancto, modestiam redolente. Si quae valde indecentes, v. g. denudato pectore, se sacrae Mensae sisterent, Communio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus, ad scandala, quantum fieri potest, praecavenda [3]. — 2° Congruum est, armatos accedere depositis armis. Excipiuntur milites S. Joannis, qui in signum defendendae Religionis arma gestant [4]. — 3° Sacerdotes more laicorum communicantes, communicent cum stola. Sic Rubrica, quae hoc sub veniali praescribere videtur [5].

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM

1563. — **Principia.** I. Realis susceptio Eucharistiae non est necessaria ad salutem NECESSITATE MEDII. — Propositio est de fide, si agatur de pueris; si vero de adultis, est communis et certa. — Ratio est, quia Eucharistia per se non confert, sed supponit gratiam primam: haec autem jus tribuit ad caelestem gloriam; unde qui cum illa moritur, etiam non suscepta Eucharistia, salutem aeternam certe consequitur.

Dicitur *realis susceptio;* quia susceptio in voto, juxta sententiam probabiliorem, necessaria est ad salutem necessitate medii, tam adultis quam parvulis. — Probatur: 1° Ex verbis Domini (Joan. 6, 54): « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. » — 2° Ex ratione, « quia Sacramenta Baptismi et Poenitentiae, quae certe sunt necessaria necessitate medii, saltem in voto, ad primam gratiam obtinendam, non conferunt gratiam, nisi respiciendo ad Eucharistiam, ut ad finem omnium Sacramentorum... Adulti autem tale votum habent, dum Sacramenta Baptismi aut Poenitentiae suscipiunt; voluntas enim ipsorum omnia praecepta implendi, hoc etiam praeceptum Eucharistiae saltem implicite comprehendit. Parvuli vero votum habent, non ex voluntate propria,

[1] L. VI. 275; H. A. XV. 58. — [2] Gury, II. 336. — [3] H. A. XV. 58. — [4] L. VI. 275. fin. — [5] Ib. 276; H. A. ib. 58.

Digitized by Google

sed ex voluntate implicita Ecclesiae, quae pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi Baptismum [1] ».

QUAERITUR. *An Eucharistia, in re vel in voto, sit medium necessarium* ADULTIS, *ad vitam spiritualem conservandam?*

Resp. Negant aliqui « dicentes ad hoc alia adesse media. Sed communius et verius *affirmant* alii cum S. Thoma [2]. Ratio, quia sicut vita corporis diu non potest conservari sine cibo materiali, ita nec vita animae sine hoc cibo spirituali, *saltem in voto,* et quidem explicito, in eo, qui necessitatem hujus Sacramenti advertit [3]. »

1564. — II. Sumptio Eucharistiae necessaria est fidelibus adultis necessitate PRAECEPTI, tum divini, tum ecclesiastici. — Praeceptum *divinum* probatur ex verbis Christi: « Nisi manducaveritis etc.; » praeceptum autem *ecclesiasticum* ex Concilio Lateranensi IV, cujus verba infra referemus (n. 1568).

Porro, ex praecepto DIVINO, tenemur Eucharistiam suscipere non solum in periculo mortis, sed etiam *saepius in vita.* Quoties autem ad hoc teneamur, non declaratum est a Christo Domino, sed ipse rem Ecclesiae suae determinandam reliquit; unde unusquisque, per se loquendo, satisfacit praecepto divino, satisfaciendo praecepto ecclesiastico. — Dicimus *per se loquendo;* nam « aliquando, per accidens, tenetur homo ex divino praecepto ad communicandum forte etiam saepius in anno, si hoc censeret necessarium ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen, dicit Suarez, rarissime evenire posse, cum ad hoc sufficere possint alia remedia, orationes, poenitentiae, etc. Eo casu autem, quo Communio esset necessaria, homo, illam omittendo, non peccaret contra illius praeceptum, sed contra virtutem, adversus quam tentationem patitur [4] » (cf. n. 1579. Reg. I. Dic. 2°).

Hisce de necessitate Eucharistiae in genere dictis, restat ut seorsim agamus de duplici Communione, quam unusquisque suscipere tenetur, id est de Communione in articulo mortis seu de *Viatico*, et de *Communione paschali.*

§. 1. *De Viatico.*

1565. — Principia. I. Praeceptum DIVINUM suscipiendi Eucharistiam obligat peculiariter in ARTICULO vel in PERICULO mortis. — Constat ex Concilio Nicaeno can. 13, in quo statuitur, ut cum eis, qui vitâ creduntur discessuri, antiqua lex servetur, nempe ut ultimo et necessario Viatico non priventur [5]. Ratio a priori facile reddi potest, quia ex institutione hujus Sacramenti ut nutrimenti,

[1] Ibid. 192. — [2] 3. q. 80. a. 11. ad 2. — [3] L. VI. 193. — [4] Ib. 295.
[5] Cf. Lugo, *De Euch.* Disp. 16. n. 34.

Digitized by Google

colligitur obligatio sumendi illud, quando judicatur necessarium; nunquam autem major esse potest hujus cibi necessitas quam in illo articulo, ex quo pendet ultimo aeternitas, et in quo imminet ultima lucta cum hoste, ad decernendum de tota re [1].

« Dictum est *in periculo;* quia ad recipiendum Viaticum non est necesse nec laudabile expectare tempus, quando nulla amplius spes vitae subest; sed sufficit, ut adsit periculum *probabile* mortis [2]. »

Hinc: 1° « Quisque fidelis, in periculo vitae, quod praevidet vel merito timet, v. g. in gravi morbo, ante conflictum, vel puerperium, praesertim primum, ante navigationem, etc. tenetur sub mortali communicare [3]. » Ita communiter.

2° Qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur postea supplere. — Similiter, qui post Viaticum sumptum peccavit mortaliter, non tenetur denuo communicare; sufficit tunc sola confessio [4].

1566. — II. Excipiuntur a lege Viatici aegrotantes, qui NON POSSUNT illud recipere cum debita reverentia. — Monet etiam Rituale: « Diligenter curandum est, ne iis tribuatur Viaticum, a quibus ob phrenesim, sive ob *assiduam* tussim, aliumque similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest. » Ratio est, quia non agitur de Sacramento omnimodae necessitatis, et ideo potius Sacramenti reverentiae, quam infirmi utilitati prospiciendum est [5].

Propterea: 1° In periculo vomitus, non est tribuendum Viaticum. — Unde, si infirmus jugi vomitu laboret, non potest communicare, nisi saltem per sex horas ab eo liber fuerit. Quod si vomitus ex ipso cibo proveniat, potest, experimenti causa, ei praeberi particula non consecrata; ac dein, si hanc retinuerit, particula consecrata. — In dubio, melius est abstinere.

2° Tussis, nisi sit assidua vel adeo frequens, ut nequeat infirmus particulam trajicere, non impedit Communionem; quia alia est via (guttur videlicet), qua trajicitur cibus, et alia (nempe aspera arteria), ex qua ejiciuntur phlegmata et suspiria [6].

3° Delirantibus ante deliquium mentis rite praeparatis, potest et debet dari Viaticum, si communicare valeant, secluso irreverentiae periculo. Optima autem praxis est, ut etiam hujusmodi infirmis primo detur particula non consecrata, ad experiendum an possint inde decenter sumere Eucharistiam [7]. (V. n. 1546).

1567. — Quaesita. QUAER. 1° *An qui* PAUCIS ANTE DIEBUS, *ex devotione communicavit,* TENEATUR, *superveniente mortis periculo, sumere Viaticum?*

[1] Lugo, Disp. 16. n. 35. — [2] H. A. XV. 46. — [3] L. VI. 291. — [4] Ib. 293. — [5] H. A. XV. 20. — [6] Ib. 20. 21. — [7] L. VI. 292.

Digitized by Google

Resp. Controvertitur. — « Sententia communior *negat*, etiamsi ante octo dies communicaverit, quia jam satisfecit fini praecepti. Haec sententia est satis probabilis, saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia tunc, tempore Communionis sumptae, jam coepit moraliter imminere periculum. — Secunda vero sententia probabilior *affirmat*, quia hoc praeceptum, quod divinum est, praecise obligat, cum actu urget mortis periculum; et sicut non potest debito satisfieri antequam illud contrahatur, ita nec adimpleri praeceptum antequam obligare coeperit. — Nec valet dicere, quod per illam Communionem jam praecepti fini satisfactum sit; quia si hoc sufficeret, sufficeret etiam ad adimplendum praeceptum paschale ut quis communicaret die praecedente Dominicam Palmarum; sed hoc nequit dici [1]. »

QUAER. 2° *An qui* MANE *communicavit ex devotione*, DEBEAT *aut* POSSIT *Viaticum sumere, superveniente mortis periculo?*

Resp. Tres adsunt sententiae. Prima dicit eum teneri, ut satisfaciat praecepto. — Secunda dicit non teneri, sed posse. — Tertia dicit non teneri nec posse, cum praxis Ecclesiae ea sit, ut nemo bis eodem die communicet. — *Benedictus XIV* dicit, parochum posse quam maluerit harum amplecti sententiam; unde omnes tres ut probabiles habet. — Caeterum, inter has *probabilior* videtur sententia, quae sic distinguit: in morbo *violento*, v. g. si quis fuerit vulnere percussus, vel ex alto ceciderit, potest communicare (imo tenetur juxta dicta in quaestione praeced.); quia hic revera non accepit Viaticum in mortis articulo constitutus; secus vero, in morbo *naturali*, cum quis nempe jam in aegritudine positus mane communicaverit; quia tunc jam aderat mortis periculum, quamvis ignotum. Et idem dicendum, si morbus fuerit repentinus, puta apoplexia, vel quid simile; nam hujusmodi morbi judicantur jam prius in suis causis dispositi existere, licet ignorentur [2].

Nota. « Infirmo ad mortem, qui absolutione peccatorum dignus habitus fuerit, SS. quoque Viaticum concedendum est. » Ita S. C. DE PROP. FID. ad Vic. Ap. *Pondicherien.*, 26 julii 1845 [3].

§. 2. *De Communione paschali.*

1568.— Ex praecepto DIVINO, ut diximus (n. 1564), tenemur *saepius in vita* Eucharistiam suscipere. « Ratio, quia sicut oportet saepius sumere cibum terrenum ad conservandam vitam corporalem, ita cibum caelestem ad conservandam vitam spiritualem [4]. » — Ex

[1] H. A. XV. 48; L. VI. 285. dub. 2; cf. *1 El. qq. ref.* n. 66. — [2] H. A. XV. 49; L. VI. 285. dub. 3; *1 El. qq. ref.* n. 66. — [3] *Collect. S. Sedis*, n. 365. — [4] L. VI. 295.

Digitized by Google

praecepto autem ECCLESIASTICO pressius determinantur hujusce obligationis *tempus* et *modus*, prout habetur in Concilii Lateranensis IV Constitutione, quae sic sonat: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter semel saltem in anno proprio sacerdoti... suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae Sacramentum; nisi forte, de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. » Confirmatur ex Trid., sess. 13. can. 9.

Tres in his Concilii verbis continentur obligationes, haeque graves: Prima spectat ad suscipiendi Sacramenti *frequentiam;* altera ad *tempus* susceptionis, et tertia ad susceptionis *locum.* — Quocirca sint sequentia

1569. — Principia. I. Quisque fidelis tenetur SEMEL SALTEM IN ANNO suscipere Eucharistiae Sacramentum. — Nec vero praecepto satisfacit qui sacrilege communicat, prout constat ex 55ª propos. ab Innocentio XI damnata: « Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem. » Qui igitur indigne communicavit, tenetur postea satisfacere, non secus ac qui Communionem prorsus omisit [1].

QUAERITUR. *Quomodo computandus sit annus obligationis hujus annuae Communionis ?*

Resp. « Alii censent computandum esse a januario ad decembrem. — Sed ex communi DD. sententia, et consuetudine ubique recepta, tempus computatur *a Paschate ad Pascha*, quia hic censetur annus ecclesiasticus. — Tempus autem paschale incipit a Dominica Palmarum, et terminatur Dominica in Albis, ex declaratione Eugenii IV in Bulla *Fidei digna*, anno 1440. Ex consuetudine tamen, necessitate, vel privilegio, plus temporis conceditur [2]. »

1570. — II. Annua Communio Christi fidelibus praescripta, peragenda est TEMPORE PASCHATIS. — Hoc tempus, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, assignatum est ab Ecclesia, non ad finiendam, sed ad *sollicitandam* obligationem divini praecepti: quare, qui in Paschate Communionem omisit, tenetur *quamprimum* communicare, ex praecepto tum ecclesiastico, tum divino [3].

Tempus autem paschale stricte computandum est, ita ut quaevis dilatio, etiam *unius diei*, per se, gravis censenda sit [4]. — Haec tamen obligatio minime urget confessarium, ut indispositos justo citius absolvat. Sed Fideles tenentur tollere impedimenta. Hinc

[1] L. VI. 294. — [2] Ib. 296. — [3] Ibid. 297. *Prima sent.* — [4] Gury, I. 482. q. 4.

Digitized by Google

« excommunicati et carceribus detenti, cum possint, tenentur procurare absolutionem, aut libertatem, quo possint praecepto paschali satisfacere [1] » (cf. n. 225).

QUAERITUR. *An qui non possit communicare tempore Paschatis, teneatur* PRAEVENIRE?

Resp. 1° « Certum est quod, *incepto* tempore paschali, si quis impediendum a Communione se praevidet, tenetur illico eam accipere, ut communiter docent [2]. » — 2° Tempore paschali *nondum incepto*, non tenetur praevenire, quia, juxta sententiam communem, « ante illud tempus non adhuc contracta est obligatio; et si quis praevenit, non satisfacit praecepto; et hoc ita est, ut si quis ob impedimentum praevisum anticiparet, et postea cessaret impedimentum, etiam teneretur communicare in Paschate [3]. »

1571. — III. « Tenetur quivis Communionem paschalem sumere IN PROPRIA PAROCHIA a pastore suo (vel ejus delegato), nisi hujus licentia, consuetudine, aut privilegio, eximatur. » — Constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus et Romanarum Congregationum declarationibus [4], atque ex praxi universalis Ecclesiae. Ratio legis est, ut pastor cognoscat oves curae suae commissas.

Dicitur 1° *in propria parochia*, i. e. in parochia sui domicilii aut quasi-domicilii (cf. n. 203). — Hinc, non satisfacit qui communicat in ecclesia cathedrali, quippe quae ecclesias parochiales suis juribus spoliare nequit. — Satisfacit autem, qui alicubi Communionem de manu sui parochi suscipit, quia pastor ubique oves suas cognoscere censetur. Similiter, qui *Viaticum* tempore paschali suscepit de manu sui parochi, utrique praecepto satisfecit.

Dicitur 2° *nisi pastoris licentiâ eximatur;* « quia cum consensu S. Pontificis, vel Episcopi, sive Ordinarii, aut ejus Vicarii generalis, vel parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine pastoris) extra parochiam communicando, satisfieri praecepto DD. concedunt. » — Sufficit tamen licentia PRAESUMPTA, seu interpretativa, dummodo consensus moraliter certo supponi possit [5]. Et si parochus sit aut praesumitur irrationabiliter invitus, potest licite praesumi consensus Episcopi aut Pontificis. — Nec vero licet parocho suis parochianis licentiam *generalem* concedere, ut in aliena ecclesia praecepto paschali satisfaciant, cum ipse in lege Ecclesiae universaliter dispensare nequeat. Ita S. C. Conc., 7 sept. 1615.

Dicitur 3° *consuetudine:* hac ratione satisfaciunt *sacerdotes,* ubicumque celebrent. Intellige, si celebrent; alias enim tenentur com-

[1] H. A. XII. 41; L. VI. 299. — [2] L. VI. 298. fin. — [3] H. A. XII. 40. — [4] Cf. Bened. XIV, Encycl. *Magno*, §. 21. et *Instit.* 18. — [5] L. VI. 300; H. A. XII. 41.

Digitized by Google

municare in parochia, ut laici. — Item, eximuntur *peregrini* et *vagi*, qui aut parochiam non habent, aut ita ab ea absunt, ut nequeant commode ad eam reverti. Possunt proinde in quacumque ecclesia communicare, nisi (prout fert Rituale) in aliquo loco vigeat consuetudo eos ad ecclesiam cathedralem remittendi [1]. — Et idem dicendum de *militibus*, si non sint in statione, nec domicilium, aut quasi-domicilium in civitate habeant.

Dicitur 4° *aut privilegio:* Regularibus enim concessum est privilegium, ut ipsorum familiares in eorum ecclesiis satisfacere possint; modo actu inserviant, inter monasterii septa resideant, et sub Praelatorum obedientia vivant, ut habetur in Tridentino [2] (cf. n. 2186).

Quaesitum fuit: « An famuli et famulae Monialium saeculares, degentes in mansionibus sitis in *atriis* monasteriorum muro circumvallatis, et quae sunt contigua monasteriis et habent portam quae clauditur, teneantur recipere Sacramentum Eucharistiae tempore paschali a parochis, in quorum parochiis monasterium et mansiones sitae sunt? — Et S. C. C., 19 sept. 1722, respondit: *Affirmative* et *amplius*... quo vocabulo *amplius*, Cardinales omnes fuisse unanimes declaratur, nullamque in posterum, de eadem re satis clara, quaestionem habendam. » Ita Bened. XIV [3].

1572. — QUAERITUR. *Ad quid teneatur, qui praecepto paschali in propria parochia* NON SATISFECIT?

Resp. 1° Qui in propria parochia communicavit, sed ob *indignam* susceptionem, non satisfecit, tenetur quidem quamprimum communicare, sed potest id facere in qualibet ecclesia; quia a pastore jam sufficienter agnoscitur [4]. — 2° Qui *bona fide* in *aliena* ecclesia communicavit, non videtur obligari sub gravi ad iterandam Communionem in ecclesia sua parochiali; quia rationabiliter praesumitur parochus non ita jus suum urgere, saltem erga eos, qui Sacramenta rarius suscipiunt. — 3° Qui Communionem *omisit*, vel *mala fide* in aliena ecclesia communicavit, tenetur quamprimum communicare in propria sua ecclesia; quia sua neminem improbitas a lege excusat. — Facilius tamen, elapso jam paschali tempore, consensus parochi praesumi potest, ut in aliena ecclesia satisfiat [5].

Notandum, *poenam* in legis transgressores edictam non incurri, nisi post sententiam judicis [6] (cf. n. 1387, 4°).

1573. — IV. Praecepto paschali tenetur omnis utriusque sexus fidelis, postquam AD ANNOS DISCRETIONIS pervenerit. — Quanam vero aetate pueri hanc discretionem habere censeantur, hoc loco perpendendum est. — Hinc sequentia

[1] L. VI. 240. — [2] Sess. 24. cap. 11. — [3] *Inst.* 55. n. 8. — [4] Croix, L. VI. n. 630. — [5] Suarez, *De Euch.* Disp. 72. sect. 2. n. 10. 11. — [6] Lib. VI. 674; cf. Togni, p. 251.

Digitized by Google

Quaesita. — QUAER. 1° *An* PUERI *statim ac habent usum rationis communicare teneantur?*

Resp. Neg., ex communissima et probabiliori sententia. « Ratio, quia communis usus Ecclesiae sic interpretatur obligationem hujus praecepti, tum ut pueri cum majori reverentia et fructu Eucharistiam suscipiant, tum ne ipsi facile exponantur periculo transgressionis. Et quamvis obligentur ad confessionem, non ideo tamen tenentur suscipere Eucharistiam, quae est majoris excellentiae et non tantae necessitatis. — Nec obstat Canon Concilii Lateranensis, ubi dicitur quod omnis fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, tenetur non tantum ad confessionem, sed etiam ad Communionem; nam, anni discretionis intelligendi sunt *respective* ad rationem materiae, nempe cum quis pervenerit ad discretionis annos pro confessione, confiteatur; quando ad discretionis annos pro Communione, communicet[1]. »

Pueris autem in MORTIS PERICULO constitutis, modo inter profanum et caelestem cibum utcumque discernere valeant[2], non solum Communio dari potest, sed etiam *debet*, ut communissime docent AA. « Ratio, quia ex una parte pueri in tali periculo constituti, tenentur ex praecepto divino communicare; ex alia, utilitas Eucharistiae tunc majorem dispositionem non exposcit[3]. »

QUAER. 2° *Quando censeantur pueri* OBLIGATI *ad communicandum?*

Resp. « Communiter dicunt DD., REGULARITER loquendo, pueros non obligari ad Communionem *ante nonum* vel *decimum* annum; » (idem sentit Concilium Albiense anno 1850[4]) « nec differendam eis esse Communionem *ultra duodecimum* vel saltem *ultra decimum quartum* annum... Dictum est REGULARITER; nam, ut advertunt AA., citius possunt obligari pueri, qui ante talem aetatem perspicaciores conspiciuntur. Unde recte reprehendit Roncaglia parochos, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem nisi pueros in certa aetate constitutos. — Notandum autem quod, licet pueri anno decimo *possint* ad Communionem admitti, non tamen ipsi ad illam tenentur, sed tunc solum, cum a parocho vel parentibus moniti fuerint[5]. »

QUAER. 3° *Ad* QUEMNAM *spectet examen instituere et judicium ferre de pueri capacitate?*

Resp. « 1° Quoad AETATEM et ANIMAE DISPOSITIONEM, spectat ad *parentes* et *confessarium* rem dirimere. Sic enim *Cathechismus Romanus*[6]: « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo,

[1] L. VI. 301. *Secunda sent.* — [2] *Collect. S. Sed.* n. 366. — [3] L. VI. 301. dub. 2. — [4] Tit. 5. decret. 5. ap. *Collect. Lacen.* tom. IV. pag. 433 — [5] L. VI. 301. dub. 1. — [6] P. 2. c. 4. n. 63.

Digitized by Google

melius constituere poterit, quam pater, et sacerdos, cui illi confitentur peccata; ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, et gustum habeant. »

« 2° Quoad EXAMEN circa doctrinam christianam, de jure communi nihil particulare statuitur. Spectat igitur ad confessarium attendere, utrum puer habeat sufficientem doctrinam. — De jure autem *particulari*, in multis locis ab Episcopis statuto, pueri ad primam Communionem admittendi ab ipso parocho, vel ejus delegatis, de doctrina et judicii maturitate examinari debent [1]. »

1574. — De PRIMA puerorum COMMUNIONE juvat adjicere sequentia ex Concilio Burdigalensi, celebrato anno 1850 [2]:

« Cum ex primo ad sacram Synaxim accessu saepe pendeat totius vitae ratio, ipsaque ideo aeterna salus, obsecramus in Domino quoslibet rectores animarum, ut quam maximam, in disponendis ad primam Communionem parvulis, diligentiam impendant... Exigant, quantum fieri poterit, ut pueri, duobus annis, assidue *catechismo* assistant; illos diligentia peculiari erudiant, frequenter interrogent, nec admittant, nisi de eorum scientia sufficienti omnino constet.

Deinde: « Illos ad disponendam Deo mansionem, quod opus grande est, omnimode *excitent;* atque discernendi causa quinam corde magno et animo volenti se praeparent, diligenter de singulorum agendi ratione inquirant, et ipsimet advigilent illis attente; saltem *semel in mense*, illos ad sacrum tribunal excipiant, aut excipiendos curent, eoque frequentius, quo magis instat Communionis tempus.

« Ante Communionem, *generalem* totius vitae *confessionem* recipiant, caventes ne, repulsionis metu, aliquod celetur peccatum. — Tribus autem diebus ante Communionem, illos *piis exercitationibus* proxime praeparent, et die ipso maximam solemnitatem adhibendam, votaque Baptismi renovanda curent. »

Ex SYNODO TAURINENSI subjungimus: « Quod si adolescens, (jam 13um annum adeptus) proprium parochum adire *nequeat*, eximium praestabit caritatis opus (Confessarius), si eum doceat in catechesi, et ad Communionem promoveat: eum vero *hortetur*, ut parochum suum hac de re certiorem faciat [3]. »

ARTICULUS IV.

DE FREQUENTI COMMUNIONE

1575. — Pia mater Ecclesia, stricto praecepto, ad solam Communionem paschalem obligat. « Neque tamen fideles satis habeant, se, hujus decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodo Corpus Domini quotannis accipere; verum *saepius* iterandam Eu-

[1] Gury, Casus XI, *de Euch.*, ubi etiam Const. Bened. XIV *Etsi minime* rite interpretatur. — [2] Tit. 3. cap. 4. n. 2. ap. *Collect. Lacen.* tom. IV. p. 569. — [3] Apud cl. Del Vecchio, I. n. 497. adn.

Digitized by Google

charistiae Communionem existiment. — Utrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest [1]; » sed NORMA varia pro varietate personarum stabilienda est. — Quomodo autem in hoc procedendum sit, edocebunt sequentia

1576. — Principia. I. Communionis frequentia ita definienda est, ut tum REVERENTIAE tanto Sacramento debitae, tum suscipientis UTILITATI consulatur. — Ratio PRIMI est, quia ob Sacramenti excellentiam, « requiritur ut cum magna devotione et reverentia (suscipiens) accedat...; sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit praeparatum [2]. » Unde merito damnata fuit ab Innocentio XI propositio 5ª quae dicebat: « Frequens confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis. » Melius dicere debebant, observat *S. Alphonsus* [3], « est nota reprobationis. » — Ratio SECUNDI est, quia Eucharistiae Sacramentum primario fuit a Domino nostro institutum ad spiritualem refectionem animarum; nec dubium est, quin amantissimus Redemptor velit hunc cibum praeberi universis ovibus suis: benevalentibus, ut vitam abundantius habeant; et languidis, ut convalescant.

Quare sic vivant christifideles, exoptat TRIDENTINA SYNODUS [4], « ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis. » — Et ab Alexandro VIII damnata est haec 23ª Baji propositio: « Similiter arcendi sunt a Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers. »

1577. — II. Quo uberior fructus a Communione provenit suscipienti, eo FREQUENTIUS concedenda est; et, quo gradu fructus decrescit, eo gradu MINUENDA est frequentia, non ut penitus omittatur Communio, sed ut accrescant praeparatio et devotio. — Qua super re ita Innocentius XI [5]: « Frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum... judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu, quod prospiciunt eorum (poenitentium) saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. » Docet idipsum *D. Thomas* [6], scribens: « Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana

[1] *Catech. Rom.* p. 2. c. 4. n. 60. — [2] S. Th. 3. q. 80. a. 10. — [3] L. VI. 254. — [4] Sess. 13. cap. 8. — [5] Decret. S. C. C. *Etsi frequens* (12 febr. 1679). — [6] In 4. dist. 12. q. 3. a. 1. ad 2am.

Digitized by Google

sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. »

Cavendum vero, ne, sub reverentiae praetextu, Sacramentum deseratur; nam « quamvis aliquo die a Communione abstinere sit etiam virtus, tamen, inquit P. Granata in suo Tractatu *de Communione*, esse communem DD. opinionem, quod melius sit accedere quotidie ad Communionem ob amorem, quam abstinere ob reverentiam [1]. »

1578. — Est autem advertendum, uberiorem illum FRUCTUM, qui in Communione attenditur, esse duplicis generis, ita nempe ut versetur vel in spe, vel in actu. — 1° Versatur *in spe* respectu illius communicantis, qui vero ac recto Communionis desiderio tenetur, et qui proinde eam suscipit, non ut videatur ab hominibus, sed ut in amore Dei atque in unione cum Christo proficiat. — 2° Versatur autem *in actu* respectu illius, qui magna conscientiae puritate nitescit, qui progreditur jugiter in pietate et in charitate, qui resistit fortiter tentationibus, et qui voluntatem semper habet promptam exequendi divina mandata.

Unde *S. Alphonsus* [2]: « Notandum est, inquit, id quod S. Franciscus Salesius in sua Philothea dicit: Si quaerant a te, cur tam frequenter communices, responde illis, quod duplex personarum genus debet saepius communicare, perfecti scilicet et imperfecti: perfecti, ut se in perfectione conservent; inperfecti, ut ad perfectionem valeant pervenire; fortes, ne debiles fiant; debiles, ut fortes evadant; infirmi, ut curentur; benevalentes, ne infirmentur. Et quod ad te attinet utpote imperfectam, infirmam, debilem, eges frequenti Communione. — Dic illis, quod ii, qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent saepius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero hujusmodi negotiis detinentur, quia egent Communione. »

Caeterum, ut advertit S. Doctor cum S. Laurentio Justiniano, non oportet ut anima *sentiat*, aut aperte in se *discernat* augmentum fervoris; quoniam non raro hoc Sacramentum operatur, quin nos ipsi ejus operationem animadvertamus. — Sufficit igitur confessario detegere in intimo voluntatis sui poenitentis quamdam ALACRITATEM ad exequenda quaecumque Deo placuerint [3].

1579. — Secundum praedicta principia, *S. Alphonsus* quasdam statuit REGULAS SPECIALES, quas modo exponere juvat.

Praenot. Triplex distinguitur frequentiae gradus: 1° Communio *hebdomadaria*, quae ordinarie suscipitur semel in hebdomada; 2° Communio *frequens*, quae pluries in hebdomada suscipitur; 3° Communio *quotidiana*, quae quotidie, uno die forte dempto, suscipi solet. — Quocirca dantur tres regulae sequentes:

REGULA I. Communio HEBDOMADARIA omnibus, qui peccata *mortalia* vitare solent, regulariter concedenda et consulenda est. — Dicitur 1° *omnibus qui peccata mortalia vitare solent*, i. e. qui de iis vitandis sunt solliciti, etsi in majori acquirenda perfectione nullam

[1] *Praxis*, n. 151. — [2] Ib. n. 153. — [3] Ib. 155.

Digitized by Google

curam ponant. Quod si interdum in mortale labantur, non est eis propterea deneganda Communio, dummodo peccata sua detestentur vitaeque emendationem sibi proponant. — Dicitur 2° *concedenda et consulenda;* nam ex una parte, istiusmodi animabus plus concedi nequit, teste S. Alphonso, qui sic scribit [1]: « Non est dubium, quin error sit, ut advertit *Benedictus XIV*, concedere Communionem frequentem (i. e. plus quam semel in hebdomada) iis qui accedunt cum affectu ad peccata venialia deliberata, sine ullo desiderio se ab eis liberandi; » sed nec minus, ex altera parte, ipsis consulenda est, ne scilicet in peccatum mortale prolabantur. « Multi sunt, inquit *S. Alphonsus* [2], qui communicando singulis octo diebus, a peccato mortali evadent immunes, non autem communicando singulis mensibus. » Et alibi [3]: « Qui vitam tepidam agunt, ut saltem possint in gratia Dei se servare, bonum est ut sumant Corpus Christi *singulis Dominicis*, aut saltem *bis in mense.* » — Dicitur 3° *regulariter;* interdum enim hi etiam in hebdomada communicare poterunt: v. g. occurrente quodam speciali festo, vel si essent in periculo labendi in mortale, ut ita vires recipiant ad resistendum; interdum vero expediens erit illis, qui non versantur in tali periculo, per integram hebdomadam Communionem interdicere, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, et majorem erga Sacramentum reverentiam [4].

1580. — Regula II. Communio frequens permitti et suaderi potest fidelibus, qui peccata venialia *plene deliberata* vitare solent, *mediaque perfectionis* assequendae assumunt. — En hac super re verba S. Alphonsi: « Cum anima nullo jam detinetur affectu ad rem sub veniali prohibitam, a venialibus plene voluntariis sese abstinet, et insuper orationi ac mortificationi passionum et sensuum sese applicat, tunc ipsi confessarius potest concedere, ut ter, quater, imo et quinquies in hebdomade communicet [5]. » — Advertit autem S. Doctor [6]: « Quodsi postea dignoscatur, non obstante frequentia Communionis, animam nihil proficere in via perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhaereret etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo: tunc certe consulto restringendus erit usus Communionis, etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione, et suae spirituali perfectioni consulere. » — Et loquens de personis Deo consecratis: « Imo, nonnisi aegre permitterem, inquit, frequentem Communionem illi Moniali, quae sese emendare non vellet de quodam

[1] Ib. n. 149. — [2] *Risposta apolog.* (ed. Turin. tom. IX. p. 890). — [3] *Inst. catech.* p. 2. c. 4. n. 9. fin. — [4] *Praxis,* n. 149. — [5] *Vera Sposa,* cap. 18. §. 3. n. 7. — [6] *Praxis,* n. 155.

Digitized by Google

defectu, licet non evidenter peccaminoso, certe tamen perfectioni contrario, praesertim si agatur de defectu contra humilitatem, aut contra obedientiam [1]. »

1581. — Regula III. Communio quotidiana concedenda est animabus, quae *ab affectu ad quodvis veniale* immunes, multum *orationis* et *mortificationis* exercitio incumbunt, magnoque *Communionis desiderio* tenentur. — Hae enim implent conditionem, quam requirit *S. Thomas* scribens: « Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. » « Excipe, ordinarie loquendo, unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui directores; et excipe tempus illud, quo privare velint poenitentes Communione, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam aliam justam causam [2]. » — Attamen, in Novenis Spiritus Sancti, Nativitatis Domini, et B. Mariae Virginis, et suorum sanctorum Patronorum, talis persona potest quotidie communicare [3].

Atque haec confirmantur Decreto Innocentii XI, ubi sic habetur: « Moniales quotidie sacram Communionem petentes, admonendae erunt, ut in diebus ex earum Ordinis Instituto praestitutis communicent: si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus incaluerint, ut dignae *frequentiori* aut *quotidiana* sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur.»

Postulatum fuit: « An et de cujus licentia sacram Eucharistiam recipere debent Moniales, quae eam recipere volunt ultra dies statutos a Constitutionibus vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes Moniales communicent? — Et S. C. Conc., 14 apr. 1725, respondit: « De licentia *confessarii ordinarii*, et non Directorum, praevia participatione Praelati ordinarii [4]. »

1582. — *Monita.* 1° Confessarius *non statim* Communionem frequentem in perpetuum concedat, sed, qualibet vice, certum solummodo Communionum numerum, donec de poenitentis profectu et fervore experimentum ceperit. Multi enim cum fervore incipiunt, qui paulatim decidunt, et tamen a regula sibi praefixa difficulter recedunt.

2° Frequens Communio imprudenter suaderetur aut concederetur personis aliunde dispositis, quae ad eam accedere nequeunt, sine aliquo detrimento *rei familiaris*, educationis puerorum, curae infirmorum, etc. Personae tamen prudentes noscunt plerumque utrumque, devotionem scilicet et officia status, ita conjungere, ut haec sibi invicem minime noceant [5].

3° Communionis fructus pendet non ex sola communicantium dispositione, sed etiam, et quidem permultum, ex gratiarum actione. — Hinc, confessarium sic admonet *S. Alphonsus* [6]: « Curet etiam insinuare, ut post Communionem immoretur quisque in gratiarum actione pro eo tempore, quo potest.

[1] *Vera Sposa*, l. c. n. 7. — [2] *Praxis*, 152. — [3] Ib. 158. — [4] *Collect. S. Sedis*, n. 368. — [5] Cf. *Risp. apolog.* v. fin. (ed. Turin. vol. IX. p. 891). — [6] *Praxis*, n. 155. v. fin.

Digitized by Google

Paucissimi sunt directores, qui sedulo id faciunt...; et ratio est, quia paucissimi sunt sacerdotes, qui post Missae Sacrificium cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistunt; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. — Gratiarum actio ordinarie per *integram horam* durare deberet; fiat saltem per *dimidiam*, in qua anima in amando et petendo se exerceat » (cf. n. 1554. fin. et n. 1555. qu. 3°).

4° Insinuet etiam confessarius poenitentibus, ut saepius SPIRITUALITER communicent. Hoc enim piis fidelibus valde utile est et a S. Tridentino Concilio [1] commendatur, cum dicit illos spiritualiter communicare, « qui *voto* propositum illum caelestem panem edentes, fide viva quae per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt. » (cf. n. 1563. quaer.)

MODUM spiritualiter communicandi sic proponit *S. Alphonsus* [2]: « Elice igitur actum FIDEI, quo firme credas Jesum Christum in Sacramento praesentem esse; actum AMORIS, cui adjungatur tuorum peccatorum *contritio;* deinde actum DESIDERII, quo Jesum Christum invites, ut in tuam veniat animam, eamque suam reddat; demum *gratias* ei age, quasi jam vere suscepisses. »

CAPUT IV.

DE ASSERVANDO SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

1583. — « Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit [3]. » Ne autem tantum Sacramentum irreverenter habeatur, plura ab Ecclesia de illius asservandi modo praescripta fuerunt, quae omnia apud *liturgicarum Institutionum* auctores legi possunt. Nos pauca tantum, et quae majoris sunt momenti, ex Rituali Romano [4] excerpta hic trademus.

1° « Curare debet (parochus) ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium Communioni satis esse possit, conserventur. » Non tamen in quavis ecclesia Sanctissimum servari potest, sed solum in *cathedralibus*, *parochialibus* aut *quasi-parochialibus*, v. g. quae in hospitalibus et collegiis exemptis habentur. — Ex privilegio etiam servari potest in ecclesiis *Regularium*, et *Monialium* sub clausura viventium. — In aliis autem ecclesiis, etiam collegiatis, asservari nequit absque Indulto pontificio, quod regulariter concedi non solet pro Oratoriis privatis, nec pro capellis ruralibus, nisi adsit populi concursus, et distantia a parochia [5].

2° Asservanda est SS. Eucharistia « in *pyxide* ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta. » Pyxis, quantum fieri potest, sit aurea vel argentea;

[1] Sess. 13. cap. 8. — [2] *Vera Sposa*, c. 18. §. 3. — [3] Trid. sess. 13. cap. 6. — [4] *De Euchar.* cap. 1. n. 5. seqq. — [5] L. VI. 424. v. *Hic ultimo.*

Digitized by Google

in ecclesiis tamen valde pauperibus permittitur ex stanno, modo sit intus deaurata. Ipsi, dum continet SS. Sacramentum, semper substratum sit corporale mundum aut saltem palla.

3° Pyxis cum Sanctissimo reponatur, « quantum res feret, ornato in *tabernaculo* clave obserato. — Hoc autem tabernaculum conopeo (sit) opertum, atque ab omni alia re vacuum ; » intus auro vel argento sit vestitum, aut saltem pannis sericis albi coloris [1]. — Debet soli Eucharistiae asservandae inservire : unde nec Reliquiae, nec S. Chrisma, nec Oleum infirmorum in eo reponi possunt [2]. — Clavis nonnisi a parocho aut alio sacerdote (apud Religiosos a Sacrista, et apud Moniales a Capellano) custodiatur [3]. — Conopeum sit coloris albi, vel Officio diei convenientis [4]. — Non licet, devotionis aut ornamenti causa, quidquid, praeter crucem, tabernaculo superponere [5], vel collocare ante illius ostiolum [6].

4° Tabernaculum, ubi SS. Eucharistia asservatur « in *altari majori* vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum ; ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. » — In *uno* tantum altari asservari potest SS. Eucharistia [7], et regulariter debet esse in altari majori tanquam digniori [8]. In cathedralibus designetur altare, quod non sit in conspectu chori, propter functiones pontificales, quae fiunt versis renibus ad altare [9].

5° « *Lampades* coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceant. » Facultas SS. Eucharistiam asservandi sine lumine haberi potest ex solo Indulto Apostolico [10]. — Porro, S. R. C. (9 julii 1864) [11] declaravit : « generatim utendum esse *oleo olivarum ;* ubi vero haberi nequeat, remittendum esse prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetabilibus [12]. » Quod si, ob graviter culpabilem negligentiam parochi, vel ejus, cui ista cura commissa est, integro die, vel aliquot integris noctibus, lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, est peccatum mortale, ut communiter docent AA. ; secus, si per unam tantum horam non ardeat [13].

[1] S. C. Ep. et Reg. 26 octob. 1575 ; (cf. *Collect. S. Sed.* n. 329). — [2] S. C. Ep. et Reg. 3 mai. 1693 ; (cf. Crispino, *Visita pastoral.* p. II. §. II. n. 9). — [3] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 334 et 335 ; cf. Lucidi, cap. 1. n. 100 et 101, ubi varia decreta habentur. — [4] Ib. n. 332 et apud Gardell. n. 5221 ad 12. (S. C. R. 21 jul. 1855 in *Briocen.*). — [5] *Collect. S. Sed.* n. 330 ; et Gardell. n. 4578 et 4777. — [6] *Collect. S. Sed.* n. 331 ; Gardell. n. 5033. (6 sept. 1845). — [7] Gardell. n 3392. ad 3. (21 julii 1696). — [8] Cf. Lucidi, cap. 1. n. 91. — [9] Gardell. n. 5023 (die 14 junii 1845) ; et Lucidi, ibid. n. 91. — [10] Cf. Konings, I. p. LXXII. n. 24. — [11] Gardell. n. 5331. (14 jul. 1864). — [12] In Supplem. ad Rit. Rom. (p. 16). — [13] L. VI. 248 ; cf. *Analecta J. P.* series 1. p. 1306, ubi plura.

Digitized by Google

6° « Curabit (etiam) parochus, ut *omnia* ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint et conserventur. »

7° Renovabit « SS. Eucharistiae *particulas* frequenter, » videlicet semel in hebdomada, vel alternis saltem hebdomadibus [1].

« Hostiae vero seu particulae consecrandae sint *recentes* (cf. n. 1540); et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat. » Proinde caveat, ne particulae recenter consecratae veteribus admisceantur [2]; hisce vero omnibus distributis vel a seipso sumptis, pyxidem purificare non omittat [3]. — Si renovanda sit hostia major pro expositione Sanctissimi, debet ipse sacerdos veterem sumere; non enim licet eam frangere, et fidelibus distribuere [4].

1584. — QUAERITUR. *Quid sit notandum de* EXPOSITIONE *SS. Eucharistiae?*

Resp. Duplex distinguitur expositio, privata scilicet et publica. — Est *privata*, quando pyxis, suo velo cooperta, relinquitur in tabernaculo aperto. *Publica* autem dicitur, quando SS. Eucharistia extrahitur e tabernaculo, et publicae venerationi detecta exponitur [5].

I. Expositio PRIVATA permittitur ob causam privatam, nec opus est licentia Ordinarii [6]. Quaenam in ea servanda sint, ex sequenti decreto [7] patebunt: « Quandocumque privata ex causa Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur, sed, pyxide velata, in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus sacerdotis, stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur. Quod idem in ecclesiis saecularium servari mandamus. » Si tamen vetus vigeat consuetudo extrahendi S. pyxidem ad benedicendum populo, servari potest [8]. — In quibusdam regionibus, expositio aliquando fit, extrahendo pyxidem e tabernaculo, eamque loco ostensorii in throno collocando: hic modus, ait Gardellini [9], Romanae Ecclesiae consuetudinibus adversatur, et propterea non est permittendus. — Quod si usus jam invaluerit, ab Episcopo permitti poterit [10]. Talis autem expositio non ut privata, sed ut publica est habenda, etsi minus solemnis.

II. Expositio PUBLICA non permittitur, nisi ob causam publicam (*a*) et de licentia Ordinarii, ad quem pertinet de causa judicare [11]. — Porro « si quis privatus hanc expositionem fieri procurat ad publicam devotionem promovendam, tunc ista potius publica, quam privata causa esse videtur [12]. »

Ut publica expositio *licite* fiat, praeter Episcopi consensum, requiritur decentia; quocirca haec notamus:

(*a*) « Hodie tamen praxis generalis in Urbe permittit ob causam privatam, uti ad sanitatem obtinendam, devotionem triduanam cum expositione SS. Sacramenti instituere. » Ita Haringer in 2ª ed. *Th. mor.* S. Alph. ad VI. n. 424. 16.

[1] Gardell. n. 4623. (die 16 dec. 1826); cf. Schober, S. Alph. *de Caerem. Missae*, cap. 11. n. 6. nota 10. — [2] Gardell. n. 2602. 3°. (die 3 sept. 1672). — [3] Schober, l. c. n. 6. — [4] Gardell. n. 2602. 3°. (3 sept. 1672.) — [5] Cf. Gardell. *Proœm. ad Instruct. Clem. XI pro Orat. 40 Hor.* n. 13. et §. XXXVI. n. 2. — [6] Bened. XIV. *Instit.* 30. n. 16. — [7] S. C. EP. et REG. 6 dec. 1602. ap. Bened. XIV. l. c. n. 21. — [8] Bened. XIV. loc. c. n. 23. — [9] *Instr. Clem.* §. 36. n. 26. 6[m], et n. 4748. ad 4. — [10] Cf. Gardell. n. 4181. ad 9. (die 7 maji 1746) et n. 4237 ad 13. (22 dec. 1753), et *Instr. Clem.* §. 12. n. 6. — [11] Gardell. ib. §. 36. n. 3. — [12] S. Alph. L. VI. 424. 16°.

Digitized by Google

1° SS. Sacramentum non debet remanere expositum nisi *sex* saltem *cerei* in altari ardeant (ex Decr. S. R. C. 15 martii 1698) [1], ipsique *aliqui adoratores* sine intermissione adstent.

2° Durante expositione (juxta *Instr. Clementinam* pro expositione 40 Horarum) nullae esse debent in altari, neque reliquiae, neque imagines Sanctorum, praeter Angelorum adorantium; crux vero relinqui vel removeri potest, pro locorum consuetudine, juxta S. R. C., die 2 sept. 1741 [2]. — Porro notandum est id quod respondit S. Rit. C. (4 jun. 1874 in *Lisbonen.*), videlicet: « Instructionem Clementinam extra Urbem non obligare, laudandos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur [3]. »

3° Ad altare in quo expositum est Sacramentum, non licet, nisi necessitas urgeat vel etiam consuetudo, *Missas* celebrare nec cantare praeterquam pro eo reponendo. Ita ex pluribus S. R. C. decretis [4]. — Consuetudo tamen contraria tolli non debet, si fideles exinde moerore afficerentur, vel si agatur de consuetudine immemorabili [5].

4° Quaerenti utrum *frequenter* publicae adorationi exponendum sit SS. Sacramentum, respondit Gardellini [6]: « Dummodo omne absit irreverentiae periculum, et Ordinarii locorum sedulo invigilent, nec permittant Sacramentum publicae venerationi exponi, nisi id fiat cum debito obsequio, et reverentiae significatione; praesens Ecclesiae disciplina non videtur aliena a frequenti expositione indulgenda. » — Expositio tamen « *non sit nimis frequens;* nimia enim frequentia posset fieri causa, cur de reverentia erga tantum Sacramentum aliquid imminueretur [7]. »

Ut autem parochi et confessarii publicum SS. Eucharistiae cultum quam maxime promoveant, Concilium *Burdigalense* [8] eos pie ac graviter ita adhortatur: « Cum amantissimus ille Salvator non in solo usu, sed permanenter adesse in tabernaculo suo voluerit, plurimum commendent ac exemplo confirment piam praxim VISITATIONUM SS. SACRAMENTI, qua, adeuntes cum fiducia ad thronum gratiae, misericordiam consequantur, et gratiam inveniant in auxilio opportuno [9]. »

DISSERTATIO II.

DE SS. EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM

1585. — Expositis illis, quae ad SS. Eucharistiam spectant, prout est *Sacramentum* ordinatum ad nostram sanctificationem, restat ut de augustissimo hoc mysterio loquamur, in quantum est SACRIFICIUM, quo divinae Majestati supremum illum cultum, qui Ipsam decet, digne exhibemus. — Hujus Sacrificii oblatio appellatur *Missa*, ducens suam originem a vocabulo *Missio*, vel quia per hoc Sacrificium mittitur ad nos Christus, vel quia mittitur oblatio a nobis

[1] Gardell. n. 3464. — [2] Gardell. n. 4119. ad 5; cf. Schober, c. 2. n. 18. nota 32. — [3] Gardell. n. 5585. — [4] Cf. Gard. n. 2508. (die 9. aug. 1670), et n. 2542 ad 6. (die 13 junii 1671). — [5] Cf. Gardell. in *Instr. Clem.* §. 12. n. 6. — [6] Ib. §. 36. n. 6. — [7] L. VI. 424. 16° — [8] An. 1850. tit. II. c. 8. n. 2. ap. *Collect. Lacen.* tom. IV. 564. — [9] Cf. S. Alph. opusc. *Visite al SS Sacramento.*

Digitized by Google

ad Deum; vel quia olim, absoluta parte quae Offertorium antecedit, dimittebantur catechumeni; vel postremo, quia, completo jam Sacrificio, dimittitur populus cum his verbis: *Ite, Missa est* [1].

Quae de Missae Sacrificio dicenda veniunt, in duo capita dividimus: in primo dicemus de hoc sancto *Sacrificio in se spectato;* in secundo de iis, quae spectant ad ejus *celebrationem.*

CAPUT I.

DE SS. MISSÆ SACRIFICIO IN SE SPECTATO

Tria hic sunt inquirenda: 1° quaenam sit vera notio Sacrificii Missae; 2° quisnam ejus valor et fructus; 3° quomodo fiat ejus applicatio.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE SACRIFICII MISSÆ

1586. — Definitio. Sacrificium, in sensu lato acceptum, est omnis actio, quae in gloriam Dei cedit, ut oratio, eleemosyna, etc. juxta illud Ps. 6: « Immola Deo sacrificium laudis; » et Ps. 50: « Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » — Stricte autem *definitur:* Oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in signum supremi dominii, ex legitima institutione. Ita communiter cum Suarez [2], etc.

« Dicitur 1° *Oblatio* pro genere, in quo cum aliis oblationibus convenit. 2° *Facta Deo*, quia soli Deo, non Sanctis, sacrificium offertur. 3° *Per immutationem alicujus rei;* immutatio enim distinguit sacrificium ab aliis oblationibus. 4° *In signum supremi dominii;* nam, tali signo significamus, ita a Deo tanquam supremo domino nos et nostra destrui posse, sicuti res oblata immutatur. 5° *Ex legitima institutione;* haec autem institutio tria requirit: ut sacrificium fiat publica auctoritate, fiat nomine totius populi, et fiat a sacerdote tanquam legitimo ministro [3]. »

Divisio. « Ex parte finis (sacrificium) distinguitur in *latreuticum*, quod offertur mere in obsequium Dei; *eucharisticum*, in gratiarum actionem; *propitiatorium* seu expiatorium, in remissionem culpae vel poenae; *impetratorium*, ad obtinenda bona a Deo [4].

1587. — Principia. I. Missa est verum ac proprie dictum sacrificium, quo divinae Majestati offertur corpus et sanguis Jesu Christi, sub speciebus panis et vini. — Constat 1° ex Tridentino, quod (sess. 22. can. 1) sic definivit: « Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo

[1] Cf. Aversa, *de Sacrif. Missae*, in princ. — [2] P. 3. disp. 74. — [3] L. VI. 304. Not. 1; cf. Lugo, *de Euch.* Disp. 19. sect. 1-8. — [4] L VI. 304. Not. 2.

Digitized by Google

verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit. » — Constat 2° ex ratione; verificantur enim omnes veri sacrificii conditiones; nam, Missa est: 1° *oblatio facta Deo*, cum ipse Christus Deo Patri offeratur; 2° haec oblatio fit *per immutationem alicujus rei;* per consecrationem enim et per sumptionem (ut infra n. 1589. qu. 1. 4ª. dicetur) mactatur Christus mystice, et sic habetur immutatio ad sacrificium requisita [1]; 3° fit praeterea *in signum supremi dominii;* ad hunc enim finem ordinatur principaliter Sacrificium altaris; 4° fit *ex legitima institutione;* nam a Christo institutum est quoad id, quod pertinet ad essentiam Sacrificii [2].

« Sacrificium autem Eucharistiae, in lege gratiae institutum (quo omnia antiqua sacrificia cessarunt), omnium rationes illorum perfecte continet: est enim *latreuticum* in recognitionem divinae excellentiae; est *eucharisticum* in gratiarum actionem; est *impetratorium* gratiarum per merita Christi; est *expiatorium* peccatorum, quia per illud Deus ad misericordiam movetur [3]. » — Fusiorem hujus doctrinae probationem et expositionem vide apud Dogmaticos.

1588. — II. Incruentum Missae Sacrificium IDEM SPECIE est ac Sacrificium cruentum CRUCIS, tum quia eadem victima, ab eodem summo atque aeterno Sacerdote, offertur, tum « quia eadem est formalis ratio sacrificii, cum offeratur in protestationem supremi dominii, quod habet Deus vitae et mortis. — Sacrificium igitur altaris, ut ait Tridentinum, non quidem essentialiter differt a Sacrificio crucis, sed tantum accidentaliter, quoad modum offerendi, nempe, quia: 1° In illo crucis intercessit mors realis, in hoc intervenit mystica. 2° Illud oblatum fuit per ipsum Redemptorem in ara crucis, hoc offertur ministerio sacerdotum. 3° Illud fuit meritorium, quia ibi solutum fuit pretium nostrae redemptionis; hoc vero non est meritorium, cum hic tantum applicentur merita Christi [4]. »

1589. — Quaesita. QUAER. 1° *In quo consistat* ESSENTIA *Sacrificii Missae?*

Resp. Plures adsunt sententiae. — PRIMA dicit eam consistere *in sola sumptione*, quia in illa tantum reperitur destructio sive immutatio victimae. — SECUNDA dicit eam consistere in *oblatione*, quae sequitur consecrationem, his verbis: « Unde et memores, etc., » cum sacrificium nihil aliud sit quam oblatio. Hae duae opiniones non videntur probabiles. — TERTIA docet, eam consistere *in sola consecratione*, quia in consecratione omnia adsunt requisita ad sacrificium, nempe oblatio, quae jam fit in actu exercito, et destructio seu immutatio victimae, dum vi verborum jam Corpus a Sanguine Christi separatur. Sumptio autem pertinet ad sacrificii integritatem,

[1] L. VI. 304. Not. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. Not. 2. — [4] Ibid.

Digitized by Google

ideoque jure divino praecipitur. — « Haec sententia, ait *S. Alphonsus* est quidem valde probabilis et communior, sed *probabilior* mihi videtur (licet in Tom. 1° tertiae adhaeserim) QUARTA sententia, quam tenent Bellarminus, Tournely, etc. Haec sententia dicit essentiam Sacrificii consistere partialiter in consecratione et partialiter in sumptione; in consecratione enim ponitur victima, et in sumptione consumitur. » Ratio praecipua est « quia verum et reale sacrificium requirit veram et realem rei oblatae destructionem, quae non haberetur nisi per sumptionem sacerdotis, qua destruitur sacramentalis existentia Christi [1]. »

QUAER. 2° *An requiratur ad essentiam Sacrificii consecratio* UTRIUSQUE *speciei?*

Resp. Controvertitur. — Prima sententia *negat*, quia per consecrationem unius speciei totus Christus ponitur et offertur, simulque jam repraesentatur mors Christi, et habetur oblatio et mactatio victimae. — Secunda vero sententia communior et probabilior *affirmat*, et ratio est, quia, ex Trid. sess. 22. cap. 1., Sacrificium Missae debet esse rememorativum Sacrificii cruenti crucis, juxta illud Christi Domini: « Hoc facite in meam commemorationem. » Jam vero, si una tantum species consecraretur, etsi vi verborum poneretur corpus exsangue, vel etsi per sumptionem haberetur mactatio; non tamen exprimeretur sanguinis effusio, quod non fit nisi per utriusque speciei consecrationem, per quam proprie significatur separatio sanguinis a corpore, juxta dictum S. Cyrilli: « Gladio verborum sanguis separatur a corpore. » — Hac ipsa ratione, utraque species simul coexistere debet super altare: quare, ex Rubrica, si utraque haberi nequit, Missa est interrumpenda, nisi jam una species consecrata sit [2].

QUAER. 3° *Quisnam sit* OFFERENS *Sacrificium Missae?*

Resp. 1° Minister *principalis* et *primarius* est Christus, siquidem (ut docet Trid. l. c. cap. 2) est idem offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum obtulit in cruce; nec alias, Christus dici posset sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.

2° Minister *secundarius* et Christo subjectus, qui tamen vere et proprie offert, est omnis et solus sacerdos valide ordinatus, quamvis haereticus, excommunicatus, degradatus, etc. [3].

3° Ecclesia vero et Fideles ad Sacrificium *concurrunt* vel generaliter vel specialiter; unde, dici possunt moraliter illud offerre. — Et quidem Ecclesia *generaliter* per sacerdotes, tanquam dele-

[1] L. VI. 305 (a 2ª edit.); unde reformandus in 1° Tomo Lib. III. n. 310; *Exam. Ord.* n. 96; cf. Panzuti, L. VI. n. 184. — [2] L. VI. 306; cf. Bened. XIV, *de Sacrif. Missae.* L. 3. c. 10 n. 18 et 19. — [3] Cf. Trid. sess. 23. c. 1.

Digitized by Google

gatos suos, offert; unde in Canone dicitur: « Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae » i. e. populi christiani. — Fideles vero ad Sacrificium *specialiter* concurrunt, cum illud speciali modo promovent, v. g. ministrando, vel assistendo, et maxime, dando stipendium [1].

ARTICULUS II.

DE VALORE ET FRUCTU SACRIFICII MISSÆ

1590. — « VALOR est efficacia illa, quam habet Missa ex dignitate offerentis et rei oblatae, ad conferenda bona offerenti, et iis pro quibus offertur. — FRUCTUS autem sunt bona ipsa, quae, intuitu Sacrificii, Deus confert. Unde valor a fructu differt, velut causa ab effectu [2]. »

Fructus seu effectus Missae *distinguuntur* ex triplici capite: 1° ex parte rei; 2° ex parte causae; 3° ex parte participantium [3].

1591. — I. Ex parte REI, quadruplex est Missae EFFECTUS: adoratio scilicet et gratiarum actio relate ad Deum; remissio tum peccatorum tum poenarum, et impetratio bonorum relate ad homines. — Constat ex definitione Ecclesiae in Trid. sess. 22. can. 3, ubi sic dicitur: « Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere: anathema sit » (cf. n. 1599).

Porro de effectibus Missae, seu de fructibus relate ad homines, notentur sequentia: — 1° Remissio *peccatorum*, sive mortalium, sive venialium, non fit immediate per Missae Sacrificium, sed tantum mediate, in quantum nempe « Deus intuitu hujus Sacrificii immediate placatur, et deinde movetur ad poenitentiae donum concedendum, per quam immediate delentur peccata [4]. » — 2° Remissio *poenarum* conceditur immediate hominibus justis, pro quibus offertur Sacrificium. Docet enim Tridentina Synodus, « animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari. » Alia autem via defuncti juvari non possunt, quam immediata poenarum remissione [5]. — 3° Impetratio *bonorum* respicit praeprimis bona *spiritualia:* impetrantur immediate

[1] L. VI. 307; Op. in Trid. sess. 22. n. 18; cf. Lacroix, L. VI. p. 2. n. 23. — [2] L. VI. 312. Not. 1; cf. Lancicius, opusc. 13. L. 2. c. 9. et 10; Lugo, Disp. 19 sect. 9. — [3] L. VI. 312. Not. 2. — [4] Ibid. 311. 1°. — [5] Ibid. 2°.

Digitized by Google

gratiae actuales ad perficiendos actus, quibus gratia habitualis accrescit. Secundario impetrantur bona *temporalia,* in quantum haec prosunt animae [1].

QUAERITUR. *An Missae Sacrificium suos effectus* INFALLIBILITER *producat? Resp. Affirm.*, nisi sit obex in subjecto. Operatur autem secundum mensuram bonae dispositionis, quae inest homini; vel, si agatur de Missa pro defunctis, secundum nobis ignotam divinae Sapientiae ordinationem.

1592. — II. Ex parte CAUSAE, duplex distinguitur FRUCTUS: ex opere *scilicet operato*, et ex opere *operantis*. — Fructus ex opere OPERATO est ille, qui confertur intuitu meritorum Christi: est fructus principalis, independens a probitate celebrantis, et aeque conceditur, sive a bono, sive a malo sacerdote Missa celebretur. Atque idem tenendum de precibus, quae in Missa dicuntur: valent, tametsi dicantur a sacerdote peccatore; hic enim orat nomine Ecclesiae, quae est semper Deo grata. — Fructus ex opere OPERANTIS est ille, qui confertur intuitu meriti et devotionis celebrantis: est fructus accidentalis, estque, pro sanctitate celebrantis, major vel minor. — Hinc Alexander Papa: « Sacerdotes, inquit, quanto digniores fuerint, tanto facilius pro quibus clamant, exaudiuntur [2]. »

1593. — III. Ex parte PARTICIPANTIUM, quadruplex habetur FRUCTUS, videlicet: generalissimus, generalis, specialis et specialissimus.

1° Fructus *generalissimus* (ab aliis generalis dictus) est ille, cujus omnes fideles, tum vivi, tum defuncti, aliquo modo fiunt participes. Cum enim minister, in quocumque Sacrificio, agat nomine Ecclesiae, Sacrificium prodest toti Ecclesiae.

2° Fructus *generalis* (ab aliis sub speciali comprehensus) est ille, qui obtingit fidelibus, qui Sacrificio assistunt, vel ad illud concurrunt, ministrando paramenta, luminaria, hostias, etc. Hic fructus non pendet ab intentione celebrantis, sed a devotione fidelium, qui per peculiarem suam operam fiunt, quodam modo, offerentes.

3° Fructus *specialis* seu *ministerialis* est ille, qui obtingit eis, quibus Missa applicatur. Hic ordinarie intenditur, ubi de Missae fructu simpliciter sermo est.

4° Fructus *specialissimus* est ille, qui obtingit soli sacerdoti celebranti, eique est omnino proprius [3].

1594. — QUAERITUR. *An Sacrificium Missae habeat valorem* INFINITUM ?

Praenot. Certum est Missae Sacrificium in se, et quoad sufficientiam, esse valoris infiniti, ratione infinitae dignitatis Christi, qui

[1] L. VI. 311. 3°. 4°. — [2] Ib. 312. Not. 2° et v. fin. — [3] Ibid. Not. 2; cf. Bened. XIV, *de Missae Sacrif.* L. 3. c. 21.

Digitized by Google

in hoc Sacrificio est victima et principalis offerens. — Sed quaestio est, utrum Missa, etiam *ex institutione Christi*, habeat efficaciam seu virtutem operandi infinitam?

Resp. Duplex adest sententia. — Prima probabilis *negat*, atque docet, Sacrificium ita a Christo esse institutum, ut determinatum effectum producat, ita scilicet, ut pluribus applicatum minus prosit singulis, quam si uni tantum applicetur. Probatur ex prohibitione Ecclesiae, quae vetat ne pluribus Missam petentibus uno Sacrificio satisfiat. — Secunda vero sententia probabilior *affirmat*, tenetque VIRTUTEM Sacrificii Missae esse tum intensive, tum extensive infinitam. Dicitur *intensive infinita*, quatenus potest causare fructum majorem et minorem juxta mensuram dispositionis hominis; *extensive* autem, quatenus potest infinitos effectus producere, et prodesse ita uni soli ac infinitis hominibus. Quoad EFFECTUM vero, dicitur Missae Sacrificium esse *finitum*, non jam ex sua institutione, sed ex finita capacitate hominum, pro quibus offertur. Ratio hujus sententiae est, quia Missae Sacrificium idem est, etsi modo diverso oblatum, ac Sacrificium Crucis, quod fuit infiniti valoris. Unde, juxta hanc sententiam, Missa aeque prodest pluribus applicata, ac si uni applicetur. — Preces autem Missae ab Ecclesia institutae *magis prosunt* alicui, si singulariter ei, quam si pluribus a sacerdote applicentur: ut patet ex Concilio Constantiensi, ubi damnatus fuit hic articulus Wiclefi: « Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, caeteris paribus [1]. »

1595. — *Notetur pro praxi:* 1° Quantumvis haec secunda sententia vera videatur, non licet tamen una Missâ satisfacere pluribus stipendiis; stipendium enim non datur ut pretium fructus Missae, sed pro sustentatione ministri; unde, cum ipse ex uno stipendio sustentationem jam habeat, deficit titulus, cur aliud recipiat. Patet idem ex propositione 10ª damnata ab Alexandro VII: « Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre [2]. »

2° Stante primae sententiae probabilitate, non potest sacerdos, pro stipendio certo, incertum Missae fructum applicare. Potest tamen, applicata Missâ pro eo qui stipendium dedit, eam simul pro se, vel ex charitate pro aliis applicare, non quidem absolute, sed sub conditione: salvo nempe jure illius, pro quo Missam applicare tenetur [3] (cf. n. 1601. q. 10).

[1] L. V^r, 312. *Hic autem.* — [2] Ib. *Nec obstat.* 1°. — [3] Ib. n. 336. fin.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE APPLICATIONE SACRIFICII MISSÆ

1596. — APPLICATIO est mentis intentio, qua sacerdos personam *designat*, quam fructus Sacrificii vult fieri participem. — De hac applicatione TRIA quaeruntur: 1° utrum ipsa requiratur, ut Sacrificium fidelibus prosit; 2° qualis esse debeat; 3° pro quibus fieri possit. Hinc sequentia

1597. — **Principia.** I. Ut specialis Missae fructus ei, pro quo offertur, obtingat, NECESSARIA est celebrantis applicatio. — Ratio est, quia hic fructus, proveniens ex Sacrificio, quatenus est actio Christi, nemini stricte debetur; ergo, nisi specialiter applicetur, nemini obvenit [1].

Dicitur 1° *ut specialis Missae fructus;* nam fructus generalissimus et generalis, sicut et specialissimus non requirit applicationem, quippe quem fideles et sacerdos, quatenus sunt offerentes, certo semper percipiunt [2].

Dicitur 2° *necessaria est celebrantis applicatio.* Applicatio enim est celebranti omnino propria, quia est actus potestatis Ordinis. « Unde, si Religiosus applicat Missam contra Superioris voluntatem, illicite quidem, sed valide applicat; quia subditus, quoad Ordinis potestatem, qua tunc utitur, non subjacet Praelato [3]. »

QUAERITUR. *An possit sacerdos fructum* SPECIALISSIMUM *aliis applicare?*

Resp. Controvertitur, sed AA. communius negant. Cum igitur applicatio hujus fructus valde incerta sit, jure merito ab Alexandro VII damnata est propositio sequens: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII [4]. »

1598. — II. Ut valida sit applicatio Missae, debet fieri ante consecrationem, per INTENTIONEM saltem habitualem, et aliquo modo determinatam. Ita communiter. — Tres igitur CONDITIONES requiruntur, nempe:

1° Debet fieri *ante consecrationem*, saltem secundae speciei, ne periculo nullitatis exponatur; quia Sacrificium producit suum

[1] Cf. Const. *Auctorem Fidei*, ubi propos. 30ª Syn. Pistorien., quae hanc doctrinam negat, damnatur. — [2] Cf. Lugo, *de Euch.* Disp. 19. n. 230. — [3] H. A. XV. 79; L. VI. 334. — [4] L. VI. 318. *Hic autem.*

Digitized by Google

effectum dum perficitur, neque is effectus suspenditur [1]. Est autem probabile, Sacrificium sola consecratione perfici, uti supra diximus (n. 1589. qu. 1).

2° Requiritur intentio saltem *habitualis;* sicut enim non sufficit interpretativa, sic nec requiritur actualis aut virtualis, sed sufficit habitualis, i. e. habita et non revocata. « Ratio est, quia applicatio Missae se habet per modum donationis verbalis, quae semel facta valet, donec expresse revocetur [2]. » — Quaeri hic potest: *quaenam valida censenda sit applicatio, si sacerdos, prioris intentionis immemor, novam eliciat? — R.* Illa, quae praedominans agnoscitur. Si igitur prior applicatio fuerit magis universalis et revocatoria posterioris, ipsa valet. — Si utraque esset aequalis, praevaleret posterior, uti fit in testamento. In dubio, sufficit, ut sacerdos alia vice Sacrificium ei applicet, cui prima vice non fuit applicatum. Certum enim est alterutram applicationem fuisse validam [3].

3° Requiritur intentio *determinata*, saltem implicite; secus enim non esset ratio, cur fructus uni potius quam alteri obtingeret. Sufficit vero determinatio implicita, quia haec, generali aliquo termino, personas in particulari jam attingit.

1599. — *Hinc:* 1° Valet applicatio, si dicas: « Offero hoc Sacrificium pro eo qui dedit stipendium » — « pro quo Superior vult Sacrum fieri » — pro quo exigit fundatio » — « pro maximo peccatore » — pro anima graviori tentatione afflicta » — « pro anima Purgatorii caeteris magis derelicta, aut Deo magis grata » — « pro omnibus animabus Purgatorii » — « pro eo cui applicare teneor » — « pro persona, vel intentione scripta vel mente determinata, in principio hebdomadae, etc. » — E contrario, non valet ista applicatio: « Offero, ut Deus, vel B. V. Maria Sacrum istud applicet, aut applicare velit; » ratio, quia ex institutione Christi, sacerdotis est, non Dei nec B. V. Mariae Sacrificium applicare, aut determinare [4].

2° Si quis stipendium a decem personis accipit pro totidem Missis, non videtur satisfacere, applicando singula Sacrificia pro singulis indeterminate. — Si vero unamquamque Missam intenderet applicare omnibus illis decem personis, singulis applicando decimam partem uniuscujusque Missae, bene satisfacit; quia fructus est divisibilis [5].

3° Si confuse a diversis recepta sunt stipendia, applicatio sufficienter determinatur, si fiat secundum ordinem, quo stipendia accepta sunt, juxta axioma: « qui prior tempore, potior jure. » —

[1] L. VI. 335. — [2] Ib. q. 1. — [3] Lugo, *de Sacram. i. g.* disp. 8. n. 124. — [4] Cf. Sporer, pars 2. c. 4. n. 279. — [5] L. VI. 335. q. 2.

Digitized by Google

Unde, si viginti stipendia hoc modo acceperis, nulla alia cura tibi incumbit, nisi ut Sacrum vicies facias, ad dantis intentionem. Interruptio tamen intercedere potest, modo infra debitum tempus Missae celebrentur.

4° Applicatio, sub conditione jam impleta, est valida, v. g. si Petrus mortuus est, applico pro ejus anima; non autem sub conditione futura contingente, v. g. applico illi, cui Titius interrogatus voluerit [1].

Quaeritur. *An valida sit applicatio ad intentionem illius, qui primus stipendium oblaturus est?*

Resp. Talis applicatio certe est *illicita*, ex prohibitione Clementis VIII, quam promulgavit Paulus V, die 15 novemb. 1605. vetans hanc consuetudinem « tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, atque a vetusto Ecclesiae more nimium aberrantem. » Imo, non raro foret *invalida*, puta si stipendium postea offerretur pro liberatione a morbo, etc., qui, dum Missa applicaretur, nondum existebat; nam, ut valida esset haec applicatio, deberet fructus Sacrificii manere suspensus usque ad morbi existentiam, quod non videtur credibile. — Attamen, si sacerdos praevideat fore, ut brevi Missae a se postulentur pro defuncto, potest eas interim applicare, et postea recipere stipendia; quia hoc casu jam offeruntur pro persona determinata [2].

1600. — III. Sacrificium Missae offerri potest tum pro fidelibus vivis, sive justis, sive peccatoribus, tum pro defunctis in Christo et nondum ad plenum purgatis. Ita Tridentinum [3]. — Dicitur: *pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis* [4]; nam nec licite nec valide offerri potest pro *damnatis*, qui sunt irrevocabiliter a Corpore Christi separati. Atque idem dicendum de pueris absque Baptismo mortuis, quia hi etiam in statu immutabili sunt constituti [5]. — Sed nec pro *Beatis* offerri potest, cum ipsi finem, ad quem fructus Missae ordinantur, jam adepti sint. Licet tamen in eorum honorem Missas celebrare, eo scilicet fine ut pro beneficiis, quae eis a Deo collata sunt, gratiae persolvantur, utque eorum patrocinium imploretur, seu aliis verbis, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris [6].

Ad *vivos* quod attinet, potest Missa, ratione sui, et quoad *validam* applicationem, pro omnibus hominibus offerri, non secus ac Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit. — Quod si pro aliquibus applicari non debeat, id unice a *prohibitione* Ecclesiae est repetendum. Quocirca sint sequentia

[1] L. VI. 337. — [2] Ib. 337. — [3] Sess. 22. c. 2. — [4] Cf. *Collectan. S. Sed* n. 374. — [5] Salmant. tract. 5. c. 2. n. 25. — [6] Trid. sess. 22. c. 3.

Digitized by Google

1601. — Quaesita. QUAER. 1° *An Missae Sacrificium offerre liceat pro* EXCOMMUNICATIS ?

Resp. Dist. 1° Non licet pro excommunicatis *vitandis*. Licite tamen « potest sacerdos actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, pro tali excommunicato offerre, vel ejus in *Memento*, in particulari, meminisse [1]. »

2° Licet pro excommunicatis *toleratis*, juxta sententiam probabiliorem. « Ratio, quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendae sunt. Dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre; nam communicare id etiam importat, ut habetur ex cap. 28 et cap. 38. *de sent. excomm.* [2]. — Et haec valent tam pro *vivis* quam pro *defunctis*.

QUAER. 2° *An Missae Sacrificium offerri possit pro* INFIDELIBUS, HAERETICIS *et* SCHISMATICIS ?

Resp. 1° Pro ipsis VIVIS (maxime pro eorum conversione) offerri potest; sunt enim fructus saltem impetratorii capaces, et certa Ecclesiae prohibitio ad solos excommunicatos vitandos sese extendit, quibus praefati non sunt adnumerandi. — *Postulatum fuit:* « Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro Turcarum aliorumque Infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere? — Et S. C. S. OFF. respondit, 12 julii 1865: « Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et, quoad intentionem, constet nihil mali, aut erroris, aut superstitionis, in Infidelibus eleemosynam afferentibus subesse [3]. »

Resp. 2° Nec vero licet pro ipsis DEFUNCTIS Missam *publice* seu solemniter celebrare, tametsi adjiceretur conditio: si forte ob bonam fidem decesserint in haeresi tantum materiali. « Etenim, secretiora haec divinae gratiae mysteria ad externum Ecclesiae judicium minime pertinent [4]. » Et regula generalis est, ut quibus deneganda fuerit sepultura ecclesiastica, denegentur et alia suffragia publica Ecclesiae. — Licet vero *privatim* pro ipsis, sub *Memento* defunctorum in Missa solemni orare, vel etiam Missam diei (non *de Requie*) occulte applicare; modo vitetur scandalum. Sic, v. g. sacerdos cui stipendium pro aliquo haeretico in particulari offertur, respondere poterit se posse applicare Missam (*de Requie*) pro omnibus fidelibus defunctis, cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo.

QUAER. 3° *An Missae Sacrificium offerre liceat pro* FIDELIBUS, *qui decesserunt in actu peccati?*

[1] L. VII. 162; VI. 308. — [2] L. VII. 161; VI. 309. — [3] *Collect. S. Sed.* n. 371. — [4] Greg. XVI. in *Epist. ad Abbat. in Scheyern.* in Bavar. 16 febr. 1842.

Digitized by Google

Resp. Affirm.; verumtamen, si cui deneganda est ecclesiastica sepultura, nec debet pro eo *publice* (i. e. sciente populo) celebrari Missa. — Recole dicta n. 1387.

QUAER. 4° *An Missa prosit* DEFUNCTIS *ex infallibili promissione Christi?*

Resp. Nonnulli negant; sed alii verius et communius affirmant. Ratio, quia cum sit de fide (ex Tridentino) Missam utiliter offerri pro defunctis, id non potest fieri nisi ex opere operato, i. e. ex promissione Christi, quae utique habetur in verbis illis: « Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum [1]. »

QUAER. 5° *An Missa* DE REQUIE *prosit defunctis magis quam Missa de Sanctis?*

Respondet S. Thomas [2]: « Ex parte Sacrificii oblati aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur; sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae; sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur. »

QUAER. 6° *An, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, Missa applicari possit pro* ALIQUO *defuncto particulari?*

Resp. Affirm., ex decretis S. R. C. die 4 aug. 1663, et die 2 septemb. 1741 [3], ubi dictum fuit, ea die « Sacrificia posse a sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. » Quare, nihil obest quin accipiatur pro illa Missa stipendium [4].

QUAER. 7° *An satisfaciat celebrans Missam* DE REQUIE *ad intentionem dantis, si qualis haec sit prorsus ignoretur?*

Resp. Affirm., juxta declarationem S. R. C. die 29 nov. 1856 [5]. Hinc concluditur, Missam *de Requie* valide *pro vivo* applicari; quod etiam licite fiet, si ratio sufficiens accedat, v. g. si alia paramenta non habeantur.

QUAER. 8° *An satisfaciat sacerdos, si putans jam mortuum, pro quo mortuo celebrare debet, celebret pro eo adhuc vivo?*

Resp. Neg.; quia error est essentialis. Quisque enim, dum vivit, animae suae variis modis providere potest, v. g. lucrando indulgentias, etc.; non item post mortem [6].

[1] L. VI. 310. Rog. 1, — [2] Suppl. q. 71. a. 9. ad 5. — [3] Gardellini, n. 2241. ad 9 et n. 4119. ad 4. — [4] L. VI. 338. — [5] Cf. Schober, pag. 288. n. 6, ubi habetur textus decreti. — [6] L. VI. 337. 5°.

Digitized by Google

QUAER. 9° *An fructus Missae* DIVIDI *possint, ita ut uni applicetur fructus impetratorius, alteri fructus satisfactorius?*

Resp. Affirm., juxta communem DD. sententiam. In Missis igitur gratuitis, potest sacerdos, pro libitu, fructus dividere. — In Missis debitis ex obedientia vel fidelitate, potest id facere pro ea parte fructus, quam applicare non tenetur. Hinc, v. g. si Missa pro gratiarum actione celebranda est, potest fructum satisfactorium et impetratorium pro libitu applicare. — In Missis autem ex stipendio debitis, id non licet, cum totus applicabilis fructus danti eleemosynam debeatur [1].

QUAER. 10° *Quid, si applicatio* NULLI *fiat, vel* INCAPACI*?*

Resp. Fructus, in hoc casu, remanet in thesauro Ecclesiae. « In praxi autem, quando dubitatur an is, pro quo offerimus, sit vel ne capax fructus, consultum est in Missis *gratuitis* illas applicare vel nobis ipsis, vel alteri sub conditione: si persona cui applicantur non sit capax. In Missis vero *debitis ex stipendio*, quia, probabiliter, fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis, ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione; ut praejudicium non fiat cui obligatio adsit applicandi [2]. »

NB De Missa celebrata IN ALTARI PRIVILEGIATO, vide infra, n. 1743.

CAPUT II.

DE SACRIFICII MISSÆ CELEBRATIONE

Agemus, in duplici articulo, de Missae celebratione, et tractabimus: 1° de obligatione celebrandi; 2° de requisitis ad rite celebrandum.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI

Obligatio celebrandi potest ex variis titulis oriri, quorum tres, communiter, recensentur, nempe: 1° ipsum sacerdotium; 2° officium sacerdoti commissum; 3° stipendium a fidelibus acceptum. De singulis jam plura.

§. 1. *De obligatione celebrandi ratione sacerdotii*

1602. — Christus « suis Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: *Hoc facite in*

[1] Sporer, p. 2. c. 4. n. 292. sqq. — [2] L. VI. 336.

Digitized by Google

meam commemorationem, ut semper catholica Ecclesia intellexit et docuit [1]. » De fide igitur est, praeceptum aliquando celebrandi universali sacerdotali Ordini a Christo impositum fuisse [2]. — Utrum vero hoc praeceptum ad singulos etiam sacerdotes sese extendat, inter DD. disputatur. Quare sint sequentia

1603. — Quaesita. QUAER. 1° *An singuli sacerdotes, ratione Ordinis suscepti, et independenter a quovis alio titulo, teneantur* SUB GRAVI *aliquando celebrare?*

Resp. 1° Quidam *negant,* secluso scandalo, quod tamen facile haberi dicunt, si sacerdos per diuturnum tempus, puta per sex vel octo menses a celebrando abstineat. Quare, saltem ratione hujus periculi, ea sententia vix practice probabilis dicenda est.

Resp. 2° Sententia longe communior et probabilior *affirmat,* singulos teneri tum jure divino, tum jure ecclesiastico. — Praeceptum DIVINUM colligitur ex verbis Christi: *Hoc facite,* etc., cum nulla adsit probabilis ratio praeceptum restringendi ad Ordinem sacerdotalem in genere. Item ex verbis Apostoli: « Omnis namque Pontifex... constituitur... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. » — Praeceptum autem ECCLESIASTICUM probatur ex cap. *Dolentes* 9. *de celebr. Miss.,* ubi Innocentius III vehementer reprehendit sacerdotes, « qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno [3]. » Rationem autem hujus sententiae refert D. Thomas, dicens [4]: « Unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud (2. Cor. 6): *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrare, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare. »

QUAER. 2° *Quoties* IN ANNO *quisque sacerdos celebrare teneatur?*

Resp. 1° Sub gravi nonnisi *ter* vel *quater* in anno, in Festis nempe *solemnioribus,* unumquemque celebrare teneri, affirmat sententia longe communior. — Imo, multi dicunt sufficere, si sacerdos celebret ter vel quater in anno, *quibuslibet diebus,* modo servetur debita distantia, ita ut ultra sex vel octo menses non abstineat. Et haec sententia est conformis decreto S. C. Conc. edito mense novembri 1696, ubi dicitur: « Qui, sine justa causa, ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri [5]. »

[1] Trid. sess. 22. c. 1. — [2] Ib. can. 2. — [3] L. VI. 313. dub. 1°. — [4] 3. p. qu. 82. a. 10. — [5] L. VI. 313. dub. 2°.

Digitized by Google

— Alii tamen plus requirunt, et dicunt, omnes sacerdotes obligari ad celebrandum *singulis Dominicis* et *Festis*, praesertim solemnioribus. Sed ob meram hujus sententiae probabilitatem, *strictum* praeceptum asseri nequit.

Resp. 2° Sub levi tenentur sacerdotes SAEPIUS celebrare; prout ex his Tridentini verbis colligitur: « Curent Episcopi, ut ii (i. e. sacerdotes) *saltem diebus Dominicis et festis solemnioribus* Missam celebrent. » Quapropter, (ait S. Alphonsus) « nescirem a culpa levi excusare sacerdotem illum, qui *quotidie* celebrare posset (una hebdomadis die excepta ob reverentiam), et sine ulla justa causa, sed tantum ob desidiam, a celebrando abstineret. Sacerdos enim non solum pro se celebrat, sed etiam pro bono totius Ecclesiae populique christiani, cujus minister et intercessor est constitutus, juxta illud Apostoli: *Omnis Pontifex*, etc. [1]. »

Sedulo perpendantur a sacerdote (praesertim a scrupuloso) verba seraphici Doctoris: « Sacerdos qui NON CELEBRAT, inquit, quantum in ipso est, *privat* Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates. » [2]

§. 2. *De obligatione celebrandi ratione officii.*

Ratione officii, quod susceperunt, tenentur omnes animarum Pastores, non modo Missam celebrare, sed etiam eam pro populo, aliquando, applicare. — Quae duplex obligatio, quo melius innotescat, sint sequentia

1604. — Principia. I. Omnes pastores animarum tenentur, et quidem sub gravi, CELEBRARE Missam, singulis diebus Dominicis et festis de praecepto. — Etenim populi et pastoris obligationes sunt correlativae; unde, quibus diebus populus Missam audire tenetur, iisdem et pastor tenetur illam celebrare [3]: uti habetur ex Tridentino, dicente: « Si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent [4]. » Quod si quis legitime impediatur, tenetur supplere per alium, ne populus Missa careat [5]. Per accidens, tenetur parochus etiam aliis quam praedictis diebus celebrare: v. g. si urgeat consecrandi necessitas ad Viaticum ministrandum; item si, occasione benedictionis nuptialis, vel exequiarum, fideles rationabiliter petant. Haec enim, ut Missa comitante peragantur, ipsum Rituale insinuat. Nec tamen tenetur applicare Sacrificii fructum, nisi stipendium accipiat. Ita S. OFFIC. 1 sept. 1841.

[1] L. VI. 359. *Dub. deinde.* — [2] Opusc. *De praeparat. ad Missam*, cap. 5. — [3] L. VI. 313. *Parochus.* — [4] Sess. 23. cap. 14. *de Ref.* — [5] L. VI. 326.

Digitized by Google

1605. — II. Omnes pastores animarum, similiter, sub gravi tenentur APPLICARE Missam PRO POPULO, singulis diebus Dominicis et festis de praecepto. — Constat ex Tridentino [1], dicente: « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, etc. » Obligatio igitur celebrandi pro populo, est JURIS DIVINI, juxta illud Joan. 21, 17. *Pasce oves meas;* sed Ecclesia accuratius definivit, ad quosnam haec obligatio se extendat, quibus diebus urgeat, et quomodo adimplenda sit. Haec singillatim nunc investiganda sunt.

1606. — **Quaesita.** QUAER. 1° QUINAM *sint animarum* PASTORES, *quibus incumbit obligatio applicandi pro populo?*

Resp. 1° Sunt: 1) *Episcopi*, post adeptam Sedis possessionem [2], administratores, vel alii quocumque titulo insigniti, qui actu praesunt dioecesi canonice erectae. Nec vero ad id tenentur Vicarii Capitulares, Sede vacante [3], nec Vicarii generales. — 2) Abbates jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et in populum cum territorio separato habentes [4]. — 3) *Parochi*, sive saeculares, sive regulares; sive amovibiles, sive inamovibiles; sive congruam sustentationem habeant, sive non habeant; tametsi adesset consuetudo immemorabilis in contrarium, ut declaravit Benedictus XIV [5]. — 4) Omnes pastoris vice fungentes, quales sunt tum *vicarii curati*, quibus cura animarum ita committitur, ut habitualis cura remaneat penes alium, (v. g. Romae in S. Maria Majore penes Capitulum); tum *vice-parochi*, seu vicarii, qui, vacante parochia, deputantur, ut ei praesint [6]. — Quodsi quis duas distinctas parochias habeat [7], aut si Episcopus officium parochi exerceat, duplicem Missam applicare tenetur [8]. Secus vero si Episcopus duas dioeceses regat.

Resp. 2° Immunes ab hoc onere sunt sacerdotes, qui curam tantum secundariam, seu subsidiariam habent, uti *capellani* seu cooperatores parochi [9], capellani Monialium [10], capellani nosocomiorum, collegiorum, aliorumque ejusmodi locorum [11]. — Item, hac lege non obstringuntur Episcopi *titulares;* nec *Vicarii Apostolici* aut *missionarii*, « dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes episcopalis

[1] Sess. 23. cap. 1. *de Ref.* — [2] S. R. C. 12. nov. 1831. *Marsorum;* cf. Gardell. n. 4669 ad 22. — [3] Gardell. ibid. ad 23. — [4] S. C. de Prop. Fid. 5 febr. 1803 (ap. Lucidi, vol I. pag. 454. cap. 3. n. 367); cf. Leo XIII. Litt. Encycl. *In suprema*, 10 jun. 1882. (*Acta S. Sed.* XIV. 529). — [5] Bulla *Cum semper,* die 19 aug. 1744. — [6] Cf. Schober, append. 2. cap. 2. — [7] Ibid. cap. 5; S. C. C. 9 maji 1874. (cf. *Acta S. Sed.* VIII. 33). — [8] S. C. de Prop. Fide, die 23 martii 1863 (ap. Lucidi, vol. I. pag. 453. cap. 3. n. 364. ad 8). — [9] S. R. C. die 14 junii 1845. ad 3. 1° (Gardell. n. 5014). — [10] S. R. C. 7. decemb. 1844. ad 4. (n. 4988). — [11] S. C. C. 2. junii 1860. ap. Lucidi, vol. I. p. 450. cap. 3. n. 361.

Digitized by Google

ac paroeciae canonice erectae jam sint, atque ad ea Vicarius Apostolicus et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant. » Ita S. C. de Prop. Fid. 23 martii 1863 [1].

QUAER. 2° *Quinam sunt* DIES FESTI, *in quibus animarum pastores pro populo applicare teneantur ?*

Resp. Sunt illi omnes, qui enumerantur in elencho Urbani VIII (cf. n. 654, qu. 3) [2], uti constat ex Constitutione *Amantissimi Redemptoris* [3], in qua Pius IX haec profert: « Hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missae Sacrificium pro populo sibi commisso, celebrare et applicare debere, tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex hujus Apostolicae Sedis indulgentia, ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo vigore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur... Id unum excipimus, ut scilicet, quando *una cum solemnitate* divinum Officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a parocho applicanda [4]. » — Item, una Missa satisfit, si festum in diem Dominicam incidat.

Dicitur *Officium una cum solemnitate;* nam, si sola solemnitas transfertur (v. g. juxta privilegium Galliae et Belgio concessum quoad festa Epiphaniae, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, et Patroni *loci*, et in pluribus dioecesibus etiam quoad festa Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis et Immac. Conceptionis B. M. V.), Missa pro populo applicari debet *ipso die*, quo praefatorum Festorum Officia communiter in Ecclesia recitantur, ut constat ex variis S. C. Concilii decisionibus [5].

QUAER. 3° QUOMODO *obligationi pro populo celebrandi satisfieri debeat ?*

Resp. Animarum pastores hanc obligationem implere tenentur: 1° *Diebus statutis*, nisi legitima dispensatio intercesserit. — In Bulla *Cum semper*, Benedictus XIV Episcopis facultatem concessit dispensandi cum parochis gravi inopia laborantibus, ut, diebus festis, pro dantibus sibi stipendium applicare possint, cum onere tamen, alio die celebrandi pro populo. — Pro ampliori autem Indulto, si graves adsint rationes, ad S. Congr. CONCILII recurrendum est. [6].

[1] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 375, et Lucidi, vol. I. pag. 451. cap. 3. n. 363. — [2] Bened. XIV. Const. *Cum semper.* — [3] 3 maji 1858. — [4] Sic in pluribus Germaniae dioecesibus transferuntur festa *Assumptionis* et *Nativitatis B. M. V.* — [5] Cf. Gury, II, n. 365-366. — [6] Cf. Müller, III. §. 21.

Digitized by Google

2° *Loco statuto*, nempe in ecclesia parochiali, ut constat ex variis S. C. Concilii declarationibus [1]. — Attamen declaratum est [2]: « Parochum die festo legitime absentem satisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo *in loco ubi degit;* dummodo ad necessariam populi commoditatem *alius sacerdos* in eccclesia parochiali celebret, et verbum Dei explicet. » — Nec vero requiritur, ut Missa solemnis applicetur; sufficit Missa *privata* [3].

3° *Per seipsos;* quia est obligatio *personalis*, ut S. C. C. declaravit 25 sept. 1847 in *Mechlinien.* dub. 4 [4]. — Proinde, non potest contraria consuetudo, sed causa tantum canonica praebere rationem sufficientem, ut per alium celebrare valeant. — Causa autem canonica censetur: 1° gravis infirmitas, 2° legitima absentia, 3° obligatio canendi Missam conventualem [5], 4° Superioris dispensatio. — Celebratio autem Missae funeralis, praesente licet cadavere, non est causa sufficiens, quae ab onere personali eximere possit [6]. Pro festis tamen suppressis, quorum nulla solemnitas in populo remanet, conceduntur aliquando Indulta particularia, vi quorum licet Missam parochialem in sequentem diem remittere, si occurrant *exsequiae* corpore praesente, vel pridie sepulto, *sponsorum benedictio* etc. [7]

4° Legitime impediti tenentur *per alios* celebrare, quia obligatio non est tantum personalis, sed simul *realis* [8]. Quocirca S. C. C. declaravit [9]: « Parochum utcumque legitime impeditum ne Missam celebret, teneri eam, die festo, per alium celebrari, et applicari facere pro populo, in ecclesia parochiali; quod si ita factum non fuerit, *quamprimum poterit*, Missam pro populo applicare debere. »

§. 3. *De obligatione celebrandi ratione stipendii.*

1607. — Stipendium Missae dicitur eleemosyna, quam fideles sacerdotibus largiuntur, ut Sacrificium pro ipsis vel ad eorum intentionem Deo offeratur.

Ratione stipendii, Missae distinguuntur in adventitias et in fundatas. — Adventitiae seu *manuales* dicuntur, quae ratione oblati stipendii, in determinato numero, celebrandae sunt. - Fundatae dicuntur, quae in perpetuum vel saltem ad longum tempus, quotidie, aut certis quibusdam diebus, celebrandae et applicandae sunt,

[1] Die 12 mart. 1774 (apud Lucidi, I, p. 449. n. 357). — [2] Die 14 dec. 1872; *Thesaur. Resol.* tom. 131. Num. I; cf. *Acta S. Sed.* VII. 191. — [3] S. R. C. 27 febr. 1847; Gardell. n. 5079 ad 4. — [4] Cf. *Acta S. Sed.* vol. XIV. 335; cf. L. VI. 326. *Postquam.* — [5] Bened. XIV. Const. *Cum semper*, §. 27. — [6] S. C. C. 26 jan. 1771 in *Fesulana;* cf. *Thesaur. Resolut.* tom. 40. p. 1. — [7] Cf. Schober, append. 2. c. 3. n. 10. — [8] L. VI. 326. — [9] Die 14. dec. 1872.

Digitized by Google

ratione *fundationis*, i. e. boni alicui Instituto ecclesiastico relicti cum onere, ut Missae celebrentur. Fructus igitur fundationis habet rationem stipendii.

Quibus praemissis, dicemus: 1° de stipendii liceitate; 2° de officio acceptantis stipendium; 3° de reductione et condonatione Missarum.

I. — De stipendii liceitate.

1608. — Principium. Licitum est cuivis sacerdoti, etiam diviti, JUSTUM pro celebranda Missa STIPENDIUM accipere. — Rationem affert *S. Thomas* [1] dicens: « Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis, sed quasi stipendium suae sustentationis. » Et quia etiam divites mercede digni sunt, cum aliquod opus pretio dignum ponunt, sequitur et sacerdotes divites licite exigere stipendium [2].

Hinc, probabilius, simoniae labe non inficitur (etsi a veniali non facile excusetur) sacerdos, qui intendit offerre principaliter ob stipendium, quia temporale tunc non ut pretium rei, sed pro stipendio sustentationis accipitur [3].

1609. — Quaesita. QUAER. 1° *Quodnam stipendium habendum sit ut* JUSTUM?

Resp. « Stipendium justum Missae non esse quidem victum unius diei, ut dixerunt aliqui; nam sacerdos, praeter actionem sacrificandi, potest in reliquo diei se occupare in concionando, docendo, et similibus exercitiis, ut lucretur integram sustentationem: sed esse illud, quod taxatum est ab Episcopo, vel a consuetudine, vel saltem a viro prudenti, si deest taxa a consuetudine vel ab Episcopo facta [4]. » Atque haec sententia est communis et tenenda ex declaratione S. C. Concilii [5]. — « Quapropter, recte dicit Roncaglia [6], quod si testator reliquit Missas celebrandas, non taxata eleemosyna, celebrandae sunt ad taxam communem, aut taxandae sunt juxta loci consuetudinem, prout etiam declaravit S. C. C. [7], habita ratione haereditatis pinguis aut tenuis [8]. »

QUAER. 2° *An* REGULARES, *sub gravi, taxae Episcopi stare teneantur?*

Resp. Affirm., juxta sententiam communem et ex decreto S. C. Concilii [9], quo sic sancitum fuit: « Eleemosynam pro qualibet Missa, per Regulares celebranda in eorum ecclesiis, esse taxandam arbitrio Ordinarii, juxta morem regionis [10]. »

[1] 2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. — [2] H. A. XV. 59. — [3] L. III. 55. fin. — [4] L. VI. 319. — [5] Die 25 nov. 1698. ap. Bened. XIV. Notif. 56. n. 10. — [6] *De Sacrif. Missae.* c. 7. q. 2. r. 1. — [7] Die 23 nov. 1697. ad 5. in Bulla Innoc. XII. *Nuper.* — [8] H. A. XV. 61; L. VI. 320. — [9] Die 15 jan. 1639. ap. Bened. XIV. l. c. n. 10. fin. — [10] L. VI. 320.

Digitized by Google

QUAER. 3° *An liceat sacerdoti accipere stipendium* INFRA *aut* SUPRA *taxam?*

Resp. 1° Spectato solo jure, licet sacerdoti ad Missam celebrandam se obligare pro eleemosyna minori, seu *infra taxam;* quilibet enim potest suo juri cedere, et etiam sine ullo stipendio celebrare. Quia vero consuetae eleemosynae remissio potest aliis sacerdotibus fieri damnosa atque ipsius Sacrificii dignitati aliquo modo detrahere, licet, probabilius, Episcopo prohibere, ne accipiatur eleemosyna justo minor, ex declaratione S. C. Concilii [1]. « Quapropter, casu quo Episcopus id prohibet, omnino sacerdotes tenentur ei obedire. » — Attamen, si quis scienter acceptaverit stipendia minora, debet tot Missas celebrare, quot promisit, sicut declaravit S. C. Concilii [2], jussu Urbani VIII, anno 1625; nec potest licite eorum numerum imminuere, nisi ignoranter egerit, prout recte AA. concedunt [3].

Resp. 2° Non licet sacerdoti stipendium *supra taxam* exigere; nam Concilium Tridentinum [4] mandat Episcopis, ut « importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant. » — Potest tamen plus recipere, tum ex spontanea dantis liberalitate (neque Episcopus id prohibere valet, sicut decisum fuit a S. C. Concilii [5]); tum ex justitia pro labore extraordinario, v. g. pro Sacro celebrando tali hora, vel tali loco incommodo. — Unde, non sunt illicitae postulationes, imo nec pactiones, modo sint justae ac moderatae, et modo fiant absque scandalo [6].

QUAER. 4° *An facultatem habenti* BIS *in die celebrandi, stipendium pro secunda Missa accipere liceat?*

Resp. Neg., nisi S. Pontifex indulserit [7]. — Constat ex Benedicti XIV Constitutione *Quod expensis*, edita die 26 augusti 1748, et ex variis S. C. Concilii declarationibus [8]. Sed nec pro sola celebratione, libera remanente applicatione, aliquid acceptare licet. Pro peculiari autem labore, v. g. ratione itineris ad dissitam ecclesiam, permittitur, ex prudenti Episcopi arbitrio, aliquid percipere [9]. — Sub praefata autem prohibitione non comprehenduntur *tres Missae*, quas celebrare licet in solemnitate Nativitatis Domini;

[1] Die 16 jan. 1649. ap. Bened. XIV. l. c. n. 11. fin. — [2] Die 21 junii 1625; cf. *Bullar.* tom. IX. p. 464. — [3] L. VI. 320. dub. 3.; 1 El. qq. ref. n. 67. — [4] Sess. 22. decret. *de observandis...* — [5] Die 16 jan. 1649. ap. Bened. XIV. l. c. n. 11. — [6] L. VI. 320. dub. 2 et 4. — [7] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 382. — [8] Cf. *Bullar.* Bened. XIV. tom. 2. n. LXI.; et *Thesaur. resol.* t. 117. p. 408; t. 121. p. 71. — [9] In *Treviren* S. C. C. 23 mart. 1861. ap. *Acta S. Sed.* vol. I. 13.

Digitized by Google

ista enim iteratio conceditur non ex Indulto, sed ex immemorabili consuetudine; unde, licet tria stipendia pro tribus Missis acceptare. — Comprehenduntur vero *duae Missae*, quae, ex concessione Benedicti XIV, in regnis Hispaniae et Lusitaniae, *addendae* permittuntur die Commemorationis omnium defunctorum; nisi alicubi aliud antiquum privilegium jam extiterit [1].

II. — De officio stipendium acceptantis.

1610. — Principia. I. Ex stipendii acceptatione oritur obligatio STRICTAE JUSTITIAE tot celebrandi Missas, quot, pro ratione acceptae eleemosynae, promissae fuerint. — Etenim, ait Suarez [2], « intervenit ratio vera justitiae, fundata in mutuo consensu utrinque oneroso, qui explicatur his verbis: do ut facias; hic autem est titulus justitiae. »

Dicitur *tot celebrandi Missas*, etc., cum damnata sit ab Alex. VII haec 10ª propositio: « Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre. » — Porro ratio damnationis est, tum quia non omni probabilitate vacat sententia, quae dicit, Sacrificium esse valoris finiti, tam intensive quam extensive; tum quia stipendium solo titulo sustentationis accipi potest; unde, accepto uno stipendio, deficit titulus ad acceptandum aliud.

QUAERITUR. *An sacerdos* OMITTENS *celebrare Missam sive ex stipendio, sive ex promissione gratuita debitam, peccet graviter?*

Resp. 1° Peccat profecto graviter, si data eleemosyna sit materia *gravis;* atque haec est unanimis AA. sententia. — Sed juxta sententiam probabiliorem, peccat etiam graviter, si eleemosyna sit materia tantum *levis*. « Ratio est, quia gravitas materiae, probabilius, hic est mensuranda non in ordine ad stipendium, sed ad fructum Missae, quo privatur eleemosynam tradens, cui ex hujusmodi privatione certe grave damnum infertur [3]. »

Resp. 2° Si omittat Missam *gratis promissam*, disputatur. — Alii dicunt eum peccare graviter, ob modo allatam rationem. « Sed probaliter negant alii, quia simplex promissio non obligat sub gravi, nisi promittens expresse sub gravi se obliget... Omnes autem conveniunt peccare graviter, qui omittit Missam debitam ex voto, aut praecepto Praelati: quia nemo dubitare potest hanc esse materiam gravem in voto vel praecepto [4] » (cf. n. 628 et 1062).

[1] Cf. Ben. XIV. l. cit. et *de Sacrif. Missae*, L. 3. c. 4. n. 11. — [2] *De Sacrif. Missae*, disp. 86. sect. 1. n. 1. — [3] L. VI. 317. q. 3.; *1 Elench. qq. ref.* n. 67. — [4] Ib. q. 4°.

Digitized by Google

1611. — II. Celebrandi obligatio ex acceptione stipendii potest, seclusa peculiari stipulatione, PER ALIUM impleri; ea tamen lege, ut huic INTEGRUM STIPENDIUM tradatur. — Ratio *primi* est, quia, seclusa tali stipulatione, obligatio est tantum realis, unde sufficit ut res debita praestetur. — Ratio *secundi* est, quia sacerdos « licet acquirat eleemosynae dominium, attamen illud acquirit juxta voluntatem eorum, qui dant eleemosynam; et qui eleemosynam praebet, non solum petit Missam, sed etiam vult ut illa tali eleemosyna celebretur; nam majus stipendium facit ut ipse uberiorem fructum ex Sacrificio percipiat; itaque haec intentio intrat in contractus substantiam, ideo si sacerdos partem stipendii retinet, injuste contra dantis voluntatem retinet [1]. » — Atque hinc est, cur Ecclesia districte prohibeat, ne sacerdos, qui Missam cum certo stipendio celebrandam suscepit, eamdem Missam alteri, parte stipendii sibi retenta, celebrandam committat. Ita ex Decreto S. C. C ab Urbano VIII approbato atque ab Innocentio XII confirmato. Et ab Alexandro VII damnata est haec 9ª propositio: « Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta [2]. »

Hinc: 1° De turpi quaestu damnandus est procurator, vel executor testamenti, qui sibi commissas Missas celebrare facit, ubi est minor taxa, ut ita excessum sibi retineat [3]. — Haeres vero, qui ob acceptam haereditatem de Missis celebrandis tenetur, potest eas, si locus celebrationis et stipendium non determinata fuerint, quibuscumque sacerdotibus celebrandas committere.

2° Qui, contra Ecclesiae prohibitionem, partem stipendii sibi retinet, non solum peccat, sed *tenetur ad restitutionem.* Haec vero, juxta communiorem ac probabiliorem sententiam, facienda est celebranti, « quia, translato in eum onere, etiam jus ad integrum stipendium, juxta voluntatem domini, transfertur [4]. »

1612. — A praefata prohibitione (ne quid stipendio detrahatur) *triplex* EXCUSARE potest *causa:* voluntas scilicet elargientis eleemosynam, spontanea cessio suscipientis onus celebrandi, et S. Sedis concessio.

1° Excusat *voluntas elargientis* eleemosynam: hic enim potest pro libitu, consuetam taxam excedere, vel cum intentione, ut stipendium integrum celebranti obveniat, vel cum intentione, ut excessus cedat accipienti. Nec tamen requiritur, ut dans stipendium hanc suam intentionem expresse manifestet. Sufficit, ut ex circumstantiis de ejus voluntate moraliter constet. — Hinc, si pro Missis *adventitiis* majus stipendium detur, non tam intuitu Missae quam amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis, etc., sacerdos potest

[1] H. A. XV. 65. — [2] L. VI. 321. — [3] Ib. 322. dub. 2. — [4] Ib. 322. dub. 1.

Digitized by Google

excessum sibi retinere, et committere alteri Missae celebrationem [1]. — Ad Missas *fundatas* quod attinet, distinguendum: si fundatoribus animus tantum fuit, ut Missae celebrarentur, celebranti integrum stipendium tradendum est. Ita ex recenti S. C. C. decreto, in causa *Colonien.* die 18 julii 1868 [2]. — Si autem animo etiam intenderunt, meliores reddere parochi capellanive reditus, excessus retineri potest. Atque idem dicendum est, ut patet, si praeter Missae celebrationem, alia implenda sint officia.

Quoad *beneficiarios*[3] declaratum est in Bulla *Nuper* Innocentii XII: « satis esse ut rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis, vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit [4]. » — Idem dicendum est de *capellano amovibili* [5], « modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti, et perpetuo capellano assignati; secus vero, si hujusmodi capellano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna [6]. »

2° Excusat *spontanea et liberalis cessio* sacerdotis, cui committitur celebratio; sicut enim ille potest totum remittere, sic et partem. « Verumtamen, hoc minime admittendum, si tu indices majus pretium acceptum, et sacerdotem roges ut remittat; vel ab eo quaeras, an consentiat ut tu partem retineas; tunc enim nequis eam retinere, etiamsi ille annuat; nam hoc in Bulla *(Quanta cura)* Benedicti XIV asseritur tanquam execrabilis abusus vetitus a pluribus Pontificibus [7]. »

3° Excusat *S. Sedis concessio.* Romanus enim Pontifex, pro suprema, qua in Ecclesia pollet auctoritate, concedere potest, ut quaedam eleemosynae pars, rerum adjunctis id suadentibus, retineatur. — Hujusmodi concessio in favorem pauperum ecclesiarum facta est per Decretum S. C. Concilii confirmatum ab Innocentio XII. In hoc autem Decreto [8] legitur: « Permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habeant reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeun-

[1] L. VI. 321. v. *Ab hac tamen.* — [2] Ap. *Acta S. Sed.* vol. IV. 39. — [3] L. VI. 321. v. *Excip.* 3. — [4] Bulla *Nuper* videri potest apud Croix, L. VI. p. 2. n. 63; item ap. Scavini, tom. IV. p. 348. — [5] L. VI. 321. v. *Idem licet.* — [6] S. C. C. 15 mart. 1745. — [7] L. VI. 321. *Excip.* 2. — [8] Die 23 nov. 1697 ad 7; *Bullar.* tom. IX. 468.

Digitized by Google

dae; et nihilominus, eo etiam casu, curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas [1].» Vide etiam Decretum S. C. C. 24 april. 1875 [2].

QUAERITUR. *An liceat* PERMUTARE *Missas, quin stipendia inaequalia permutentur?*

Resp. Talis permutatio, principaliter si ratione majoris stipendii retinendi fiat, turpem quaestum involvere videtur, ideoque videtur etiam improbanda: non tamen sub gravi, praesertim si paupertas excusat [3].

1613. — III. Quaestum facere ex Missarum stipendiis, quae ad alios transmittuntur, severissime prohibetur. Talis enim agendi modus S. Sacrificii dignitatem summopere dedecet, atque in causa est, cur augustissimum hoc Sacrificium minoris apud fideles habeatur. — Qua super re haec notanda sunt:

1° Excommunicationi latae sententiae R. Pontifici reservatae subjiciuntur « colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent [4]. » — Haec alibi fusius explicata sunt (n. 1339).

2° Turpe mercimonium sapit, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda est ab Episcopis, illorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo, Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt. Neque haec agendi ratio ideo cohonestari valet, quia Missae in debito numero celebrantur, vel quia sic pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus subvenitur, vel quia lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum et incrementum impenditur. — Quare, istiusmodi agendi rationi cooperari non licet, sive Missarum eleemosynas colligentibus tradendo, sive onus Missas celebrandi acceptando [5].

3° Non illicite agunt sacerdotes, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie [6].

An vero improbandi sint moderatores vel administratores *diariorum religiosorum,* qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum

[1] L. VI. 322. dub. 5. — [2] Cf. *Acta S. Sed.* Vol. VIII. 659. — [3] L. VI. 322. dub. 4; cf. et *Vindic. Alphons.* p. 4. q. 2. — [4] Const. *Apostol. Sedis,* sect. II. 12. — [5] S. C. C. 9. sept. 1874; cf. *Collect. S. Sed.* n. 383. — [6] Ibid. n. 383. ad 6.

Digitized by Google

eleemosynis pretio diariis ipsis respondenti in casu? — Respondit ad hoc quaesitum S. C. Concilii [1]: « Negative, dummodo nil detrahatur fundatorum voluntati, circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque studiosa collectione Missarum, et docto cui de jure de secuta Missarum celebratione, facto verbo cum Sanctissimo. »

1614. — IV. Omnes celebrationis circumstantiae, quas tribuens eleemosynam *stipulatus est*, religiose servandae sunt. — Ratio, quia intercessit verus contractus *do ut facias*, qui inducit obligationem.

Restat ut quaedam peculiaria tum de Missis *adventitiis*, tum de Missis *fundatis* hoc loco perpendamus.

A. — *De Missis adventitiis.*

1615. — I. Tempus celebrationis. Missae adventitiae debent, sub gravi, celebrari vel tempore statuto, vel infra modicum tempus, nisi offerens stipendium in dilationem consentiat.

Dicitur 1° *tempore statuto*, si nempe expresse determinatum fuerit. Dilatio tamen in diem sequentem excusari posse videtur, nisi Missam petens, gravem ob causam, hunc diem praefixerit, vel etiam hunc in finem majus stipendium obtulerit [2].

Dicitur 2° *vel infra modicum tempus*, si nempe nullum fuerit praefixum. Modicitas autem temporis omnino relative sumenda est. — Et quidem: 1° *gravis* censenda est quaevis dilatio, per quam petens Missam intento fine frustraretur. Quare, graviter peccat sacerdos, « si petitam Missam pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro felici partu, evadendo periculo, lite vincenda, etc., omittat intra tempus celebrationi aptum. Ratio, quia circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitae; unde, transacto eo tempore, sacerdos tenetur stipendium restituere, dantemque monere de Missis tempore apto omissis [3]. » — 2° « In Missis pro defunctis dilationem *unius mensis* merito gravem reputant multi theologi [4]. » — 3° In aliis Missis, dilatio *duorum mensium* gravis est censenda: quare infra bimestre satisfaciendum est (excipe: nisi S. Sedes dilationem concesserit; cf. n. 1620).

Dicitur 3° *nisi offerens in dilationem consentiat.* Scienti enim et volenti non fit injuria. Ita etiam S. C. C. definivit [5]. — Jam vero, talis consensus ipso facto praesumitur, si quis multas, v. g. 200 Missas sacerdoti offerat ab ipsomet celebrandas. Non item, « cum Missae traduntur celebrandae communitati plurium sacerdotum; quia tunc

[1] Die 24 april. 1875; cf. *Acta S. Sed.* vol. VIII. pag. 650. 659., vel fusius ap. *Thesaur. Resol.* tom. 134. Num. II. in *Tarbien.* etc. — [2] L. VI 317. *Sed. hic. dubium.* — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Die 23 nov. 1697 ad 11; et die 24 april. 1875.

Digitized by Google

praesumitur, qui dat eleemosynam pro multis Missis, velle citius eas celebrari. Hoc tamen non intelligendum, quod omnes sacerdotes illius communitatis debeant se occupare in satisfaciendis hujusmodi Missis, sed quod non debent tamdiu differre, quamdiu oporteret si Missae illae uni committerentur. — Hinc, dico tunc posse totum numerum distribui in singulos communitatis, vel saltem in majorem ejus partem, si illa numerosior sit; et hac distributione facta, tota communitas poterit intra tantum tempore satisfacere, quantum concederetur unicuique communitatis pro sua rata satisfacienda. Bene enim ait Holzmann, quod has numerosas Missas committentes facile praevidere possunt, quod communitas alias habeat obligationes [1]. »

1616. — II. Locus celebrationis et missae species. Celebrans, qui loci conditionem non servat, plus minusve graviter peccat, pro majori minorive repugnantia illius, qui dedit eleemosynam. — Imo, si locus *aeque principaliter* intentus fuerit, v. g. Alma Domus Lauretana, tenetur restituere stipendium.

Obligatus celebrare ad *altare privilegiatum*, satisfacit utendo privilegio personali [2]; et qui celebravit, quin susceptae obligationi satisfecerit, non jam tenetur ad restitutionem stipendii, sed tantum ad lucrandam *indulgentiam plenariam* applicabilem pro defunctis [3]. Ita S. Ind. C. 22 Febr. 1847. Nec autem licet ante factum, sic secum statuere (Ead. C. 24 Jul. 1885) [4].

Missae speciem non servare, v. g. si celebres Missam de festo occurrenti pro Missa *votiva* aut de *Requie*, etiam quando per Rubricas haec conceditur, non excedit veniale, cum Missae substantia aeque habeatur; quare et celebrans stipendium retinere potest — Quod si justa de causa sacerdos sic egerit, v. g. ad servandas Rubricas, nullo modo peccavit [5].

B. — *De Missis fundatis.*

1617. — Missae fundari possunt vel *ad tempus*, vel in *perpetuum*. Quocirca notamus ex sacris Canonibus sequentia:

1° Perpetua Missarum onera non possunt a sacerdotibus saecularibus suscipi, absque licentia scripta Episcopi, aut Vicarii generalis. — Apud Regulares vero, requiritur licentia Superioris generalis vel provincialis, ut constat ex decreto *Cum saepe* S. C. Concilii Urbani VIII auctoritate edito, et ab Innocentio XII per Bullam *Nuper*, anno 1697 confirmato.

[1] L. VI. 317. q. 2. v. fin. — [2] S. C. Indulg. 15 martii 1852 (Decr. auth. S. C. Indulg. n. 351 pag. 301). — [3] L. VI. 329. — [4] Cf. *Acta S. Sed.* vol. XVIII. p. 94. — [5] L. VI. 327.

Digitized by Google

2° Beneficiatus, qui beneficium seu capellaniam habet cum onere Missarum, debet, non obstante quacumque consuetudine, illas Missas pro fundatoribus, vel ad eorum intentionem applicare. — At vero « quando, in fundatione beneficii seu capellae, expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii; eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, et unica Missa satisfacere obligationi beneficii seu capellae, et item danti novum stipendium. » Decr. S. C. C. die 13 julii 1630 [1]. — « Cum autem a S. C. postulatum fuisset die 18 martii 1668: an deberent applicari pro testatore Missae, cum in testamento nihil de applicatione declaratum fuerit.. respondit S. C. C. applicanda esse *pro testatore*. — Et idem declaratum fuit, die 6 febr. 1627, de capellanis, qui celebrant, ut confratres aut Moniales intersint Sacro; cum dicatur non posse stipendium recipere [2]. » Porro « nisi exprimatur in institutione capellaniae, quod capellanus per seipsum celebret, semper *per alium* celebrare potest [3]. »

3° Capellani, Beneficiati, etc., qui ex lege fundationis tenentur applicare Missam *diebus festis tantum*, debent adhuc applicare in festis reductis, uti parochi; nam festa reducta semper habentur in Ecclesia ut festa de praecepto. Ita ex Litteris Pii VII *Paternae charitati*, die 10 aprilis 1818 [4] (cf. etiam n. 891. 1°).

4° Canonici, in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, debent celebrare quotidie *Missam conventualem* pro eorumdem benefactoribus; tametsi hi, in suis donationibus, nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo declarassent se sua bona, pro peccatorum suorum remissione, Deo offerre; et tametsi contraria consuetudo, etiam immemorabilis, alicubi vigeret. — Imo, ubi viget consuetudo secundam etiam aut tertiam Missam pro eis applicandi, debet Episcopus imperare, ut haec consuetudo sancte retineatur; ubi vero non viget, in *Memento* saltem secundae tertiaeque Missae conventualis, fiat eorum commemoratio. — Ita Bened. XIV, Const. *Cum semper* [5].

5° Sacerdos, qui ob beneficium vel capellaniam tenetur *quotidie* celebrare, potest, ex communi sententia, *interdum* omittere celebrationem Missae, si legitima intervenerit causa, v. g. devotionis, reverentiae erga Sacrificium, aut infirmitatis non excedentis 15 dies (imo, etiamsi infirmitas, ait probabiliter Lugo, per duos menses protraheretur). — Potest etiam, probabiliter, modo non accipiat stipendium, quater vel sexies in anno, pro seipso vel pro amico charissimo celebrare; id enim rationabiliter ex mente fundatoris prae-

[1] Bened. XIV. *Instit.* 56. n. 8. — [2] Ib. n. 8; H. A. XV. 88. 7°; L. VI. 324. — [3] L. VI. 330. — [4] *Bullar. dicta Constit.* §. 4. — [5] L. VI. 326.

Digitized by Google

sumitur. Secus vero, si is contrarium expressisset; v. g. dicendo: « Volo ut Missa quotidie celebretur, per capellanum vel per alium; vel etiam: « volo ut, in tali ecclesia, celebretur quotidie Missa, etc. [1] »

6° Non licet celebrare Missas fundatas in alia *ecclesia*, in alio *altari*, neque alia *hora*, quam quae a fundatore constituta sunt. — Nec levis est haec obligatio, si fundator hujusmodi circumstantias, ob gravem causam, stipulatus sit, v. g. ob memoriam vel commodum propriae familiae, aut populi. Si vero nullus specialis finis stipulationi ansam dederit, vel si causa, cur facta fuerit, non amplius existat, v. g. si familia sit extincta, vel si alibi commoretur: praedicta obligatio non erit gravis; imo, erit nulla, si sacerdos eam compenset, celebrando in altari privilegiato [2]. Secus, obligatio est adeo gravis, ut sacerdos mortaliter peccaret, si illas circumstantias saepius, aut sine causa, aut sine dispensatione, praetermitteret aut immutaret. — « Dixi *saepius;* nam, peccabit tantum venialiter, si faciat raro, puta semel vel bis in mense; et facilius excusatur, si mutabit tantum altare, et non ecclesiam. — Item, dixi *sine causa*; nam minime peccabit, si celebrabit alibi ex justa causa, puta si altare sit execratum, vel quia egressus a sacristia viderit illud ab alio occupatum. — Item, dixi *sine dispensatione;* nam, bene potest Episcopus dispensare, ut celebretur in alio loco, ex rationabili causa, puta ob utilitatem propriae ecclesiae, etc. [3] » Haec enim facultas Episcopis, utpote S. Sedis Delegatis, competit, ut communiter ex Tridentino eruitur [4]. Ubi vero translatio, expressae testatoris voluntati, vel divino cultui, vel populi commoditati adversatur, a S. Congr. Concilii concedi non solet, eoque in casu Episcopi dispensare non possunt [5].

1618. — Quaeritur. *An possit fieri* praescriptio *contra onera Missarum?* *Resp.* Nonnulli affirmant; « sed, juxta veriorem sententiam, talis praescriptio non admittitur, dum in Tridentino [6] interdicitur posse derogari omnibus oneribus injunctis, tam in fundatione, quam in quacumque alia pia dispositione, sive collatione beneficiorum; et Pius IV in Bulla, qua confirmavit Concilium, declaravit irritum, quidquid in posterum contra illud factum fuerit... Clausula autem irritans ligat etiam ignorantes, et in causis beneficialibus inficit titulum et possessionem. — Saltem dicimus, in praxi primam sententiam cum difficultate posse esse probabilem, dum difficulter in beneficiatis potest praesumi bona fides, cum praesumitur potius quod ipsi sciant leges beneficii [7]. »

Nota. — 1° Advertunt AA. esse maxime opportunum, ut quivis sacerdos notet in *libro* Missas acceptas, et Missas a se celebratas, ut ita, etiam in casu mortis inopinatae, omnia innotescant haeredibus. — 2° Id vero ab Innocen-

[1] L. VI. 332. 333; H. A. XV. 73. — [2] L. I. *Appendix II.* n. 60. — [3] L. VI. 329; cf. *De Priv.* n. 60. ubi plura. — [4] Sess 21. cap. 7. *de Ref.* et Sess. 25. c. 5. *de Ref.* — [5] L. VI. 329; cf. Lucidi, cap. VII. n. 108. sqq. — [6] Sess. 25. cap. 5. *de Ref.* — [7] H. A. XV. 74; cf. Decis. S. C. C. 20. dec. 1879. ap. *Acta S. Sed.* vol. 13. p. 220.

Digitized by Google

tio XII omnino praecipitur omnibus rectoribus et ministris ecclesiarum sive saecularium sive regularium, ut singulis annis Superioribus suis rationem reddere possint de Missis celebratis, sive sint perpetuae, sive temporales, sive etiam manuales. — Et insuper, *tabella onerum* perpetuorum et temporalium, in loco magis patenti et obvio, exponi debet, ad cavendum, ne onera Missarum supra vires excipiantur (ex Bulla *Nuper*).

III. — De reductione et condonatione Missarum.

1619. — Reductio Missarum proprie illa dicitur qua onera Missarum ad minorem numerum coercentur *pro futuro tempore*, sive id fiat in perpetuum, sive ad statutum tempus. — Quando reductio ad tempus *praeteritum* refertur, omissamque Sacrorum celebrationem importat, tunc proprie *remissio*, *absolutio* et condonatio nuncupatur [1].

1620. — **Principia.** I. Reductio Missarum, hodie, a Sede Apostolica tantum, non autem ab Episcopo, nec a praelato regulari, fieri potest. — Patet ex Const. *Nuper* Innocentii XII, §. 1, ubi sic dicitur: « Districte prohibetur ne Episcopi... quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur [2]. » Idem valet tum de *condonatione*, tum de concessione *longioris temporis* ad onera Missarum implenda [3]. — In duplici tantum casu, competit Episcopis jus reducendi Missas: 1° si ipse testator hanc facultatem Episcopo tribuerit; 2° si S. Sedes tale privilegium Episcopis concesserit, uti frequenter obtinet.

1621. — II. Missarum reductio vel condonatio nonnisi justa intercedente causa fieri potest. Id per se patet. — « Causae autem, ex quibus Sedes Apostolica solet Missas reducere, sunt paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, vel augmentum stipendii currentis, extenuatio redituum monasterii, vel majores expensae necessariae ad victum, etc.; denique si urgeret necessitas fratrum, vel fabricae ecclesiae aut monasterii [4]. »

Nota. Ad obtinendam reductionem, vel condonationem, recursus fit ad S. Sedem, per *S. C. Concilii*, sive per *Fabricam S. Petri*. — Quando vero S. Sedes condonationem ob justas causas concedit, imponit semper salutarem aliquam poenitentiam, ac praesertim poenitentiam celebrandi certum Missarum numerum. — Supplet insuper ex spirituali suo thesauro quidquid in implendis oneribus peccatum est; et in suffragium animarum, pro quibus omissa Sacrificia offerri debuissent, mandat celebrari quotidie congruum Missarum numerum, a capellanis huic muneri in Vaticana Basilica addictis. Quod si quis animo consequendi hujusmodi condonationem, Missarum celebrationem

[1] Lucidi, cap. VII. n. 80. — [2] L. VI. 331; *1 Et. qq. ref.* n. 68; cf. *Collect. S. Sed.* n. 376. — [3] Cf. Bened. XIV. *de Synodo*, L. 5. c. 10. n. 2. — [4] L. VI. 331; cf. *Acta S. Sed.* vol. XVIII. p. 147, ubi exemplum.

Digitized by Google

omittere *praesumpserit*, hoc in casu, gratia nullatenus suffragatur, et hujusmodi spes, utpote irrationabilis atque illicita, damnatur et reprobatur [1].

Si de foro tantum interno agatur, i. e. si quis Missas sive fundatas sive adventitias omiserit, quin constet publice de omissione, et impotens factus sit ad satisfaciendum: potest, pro condonatione, fieri recursus *ad S. Poenitentiariam*, per confessarium nempe, qui poenitentis nomen reticere debet.

1622. — III. Episcopis competit facultas INTERPRETANDI in dubio, fundatorum voluntatem, et redigendi Missarum onera *ex contractu* suscepta, ad aequitatem. — In his enim utuntur Episcopi potestate sua *judiciali*, quae est jurisdictioni ordinariae propria; quare, si de constituta vel de non constituta obligatione, de resoluto vel de non resoluto onere, etc. pronuntiant, non excedunt limites ex jure communi sibi praescriptos [2]. Nec datur tunc locus reductioni apud S. Sedem. (cf. n. 1083, et 1087. q. 2).

QUAERITUR. *An aliquando capellanus, vel beneficiarius, possit per se minuere Missarum numerum?*

Resp. « Si reditus deficiant *in totum*, sine ipsius culpa, certum est non teneri Missas celebrare, » ut communiter docetur et S. C. C. definivit [3]. « Si vero reditus deficiant *in parte*, etiam videtur certum, posse capellanum minuere Missas, casu quo testator congruam eleemosynam designaverit, (v. g. tres libellas pro qualibet Missa); quia tunc, sicut augendus esset numerus Missarum, si reditus augerentur, ita minuendus est, si reditus minuuntur [4]. »

NB. Summopere exoptandum est, ut ii, qui perpetua Missarum onera *imponunt;* in ipso *fundationis actu*, facultatem beneficiario vel Episcopo tribuant reducendi earum numerum, casu quo reditus minuantur.

ARTICULUS II.

DE OBSERVANDIS IN CELEBRATIONE MISSÆ

Quae Missae celebratio sibi expostulat, tria complectuntur: 1° circumstantias temporis et loci; 2° requisita ad ipsam celebrationem; 3° rubricarum observantiam.

§. 1. *De tempore et loco celebrationis.*

I. — DE TEMPORE CELEBRATIONIS.

1623. — Principia. I. QUOTIDIE CELEBRARE licitum est atque laudabile, nisi obstet specialis Ecclesiae prohibitio. — Etenim « in cele-

[1] Cf. Lucidi, cap. VII. n. 86, sqq.; ubi plura accurate definita. — [2] Bened. XIV. *de Synodo*, L. 13. c. ult. n. 9, 35. — [3] 7 junii 1686 et 8 aug. 1705. — [4] L. VI. 331. dub. 2.

Digitized by Google

bratione hujus mysterii attenditur repraesentatio Dominicae Passionis, et participatio fructus ejus; et secundum utrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi hujus Sacramenti. Quia enim fructu Dominicae Passionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter Sacramentum offertur [1]. »

Dictum est *nisi obstet specialis Ecclesiae prohibitio.* Jam vero, hujusmodi prohibitio obstat, tribus ultimis diebus Hebdomadis majoris, nempe:

1° Feria QUINTA *in Coena Domini*, prohibentur Missae privatae [2]. — Dicimus *Missae privatae*, nam, in singulis ecclesiis, admittitur Missa solemnis ab ecclesiae rectore, vel ab ejus vices gerente, celebranda. — Atque hic memorandum est, quod statuit S. R. C., dicens: « servandam esse regulam praescriptam in Libro caeremoniali, quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis est: ut scilicet Feria V in *Coena Domini,* in memoriam, quod D. N. J. C. manu sua propria Apostolos communicavit, *omnes presbyteri* tam Dignitates quam Canonici (et alii quicumque de gremio ecclesiae [3]) Communionem sumant *de manu Episcopi*, vel alterius celebrantis [4]. »

Notentur sequentia: 1) Prohibitio celebrandi, Feria V in *Coena Domini*, alias Missas praeter solemnem, sequentes patitur exceptiones: — 1° In ecclesiis *minoribus*, ubi sacrae functiones Hebdomadae majoris solemniter peragi nequeunt, illas peragere studeant ecclesiarum rectores, servata forma parvi Ritualis Benedicti XIII jussu editi: quoad alias paroecias, quae clericis destituuntur, locorum Ordinarii indulgere valent, ob populi commoditatem, ut parochi (petita quotannis venia) Missam lectam celebrare possint [5]. — 2° In commodum *infirmorum*, potest Episcopus concedere, ut in ecclesia (non in privato valetudinarii sacello) una Missa privata, excepta solemni, celebretur [6]. — 3° Superior *regularis* potest Missam privatim celebrare in privato Oratorio, ad ministrandam Religiosis Communionem, et si desit oratorium, hoc fiat in ecclesia, januis clausis [7].

2) Si hac die occurrat *Festum de praecepto*, v. g. S. Josephi vel Annuntiationis B. M. V. per Ordinarios locorum providendum est, ut eo die, pro Christifidelium numero, plures Missae privatae, ante solemnem, celebrentur [8]. Missae vero dicendae sunt de solemnitate diei cum *Gloria* et *Credo,* non autem de festo, de quo nihil fit [9].

3) Quod si festum *Annuntiationis* B. M. V. incidat in *Parasceve* vel in *Sabbatum Sanctum*, debet, una cum praecepto audiendi Missam, et vacandi ab operibus, in Ecclesia universali, transferri in feriam secundam post Dominicam in Albis [10].

[1] S. Th. III. q. 83. a. 2. — [2] L. VI. 350; *1 El. qq. ref.* n. 69. — [3] Gardell. n. 1734 (19 sept. 1654). — [4] Ib. n. 3597, ad 16 (10 sept. 1701); n. 4353 (22 dec. 1770); n. 4815. ad 1 (23 sept. 1837. — [5] Gard. n. 4583. ad 1 (28 jul. 1821). — [6] Ib. n. 4361. ad 9 (27 martii 1773). — [7] Ib. 4870. ad 2 (31 aug. 1839). — [8] Ib. n. 3893 (12 sept. 1716). — [9] Ib. n. 4526. ad 15 (7 sept. 1816). — [10] Ib. n. 3204 (11 martii 1690).

Digitized by Google

2° Feria SEXTA Hebdomadis majoris, scil. die *Parasceves*, Ecclesiae prohibitio est absoluta. Hac die omnibus sacerdotibus a celebrando abstinendum est, et quidem *sub gravi*, etiamsi celebrandum foret ad praebendum Viaticum moribundo. — Constat ex Rubrica Missalis et ex Can. *Sabbato* 13. Dist. 3. *de Consecr.* — Ratio est, quia illa die, Passio Domini ab Ecclesia recolitur, prout realiter gesta [1], et ideo non repraesentatur mystice per Eucharistiae consecrationem.

3° Ad SABBATUM SANCTUM quod attinet, permittitur solummodo Missa solemnis, et in ecclesiis minoribus Missa lecta, servata forma parvi Ritualis Benedicti XIII. — Missae vero privatae plane prohibentur, in quibuscumque ecclesiis et oratoriis privatis, non obstante quacumque contraria consuetudine.

1624. — II. Missae privatae quacumque HORA, ab aurora usque ad meridiem, dici possunt. — Ita Rubrica Missalis [2], quae tempus etiam praescribit, quo Missa *conventualis* et *solemnis* celebranda sit. — Incipit vero AURORA, quando prima claritas per terram diffunditur, seu a lucis initio, quod pro variis locis et anni temporibus varium est. Attendantur *tabellae*, quae directorio Officii divini apponi solent. In regionibus, ubi aurora non habetur, Rubrica intelligitur « de tempore quod aequivalet et correspondet aurorae, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, juxta receptas et approbatas regionum consuetudines [3]. » — Insuper, in omni regione, tempus tam aurorae, quam meridiei non mathematice, sed *moraliter* accipiendum est, et « Benedictus XIII annuit posse tolerari latitudinem tertiae partis horae, tum ante auroram (pro Missis inchoandis), tum post meridiem » (pro iis absolvendis) [4].

Prohibitio celebrandi ante auroram, et post meridiem, obligat *sub gravi*, in materia gravi. — Constat ex Tridentino [5], praecipiente: « ut Ordinarii... edicto et poenis propositis caveant, ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent. » — Materia autem gravis foret, inchoare Missam *integra hora* ante auroram, i. e. ante tempus quo, ex Benedicti XIII decreto, eam inchoare licet, vel integra hora post meridiem. — Citra horam, materia non foret nisi levis.

1625. — A praedicta lege variae EXCUSARE possunt *causae*, nempe:

1° Exceptio juris, qua Missa solemnis Nativitatis Domini celebrari potest media nocte. — Nec vero licet, in hac nocte, celebrare successive duas alias Missas, nec sacram Fidelibus porrigere

[1] S. Th. III. q. 83. a. 2. ad 2. — [2] Tit. 15. n. 1. — [3] Apud Gardellini, n. 1007. (*Missalis Rom.*, 18 sept. 1634). — [4] L. VI. 341. — [5] Sess. 22. *Decr. de o' serv. in celebr. Miss.*

Digitized by Google

Communionem. Ita S. R. C. 28 april. 1703 in *Savonen.;* in *Pisauren.* 20 april. 1641, etc.[1] — Imo tanquam abusus proscripta fuit (die 18 sept. 1781[2]) consuetudo, vi cujus quisque sacerdos absque Indulto Apostolico Missam celebraret ante auroram, in nocte Nativitatis. — Id tamen Episcopis conceditur, ut in oratoriis publicis seu capellis, unam Missam, etiam sine cantu, juxta regionis consuetudinem *tolerare* possint. Ita colligitur ex resp. S. R. C. 7 sept. 1850[3].

2° Privilegium seu Indultum apostolicum, post Concilium Tridentinum concessum, vi cujus privilegiatis licet celebrare v. g. una hora ante auroram vel post meridiem: quod intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum; alioquin privilegium parum prodesset[4].

3° Necessitas, v. g. ut Viaticum morituro praebeatur, quo casu etiam media nocte liceret celebrare.

4° Causa rationabilis, v. g. ut opifices et famuli summo mane Missam audire possint. — Unde, si in die festo, Missa solemnis longius protrahatur, potest Missa privata dici una hora et amplius post meridiem; et probabiliter etiam duabus horis, saltem cum licentia Episcopi, ne scilicet magna pars populi Missa careat; item ex causa itineris, vel funeris alicujus magnatis, vel concionis, vel Ordinationum, liceret celebrare Missam una hora post meridiem, vel ante auroram[5].

5° Dispensatio; Episcopus enim potest dispensare in aliquo casu particulari, ex rationabili causa. Atque hac eadem facultate pollent omnes Superiores religiosi erga suos subditos, cum sint eorum Ordinarii[6]. — Monet vero Paulus III: « Quocumque Indulto celebrandi, seu celebrare faciendi ante diem parce utantur; quia, cum in altaris ministerio immoletur Dominus Noster Jesus Christus, Dei Filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce[7]. »

QUAERITUR. *An et quale sit peccatum celebrare Missam ante recitationem Matutini?*

Resp. 1° Si agatur de celebratione *privata*, plures AA. cum S. Antonino dicunt esse mortale; alii cum Tamburini et Holzmann nullam in hoc culpam agnoscunt. Communius autem et probabilius alii cum Benedicto XIV[8] docent, id nequaquam esse mortale, tum quia non est necessaria dispositio ad celebrandum, tum

[1] Gard. n. 3648 ad 3; n. 1319; n. 1391 (31 maji, 1642). — [2] Ib. n. 4404. — [3] Cf. *Corresp. de Rome*, tom. I. pag. 381; et Bouvry, pars 3. tit. 15. rub. 4. n. 5 et 6. — [4] L. VI. 346; cf. *Collect. S. Sed.* n. 384-387; item Bened. XIV. *Instit.* 68. n. 11. — [5] L. VI. 344. — [6] Ib. 343-344. — [7] Ap. Bened. XIV. *Instit.* 13. n. 2. — [8] *De Sacrif. Missae,* L. 3. c. 13. n. 4.

Digitized by Google

quia hujusmodi gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter est recepta. — Sed a culpa *veniali* non excusari sentiunt, quia in Rubrica id jam inter defectus numeratur, et ideo non potest dici de mero consilio. — Excusat autem quaecumque mediocris causa rationabilis, ut studium, iter, voluntas Superioris, expectatio populi, etc. [1].

Resp. 2° Si agatur de Missa *conventuali* et *solemni*, AA. « communiter et verius affirmant esse *mortale*, nisi intercedat justa causa (et gravis et publica, ac sine scandalo). Ratio, quia talis est consuetudo recepta in omnibus ecclesiis, ubi preces publicae dicuntur; ita ut, aliter agendo, graviter laederetur publicus Dei cultus, bonum commune, et conveniens regimen Ecclesiae [2]. »

1626. — III. SEMEL tantum in die celebrare licet. — Antiquitus licebat quidem pluries eadem die Sacrum facere, sed a multis jam saeculis id, sub gravi, prohibitum est. « Excepto die Nativitatis Dominicae, inquit Innocentius III [3], nisi causa necessaria suadeat, sufficit sacerdoti, semel in die, unam Missam solum modo celebrare. »

Excipitur 1° *Dies Nativitatis Domini.* In hoc enim Festo, cuique sacerdoti licet tres Missas celebrare, sed parochus tenetur una tantum pro populo applicare (cf. 1609. qu. 4°). — 2° *Casus necessitatis*, si nempe magna pars populi, die dominica vel Festo de praecepto Missa careret, potest sacerdos, de licentia Episcopi, bis celebrare. — Dicimus *de licentia Episcopi*, « cujus judicio relinquitur determinare, an justa et vera necessitatis ratio in casibus particularibus intercedat. Neque indiscriminatim Episcopis hanc facultatem impertiri fas est, sed tantum ob veram *in casu particulari* necessitatis causam [4]. » — Quod si gravis adesse videatur BINANDI causa, de qua tamen non constat utrum sit canonica necne, mens et praxis S. Sedis est, ut ad ipsam *Episcopi recurrant*; quando agitur nempe de licentia non ad actum concedenda, sed ad longius temporis spatium valitura. — Si vero repentinus casus occurrat, in quo non facilis pateat ad Episcopum recursus, potest praesumi ejus licentia [5].

QUAERITUR. *Quando censeatur adesse* NECESSITAS *bis celebrandi?*

Resp. Ex communi theologorum sententia, haec *necessitas* adest in *triplici* casu. — 1° Si quis presbyter duas habeat paroecias, et populus in alterutram paroeciam convenire nequeat. — 2° Si quis presbyter, etsi non habeat duas paroecias, duos tamen regit populos adeo inter se dissitos, ut alter eorum non possit ipsi cele-

[1] Lib. VI. 347. — [2] Ib. 348; et *Exam. Ord.* n. 113. — [3] L. 3. Decretal. Tit. 41. cap. 3. — [4] Lucidi, I. cap. 3. n. 380. — [5] Bened. XIV. Const. *Declarasti Nobis;* L. VI. 351; *Exam. Ord.* n. 127; cf. Bouix, *de Parocho*, pars IV. cap. 6.

Digitized by Google

branti adstare, dum facile posset in aliquod sacellum convenire [1] — 3° Si omnes parochiani non possint simul ad unam Missam convenire, sive ob angustiam ecclesiae, sive ob locorum distantiam, Missa potest in eadem ecclesia iterari [2].

His ergo et similibus occurrentibus circumstantiis, *omnino deficiente* altero sacerdote, qui aliud Sacrificium offerre valeat, legitima aderit iterandi Sacrificii necessitas. — Secus vero, quacumque alia causa remota, ut esset inopia sacerdotis, vel commodum eorum qui vellent praecepto audiendi Sacrum satisfacere in suis privatis capellis, vel consuetudo etiam vetustissima, quae aliquando adduci potuit, etc... Sacrificium iterari sacerdoti non licet [3].

NB. De ritu servando in iteratione missae Vide *Append. ad* Rit. Rom.

II. — De loco celebrationis.

1627. — Principia. I. Jure communi atque ordinario, non licet Missam celebrare nisi in ecclesiis, vel in oratoriis ad divinum cultum ab Episcopo deputatis. — Constat ex Tridentino [4] praecipiente: « Ne Episcopi patiantur, privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi. » Quod hoc Tridentinum praeceptum sub gravi obliget, liquet tum ex ipsis verbis, quibus Concilium utitur, tum ex fine quem intendit.

Ecclesiae dedicantur cultui divino per *Consecrationem*, quae Episcopo reservatur, vel per *benedictionem*, quae, de mandato Episcopi, a simplici sacerdote impertiri potest [5].

Oratoria autem, in quibus celebrare licet, sunt tantum Oratoria publica. Eo nomine veniunt tum quae aditum habent in via publica et cuivis e populo patent, tum quae in palatiis Episcoporum, monasteriis, seminariis, hospitalibus, carceribus, etc. erecta sunt (cf. n. 678). — Consecrari quidem possunt Oratoria, quae divino cultui in perpetuum dedicantur, sed ordinarie, tantum *benedici* solent. — Imo, si haud diu in eodem loco perseveratura probabiliter judicarentur, consultius benedictio omitteretur. Semper tamen deputatio Episcopi (per se vel per alium) requiritur. — In domibus autem Regularium, erectio fit per Superiores regulares [6].

Dictum est 1° *Jure communi;* nam, ex Indulto apostolico, celebrare licet in oratoriis privatis. — Nec vero hanc licentiam concedere possunt Episcopi [7], nisi graves et urgentes adsint causae, et per modum actus tantum [8]. — In oratoriis autem privatis, non

[1] *Acta S. Sed.* vol. I. p. 8. — [2] Bened. XIV. ibid; (cf. *Thesaurus* tom. I. p. 63). — [3] Cf. Lucidi, vol. III. n. 43; item *Collect. S. Sed.* n. 389, *Instr.* S. C. de Prop. Fide. — [4] Sess. 22. *de observand.* — [5] Cf. *Pontificale* et *Rit. Rom.* — [6] Gatticus, *de Oratoriis*, cap. 12. n. 18. — [7] Ben. XIV. Const. *Magno*, 2 junii 1751. — [8] L. VI. 359; *De Priv.* n. 64; item S. C. C. 20 dec. 1856 (*Thes. Res.* tom. 115. p. 522).

Digitized by Google

licet Sacrum facere nisi *diebus in Indulto expressis*,[1] et praesente *aliqua ex personis*, quibus directe concessum est Indultum. Nec possunt ibi plures celebrari Missae, si in Indulto dicatur (ut dici solet): *una* Missa quotidie celebretur[1]; excipe, si celebrandum foret ad Viaticum ministrandum infirmo vel in domo vicina decumbenti: quo casu, etiam absente indultario, celebrare liceret[2]. — Imo, licet celebrare in domo infirmi vel in viciniori loco, si locus decens sit, ne infirmus Viatico privetur (quando scilicet neque publice, neque occulte deferri potest). Ita S. C. de Propag. Fid., 14 dec. 1868[3].

Notandum: 1° Privilegium Oratorii privati simul *personale* est et *locale*, ideoque adhaeret loco designato et extinguitur cum persona[4] — 2° Oratoria privata non sunt benedicenda formâ in Rituali praescripta, cum non in perpetuum Deo devoveantur[5]. Adhiberi potest *benedictio domus* vel *loci*. — 3° Episcopi, certis in circumstantiis, privilegio gaudent *altaris portatilis;* quando nempe, in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae habitationis, moram faciunt in *aliena* domo; et similiter quando, occasione sacrae Visitationis vel itineris, *hospitio* alicubi excipiuntur. In his igitur casibus, possunt in domibus, ubi versantur, vel ipsi Sacrum facere, vel jubere ut alius sacerdos illud coram ipsis faciat. — Demptis autem his casibus, nullo modo eis licet, in domibus laicis, Sacrificium Missae celebrare, sive celebrari facere. Ita ex Decreto Clementis XI, 15 dec. 1703 edito, et ex Const. *Apostolici ministerii* Innocenti XIII, 5 maii 1723[6].

Dictum est 2° *Jure ordinario;* nam, in casu necessitatis, licet celebrare Missam in quocumque loco decenti. — « Casus autem *necessitatis* sunt: 1° si ecclesia sit diruta; — 2° si quis sacerdos longam peragat peregrinationem per loca deserta, vel infidelium; — 3° si ecclesia non sit capax populi, ita ut multi Missa carerent; — 4° si exercitus inveniatur in castris, aut navigantium multitudo in littore maris. Ita communiter[7]. » — In his igitur et similibus circumstantiis, ne populus Missa in die festo privetur, licet *extra ecclesiam* celebrare. Convenit autem, ut licentia ab Episcopo obtineatur, si commode peti potest. Quod si casus necessitatis sit dubius, Episcopus bene dispensare valet[8].

Quaeritur. *An liceat Missam celebrare in* mari?

Resp. Ut hoc liceat, requiritur Indultum Apostolicum: quod facile concedi solet, sub sequentibus conditionibus: — 1° si longa sit distantia a littore; — 2° si mare sit tranquillum, et assistat alius sacerdos vel diaconus qui, si quis concitetur motus, calicem firme teneat[9].

1628. — II. Prohibetur sub gravi, nisi adsit necessitas, Sacra peragere in ecclesia polluta, execrata, vel interdicta. — Constat

[1] L. VI. 359. *Ex quo.* — [2] S. R. C. 27. aug. 1836 (Gardell. n. 4782 ad 8). — [3] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 395). — [4] L. III. 319 *Claus. I.* — [5] S. R. C. 11 martii 1820 ad 10 (Gardell.. n. 4565; *Collect. S. Sed.* n. 397). — [6] L. VI. 358; *De Priv.* n. 63; cf. Bened. XIV. *de Sacr. Missae*, sect. 2. n. 46. — [7] L. VI. 359; cf. Gardellini, nota ad Decis. S. R C. 27 aug. 1836. n. 4783. — [8] L. VI. 350. — [9] Ib. 356.

Digitized by Google

ex Jure Canonico[1] et ex Rubricis Missalis[2], ubi habetur: « si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa. » — Ratio pro *primo* et pro *secundo* casu est, quia non decet in loco vilescente aut notorie contaminato offerri Immaculatam Hostiam, divinaque celebrari Officia; unde graviter peccat *scienter* celebrans in ecclesia notorie violata, quamvis nullam censuram aut irregularitatem incurrat. — In *tertio* vero casu, prohibitio est in poenam delinquentis, et sacerdos illicite celebrans in loco interdicto, irregularitatem incurrit (cf. n. 1309 et 1377).

Diximus: *nisi adsit necessitas;* nam, in casu necessitatis, nempe si populus non habeat aliam ecclesiam, licet cum Episcopi, si adiri possit, venia (secus sine ea) celebrare in ecclesia execrata aut polluta, quae tamen per istam celebrationem non reconciliatur[3]. — Item, in loco interdicto, festis solemnioribus, permittitur celebrare, ut dictum est n. 1308.

1629. — Quaesita. QUAER. 1° *Quandonam ecclesia censeatur* POLLUTA?

Resp. Ecclesia, vel publicum oratorium, *polluitur* seu *violatur* quatuor modis, ut sequitur:

1° Per *homicidium voluntarium et injuriosum*, seu consummatum intra ecclesiam, per actionem physice occisivam et sacrilegam, sive cum effusione sanguinis, sive alio modo, v. g. veneno, jugulatione, et quamvis ipsa mors extra locum sacrum eveniat. — Unde, ecclesia non polluitur per homicidium casuale, vel factum ab amente aut ab alio in sui defensionem, cum moderamine inculpatae tutelae, aut proveniens ex vulnere inflicto extra ecclesiam. — Polluitur vero per homicidium, quod alias justum esset per sententiam judicis. Excipe, si reipublicae perturbator aliter capi non posset[4] (cf. n. 582. 4°).

2° Per copiosam *humani sanguinis* effusionem, ortam ex percussione aut vulnere gravi, et graviter immunitati Ecclesiae injuriosa: ut communiter tenent. — Unde, ecclesia non polluitur, si sanguinis effusio sit casualis, si proveniat ex jocosa aut levi percussione, ut in rixa puerorum; si effluant pauculae guttae; si actio externa, quae est causa effusionis, non sit consummata in loco sacro, sed extra. — Contra, polluitur, quoties percussio physice et theologice gravis fit in ecclesia, licet sanguis effundatur extra ipsam ecclesiam; quia sacer locus violatur non tam per sanguinis effusionem, quam per actionem injuriosam, ex qua procedit[5].

[1] Can. 11. dist. 1. *de Consecratione.* — [2] *De defectib.* X. 2. — [3] L. VI. 361; *Exam. Ord.* n. 115. — [4] L. VI. 364. — [5] Ib. 365.

Digitized by Google

3° Per voluntariam et sacrilegam *humani seminis* effusionem in ecclesia peractam, sive fuerit per pollutionem, sive per fornicationem, sive per quemcumque alium modum. Quandonam ecclesia per actum conjugalem polluatur, vide n. 783. — Ad *quaesitum:* « num ecclesia consecrata, quae per biduum militaribus stationibus et excubiis inservivit, censenda sit profanata, ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificali praescripta: S. R. C. die 27 febr. 1847 *respondendum censuit:* ad cautelam esse reconciliandam [1]. »

4° Per *sepulturam* excommunicati vitandi, haeretici denuntiati, vel infidelis seu non baptizati. — Excipe probabilius, si sit catechumenus; quia non censetur infidelis, propter baptismum flaminis: item, si sit infans in mortuae matris utero inclusus, et non baptizatus. Secus vero, si in lucem editus sine baptismo mortuus sit; tunc enim polluitur ecclesia vel coemeterium, ex ejus sepultura [2]. Ita ex decreto S. C. Immunitatis, 18 aug. 1821. — Atque hic notandum est, quod polluta ecclesia, polluitur etiam coemeterium, si sit contiguum, sed non vice versa. Reconciliata igitur ecclesia, coemeterium similiter reconciliatur [3].

Notandum est insuper, quod, ut ecclesia per praedicta crimina polluatur, requiritur: 1° ut patrentur *intra ipsam ecclesiam*, i. e. in iis partibus, quae proprie pertinent ad corpus ecclesiae, quod a fornice superiori usque ad pavimentum, et a porta interiori usque ad ultimum parietem protenditur; 2° ut sint *notoria* notorietate *juris* aut *facti;* sive statim ab initio, sive successu temporis; in utroque enim casu, amittitur aequaliter ecclesiae fama [4]. — Statim ac pollutio notoria facta est, debet auferri sacra Eucharistia, nudatisque altaribus, omnia mobilia tollenda sunt [5].

Quaer. 2° *Quomodo ecclesia polluta reconcilianda sit?*

Resp. Si fuit *consecrata*, reconcilianda est juxta ritum Pontificalis Romani per Episcopum, vel per sacerdotem ex delegatione seu privilegio Pontificio, (quale Superiores Regularium pro suis ecclesiis habent), modo adhibeatur aqua benedicta ab Episcopo, vel ab ipso reconciliante, si distet Episcopus duabus diaetis seu 14 horis. — Si ecclesia fuit tantum *benedicta*, potest reconciliari per simplicem sacerdotem, adhibitis orationibus consuetis et aqua lustrali ab ipso vel alio sacerdote benedicta [6]. » — *Utrum autem Episcopi delegatio ad hoc praerequiratur*, non est certum. Affirmant plures ex Rituali Romano, sed Benedictus XIV [7] negat, et ejus opinio, sal-

[1] Gardellini, n. 5077. — [2] L. VI. 366; cf. Craisson, n. 4800. — [3] L. VI. 367. — [4] Ib. 364 et L. III. 460. — [5] Craisson, n. 4802. — [6] L. VI. 363. — [7] *De Synodo*, L. 13. cap. 15. n. 2. fin.

Digitized by Google

tem urgente necessitate, in praxim deduci potest. — Oratorium autem *privatum*, cum non sit locus sacer, non censetur pollui, et ideo non indiget reconciliatione.

QUAER. 3° *Quando ecclesia* EXECRETUR, *et quomodo ad cultum* IDONEA *reddatur?*

Resp. 1° Execratur, cum amittit suam consecrationem, vel benedictionem: quod fit « si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta aut major saltem pars simul auferatur. » — Non execratur autem, si solum tectum aut fornix superior immutatur, vel si destructio ac refectio fiant successive per modicas partes, quamvis tota ecclesia renovaretur [1]. — Et idem dicendum, si conversa fuerit in usum profanum; quia tunc sola reconciliatione indiget.

Resp. 2° Ecclesia execrata *iterum consecranda* vel *benedicenda* est, juxta ritum et formam praescriptam pro consecratione vel benedictione ecclesiarum [2].

§. 2. *De requisitis ad Missae celebrationem.*

Ad Missam rite et legitime celebrandam, plura requiruntur quae referri possunt: 1° ad altare ejusque supellectilem; 2° ad vasa sacra, eorumque accessoria; 3° ad vestes sacras; et 4° ad ministrum sacerdotis.

I. — DE ALTARI EJUSQUE SUPELLECTILI.

1630. — 1° ALTARE, i. e. lapis ad sacrificandum ordinatus et consecratus, sub gravi, ad celebrationem Missae requiritur. Constat ex perpetua Ecclesiae disciplina, et in Rubrica Missalis edicitur [3]. — Duplex autem altare distinguitur: alterum *fixum*, quod ut conjunctum basi consecratur, et alterum *portatile* (seu *ara*), quod consecratur tanquam a basi sejunctum. — Utrumque *consecrandum est* ab Episcopo, et in eo, dum consecratur, reponendae sunt, et quidem ex gravi praecepto, *Reliquiae martyrum* [4]. Conceditur tamen aliquando, ex S. Pontificis Indulto, facultas celebrandi in altari fracto, vel carente Reliquiis, si aliter celebrari non possit.

Altare remanet ad celebrationem aptum, quamdiu non execratur. Jam vero EXECRATUR: 1) si, cum fixum est, lapis consecratus *removeatur ab inferiori structura*, non autem si integrum altare in alium locum transferatur [5]; 2) si *enormiter frangatur*, puta si tabula

[1] L. VI. 368; cf. S. R. C. Responsum de die 16 jan. 1836 (*Monitore ecclesiastico*, vol. IV. p. II. pag. 78). — [2] Craisson, n. 4789. — [3] *Rub. gen.* tit. XX. — [4] Pontif. Rom. *de benedict. altaris;* S. R. C. 6 octob. 1837 (Gard. n 4828). — [5] S. R. C. 15 maji 1819 (Gard. n. 4562).

Digitized by Google

fuerit in duas vel in plures notabiles partes divisa, vel etiam, si pars divisa per fracturam sit ex illis partibus, in quibus peculiares unctiones fuerant adhibitae [1]; 3) si *violetur sepulchrum Reliquiarum*, per fractionem vel amotionem sigilli, *operculi* scilicet, quo sepulchrum clauditur. — Quodsi solum deletum sit sigillum Episcopi cera impressum, non execratur altare [2].

2° « Altare operiatur TRIBUS MAPPIS, sive tobaleis mundis, ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem, benedictis, superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. » Ita Rubrica Missalis [3]. — Quocirca NOTETUR: 1) Mappae debent confici ex *lino* vel *cannabe*, non vero ex alia materia [4], etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabim aemulante. 2) Celebrare cum mappis *non benedictis* non excedit culpam venialem, a qua excusat quaevis causa rationabilis. 3) Celebrare *sine ulla mappa* censetur peccatum mortale, a quo gravis tamen necessitas excusat; celebrare cum *duabus* mappis, vel una duplicata, erit veniale; et idem dicendum videtur, si supra *unicam*, nec duplicatam mappam celebretur [5].

3° Super altare, in medio, collocetur CRUX CUM IMAGINE CRUCIFIXI, palam, visibilis, ac talis magnitudinis, ut subito in conspectu veniant celebrantis et populi. Ita Rubr. Missal.[6]. — Non est quidem mortale, ut communissima sententia tenet, celebrare *sine cruce*, sed non potest excusari a veniali [7]. Crux tamen non requiritur, si sculpta vel depicta Salvatoris crucifixi imago principem locum in majori tabula altaris teneat [8]. — In altari, ubi est publice expositum SS. Sacramentum tempore Sacrificii, crux collocari vel removeri potest, pro locorum consuetudine [9].

4° « Super altare collocentur CANDELABRA, saltem duo, *candelis accensis*, hinc et inde in utroque latere. » Ita Rubr. Missal. [10]. Hoc praeceptum obligat sub gravi, neque ipsa necessitas ministrandi Viaticum ab eo eximere potest. Unde, si lumen ante consecrationem deficiat, omnino desistendum est a celebrando; secus, si post consecrationem: quo in casu, melius est, tametsi candelae reaccendi possint, continuare Sacrum sine mora, quia talis continuatio pertinet ad unitatem Sacrificii. — Celebrare cum *uno cereo*, juxta probabiliorem et communiorem sententiam, est tantum ve-

[1] S. R. C. 3 martii 1821 (Gard. n. 4577. *Nota.*) — [2] L. VI. 369, ad 3, dub. 2; *1 El. qq. ref.* n. 70; item S. R. C. 5 dec. 1851 et 14 mart. 1861 (Gard. n. 5162 et 5313). — [3] *Rub. gen. Missal.* tit. XX. — [4] Decr. 18 maji 1819 (Gard. n. 4563). — [5] L. VI. 375; *1 El. qq. ref.* n. 71. — [6] *Rub. Miss.* XX. (Gard. n. 4590 ad 8; 17 sept. 1822). — [7] L. VI. 393. — [8] Bened. XIV. Decret. *Accepimus* 16 julii 1746 (Gard. n. 2231). — [9] S. R. C. 2. sept. 1741 (Gard. 4119 ad 5). — [10] *Rub. Miss.* l. c.

Digitized by Google

niale, a quo proinde quaecumque causa rationabilis excusat. Celebrare cum candelis *ex sebo* vel *oleo*, communiter, ut mortale habetur, a quo gravis tantum causa excusat[1]. Attamen, si praescripti cerei adsint, non prohibetur adhibere (extra mensam altaris) candelas ex alia materia, v. g. stearina, ad augendam solemnitatem. Tertius cereus post *Sanctus* accendendus, omitti potest, cum ex Rubrica mere directiva praescribatur, et hodie sic ferat communis usus[2]. — Possunt etiam in Missa privata, plures quam a Rubrica praescribuntur, cerei accendi, ob alicujus festi solemnitatem, vel etiam ob devotionem; non autem ob celebrantis dignitatem, nisi sit Cardinalis, Episcopus vel Abbas usum Pontificalium habens[3].

5° Missale continens saltem Canonem sub gravi requiritur; sed, absque Indulto Pontificio, non licet alio quam Romano Missali uti. — Sacerdos tamen peregrinus, celebrans in ecclesia, cui concessum est Missale proprium, potest eo uti, casu quo Missale Romanum haberi nequeat. Licet similiter, juxta probabilem et communissimam sententiam, quandoque, sine Missali (si nullum haberi potest) celebrare, dummodo ex praeterita experientia moraliter constet, omne abesse errandi periculum [4].

Nota. Nonnulla alia, minoris tamen necessitatis, in Rubrica praescribuntur. — Inter alia haec leguntur: Altare «*pallio* (seu antipendio) quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei festo vel Officio convenientis; nisi tamen justa causa, v. g. paupertas aut contraria consuetudo excuset. — « Ad crucis pedem ponatur tabella *Secretarum* appellata. In cornu Epistolae, *cussinus* (vel aliud decens sustentaculum) supponendus Missali, et ab eadem parte Epistolae paretur... parva *campanula*, *ampullae vitreae* (permittuntur etiam ex auro vel argento [5]) vini et aquae, cum pelvicula, et manutergio mundo in fenestella seu in parva mensa ad haec praeparata. — Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae Sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat [6].»

II. — De vasis sacris eorumque accessoriis.

1631. — Vasa sacra haec sunt: *calix* et *patena*, *pyxis* et *lunula* ostensorii, quibus et ipsum *ostensorium* adnumerari potest; accessoria sunt: *corporale*, *palla*, *purificatorium*, *bursa* et *velum*. — Quocirca notentur sequentia:

Requiritur, sub gravi, ad Missae celebrationem: 1° calix (idem dicito de patena) ex debita materia confectus, atque ab Episcopo consecratus. Ita ex Rubrica Missalis[7]. — Usus *parvi cochlearis* pro aqua in calicem infundenda, nulla lege prohibetur[8]. — Calix cum

[1] S. R. C. 7 sept. 1850 (Gard. n. 5150, item 4593 et 4378 ad 7). — [2] L. VI. 394. — [3] S. R. C. 12 (24) sept. 1857 (Gard. n. 5251 ad 9). — [4] L. VI. 390. — [5] Gardellini, n. 5367. 28 apr. 1866. — [6] *Rubr. gen.* tit. XX. — [7] *Ritus*, I. 1. — [8] S. R. C. 6 febr. 1858 (Gard. n. 5256 ad 4).

Digitized by Google

Patena «debet esse vel *aureus*, vel *argenteus*, aut saltem habere cuppam argenteam, intus inauratam.» Ob paupertatem permittitur calix cum cuppa *ex stanno* [1], non autem ex aere, cupro, aut alia materia [2]. Ex recentiore concessione [3] permittuntur calices *ex aluminio*, aliis metallis commixto (vulgo *Bronzo di aluminio*), dummodo certam deargentationem ac deaurationem intus recipiant, juxta S. Rit. C. instructionem.

Calix et patena debent necessario ab Episcopo *consecrari;* nec consecrationem ex eo recipiunt, quod aliquis, etiam bona fide, in iis nondum consecratis celebraverit [4]. — Abbates usum Pontificalium habentes, possunt vasa sacra (et similiter campanas) pro suis ecclesiis, non autem pro aliis, consecrare [5].

Execrantur tam calix quam patena, si notabiliter frangantur; v. g. si foramen sit in fundo, licet minutissimum; si cuppa separetur a pede fixo, non autem si a tornatili; quia in primo casu, calix formam suam perdit, non item in secundo, cum partes calicis sine novo artificio jungi possint. Execrantur etiam, cum de novo inaurantur; quare nova consecratione indigent [6].

Ad quaesitum: «An calix consecratus et manens integer censendus sit suam amisisse consecrationem ex eo solo, quod fuerit ab haereticis profano usui, v. g. ad bibendum in mensa, adhibitus?» Responderunt, anno 1674, Qualificatores S. Officii: «remanere execratum [7].»

Requiruntur: 2° PYXIS, seu ciborium, et *Ostensorium* pro conservatione et publica SS. Eucharistiae expositione. Haec debent esse ex solida decentique materia, sicut et cuppa pyxidis et lunula ostensorii, ex eadem nempe materia ac illa, quae pro calice praescribitur, vel etiam ex cupro deaurato [8]. *Pyxis* quidem et *lunula* debent, ex praecepto Ecclesiae, *benedici* ab Episcopo, vel a sacerdote habente facultatem [9]. Ad ostensorium quod attinet, non requiritur quidem ut benedicatur, benedicitur tamen laudabiliter.

Requiruntur: 3° *Corporale*, *palla* et *purificatorium* ex lino vel cannabo. (Pro Indiis tamen a Clemente XIII Indultum concessum fuit celebrandi super corporali telae bombycinae) [10]. Debent haec linteamina esse summae munditiei, in primis corporale, ita ut mortale habeatur, celebrare in corporali enormiter immundo, nisi necessitas excuset, v. g. si celebrans vel alii deberent alias omittere Sacrum de praecepto. — Corporale et palla, necesse est ut ab Epi-

[1] Rub. *de defect.* X. I. — [2] S. R. C. 31 aug. 1867 (Gard. 5386 ad 6.). — [3] Decr. 6 dec. 1866; cf. *Acta S. Sed.* vol. II. p. 232 et vol. VI. p. 590. — [4] L. VI. 380; cf. S. R. C. 31 aug. 1867 ad 8 (Gard. n. 5386). — [5] L. VI. 381; *1 El. qq. ref.* n. 73; item S. R. C. 27 sept. 1659 (Gard. n. 2003 ad 19). — [6] L. VI. 370. dub. 2., et *2 El. qq. ref.* n. 26; item S. R. C. 14 jun. 1845 (Gard. n. 5011). — [7] *Collect. S. Sed.* n. 422. — [8] Rit. Rom. *de Euch;* S. R. C. 31 aug. 1867 (Gard. n. 5386 ad 7). — [9] L. VI. 385; *1 El. qq. ref.* n. 74. — [10] *Collect. S. Sed.* n. 433.

Digitized by Google

scopo vel ab alio habente facultatem *benedicta* fuerint[1]. Pro purificatorio autem, nulla praescribitur benedictio[2].

Praedictorum tamen *non est eadem* in omnibus necessitas. — Celebrare sine *corporali* aut cum eo *non benedicto* nequit excusari a mortali, nisi gravis urgeat necessitas. — Quoad *pallam*, res controvertitur; quare, si palla desit, aut si per horae quadrantem expectari debeat, poterit loco ejus adhiberi aliud corporale, vel etiam hoc deficiente, purificatorium aut bursa. — Si autem *purificatorium* non facile haberi possit, probabiliter licet sine eo celebrare; ejusque loco adhibere strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non amplius adhibeatur[3].

Notandum: Corporale posse in extremitatibus ornari auro vel serico, non item in medio. — Licet similiter pallam, a parte superiori, panno serico vel auro contexto obducere, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis insignia[4].

Requiritur: 4° *velum*, hocque sericum, et *bursa*, coloris paramentorum. — Haec autem non sunt seorsim benedicenda, neque ullum peccatum est sine illis celebrare.

1632. — QUAERITUR. *Quibusnam liceat* TANGERE *vasa et linteamina sacra?*

Resp. 1° Si actu *contineat SS. Sacramentum*, extra casum necessitatis seu periculum profanationis, nulli licet, citra culpam gravem, illa tangere, etiam mediate, praeterquam sacerdoti aut diacono. Ita communiter.

Resp. 2° Si sint *vacua*, permittitur ea tangere: 1° subdiaconis, in ministerio etiam altaris; 2° acolythis, et ex consuetudine aliis clericis, extra ministerium; item regularibus et monialibus sacristis, ex privilegio; 3° laicis omnibus ex causa rationabili; qua deficiente, peccant, juxta communissimam ac veriorem sententiam, sed non plus quam venialiter, secluso scandalo et contemptu. « Et hodie, ait *S. Alphonsus*, potest dici ex consuetudine hoc licere... omnibus, qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt....; saltem dico hos a culpa excusari, quia dum officium sacristae exercent, semper adest aliqualis necessitas sacra vasa tangendi. » Et idem valet de tactu corporalium post usum[5]. — Ex dictis infertur, sacra vasa, si expolienda, instauranda vel inauranda sunt, licite tangi ab *artifice*, quia adest justa causa.

Resp. 3° Quoad LOTIONEM sacrorum linteaminum, triplex requiritur. — Harum *prima* peragenda est a subdiaconis, quorum est peculiare officium[6]. Non desunt tamen qui docent, eam etiam a quolibet clerico tonsurato fieri posse. Convenientius foret, si *secunda* et *tertia* lotio etiam a persona sacrata fierent; attamen nullum est peccatum, si fiant a laicis. — Si laicus primam lotionem peragat, peccat, sed solum *venialiter;* justa autem interveniente causa, vacat lotio omni culpa. — Requiritur insuper, ex jure canonico, ut *vasa*, in quibus sacra linteamina lavantur, nulli alii usui inserviant, utque

[1] *Ritus Miss.* I. 1. fin. — [2] S. R. C. 7 sept. 1816 (Gard. n. 4526 ad 26). — [3] L. VI. 387-389. — [4] Ib. 388; S. R. C. 10 jan. 1852 ad 1 (cf. *Analecta J. P.* ser. 1. pag. 1429). — [5] L. VI. 382. — [6] Can. 40. dist. 1. *de consecr.;* S. R. C. 12/26 sept. 1857 (Gard. n. 5251 ad 30).

Digitized by Google

lotionis aqua in *sacrarium* infundatur; neque ulla contraria consuetudine potest huic praecepto derogari [1].

III. — De sacris vestibus.

1633. — Vestes sacrae, quibus sacerdos in Missae celebratione indui debet, sunt sequentes: *amictus*, *alba*, *cingulum*, *manipulus*, *stola* et *casula* seu planeta: tres posteriores et alba dicuntur majores a liturgicis; amictus et cingulum, minores. — Quocirca notandum:

1° Sacerdos, ad Missae Sacrificium perficiendum, debet esse omnibus praedictis paramentis *indutus*. Ita ex Rubrica Missalis [2]. Praeceptum quoad praedicta paramenta, tametsi celebrantem in conscientia obliget, non urget tamen aequaliter in omnibus suis partibus. Etenim: — 1) Celebrare *sine ulla veste sacra*, nunquam licet; neque hoc ulla unquam causa, ne periculo quidem mortis, cohonestari valet, nisi sola dispensatione pontificia, si forte aliquando, puta tempore persecutionis, concedatur [3]. — 2) Omittere *aliquam ex majoribus* est peccatum mortale; in casu tamen gravis necessitatis, probabiliter licet celebrare sine stola, vel manipulo. — 3) Celebrare sine *cingulo*, aut sine *amictu*, probabiliter, non est mortale; imo, nullum est peccatum, si, iis deficientibus, adsit rationabilis causa celebrandi, qualis foret sola celebrantis devotio [4].

Paramenta autem « non debent esse lacera, aut scissa, sed *integra*, et decenter *munda* ac *pulchra* [5]. » — Celebrare cum paramentis enormiter immundis vel laceris, est mortale, nisi necessitas excuset, nempe si celebrans vel alii deberent alias omittere Sacrum de praecepto. — Si non valde immunda vel lacera sint, erit veniale; imo nullum peccatum, si alia haberi non possint [6].

2° Paramenta debent esse ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente, *benedicta*. Ita Rubrica Missalis [7]. Haec benedictio ex eadem, ac ipsae vestes, necessitate requiritur, cum vestes non benedictae perinde existimentur, ac vestes non sacrae [8]. — Porro, Praelati regulares non possunt, sine privilegio speciali, sacra paramenta benedicere. Tale privilegium ipsis, ordinarie, pro suis tantum ecclesiis conceditur. Si nihilominus pro aliis ecclesiis benedixerint, benedictio, utut illicita, est tamen valida [9]. — Episcopi, absque Indulto pontificio, non possunt aliis *delegare* facultatem benedicendi sacra paramenta [10]; a fortiori, id non possunt Praelati regulares.

[1] L. VI. 387. *1 El. qq. ref.* n. 72. — [2] *Ritus*, I. 1. — [3] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 419: concessio Gregorii XVI ad decennium. 26 jul. 1841. — [4] L. VI. 377. — [5] *Ritus*, I. 2. — [6] L. VI. 376. — [7] *Ritus*, I. 2. — [8] L. VI. 377. — [9] S. R. C. 27 aug. 1707 (Gard. n. 3775). — [10] L. VI. 378. dub. 4.; S. R. C. 16 maji 1744 (Gard. n. 4159 ad 5).

Digitized by Google

3° Quoad paramentorum *materiam*, haec observanda sunt: 1. Amictus et alba debent confici ex lino vel cannabe[1]; 2. cingulum potest esse laneum vel sericum[2], etsi congruentius sit lineum; 3. paramenta convenientis coloris confici possunt ex serico vel semiserico, vel ex aurea textura; non autem ex vitrea textura, neque ex tela linea, vel gossypio[3], neque demum ex lana[4]: potest tamen linum, sicut et gossypium, in textura paramentorum admisceri.

4° « Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse *coloris convenientis* Officio et Missae diei, secundum usum Romanae Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: *albo*, *rubeo*, *viridi*, *violaceo* et *nigro*[5]. » — Hinc, excluduntur paramenta tum variorum colorum, tum flavi[6], aut caerulei coloris[7]. Attamen non reprobatur quaedam *admixtio* aliorum colorum, per modum ornamenti, dummodo unus color vere sit praedominans. Nec reprobantur paramenta *ex panno aureo* confecta; quin imo, toleranda est locorum consuetudo, qua, pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro, adhibentur[8]. — Praefata Rubrica, cum de re tractet, quae Missam concomitatur, probabilius, non solum directiva est, sed etiam *praeceptiva*. Attamen, secluso scandalo non obligat nisi venialiter, ac proinde ab omni peccato excusat quaelibet rationabilis causa, ut si concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti coloris[9].

5° Vestes sacrae *execrantur*, quando notabiliter et indecore scissae sunt, vel suam amiserunt formam; vel aliis adjectis partibus ita reficiuntur, ut in prudentum aestimatione non amplius eaedem censeri possint[10]. — Lacera autem paramenta, aut vetustate consumpta, debent *igne absumi*, et non adhiberi ad usus profanos[11].

1634. — *Notandum insuper*: 1° « Paramenta non debent sumi *de altari*, pro celebratione Missarum, cum id competat tantum Episcopis, sive solemniter sive privatim celebrent[12]. » Atvero, deficiente sacristia, aut mensa ad hoc praeparata, possunt collocari super altare, non in medio, ut pro Episcopis, sed in cornu Evangelii. Nulli tamen id licet in altari, ubi exponitur SS. Sacramentum[13].

2° Celebrans debet esse *calceatus pedibus*. Quodcirca S. R. C. (31 aug. 1872 *Gerunden.*) respondit: « Clericos in sacris praesertim functionibus, adhibere debere caligas seu calceamenta, quibus *publice* uti solent probati Clerici loci, seu Dioeceseos[14]. Celebrare sine causa, nudis pedibus, secluso contemptu, non excedit veniale; si fiat ex necessitate aut rationabili causa, nullum est peccatum[15].

[1] S. R. C. 15 maj. 1819 (Gard. n. 4563). — [2] Ib. 22 jan. 1701 (Gard. n. 3575 ad 7) et 23 dec. 1862 (n. 5326). — [3] Ib. 22 sept. 1837 (n. 4814 ad VIII. 3), et 11 septemb. 1847 (n. 5009). — [4] S. R. C. 18 dec. 1877 (Gardell. n. 5715) — [5] *Rub. gen. Miss.* XVIII. 1. — [6] S. R. C. 22 sept. 1837 (n. 4814 ad VIII 1. 2). — [7] 23 februar. 1839 (n. 4847). — [8] 28 apr. 1866 (n. 5363). — [9] L. VI. 378. dub. 5. — [10] Ib. 371. — [11] Ibid. — [12] Decret. Urbani VIII (initio Missalis). — [13] Bouvry, *Rit. celebr. Miss.* tit. 1. rub. 1. n. 4. — [14] Gardellini, n. 5507. — [15] L. VI. 402.

Digitized by Google

3° Celebrans, accedens ad paramenta, debet esse « indutus vestibus *sibi convenientibus*, quarum exterior saltem talum pedis attingat [1]. » Haec rubrica, secluso scandalo et contemptu, videtur sub veniali tantum obligare. Varia tamen Concilia praescripserunt ejus observantiam, sub poena suspensionis ipso facto incurrenda a delinquente, in loco propriae residentiae [2].

4° « Nemo audeat uti *pileolo* in celebratione Missae, sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine [3]. Hinc DD. dicunt esse mortale celebrare totam Missam cooperto capite; secus, si usque ad Canonem, secluso contemptu et scandalo [4]. — In casu autem extraordinario, si morbus non est diuturnus, licebit ex praesumpta licentia celebrare cum pileolo, dummodo a Praefatione usque ad finem Communionis detrahatur. — Similiter « Innocentius XII... locorum Ordinarios moneri jussit, ne quemquam permitterent, sine Apostolicae Sedis privilegio, cum *adulterino capillitio* sacrosanctum peragere Missae Sacrificium [5]. » Sed plures AA. testantur hanc legem in variis locis obsolevisse.

IV. — De ministro inserviente.

1635. — I. Nulli sacerdoti celebrare licet sine MINISTRO inserviente. — Ita omnes ex formali juris praescriptione [6], quae obligat sub gravi. — Necessitas tamen ab hac lege excusat; unde communiter dicunt DD. licitum esse celebrare sine ministro: 1° si urgeat necessitas ministrandi Viaticum; 2° si populus (aut ipse celebrans) satisfacere debeat praecepto audiendi Sacrum; 3° si incepta Missa, maxime post factam oblationem, minister abeat, de brevi non reversurus.

II. Minister celebranti inserviens debet esse MASCULUS. — Jure [7] enim cautum est « ne ulla femina ad altare praesumat accedere, aut presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive sedere. » — Hoc praeceptum obligat sub gravi, et ideo, urgente necessitate, satius esset celebrare sine ministro, quam cum femina *ministrante*. In casu tamen necessitatis, posset femina maxime si sit sanctimonialis, a longe respondere; modo ad altare non ministret, porrigendo urceolos, etc. [8]

Notandum: 1° Quamvis praeceptivae sint rubricae circa ritum a ministro servandum, nihilominus « celebrans non sibi faciat scrupulum, si minister male pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet seipsum aut circumstantes, vel ordinem Missae; » sufficit, si quae a ministro omittuntur suppleat. 2° Minor necessitas sufficit ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro [9].

[1] *Rit. cel. Miss.* I. 2. — [2] V. g. Conc. Auxitan. n. CXXV; Conc. Rothomagen. Decr. 16. n. 1. (cf. Collect. Lacen. vol. IV. 1124 et 529). — [3] Decr. Urbani VIII. l. c. — [4] L. VI. 398. — [5] Bened. XIV. *de Synodo*, lib. 11. cap. 9. n. 5. (cf. etiam *Thesaur. Resol.* tom. II. p. 206. in *Melphiten.*). — [6] L. I. Decretal. tit. 17. cap. 6. — [7] L. 3. tit. 2. c. 1. — [8] L. VI. 392; S. R. C. 27 augusti 1836 (Gard. n. 4782 ad 10). — [9] L. VI. 391.

Digitized by Google

An, quaeres, *liceat ministro, inservire sacerdoti indigne celebranti? — Resp. Neg.*, nisi excusetur ex gravi causa. Ita *S. Alphonsus* [1] contra Suarez et alios, qui talem cooperationem illicitam esse negant, quoties sacerdos posset facile invenire alium ministrum (cf. n. 1377).

§. 3. *De rubricarum observatione.*

1636. — « Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris Litteris eum vocari, *qui facit opus Dei negligenter*. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc tremendum mysterium; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque *exteriori devotionis ac pietatis specie* peragatur [2]. »

Jam vero, ad devotam Missae celebrationem multum facit exacta rubricarum observatio, de qua nunc est agendum.

1637. — **Principia.** I. Rubricae, quae ritum, modum et normam celebrandi definiunt, OBLIGANT sub praecepto ex genere suo gravi. — Probatur 1° *ex Tridentino*, ubi dicitur [3]: « Si quis dixerit... approbatos Ecclesiae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios... mutari posse: anathema sit. » Quae sane verba maxime valent de celebratione Missae, in qua conficitur et administratur omnium Sacramentorum augustissimum. — 2° Ex Bulla *S. Pii V*, ubi dicitur: « Mandantes, ac districte omnibus et singulis... in virtute sanctae obedientiae praecipientes, ut Missam juxta ritum, modum et normam, quae per Missale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac legant [4]. » Atque hujus praecepti rationem affert *Sixtus V*, inquiens [5]: « Sacri ritus et caeremoniae magnam christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem continent, rerum sacrarum majestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollunt, et devotionis etiam igne inflammant. » — De his vide Asceticos [6].

1638. — II. FONTES rubricarum, quas in Missae celebratione observare oportet, sunt Missale, Caeremoniale Episcoporum, et S. R. C. Decreta. — Ita ex variis Pontificum Constitutionibus.

1° Primarius fons rubricarum est MISSALE. — De his tamen rubricis movetur quaestio: an sint omnes *praeceptivae*, vel an aliquae

[1] L. VI. 89. — [2] Trid. sess. 22. Decretum. — [3] Sess. 7. can. 13. — [4] L. VI. 399. — [5] Constit. *Immensa aeterni Dei*. — [6] Vide in primis S. THOM. 3. q. 83; S. BONAV. *Expositio Missae*, cap. 2; et S. ALPH. Opusc. *Del Sacrif. di G. C.*

Digitized by Google

sint tantummodo *directivae*, sive de consilio? « Diversae in hoc sunt sententiae. Nos sequimur sententiam Quarti, Merati et Tournelii, qui dicunt, Rubricas de agendis INTRA Missam esse omnes praeceptivas, et obligare juxta gravitatem materiae; nam, in Bulla S. Pii V sic dicitur: « districte praecipientes, ut Missam juxta ritum, modum et normam in Missali praescriptam decantent, ac legant. » Nota tò *districte praecipientes.* — Rubricas autem de agendis EXTRA Missam, probabiliter dicunt plures DD., aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam, et orationes ante vel post Missam [1]. » (cf. 1639. A. 4°).

2° CAEREMONIALE EPISCOPORUM est Missalis complementum in Officiis solemnibus. — Illud ubique obligat, cum in tribus Bullis ibi positis dicatur: « Caeremoniale praedictum in omnibus ecclesiis servandum, praecipue in cathedralibus et collegiatis [2]. »

3° SACRA RITUUM CONGREGATIO interpretatur authentice Rubricas, et promovet earum observantiam. — Quoad ejus Decreta vel decisiones vide quae de Romanarum Congregationum decretis dicta sunt, in Tract. *de Legibus* (n. 169. q. 2°).

Quid agendum, quaeres, *si alicubi* CONSUETUDO *vigeat Rubricis contraria?* — *Resp.* 1° « S. Rit. Congregatio constanter tolerat consuetudinem, saltem immemorabilem contrariam rubricis. Itaque, tuta conscientia, licet se conformare consuetudini dioecesanae, praesertim in rebus levioris momenti, quae non cedunt in deformitatem cultus publici [3]. » — *Resp.* 2° Consuetudo irrationabilis vel nondum praescripta certe abolenda est. Quando vero id eveniat, quamque prudenter tunc agendum sit, supra diximus (n. 267 sqq. et 1422).

S. RIT. C., ad instantiam omnium Ecclesiarum in Hispaniae regnis, die 11 junii 1605, declaravit: « Librum Caeremonialem (Episcoporum) immemorabiles et laudabiles consuetudines non tollere. » — Ast, eadem Congr. iterum interrogata: « An veteres consuetudines, quae scilicet nulli Ecclesiae statuto opponuntur, abrogatae sint per ea Rescripti verba: *Semper et a quocumque servetur Caeremoniale*, die 6 maji 1826 in *Alexandrina*, respondit: *Recurrendum ad hanc Sac. Cong. in casibus particularibus* [4]. »

1639. — III. Observatio Rubricarum debet esse adeo accurata ut nihil ex eis OMITTATUR, ut nihil eis ADJICIATUR, utque nihil in eis IMMUTETUR. — Et quidem

A) Quoad omissionem: 1° omittere partes Missae *ordinarias*, illas nempe, quae in Missa semper recitantur vel aguntur, est peccatum GRAVE, si materia est notabilis. Sic v. g. erit mortale, omittere in Canone quamlibet orationem, vel *Pater noster*, vel fractio-

[1] *Exam. Ord.* n. 112; cf. Schober, cap. I. n. 3. adn. 4, ubi conforme Resp. S. R. C. (18 aug. 1854) quoad lotionem manuum. — [2] Ibid. — [3] L. VI. 401 (a 6ª edit.) — [4] Gardellini, n. 266, et n. 4620; cf. *Rev. des sc. ecclés.* t. IV. p. 78, et XXIX, p. 299, ubi recensentur plures consuetudines abusivae et irrationabiles.

Digitized by Google

nem Hostiae cum illius mixtione in calice, vel purificationem patenae et calicis post sumptionem, vel octo aut decem verba in Canone. Sic pariter erit mortale, *extra Canonem* omittere totum Introitum, vel duas ex Collectis principalibus, vel Epistolam, Evangelium, Offertorium, vel infusionem aquae in vinum consecrandum. — Veniale autem erit, omittere solum psalmum *Judica*, *Kyrie eleison*, unam ex Collectis, unam vel alteram crucem super Oblata, tunsionem pectoris, vel ablutionem digitorum, et idem probabiliter dicunt Lugo et alii de Evangelio S. Joannis [1]. Atvero hujusmodi defectus, coalescendo, possunt fieri materia gravis.

2° Omittere partes *extraordinarias*, illas scilicet quae non in omni Missa dicuntur, non est peccatum mortale, nisi simul sumptae notabilem materiam constituant. Sic veniale tantum esset, omittere *Gloria*, *Credo*, *Sequentiam*, *Tractum*, *Praefationem propriam*, *Communicantes*, et *Hanc igitur* propria [2]. — Idem dicendum videtur, si quis non recitet quae cantantur a choro, vel omittat incensationem in Missa solemni [3].

3° Mutilare *verba*, aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo, est tantum veniale; imo, nullum est peccatum, si ex naturali defectu fiat [4].

4° Omittere *lotionem manuum* ante Missam est peccatum veniale, imo mortale, si manus sint valde immundae [5]. — Item, veniale est omittere *orationes* in induendis sacris vestibus [6]. — Item veniale, uti absque justa causa *sola aqua* in purificatione calicis et ablutione digitorum; dicimus *absque justa causa*, qualis foret, si celebrans esset abstemius, vel si vinum esset rubeum, ita ut purificatoria multum inde macularentur [7]. Ex Indulto Apostolico, 13 jan. 1665, id etiam permittitur ob penuriam vini, in Sinis Regnis [8].

B) *Quoad additionem*, certum est apud omnes, esse mortale addere aliquid in Missa, animo introducendi novum ritum. Quare peccaret graviter, qui adderet novas publicas preces. — Si vero ex inopportuna devotione addantur plures Collectae ex eodem Missali, vel *Credo*, aut *Gloria*, *Pater*, *Ave*, vel quid simile, id non excedit culpam venialem. Rationabiliter tamen censetur, esse mortale addere *Gloria* et *Credo* in Missa *de Requiem*, quia talis additio videtur esse sat gravis deordinatio [9].

C) *Quoad mutationem:* 1° A veniali excusari nequit, qui clara voce recitat, quae submisse dicenda sunt, vel vice versa; vel etiam

[1] *Exam. Ord.* n. 125; L. VI. 403-406. — [2] Ibid. n. 125 et L. VI. 409. — [3] L. VI. 410. dub. 4. — [4] Ib. 407. — [5] Ib. 409. — [6] Ib. 410. dub. 3. — [7] Ib. 408. — [8] *Collect. S. Sed.* n. 450. — [9] L. VI. 411.

Digitized by Google

qui secreto recitanda ita submisse pronuntiat, ut *seipsum audire nequeat*[1]. « Bene vero dicit Quarti non excusari a mortali qui sic proferret verba Consecrationis[2]. »

2° Item veniale est, imperfecte facere ritus praeceptos, v. g. genuflexiones, signa crucis, manuum elevationes, et similia[3].

3° Mutare Epistolam unam in aliam, Evangelium in aliud, Praefationem in aliam, non excedit culpam venialem.

4° Mutare Missam, celebrando v. g. Missam votivam *diebus vetitis*, non est mortale, secluso scandalo et contemptu. Districte tamen, (ideoque per se sub gravi) prohibetur celebrare Missam *de Requiem*, iisdem diebus. « Caeterum omnes conveniunt posse celebrari Missas votivas vel *de Requiem* ob causas graves[4]. » (cf. n. 1642. q. 4°).

QUAERITUR. *Si quid in Missa inadvertenter omissum vel immutatum fuerit, celebrans autem ulterius progressus, rei recordetur, an teneatur defectum reparare?*

Resp. Neg regulariter loquendo, quia turbaret ordinem Missae. — Dicitur *regulariter loquendo;* « quia 1° si sit de substantia, v. g. aliquid pertinens ad consecrationem, certum est debere repeti; 2° si dum secreto orat, post pauca verba certo advertat se aliquid notabile omisisse, v. g. die Paschae *Communicantes*, paululum regrediendum est et repetendum[5]. »

1640. — IV. Praeter externam rubricarum observantiam, INTERNA etiam ATTENTIO ac DEVOTIO requiruntur. — Etenim « Sacrificium, praeter rationem orationis, habet insuper rationem cultus excellentissimi religionis, cui gravem videtur ille irrogare irreverentiam, qui dum profitetur actu religioso Deum colere, voluntarie se distrahit. » Quare, si voluntaria distractio habeatur in Canone, et praesertim in consecratione et sumptione, erit peccatum mortale. Si autem habeatur extra Canonem, idem dicendum est ac de Horis canonicis[6].

Ad devotam quoque celebrationem se referunt *praeparatio ad Missam* et *gratiarum actio.* — Qui sine ulla praeparatione, saltem domi facta, ad celebrandum accederet, non posset ab aliqua culpa excusari. — In gratiarum actione saltem per horae quadrantem immorandum est. Imo, si nihil obstet, exoptandum, ut semihora ei impendatur. — Orationes tamen, quae in Missali assignantur « pro opportunitate sacerdotis dicendae, » possunt absque culpa omitti, quia in Rubrica non adest de illis praeceptum, sed tantum insinuatio[7]. Secus tamen videtur dicendum de *Cantico puerorum*, quod praescriptum legitur in Missali, in ipso Ordine Missae[8].

[1] L. VI. 414-416. — [2] Ibid. 414. — [3] Ib. 400. — [4] Ib. 420; cf. et 421. — [5] Ib. 403. — [6] Ib. 410. dub. 5. — [7] Ib. 410. dub. 2; cf. *Prax.* n. 156. — [8] *Can. Miss.* fin.

Digitized by Google

1641. — *Ex his deduces:* 1° Ut SPATIUM TEMPORIS Missae legendae conveniens impendatur, illud generatim (juxta regulam quam tradit Bened. XIV) non debet esse brevius triente, nec longius dimidia hora; brevius enim non sineret omnia debito decore peragi, et longius taedio foret adstantibus [1]. — 2° Nec a mortali excusari potest sacerdos, qui *infra quadrantem* Missam absolvit, etiamsi Missa sit ex brevioribus, vel de Beata Maria in Sabbato: quia in tam brevi spatio necessario committit duos graves defectus, alterum gravis *irreverentiae* erga Sacramentum, alterum *scandali* erga populum. — Et re quidem vera, fieri non potest, ut Missa infra quadrantem absolvatur, quin aut verba aut caeremoniae praetermittantur, vel saltem, quin decentia ac gravitas tanto Sacrificio debitae, notabiliter violentur. Sed et in populi damnum vergit tam praepropera festinatio; imminuit enim in adstantibus sensum pietatis et venerationem, quae augustissimo Sacrificio debetur. — Atque hinc est, cur Roncaglia graviter affirmet, Episcopos et Regularium Praelatos teneri, et quidem *sub gravi*, turpem hanc ac scandalosam festinationem extirpare.

Conqueritur de hoc lamentabili abusu Ven. Card. Bellarminus, (et cum ipso Benedictus XIV ac dein S. Alphonsus) flebiliter exclamans: « Illud est, inquit, lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum sacerdotum incuriam aut impietatem sacrosancta mysteria *tam indecore* tractentur, ut, qui illa tractant, videantur non credere majestatem Domini esse praesentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore et tremore, festinatione incredibili, Sacrum perficiunt, quasi fide Christum Domini non viderent, aut ab Eo se videri non crederent [2]. »

1642. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An sacerdos* INFIRMUS *celebrare possit, si non potest omnes servare Rubricas?*

Resp. Affirm., si paucas et leviores tantum omittat, in primis si privatim celebret. — « Imo, dicit Croix, eum qui non posset celebrare sine baculo, licite posse illo uti. Additque Gobat, quod si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altare innixo, licite sic celebraret privatim, non autem publice, nisi hoc faceret ex necessitate. Hoc tamen puto non excedere veniale, a quo videtur excusari posse, qui ob infirmitatem nequiret rectus stare, et ex sua devotione vellet celebrare, modo vitetur populi admiratio. — Dicunt etiam Croix et alii, quod si quis non possit elevare hostiam, sed potest reliqua, potest celebrare privatim; et etiam publice, si adsit necessitas, et populus moneatur; sed puto satis esse populum tantum monere, si quis ex devotione celebret. » *Haec S. Alphonsus* [3].

[1] L. VI. 400; H. A. XV. 84-86; *Exam. Ord.* n. 125. — [2] Ibid; cf. etiam opusc. *La Messa strapazzata.* — [3] Ib. 402.

Digitized by Google

Quoad CAECOS vel CAECUTIENTES, notandum: « Probabiliter dicunt Lugo, Vasquez et alii, licite celebrare sacerdotem, qui, ob visus debilitatem, memoriter Missam recitat, modo discernat calicem et hostiam, quantum sufficit ad vitandam irreverentiam: et modo ad notam effugiendam habeat Missale in altari [1]. » Certum autem est apud omnes, sacerdoti penitus caeco illicitum esse celebrare, absque speciali Indulto, quod non difficile obtinetur. — Indulto generatim apponitur clausula, praecipiens, ut non celebret absque assistentia alterius sacerdotis, qui eum monere possit, si in quibusdam deficiat. In festo autem Nativitatis Domini, habens Indultum non potest tres Missas votivas B. M. V. celebrare [2].

QUAER. 2° *An aliquando liceat Missam* INTERRUMPERE?

Resp. 1° Interrumpere Sacrificium *essentialiter* et ex proposito, ita ut una tantum species consecretur, aut ita, ut post utriusque speciei consecrationem, celebrans discedat absque sumptione, nunquam licet, etiam ad mortem evitandam. « Verum, mutilare per accidens et indirecte licet aliquando, puta, irruente incendio, vel hoste ad necandum; tunc enim posset sacerdos sumere hostiam consecratam, vel secum ferre, calicem non consecrando; quia tunc non mutilat Sacrificium, sed excusatur a perficiendo illud. Ita communiter [3]. »

2° Interrumpere Missam *accidentaliter*, aliquid interponendo, licet sequentibus casibus: — 1) ob *concionem* post Evangelium, aut etiam, de consensu Ordinarii, ob sermonem quem sacerdos, suscepta Communione, habet de altari ad populum, priusquam ei Communionem distribuat [4]. — 2) In gratiam *supervenientis* Principis, Cardinalis, Episcopi, vel turbae peregrinorum, qui alias Missam audire non possent; vel ob similem causam, ex qua, si non sit facta oblatio, potest Missa de novo incipi, ut advenientes totum Sacrum audiant; nulla tamen hujus est obligatio; et ideo, locorum consuetudini standum est. — 3) Si ante Canonem sacerdos recordetur alicujus *impedimenti*, v. g. se non esse jejunum, vel in statu gratiae, vel esse irregularem aut excommunicatum; modo relinqui possit Missa sine scandalo aut gravi nota (cf. n. 1559). Item, si excommunicatus vitandus praesumat interesse, nec possit expelli (n. 1292. 3°). — 4) Si urgeat gravis *necessitas*, vel propria, v. g. morbus, vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus vel absolvendus. In aliis tamen Sacramentis non ita necessariis non decet Consecrationem et Sumptionem interrumpere; nisi moribundus esset in propinquo, nec opus esset vestes exuere; vel nisi Poenitentiae Sacramentum ob phrenesim suscipere non posset, sed solam Extremam-Unctionem [5].

[1] L. VI. 390. — [2] S. R. C. 11 april. 1840 (Gard. n. 4878 ad 4). — [3] L. VI. 352. — [4] S. R. C. 12 sept. 1857 (Gard. n. 5251 ad 10). — [5] Ib. 353 et 354; H. A. XV. 54.

Digitized by Google

In his autem casibus, *quoties relinquitur altare*, SS. Eucharistia in tabernaculo claudatur; et cum redit sacerdos, incipiat ubi desierat. — Si vero Consecrationem interrupisset, et mora plus quam unius horae fuisset, deberet ordiri ab initio; quia post tantam interruptionem non censetur idem Sacrificium [1].

QUAER. 3° *An Missa ab uno sacerdote* ABRUPTA, *ab alio perficienda sit?*

Resp. « Si sacerdos *ante consecrationem* graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, praetermittitur Missa: si *post consecrationem* Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum (quamvis eodem die jam celebraverit). Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia consecrata, sacerdos qui Missam complet, dividat Hostiam, et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat [2]. » — Si autem sacerdos deficiat *post sumptionem* solius Corporis Christi, ab alio calix sumendus est. Probabilis autem sententia tenet, sacerdotem, qui suppleat, non esse ultra quaerendum quam per unam circiter horam; alias non censetur unum Sacrificium [3].

QUAER. 4° *Utrum Missa semper convenire debeat cum* OFFICIO *celebrantis?*

Resp. Regula generalis est, ut Missa *quoad fieri potest*, cum Officio conveniat; nam S. Ecclesia Officium et Missam ad eumdem finem ordinat, nempe ad idem Mysterium vel ad eumdem Sanctum colendum. — Suas tamen exceptiones haec regula admittit, videlicet:

1° Missae VOTIVAE dici possunt pro arbitrio sacerdotum, quando Officium non est duplex, aut de die Dominica, aut de feria, vel de Octava privilegiatis. — Id vero non fiat, nisi ob *rationabilem causam*, v. g. ob specialem devotionem sive celebrantis, sive assistentis, sive eleemosynam dantis. — Missa *pro sponso et sponsa*, etiam in duplici tum minori tum majori, permittitur; et Missa votiva *solemnis pro re gravi*, etiam in festis ritus superioris, servatis servandis, uti exponunt Rubricistae. — Missae DEFUNCTORUM dici possunt ut Missae votivae, et ampliori etiam privilegio gaudent, si celebrandae sunt in die obitus, in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

2° Missa IN ECCLESIA ALIENA celebranda aliquando cum Officio illius ecclesiae convenire debet, nempe: 1) si ibi celebretur Festum, quod Missas votivas et de Requie excludit, et si color Officii sit diversus a colore Officii celebrantis; — 2) si celebretur Festum cum solemnitate et concursu populi; — 3) si celebrans suppleat vices

[1] Cf. Bened. XIV. *De Missae Sacrif.* L. 3. cap. 14. — [2] Rubr. *de defectibus.* X. 3. — [3] L. VI. 355.

Digitized by Google

parochi; — 4) si sacerdos extraneus celebret Missam conventualem in ecclesia monachorum, vel monialium. Haec valent pariter pro oratoriis publicis, etiam late sumptis (cf. n. 1627). — In oratoriis autem *privatis* (item in sacellis monialium) Missa debet semper cum Officio celebrantis convenire, etiam si Officium sit de *Beato*, cujus Missam in *ecclesia* aliena, sine *speciali* privilegio, dicere nequit[1].

Hic porro notetur Decretum Concilii Tridentini (sess. 23. cap. 16), dicentis: « Nullus clericus *peregrinus*, sine Commendatitiis sui Ordinarii litteris, ab ullo Episcopo ad Divina celebranda et Sacramenta administranda admittatur. » Potest Episcopus hujus decreti observantiam, sub censuris interminatis, exigere etiam a Regularibus exemptis; ut censuit S. C. Concilii [2]. — Communiter quidem excipiuntur sacerdotes noti, et de vicinis dioecesibus, « qui ad Sacrificium Missae celebrandum admitti solent, quin hujusmodi probationes vel commendatitiae Litterae exhibeantur aut exigantur, ut docet praxis quotidiana. In populosis autem urbibus, et in iis locis, ad quae accedere frequenter exteri solent (ut hic Romae), rigor juris servatur [3]. »

Monitum. Ex hucusque dictis facile colligitur, quanta obligatio sacerdotibus incumbat rite *pernoscendi* omnes Rubricas in Missae celebratione servandas, eas in primis quae initio Missalis habentur. Ibidem indicantur quoque *defectus*, qui occurrere possunt, et celebrans edocetur quid in quovis casu agere debeat.

[1] Gard. n. 5183 ad 14 (16 apr. 1853); cf. Schober, loc. cit., ubi diversos casus fuse et accurate exponit. — [2] L. 8. *Decretor.* p. 78; cf. Ben. XIV. *De Synodo*, L. IX. c. 15. n. 5. — [3] De Angelis, *Prael. jur. can.* L. I. tit. 22.

Digitized by Google

TRACTATUS V.

DE PŒNITENTIA

1643. — « Aggrediamur opus ad hunc Tractatum DE SACRAMENTO POENITENTIAE exponendum, cui utique omni studio prae caeteris materiis sedulo incumbendum, cum in ipso totius theologiae moralis summa et quaestiones magis ad praxim spectantes contineantur; et ideo ego labori non peperci ut desiderio lectorum satisfacerem, utque ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant [1]. » *Ita S. Alphonsus.*

Ut praecipua, quae ad hunc maximi momenti Tractatum spectant, attingamus, agemus in triplici dissertatione: — 1° de natura Sacramenti Poenitentiae; — 2° de Subjecto; — 3° de Ministro.

DISSERTATIO I.

DE NATURA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

In hac prima dissertatione tractabimus: 1° de notione poenitentiae; 2° de materia et forma Sacramenti.

CAPUT I.

DE NOTIONE PŒNITENTIÆ

Sacramentum Poenitentiae est ipsa virtus poenitentiae a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti elevata. — Quare, loquendum est: 1° de Poenitentia ut est virtus; 2° de Poenitentia ut est Sacramentum [2].

ARTICULUS I.

DE PŒNITENTIA UT EST VIRTUS

1644. — DEFINITIO. Poenitentia est « virtus tendens in destructionem peccati, in quantum est offensa Dei, medio dolore et satisfactione [3]. »

[1] L. VI. 426. — [2] De hac virtute vide S. Thom. 3. q. 85; Lugo, *De Sacr. Poenit.* Disp. I-XI; Suarez, Disp. I. sect. 1 et 2. — [3] L. VI. 434; H. A. XVI. 1.

Digitized by Google

Dicitur *virtus*, quae nempe tanquam pars potentialis ad justitiam refertur, et est *supernaturalis*, ut constat ex Tridentino, docente (sess. 6. can. 3) hominem sine gratia Dei non posse poenitere, sicut oportet; — *tendens in destructionem peccati*, quibus verbis exprimitur Objectum MATERIALE poenitentiae, scilicet omne peccatum tum mortale, tum veniale, ut destruendum vel vitandum; — *in quantum est offensa Dei*, quo exhibetur ejus Objectum FORMALE, quod est reparatio juris laesi divinae Majestatis; unde, eum non recte poenitet qui dolet quidem de suo peccato, sed sine respectu ad Dei offensam; — *medio dolore et satisfactione*, qui sunt actus, quibus poenitentia finem suum, i. e. pacem cum Deo, consequitur. Porro, dolor de peccato hujusque detestatio, cum voto satisfaciendi, et proposito non peccandi de caetero, pertinet ad ipsam poenitentiae essentiam. — Nec proinde simplex propositum de meliori inchoanda vita sufficit; in quo erravit Lutherus, qui poenitentiam in sola novitate vitae vel resipiscentia contineri affirmabat [1].

DIVISIO. Poenitentia potest duplici modo in destructionem peccati tendere: — 1° per actum doloris perfecti, qui et *contritio* dicitur, et est detestatio peccati ex motivo perfectae charitatis, qua Deus super omnia diligitur; — 2° per actum doloris imperfecti, qui etiam *attritio* dicitur, et est detestatio peccati ex motivis inferioris ordinis, v. g. ex timore poenae aeternae.

1645. — Principia. I. Per veram poenitentiam OMNIA deleri possunt PECCATA. — De fide est ex Tridentino, sess. VI. cap. 14. et sess. XIV. cap. 1. — Vera autem poenitentia, per quam peccata sive mortalia sive venialia REMITTUNTUR, est vel *contritio* perfecta, etiam extra Sacramentum, cum voto tamen, saltem implicito, illud suscipiendi; vel *attritio*, cum reali Sacramenti susceptione. Haec infra fusius exponentur (n. 1673). — De caeteris poenitentiae effectibus commodius dicetur, ubi de effectibus Sacramenti (n. 1653) [2].

1646. — II. Poenitentia est universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinarunt, ad gratiam et justitiam consequendam, plane NECESSARIA. — De fide, ex Tridentino (loc. cit.). — Est autem necessaria: 1° NECESSITATE MEDII: cum enim offensa peccati mortalis ex hoc procedat, quod voluntas hominis est aversa a Deo, per conversionem ad aliquod bonum commutabile: fieri non potest, ut offensa remittatur, quin voluntas per veram immutationem, se denuo ad Deum convertat, cum detestatione habitae conversionis ad bonum commutabile, et cum emendationis proposito: quod utrumque pertinet ad rationem poenitentiae. — 2° NECESSITATE PRAECEPTI, tum naturalis, quo quisque tenetur satisfacere pro illata injuria, divinamque requirere amicitiam, tum positivi in sacris litteris saepius memorati. Apposite sic ad rem *D. Thomas* [3]: « Ex naturali ratione

[1] Cf. Laymann, lib. 5. tr. 6. cap. 1. — [2] Cf. *Inst. catech.* p. 2. c. 5. n. 17. — [3] 3. q. 84. a. 7.

Digitized by Google

homo movetur ad poenitendum de malis quae fecit; sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina. »

Nec tamen ita necessaria est poenitentia, ut semper explicita requiratur; nam per accidens sufficere potest *implicita* et *virtualis*, qualis continetur in actu perfectae dilectionis Dei, puta, si quis peccati sui immemor actum perfectae charitatis eliciat [1].

1647. — Quaesita. QUAER. 1° QUANDONAM *obliget praedictum poenitentiae praeceptum?*

Resp. Praeceptum sese cum Deo per poenitentiam reconciliandi obligat: 1° *per se* in articulo (vel in periculo probabili) mortis aut perpetuae amentiae, quia tunc aliud tempus non suppetit ad poenitendum; 2° *per accidens*, quando quis, lapsus in mortale, debet Sacramentum administrare, vel aliquod Sacramentum vivorum suscipere; — item, quando patitur graves tentationes, quibus se resistere non posse existimat, nisi actum contritionis eliciat; — postremo quando tenetur elicere actum charitatis erga Deum; tunc enim, occurrente memoria peccati, tenetur illud detestari. — Praeceptum autem sanctificandi Festa non importat obligationem contritionis [2].

QUAER. 2° *An praeceptum poenitentiae, extra periculum mortis vel amentiae,* PER SE *unquam obliget, ita ut ejus dilatio involvat speciale peccatum?*

Resp. Multi quidem AA. affirmant; sed negans sententia est probabilis, quia *praeciso praecepto positivo*, v. g. annuae confessionis, tempus poenitentiae non determinatur, cum tamen determinari deberet, per se, ratione praecepti affirmativi. — Hinc, docet S. Thomas [3], impoenitentiam finalem non esse speciale peccatum. — At vero, per accidens, certe graviter peccat quicumque existens in mortali suam conversionem per notabile tempus differt ac procrastinat; quia violat saltem praeceptum charitatis tum erga Deum tum erga seipsum, docente D. Thoma [4]: fieri non posse, ut homo sine gratia justificante se servet, per multum tempus, a novo peccato immunem. — Hinc, mora *unius mensis* videtur gravis S. Alphonso, qui subdit: « Verum tamen est, quod rudes difficulter eam obligationem advertant [5] » (cf. 472. q. 2°).

Scholium.

De remissione peccati venialis.

1648. — *Praenotanda.* 1° Peccatum veniale nunquam remittitur contaminatis peccato mortali; nam remissio cujuslibet culpae fundatur in amicitia

[1] Cf. L. VI. 437. — [2] Ib. 437; H. A. XVI. 10. — [3] 2. 2. q. 14. a. 2. — [4] 1. 2. q. 109. a. 8. — [5] H. A. XVI. 10; *Conf. diretto,* XV. 5.

Digitized by Google

Dei et in gratia sanctificante. Unde, reatus ipsorum peccatorum venialium inhaerebit damnatis, in aeternum.

2° Remissio peccati mortalis potest contingere absque remissione venialium; peccatum enim veniale non pugnat cum gratia sanctificante.

3° Unum peccatum veniale potest sine aliis venialibus remitti, si nimirum homo vere doleat de uno, et non de caeteris. Secus dicendum de peccatis mortalibus, quae omnia pugnant cum gratia habituali.

Quaesita. — QUAER. 1° *An poenitentia requiratur ad remissionem peccati venialis?*

Resp. Peccatum veniale nunquam remittitur sine poenitentia, sive formali, i. e. expressa et explicita, sive virtuali et implicita, quae nempe in aliquo actu supernaturali contineatur. — Constat tum ex Sacra Scriptura, quae universim ad quodlibet peccatum abolendum postulat poenitentiam; tum ex Doctoribus id expresse affirmantibus [1]; tum denique ex ipsa ratione, quae sancit, ut qui propria voluntate peccavit, non obtineat condonationem, nisi propria voluntate per poenitentiam a peccato recedat.

QUAER. 2° *Quaenam poenitentia requiratur ad remissionem peccati venialis* EX OPERE OPERANTIS, *seu extra Sacramentum?*

Resp. Plura sunt distinguenda: 1° Si quis mortalis simul et venialis peccati reus est, requiritur contritio *perfecta*, quae tollat utrumque, sicut ex praenotatis colligitur. — Nec tamen omnis contritionis charitatisve actus tollit omnia venialia, sed illa solum, quibus formaliter, vel saltem virtualiter opponitur. Unde, plena *omnium venialium* remissio tunc solum obtinetur, cum actus charitatis excludit generaliter affectum ad omnia venialia, seu cum quis ita affectus est, ut nullum velit unquam peccatum veniale admittere, utque de quolibet admisso doleat, vel doleret, si memoriae occurreret. Ita communiter (cf. n. 471, 2).

2° Si quis venialium tantum reus est, non videtur requiri actus charitatis aut contritionis perfectae; sed sufficit, probabilius, motus contritionis *imperfectae*, v. g. oratio, qua humiliter venia exoretur, aut actus alicujus virtutis, qui culpae veniali repugnet, aut detestatio venialium procedens ex consideratione supernaturalis eorum turpitudinis, v. g. quia sunt contra obedientiam Deo debitam, aut ex motivo spei elicito. — Ratio est, quia, cum peccatum veniale, nec charitati, nec gratiae habituali repugnet, sufficit, ut inordinata adhaesio ad creaturam ex aliquo supernaturali motivo, et ex motu gratiae actualis removeatur [2].

QUAER. 3° *Quaenam poenitentia requiratur ad venialis peccati remissionem* EX OPERE OPERATO *seu per Sacramentum?*

Resp. Dist. Remissio potest obtineri vel in Sacramento Poenitentiae, vel in aliis Sacramentis. Jam vero,

1° In Sacramento *Poenitentiae*, requiritur dolor *formalis* [3], ut ita adsit materia Sacramenti (cf. n. 1659). Per hoc autem Sacramentum remittuntur etiam, probabilius, venialia involuntarie omissa [4], de quibus non habetur complacentia formalis aut virtualis; vi enim absolutionis, cui non ponitur obex, confertur augmentum gratiae ex se peccati remissivae; et remittitur praeterea, sive ex parte sive ex toto, poena venialibus debita, si supersit.

[1] Cf. S. Thom. 3 p. q. 87. a. 3; S. Bonav. In 4 sent. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 2. — [2] Cf. S. Th. 3 p. q. 87. a. 3. ad 3. — [3] H. A. XVI. 23. — [4] Suarez, Disp. 12. sect. 2.

Digitized by Google

2° In *aliis* Sacramentis res procedit aliter. Etenim: — 1) Baptismus remittit venialia cum originali vel actualibus mortalibus conjuncta, modo nullus obex huic remissioni ponatur, i. e. modo non adsit voluntas actu vel habitu inhaerens peccato veniali. Ita communiter cum S. Thoma [1]. — 2) Extrema-Unctio remittit similiter, juxta probabilem sententiam, omnia venialia, si sint aliquo modo retractata; institutum est enim et hoc Sacramentum ad tollenda peccata, ut infra videbimus (n. 1873). — 3) Eucharistia dat ex opere operato gratiam actualem ad excitandum fervorem, quo justus remissionem venialium consequitur (cf. n. 1513, 1°). Atque hunc eumdem effectum producit Sacrificium Missae, sed per modum impetrationis tantum (n. 1591, 1°). — 4) Utrum autem et alia Sacramenta *specialem virtutem habeant* ad venialium remissionem, incertum quidem est, sed sententia affirmans est probabilior.

Quomodo peccata venialia per SACRAMENTALIA remittantur, vide dicta n. 1441.

ARTICULUS II.

DE PŒNITENTIA, UT EST SACRAMENTUM [2]

1649. — DEFINITIO. Poenitentia est Sacramentum consistens in actibus poenitentis et in absolutione sacerdotis; — seu est ritus externus a Christo institutus, quo remittuntur homini contrito et confesso, per juridicam absolutionem a sacerdote praestitam, peccata post Baptismum commissa, injuncta competente satisfactione.

1650. — **Principia.** I. Datur in Ecclesia POENITENTIAE SACRAMENTUM, quo peccata post Baptismum commissa vere remittuntur. — De fide est ex Tridentino (sess. 14. can. 1), sic definiente: « Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit. » — Patet autem hujus definitionis ratio; nam Poenitentia prae se fert omne quod ad rationem veri Sacramenti requiritur, videlicet signum sensibilem et sacrum, divinam institutionem et adnexam gratiam, ut patebit ex verbis Christi statim referendis.

1651. — II. Sacramentum Poenitentiae institutum est IN MODUM JUDICII, in quo poenitens, reus simul et sui accusator est, judex vero, sacerdos absolvens. — Constat ex verbis Salvatoris (Joan. 20, 22. 23): « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt. » Quibus verbis jubentur omnes Christi fideles, in culpam prolapsi, ante hoc tribunal se sistere, ut per sacerdotum sententiam, quotiescumque peccaverint, ab incurso reatu liberentur. — Liquet ergo Sacramentum institutum

[1] 3 p. q. 87. a. 1. ad 2. — [2] Cf. S. Thom. 3. q. 84. sqq.; Lugo, *de Sacr. Poenit.* Disp. 12. sqq.

Digitized by Google

fuisse in modum judicii. Unde sic Tridentinum (sess. 14. can. 9.): « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem: anathema sit. »

1652. — III. Poenitentiae Sacramentum, vel in re, vel in voto est omnibus post Baptismum in mortale lapsis NECESSARIUM necessitate PRAECEPTI, imo, et MEDII. — Constat ex Trid. (sess. 14. cap. 2. fin), ubi dicitur: « Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus. » Ita nempe ex positiva Christi ordinatione, qui post Baptismum lapsis, seu naufragium passis, hanc secundam tabulam misericorditer concessit, qua possint tuto, quamvis laboriose, ex perditionis barathro rursus evadere. — Quod vero concedatur ceu remedium unicum et necessario sumendum, constat ex verbis Christi: *claves dabo... dimittuntur... retenta sunt;* frustra enim darentur claves, si pateret ingressus absque earum ope; neque per Ecclesiam retinerentur peccata, si posset alia via eorum remissio obtineri.

Diximus *vel in voto*, explicito scilicet vel implicito; nam sicut nondum baptizatis sufficit ad justificationem et salutem votum Baptismi, quod dicitur baptismus flaminis, seu dilectionis Dei super omnia; ita et baptizatis post lapsum sufficit votum Sacramenti Poenitentiae, in contritione perfecta inclusum, ita tamen ut, si postea Sacramentum suscipi possit, omnino necessarium sit [1]. (Recole dicta n. 1645 et 1646)

Quandonam vero susceptio hujus Sacramenti sit *obligatoria*, dicetur infra, ubi de Confessione. (n. 1683. sqq.)

1653. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Quinam sint* EFFECTUS *Sacramenti Poenitentiae?*

Resp. Sunt praecipue sequentes: 1° Remittuntur peccata, quoad *culpam* et *poenam aeternam*, ita perfecte, ut nunquam per subsequens peccatum reviviscant; id vero per infusionem gratiae sanctificantis. — 2° Remittitur *poena temporalis* tum ratione absolutionis, tum ratione satisfactionis a confessario impositae: et quidem in majori minorive gradu, pro dispositione poenitentis. Nunquam vero, teste Tridentino, ad omnimodam novitatem atque integritatem, sine magnis nostris fletibus et laboribus (divina hoc exigente justitia) pervenire possumus. — 3° Reviviscunt *bona opera* prius in charitate facta, et per peccatum mortificata. — 4° Confertur *gratia sacramentalis*, per quam majori semper odio prosequimur peccatum, ab eoque efficacius praeservamur.

His adde multos alios EFFECTUS SECUNDARIOS, quos poenitentes

[1] Cf. Salmant. tr. 6. cap. 2. n. 22.

Digitized by Google

bene dispositi, imo, et tota societas christiana, ex hoc Dei beneficio consequuntur [1]. — Qua de re vide Dogmaticos.

QUAER. 2° *In quibus differat* SACRAMENTUM *Poenitentiae a* VIRTUTE *poenitentiae?*

Resp. In his potissimum: 1° Poenitentia, in quantum est virtus, ponitur sub genere habitus; prout est Sacramentum, ponitur sub signo sacro. 2° Virtus per suos actus est *pars* Sacramenti; hoc autem est ipsum *totum*, quod, praeter virtutis actus, includit etiam absolutionem. 3° Virtus requirit ad causandam justificationem actum perfectum seu contritionem; Sacramentum justificat etiam cum sola attritione, ut infra videbitur. 4° Virtus est causa gratiae per modum dispositionis, et ex opere operantis; Sacramentum, per modum causae efficientis instrumentalis, et ex opere operato [2]. (cf. n. 1659. fin.)

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

ARTICULUS I.

DE MATERIA HUJUS SACRAMENTI

1654. — Sicut in caeteris Sacramentis, ita et in Sacramento Poenitentiae, datur duplex materia, REMOTA videlicet et PROXIMA.

§. 1. *De materia remota.*

Materia REMOTA, illa scilicet circa quam materia proxima versatur in hoc Sacramento, duplex est: 1° *necessaria*, quae ex praecepto subjici debet materiae proximae; 2° *sufficiens* tantum et *libera*, quae potest quidem, sed non debet materiae proximae subjici.

1655. — **Principia.** I. Materia REMOTA Sacramenti Poenitentiae sunt peccata post Baptismum commissa [3]. — Ita omnes.

Dicitur 1° *peccata*, sive mortalia, sive venialia; non autem merae imperfectiones, v. g. quod non responderis divinis inspirationibus, quod non feceris bonum quod poteras, etc. Haec enim cum solum opponantur consiliis, non habent ex natura sua rationem peccati

[1] Cf. Catech. Rom. *De Sacr. Poenit.* n. 36. — [2] Cf. Salm. tr. 6. c 2. — [3] H. A. XVI. 1; L. VI. 425.

Digitized by Google

per poenitentiam delendi [1]. — Excipe, si per accidens ad culpas veniales pertingant, ut dictum est n. 341.

Dicitur 2° *post Baptismum commissa;* ratio est, tum quia peccatum originale et peccata actualia ante Baptismum commissa, delentur per ipsum Baptismum: tum quia potestas clavium non extenditur nisi ad eos, qui per Baptismum Ecclesiae subjiciuntur.

QUAERITUR. *An et quomodo peccata confitenda sint, si propter dubium* ITERETUR *sub conditione Baptismus?*

Resp. 1° Si ille, cujus Baptismus iterandus est, jam peccata sua bona fide accusavit, ab iisque absolutus fuit, non tenetur denuo confiteri. Ratio est, quia si validus fuit prior Baptismus, per poenitentiam jam remissa sunt; sin secus, remittentur per Baptismum.

2° Si peccata post dubium Baptismum commissa, nondum accusavit, ut evenit inter Protestantes, tenetur ea confiteri? nam si prior Baptismus fuit validus, peccata postea commissa per iteratum Baptismum deleri nequeunt utpote nullum. — Hinc, postulantibus Angliae Episcopis: « An debeat confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra? » Congregatio S. OFFICII, die 17 dec. 1868, respondit ad utrumque *affirmative et dandum esse Decretum latum 14 julii 1715*, in quo scilicet habetur: « esse rebaptizandum sub conditione; et collato Baptismo, suae praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur [2] » (cf. n. 1833).

1656. — II. Materia NECESSARIA Poenitentiae sunt omnia peccata mortalia nondum per hoc Sacramentum directe remissa. — Constat ex Tridentino, quod (sess. 14. cap. 5) declarat « oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri. » Ratio patet ex dictis n. 1646.

Diximus *peccata nondum directe remissa*, seu quae nondum in confessione fuerunt expresse declarata, nec per validam absolutionem, vi jurisdictionis ad ea se extendentis, condonata. — Unde, materia necessaria confessionis sunt peccata remissa per contritionem perfectam cum solo voto Sacramenti; item peccata omissa sive ob oblivionem inculpabilem, sive ob aliam justam causam in confessione rite facta, et quae simul cum aliis indirecte (seu necessario per infusionem gratiae) remissa fuerunt; pariter, peccata reservata, etsi distincte declarata, in quae sacerdos absolvens non habebat jurisdictionem, quamvis, ex gravi causa, super aliis peccatis absolutionem impertire debuerit.

[1] Cf. Lugo, *de Poenit.* disp. 3. n. 9-20. — [2] *Collect. S. Sed.* n. 475; *Acta S. Sed.* IV. 320; cf. Konings, n. 1340. q. 4°.

Digitized by Google

1657. — III. Materia LIBERA ac SUFFICIENS sunt tum omnia peccata venialia nondum vi clavium remissa, tum peccata mortalia vel venialia jam antea directe remissa, ac denuo confessa. — Ita omnes[1].

Diximus 1° *peccata venialia nondum vi clavium remissa* sunt materia: 1) *libera*, quia ex Tridentino (sess. 14. cap. 5) « taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt » (cf. n. 1648. qu. 2°); 2) *sufficiens*, quia verba Salvatoris: *quaecumque solveritis*, etc., non distinguunt inter peccata mortalia et venialia, et Concilium loc. cit. declarat venialia *recte et utiliter* in confessione dici. Et sane si de solis peccatis mortalibus confessio facienda esset, multi ob timorem, se tanquam graviter reos publice prodendi, retraherentur ab isto Sacramento; multi, ex falsa conscientia, sese leviter reos existimarent, etc.

Diximus 2° *peccata jam directe remissa* sunt materia: 1) *libera*, quia quod semel remissum est, nequit amplius in culpam vocari; 2) *sufficiens* quod ex Constitutione Benedicti XI *Inter cunctas*, et ex praxi fidelium satis superque constat[2]. Ratio autem theologica est, quia peccatum, etsi jam remissum, manet tamen commissum; ideoque potest peccator iterum atque iterum de illo dolere ac veniam petere, et pariter sacerdos potest saepius nomine Dei illud condonare ac remittere: quemadmodum inter homines fieri assolet, ut eadem injuria saepius ex corde remittatur. Et quoniam forma absolutionis, ob materiam proximam, quae vere existit (confessionem scilicet et contritionem), verificatur, gratia sanctificans confertur, non prima quidem, sed secunda, cum pleniori poenae temporalis remissione, aliisque effectibus quos in homine jam justificato sacramentum producit.

1658. — QUAERITUR. *An peccatum* DUBIUM *sit sufficiens materia Sacramenti?*

Resp. Solum peccatum reapse commissum est materia sufficiens. Si igitur poenitens tantummodo peccatum dubie commissum confitetur, exponitur Sacramentum periculo nullitatis. — Unde,

1° Si quis nullum peccatum certum declarat, *interrogetur* in primis de obligationibus proprii status, de superbia, de vana gloria, de pravis cogitationibus, de modo agendi cum parentibus et aliis proximis, de detractione, de ira, de invidia, etc. Multi enim, nisi hoc modo adjuventur, se nihil amplius scire respondent.

2° Suadendum est poenitentibus piis, ut, peccatis dubiis, sicut et levioribus suis quotidianis noxis adjiciant semper *aliquod pec-*

[1] L. VI. 425. — [2] Ib. 427 dub. 2.

Digitized by Google

catum certum, ex jam confessis, de quo scilicet vehementius doleant et propter quod firmius propositum concipere possint. — Qui autem salutarem hanc consuetudinem tenent, praemuniendi sunt ne istiusmodi accusationem ex mero usu subnectant.

3° Non videtur sufficere, si poenitens, *cujus conscientia confessario non est manifesta*, simpliciter dicat: « me accuso de omnibus peccatis vitae meae praeteritae. » Sacramentum enim Poenitentiae institutum est per modum accusationis et judicii; unde accusatio et judicium debent versari, ordinarie loquendo, circa materiam certam et saltem in specie determinatam. — Quare, excepto casu necessitatis (in quo sufficit formalis integritas confessionis), praestat subjungere: « Speciatim me accuso de peccatis contra *tale* praeceptum vel *talem* virtutem olim commissis; » quin exprimantur circumstantiae, vel numerus [1].

§. 2. *De materia proxima.*

1659. — Scotus quidem et Scotistae contendunt, totam essentiam Sacramenti Poenitentiae, materiam scilicet et formam, *in sola sacerdotis absolutione consistere;* actus vero poenitentis esse tantummodo *dispositiones* praerequisitas ad consequendum Sacramenti effectum. — Caeteri autem Theologi, qui post Concilium Tridentinum vixerunt, docent communiter cum S. Thoma, actus poenitentis cum verbis absolutionis esse partes intrinsecas Sacramenti, eosque cooperari ad collationem gratiae in Poenitentia, sicut ablutio cooperatur in Baptismo [2]. — Unde dicimus:

I. Tres actus poenitentis, scilicet CONTRITIO, CONFESSIO et SATISFACTIO sunt proxima materia Sacramenti Poenitentiae. Ex Trid. sess. 14. cap. 3. et can. 4; ex Catechismo Romano [3], et ex Rituali, quod absolute dicit: « Remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus poenitentis. » — Dicuntur a Concilio *quasi-materia*, « non quia verae materiae rationem non habeant, ait Catechismus Romanus, sed quia ejus generis materia non sunt, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione. » « In illis Sacramentis, inquit *S. Thomas* [4], quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiae, ut accidit in Poenitentia et in Matrimonio. » — Nec obstat, quod contritio non sit per se sensibilis; fit enim sufficienter sensibilis per confessionem, et alia exteriora poenitentiae signa [5]. — Unde dici

[1] *Praxis*, n. 71 et 188; cf. Ciolli, *Direttorio pratico*, n. 30. 2°. — [2] Cf. S. A. in Trid. sess. 14. n. 30-36. — [3] *De Poenit.* n. 21 et n. 13. — [4] 3. q. 84. a. 1. ad 1. — [5] L. VI. 425. 482; H. A. XVI. 1.

Digitized by Google

potest, materiam proximam hujus Sacramenti esse proprie confessionem dolorosam, eo quod Sacramentum Poenitentiae intrinsece ex ea componitur.

Notentur et haec alia *S. Thomae* verba [1]: « Omne Sacramentum (inquit) producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae; ex utroque enim unum est Sacramentum. Unde, sicut remissio culpae fit in Baptismo non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae, scilicet aquae, principalius tamen virtute formae, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam remissio culpae est effectus poenitentiae, principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod formale est in hoc Sacramento; secundario autem ex vi actuum poenitentis pertinentium ad virtutem poenitentiae; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae. »

1660. — II. Contritio et confessio sunt partes ESSENTIALES Sacramenti, satisfactio autem pars tantum INTEGRALIS. Ita communiter [2]. — Dicitur 1° *Contritio et confessio sunt partes* ESSENTIALES, adeo scilicet necessariae, ut una ex ipsis deficiente, Sacramentum nullatenus stare queat; nam, sine confessione impossibilis est informatio causae, et sine contritione, in qua necessario includitur voluntas satisfaciendi, perfici nequit reconciliatio.

Dicitur 2° *Satisfactio est pars* INTEGRALIS. Per partem integralem intelligitur illa, sine qua existit quidem Sacramentum essentialiter, non tamen omnino integraliter: sicut est essentialiter homo, qui caret brachio, vel crure, non tamen integer et perfectus. Unde, potest peccatum remitti et reconciliatio perfici, antequam adimpleatur opus satisfactorium a judice impositum ad obtinendum remissionem poenae temporalis. — Haec tamen remissio poenae, quatenus obtinetur per satisfactionem, est etiam effectus Sacramenti, etsi secundarius; ideoque requiritur ad integritatem Sacramenti, seu, ut loquitur Tridentinum (loc. cit.) « ad plenam et perfectam peccatorum remissionem [3]. »

ARTICULUS II.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

1661. — I. Sacramenti Poenitentiae FORMA sunt verba sacerdotis: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* — Constat ex Tridentino (sess. 14. cap. 3), ubi ait: « Docet S. Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*, etc. » — Constat igitur, formam debere

[1] 3. q. 86. a. 6. — [2] Cf. Salm. Tr. 6. c. 2. — [3] Cf. Lugo, Disp. 12. sect. 2. n. 40.

Digitized by Google

esse indicativam, non deprecativam, quidquid olim de validitate formae deprecativae disputatum fuerit.

Notetur: 1° Verba *Te absolvo* sunt de essentia; secus enim non indicaretur praesentia poenitentis, neque ipsa vis absolutionis exprimeretur. — Negant nonnulli requiri ad valorem formae pronomen *Te*, cum hoc satis exprimatur in verbo *tuis*. Quamvis autem haec opinio, speculative loquendo, probabilior videatur, non potest tamen in praxi teneri, eo quod Sacramentorum valori tutissime consulendum sit[1].

2° Verba *a peccatis tuis*, probabilius, non sunt de essentia, si dicatur: *Ego te absolvo;* quia verbo *te* jam sufficienter determinatur materia per praesentiam poenitentis, qui confessus est. — Sed quia opposita sententia etiam probabilis est, non possent ista verba sine gravi peccato omitti, et si fuissent omissa, esset absolutio sub conditione repetenda.

3° Verba *In nomine Patris*, etc. non sunt de essentia, quia Christus non fecit hic, sicut in Baptismo, mentionem de SS. Trinitate. Unde, eorum omissio non excederet, culpam venialem. — Item, non est essentiale pronomen *Ego*, ut patet[2].

4° Valida foret forma expressa verbis aequivalentibus, v. g. *condono, remitto tibi peccata tua;* vel etiam, si honoris causa diceretur: *Absolvo Dominationem, Excellentiam Vestram...* Sed foret illicita quia insolita, praxique Ecclesiae contraria.

5° Valide etiam plures absolverentur unica hac forma: *Ego vos absolvo*, etc., quia omnia ad validitatem requisita in ea reperiuntur. Sed et licite hoc fieri potest in casu necessitatis, v. g. in naufragio, ante praelium, vel in ipso praelio[3].

1662. — II. Laudabiliter quaedam PRECES, de Ecclesiae more, formae Sacramenti adjunguntur. Ex Trid. sess. 14. cap. 3. — Porro, Rituale Romanum haec habet: « Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, (sacerdos), injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen* — Deinde, dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen. — Dominus Noster Jesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde* [4]

[1] L. VI. 430. dub. 1; H. A. XVI. 5. — [2] Ibid. dub. 2 et 3; H. A. ibid. — [3] L. VI. 486; cf. Croix, lib. 6. p. 2. n. 645. — [4] Istud *Deinde* nigro jam charactere in Rit. Rom. (ed. typ. 1884) legitur, ideoque debet a sacerdote proferri.

Digitized by Google

EGO TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS, IN NOMINE PATRIS †, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN. (Si poenitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis*). — *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.*

« In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus omitti potest, *Misereatur*, etc., et satis erit dicere: *Dominus noster Jesus Christus*, etc., ut supra usque ad illud: *Passio Domini nostri*, etc. [1] »

« Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* »

Super his notandum est: — 1° Verba *Misereatur.... Indulgentiam*, etc. possunt citra omne peccatum omitti, ex communi sententia. — 2° Verba *Dominus noster*, extra necessitatem, non possunt, juxta plures, absque culpa veniali praetermitti; et ratio eorum est, quia Rituale ea praescribere videtur etiam in confessionibus frequentioribus, ut supra notatum est; alii tamen contradicunt cum communi. — 3° Verba *Passio Domini*, etc. possunt semper citra culpam omitti; attamen, cum per ea, juxta D. Thomae sententiam, bona poenitentis opera ad sacramentalis satisfactionis dignitatem meritumque evehantur, magnopere suadendum est, ut nunquam aut saltem perraro reticeantur [2]. — 4° Manus elevatio et crucis formatio non necessario, inter absolvendum, requiruntur; quamquam praestat servare consuetudinem. — 5° Invaluit similiter pia consuetudo, ut confessarius poenitenti, ante confessionem, benedicat his verbis: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua;* sed nequo haec benedictionis formula aliqua lege praescribitur. — 6° Confessarius dat absolutionem sedens, more judicis sententiam ferentis. — 7° Consultum est, ait *S. Alphonsus* [3], ut in praesentia aliorum poenitentium verba absolutionis submisse dicantur, ne, si quis dimittatur sine absolutione, id alii percipiant.

1663. — Quaesita. QUAER. 1° *An mitti possit absolutio ad* ABSENTEM? *Resp. Neg.*, cum forma Sacramenti non aliter quam VOCE exprimi possit. Atque hoc certum est apud omnes; nam anno 1602 Clemens VIII proscripsit ut falsam ac temerariam hanc propositionem: « Licet per litteras, seu internuntium, confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtinere. » Cum igitur Pontifex hujusmodi absolutionem *illicitam* declaraverit, eam etiam *invalidam* declaravit, quia in casibus necessitatis eam prohibere non potuisset [4]. Jam vero, talis est prohibitio, ut ne poenitenti quidem, qui praesens confessionem peregerit, absolutio mitti possit, sicut Papa Paulus V, anno 1605 die 17 julii, expresse declaravit [5].

[1] Intelligendum: *exclusive*, S. R. C. 28 feb. 1847 (Gardell. n. 5029 in *Viglevanen*). — [2] L. VI. 430. dub. 3 et 4. — [3] L. VI. 429; H. A. XVI. 5. — [4] H. A. XVI. 5. — [5] L. VI. 428.

Digitized by Google

QUAER. 2° *Quaenam* PRAESENTIA *poenitentis requiritur, ut absolvi possit?*

Resp. Sufficit praesentia *moralis*, illa nimirum intra quam homines, communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent. Hanc multi ad *viginti* passus extendunt, praesertim si poenitens nondum egressus est ab aspectu confessarii. In casu autem necessitatis, danda est absolutio, quoties absolvendus aliquo sensu percipitur. — Hinc, absolvi potest poenitens, qui jam ex confessionali recessit, nec multum distat (et hoc quidem licite, si commode revocari nequeat); item, qui ruit e tecto, qui incidit in flumen, qui peste affectus adiri nequit, etc. — Attamen, si absolvendus ultra viginti passus distaret, absolutio danda esset *sub conditione.*

QUAER. 3° *An per verba* TE ABSOLVO *possit sacerdos valide absolvere poenitentem tam a peccatis, quam a censuris?*

Resp. Affirm. juxta communem AA. sententiam. « Ratio, quia nihil prohibet, quin verba illa ex intentione sacerdotis dirigantur ad absolutionem tam a censuris, quam a peccatis. » Id tamen (nisi abesset omnino suspicio, quod poenitens aliquam censuram incurrerit) non excusatur a culpa veniali, cum sit contra usum Ecclesiae. — Quinimo, Sacerdos qui contra prohibitionem Ecclesiae, vellet poenitentem absolvere prius a peccatis, et deinde a censuris, peccaret graviter; sed si poenitens esset in bona fide, valide absolveretur a peccatis, non praemissa absolutione a censuris; quia prohibitio Ecclesiae non potest invalidare Sacramentum, cujus valor pendet a jure divino, cum omnia requisita essentialia ad illud concurrunt[1]. (cf. n. 1405)

QUAER. 4° *An possit valide et licite dari absolutio* SUB CONDITIONE?

Resp. 1° Datur VALIDE, si datur sub conditione *de praeterito,* vel *de praesenti;* verificata enim conditione, forma Sacramenti transit coram Deo in absolutam; conditione autem non verificata, Sacramentum non conficitur, nec sacerdos intendit illud conficere. (Recole dicta n. 1414)

Resp. 2° Datur etiam LICITE « dummodo *justa* adsit *causa;* nempe si negata absolutione, notabile detrimentum immineret animae poenitentis. » Ita *S. Alphonsus*[2] cum communi DD., contra aliquos.

Porro: 1° Ratio, *cur licite* detur, haec est: Sacramenta sunt propter homines, et reverentia Sacramento debita servatur salva per rationabilem, quae adjicitur, conditionem. — Sufficit autem, probabilius, conditio animo retenta; quamquam tutius est eam verbis exprimere, v. g. « si es contritus..., si es dispositus..., si es capax, ego te absolvo. »

[1] L. VI. 430. dub. 4. — [2] Ib. 431.

Digitized by Google

2° Ratio, cur non detur licite, nisi *quando timetur notabile detrimentum;* est quia conditio non est temere adjicienda formae, et in ritu divino non est ex facili quid mutandum. Insuper, sacerdos debet esse dispensator prudens, qualis certo non esset, si ex causa levi, aut in omni dubio, absolutionem conditionatam impertiret. — Non requiritur tamen necessitas extrema, seu periculum vitae, ut *Collet* cum quibusdam aliis contendit. Istiusmodi enim rigor pariter poenitentibus noxius esset, iis maxime, qui difficile ad confessarium reversuri censendi sunt, et dimissi absque absolutione periculum aeternae damnationis incurrerent.

QUAER. 5° *Quaenam sint* JUSTAE CAUSAE *dandi absolutionem sub conditione?*

Resp. Justae hae causae possunt esse vel ex parte confessarii, vel ex parte poenitentis. — Praecipuae sunt sequentes[1]:

I. EX PARTE CONFESSARII: — 1) Si positive seu prudenter dubitet, an absolverit necne; tunc enim tenetur dicere: « si tu non es absolutus, ego te absolvo. » — 2) Si dubitet, an habeat jurisdictionem in poenitentem, id est in dubio *facti*, v. g. quando dubium est an acceperit jurisdictionem ab Ordinario, vel an eam ob revocationem amiserit; tunc enim, cum sufficienti causa, potest conditionate absolvere dicendo: « si possum, ego te, etc. » Sed in hoc casu, ait *S. Alphonsus*[2], monendus est poenitens, « quod ipse tantum sub conditione absolutus sit, ut, si postmodum forte notum fiat, quod confessarius revera careret jurisdictione, ille poenitens iterum confiteatur peccata sua mortalia, ut debet. » In dubio autem *juris* positivo, i. e. si ob DD. auctoritatem sacerdotis jurisdictio probabilis sit, uti v. g. in errore communi, potest dare absolutionem modo absoluto; quia, stante gravi causa, Ecclesia certe supplet, ut infra explicabitur. (n. 1755 et 1756)

II. EX PARTE POENITENTIS datur gemina species casuum, ideoque gemina statuenda est regula:

Regula 1ª Poenitens, qui in EXTREMA animae necessitate constitutus, dubiam materiam vel dispositionem exhibet, absolvendus est sub conditione, ne forte grave detrimentum patiatur. — Hinc sub conditione absolvendi sunt: 1) Omnes MORIBUNDI, nisi innotescat, vel positive praesumi possit eorum incapacitas, vel indignitas. — 2) Poenitentes DUBIE DISPOSITI, si versentur in gravi mortis periculo (quamvis non proximo), v. g. mulier in partu difficili..., nauta aut alius longam navigationem suscepturus..., miles pugnaturus cum hoste..., infirmus ante operationem chirurgicam valde labo-

[1] L. VI. 432; H. A. XVI. 6. — [2] Ibid.

Digitized by Google

riosam; vel si prudenter timeatur, ne absque absolutione dimissi inde in posterum a sacro tribunali omnino resiliant, atque in peccatis suis tabescant, ne transeant ad haereticos, ne ab Ecclesia vel a bonis operibus alienentur, ne alios ad malum pertrahant, etc.; vel etiam si urgeat necessitas communicandi, ad vitandum scandalum aut infamiam: ut facile evenit in prima Communione puerorum, et in Communionibus generalibus, praesertim si exiguus sit communicantium numerus.

Regula 2ª Poenitens, qui in ORDINARIA necessitate constitutus dubiam tantum materiam, aut capacitatem exhibet, etiam sub conditione, ALIQUANDO absolvendus est, ne notabili bono spirituali privetur. — Hinc, *sub conditione* absolvendi sunt: 1° PUERI aut SEMIFATUI, quorum dubius est usus rationis, aut dubia instructio circa veritates scitu necessarias, aut dubia peccata (praesertim si sint per se mortalia). Hi igitur absolvendi sunt, tum in *periculo mortis*, tum quando urget *praeceptum* annuae confessionis, aut Communionis paschalis, tum *quandoque* per annum, tametsi venialia solum et dubia declarent, ne forte in statu lethali remaneant, nec gratiae sacramentalis auxilio perdiu destituti vivere cogantur. Attamen magna atque accurata diligentia praemittenda est, ut quantum fieri possit, bene instituantur et rite disponantur[1]. — 2° POENITENTES PII, qui nonnisi imperfectiones afferunt, et nihil certum ex anteacta vita declarare possunt; his *semel in mense* absolutio sub conditione dari potest.

Notetur: 1° Poenitentes peccati mortalis rei, qui, ob dispositionem dubiam, dubiamve jurisdictionem, *sub conditione* absoluti sunt, non habent idcirco jus ad S. Eucharistiam. Obstat enim praeceptum Apostoli, dicentis: « *Probet autem seipsum homo....* » Nec sufficit probatio dubia, aut mere probabilis, quando peccatum fuit certum, sed debet esse certa (moraliter) (cf. n. 1756). — Unde, non solum confessarius non debet eos ad S. Communionem invitare, sed debet, si possit, prudenter eos ab illa suscipienda avertere.

2° Si tamen sint jam ex se determinati..., vel si ex denegatione Communionis magnum timeatur malum, relinquantur in bona fide, et moneantur, ut ad contritionem denuo sese excitent [2].

DISSERTATIO II.

DE SUBJECTO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

1664. — Quod omnis et solus homo baptizatus, in culpam saltem venialem prolapsus, sit SUBJECTUM Sacramenti Poenitentiae, ex

[1] L. VI. 432; cf. *Prax.* n. 91. — [2] Ibid.; H. A. XV. 34; Konings, n. 1344.

Digitized by Google

supra disputatis jam satis innotescit. — Hoc autem proprium et peculiare est huic Sacramento, quod ejus subjectum aliquid conferre debeat, non modo ad licitam ejus ac fructuosam susceptionem, sed ad ipsam ejus *confectionem*, ponendo scilicet materiam proximam, quae in ipsius poenitentis actibus, nempe in CONTRITIONE, CONFESSIONE et SATISFACTIONE consistit. — De his igitur actibus, qui simul materia proxima Sacramenti sunt et dispositiones subjecti ad illud recipiendum, accurate tractandum est.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE

1665. — DEFINITIO. Contritio definitur: « Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero. » Ita Tridentinum, sess. 14. cap. 4.

Est actus virtutis poenitentiae, quo homo suscipit odium erga peccatum a se commissum, illudque ita detestatur, ut nullo unquam pacto vellet se peccasse. Necessario autem voluntatis tristitia hujusmodi detestationis actum comitatur. — Quia vero contritio definitur *animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, disputant Theologi, utrum ejus essentia consistat in *dolore*, an potius in *detestatione*. Posterior sententia S. Alphonso verior videtur, quia non quidem dolor est causa detestationis, sed detestatio est causa doloris. — Caeterum, sicut ambo requiruntur, ita alterum in altero continetur; qui enim suum peccatum detestatur, necessario de illo dolet, et vice versa. — Insuper detestatio perseverat in Beatis, sed non amplius dolor[1]. (Recole dicta n. 1644)

Quibus praemissis, agemus, juxta definitionem Tridentinam, 1° de dolore poenitentis; 2° de ejus proposito.

ARTICULUS I.

DE DOLORE PŒNITENTIS

Agemus: 1° De *dolore* seu de contritione poenitentis, prout requiritur in Sacramento Poenitentiae, abstrahendo ab ejusdem doloris perfectione vel imperfectione; 2° De contritione *perfecta* et *imperfecta*.

[1] L. VI. 435; H. A. XVI. 8; Op. in Trid. sess. 14. c. 2.

Digitized by Google

§. 1. *De contritione requisita in Sacramento.*

1666. — Principia. I. Contritio absolute NECESSARIA est, tum ad VALIDITATEM, tum ad LICEITATEM Sacramenti Poenitentiae, quoties illud suscipitur. — Ratio est, quia contritio est materia proxima et pars essentialis Sacramenti; ergo Sacramentum susceptum sine contritione est nullum, et consequenter illicitum. — Unde, quamvis diligens opera in examine conscientiae collocanda sit, diligentior tamen ponenda est in excitando animi dolore. — Et licet ad hunc concipiendum dolorem *breve temporis spatium* sufficere possit, tutius tamen est, contritionis actum paulisper protrahere, aut repetere, ne scilicet nimia festinatione in ipso suo ortu extinguatur.

Diximus: *Quoties suscipitur*, ne scilicet excluderetur confessio peccati venialis. « Certum est enim, quod, etsi extra Sacramentum sufficit aliquis motus gratiae vel charitatis ad ejus remissionem, ut docet *S. Thomas*, tamen in Sacramento omnino requiritur dolor FORMALIS, nec sufficit virtualis, ut communiter docent DD. cum Roncaglia, Concina et Croix, contra paucos[1]. » — Atvero,

Dubitatur 1° *An mortaliter peccet, qui venialia sine dolore confitetur?* — « Negant Genettus, Juveninus et Natalis Alexander; dicunt hi, quod quoties abest animus profanandi Sacramentum, illud frustrare in materia levi non excedit levem irreverentiam. — Sed communiter et recte *affirmant* alii DD., et Lugo priorem sententiam appellat omnino falsam, dicens, injuriae gravitatem non consistere in materia, sed in Sacramenti frustratione, in non apponendo materiam aptam et essentialem, ut est dolor. Unde, sive frustretur ob gravem materiam, sive ob levem, irreverentia semper est gravis[2]. »

Dubitatur 2° *An in confessione venialium sufficiat dolere de uno sine alio?* — « Nonnulli id negant; sed communiter et recte *affirmant* Suarez, Lugo (et alii). Et ratio luculenta est, quia venialia non sunt materia necessaria, sed sufficiens. — Dicunt autem Castropalaus, Lugo, Sporer, Tamburinius, etc., sufficere poenitere *multitudinis* venialium, quin alicujus in particulari poeniteat; sed contradicunt Arriaga et Dicastillus, dicentes, saltem necessarium esse dolorem erga aliquod illorum. Sed hae sententiae facile conciliantur, quia impossibile est, quod ille, quem multitudinis poenitet, non doleat de ultimis, quae multitudinem constituunt[3]. » — Item, sufficit dolere de *certa* venialium *specie*, vel de solis *deliberatis*.

[1] L. VI. 449. — [2] H. A. XVI. 23. — [3] H. A. 23; L. VI. 449. dub. 2.

Digitized by Google

1667. — II. Contritio, ad obtinendam veniam debet esse VERA, SUPERNATURALIS, APPRETIATIVE SUMMA, UNIVERSALIS saltem respectu mortalium, EFFICAX, et denique sibi habere adjunctam FIDUCIAM veniae. — Dicimus *ad obtinendam veniam*, idque tum in Sacramento, tum extra Sacramentum; quia praefatae dotes seu CONDITIONES pertinent etiam ad virtutem poenitentiae. (cf. n. 1644 et 1645)

1° Debet esse VERA. « Opus est, ait S. Alphonsus[1], ut anima verum concipiat dolorem, veram displicentiam, veram amaritudinem de peccato commisso, utque illud detestetur et abhorreat. » Contritio enim vocatur *dolor animi* seu *cordis*, i. e. voluntatis. — Non sufficit ergo contritio (vel attritio) *existimata*, licet inculpabiliter, nec desiderium absolutionis sine affectu ad peccata, ut aliqui volunt contra communem sententiam. Et ratio est, quia verus dolor voluntatis est pars essentialis Sacramenti[2]. — Nec sufficit dolere *quod non doleas*, nec *velleitas* non peccandi. Recte tamen notat Bonacina, cum actu, quo quis dolet se non dolere de peccatis, plerumque conjunctum esse dolorem de peccatis, etsi poenitens eum non dignoscat[3].

2° Debet esse SUPERNATURALIS, tum ratione *motivi*, ex quo elicitur, quod esse debet per fidem menti propositum; tum etiam ratione *principii*, a quo procedit, quod est divina gratia, sine qua nemo poenitere potest, sicut oportet. — Unde, si quis doleret etiam intensissime, vel in bona fide, quia peccatum suum repugnat rationi, vel quia privat fama, sanitate, aut aliquo bono temporali; haberet dolorem mere naturalem, ex se plane ineptum ad obtinendam justificationem, quae est ordinis supernaturalis. Hinc, damnata est ab Innocentio XI haec 57ª propositio: « Probabile est sufficere contritionem naturalem, modo honestam. » — Occasio tamen poenitentiae potest esse naturalis, ut constat exemplo Ninivitarum.

3° Debet esse APPRETIATIVE SUMMA, ita nempe, ut offensa Dei magis displiceat quam quodcumque aliud malum, quod nobis evenire potuisset. — Ratio est, quia « uti Deus summum bonum est inter omnia, quae diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quae homines odisse debent[4]. » Et eadem ratio currit de peccato VENIALI; quare de ipso etiam summe dolendum est, ut a Deo venia obtineatur. — Dicimus *appretiative summa*, non intensive; quia, licet congruum sit atque optandum, ut nullus finis vel modus in peccati detestatione ponatur, id tamen non requiritur, nec est in communi hominum potestate[5].

[1] *Instit. catech.* p. 2. c. 5. n. 13. — [2] L. VI. 433. 2°. — [3] Ibid. 6°. — [4] Catech. Rom. *de Poenit.* n. 27. — [5] *Nota.* Appretiatio unius objecti est opus tum *rationis* judicantis unum esse alio majus, tum *voluntatis* libere prosequentis illud tanquam majus bonum.

Digitized by Google

4° Debet esse UNIVERSALIS, saltem respectu mortalium. Dicit enim Dominus (Ezech. 18, 21. 22): « Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis... omnium iniquitatum ejus... non recordabor. » Ratio patet: nam fieri non potest, ut qui de suis peccatis vere dolet, unum detestetur, et in altero sibi complaceat, cum sciat divinam amicitiam omni peccato mortali penitus extingui. — Non requiruntur tamen (ut communius tenent) ad singula peccata singuli actus doloris, quod saepe foret impossibile; sed sufficit dolere de omnibus universaliter, ex motivo omnibus communi, quia dolor universalis extendit se virtualiter ad omnia peccata[1]. (cf. n. 1397. 3)

5° Debet esse EFFICAX, ita nempe ut voluntatem a peccato avertat, eamque ad omnia facienda disponat, quibus relapsus vitetur. Atque huc spectant verba Ezechielis (18, 31): « Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras... et facite vobis cor novum, et spiritum novum. » (cf. n. 1680, *de proposito formali*)

6° Debet sibi habere adjunctam FIDUCIAM VENIAE; secus enim foret similis dolori damnatorum in inferno, quos etiam suorum peccatorum, sed sine spe remissionis, poenitet. Dolor autem vere poenitentium spe ac consolatione repletur; quia quo magis hominem poenitet displicuisse Deo, eo magis ipse divinae misericordiae confidit, eoque magis ejus consolatio augetur. Unde D. Bernardus sic Dominum allocutus est: « Domine, si tam dulce est flere de te, quid erit gaudere de te?[2]. »

Utrum autem, ad consequendam gratiam in Sacramento Poenitentiae, requirantur actus EXPLICITI *fidei* et *spei?* — Alii quidem *affirmant*, quia peccatores a Tridentino his actibus ad justificationem se parare dicuntur. — Alii vero communius *negant*, eo quod nulla sufficienti ratione necessitas illorum actuum demonstrari potest. — Optime autem hae sententiae conciliari possunt; nam poenitens, eliciendo actum doloris elicit etiam explicite (non jam reflexe, sed exercite) actus fidei et spei; quia tunc procul dubio exercite *credit*, peccata sibi virtute Sacramenti remissum iri, atque explicite *sperat*, fore ut sibi, per Sacramentum et ob merita Christi, venia concedatur[3].

1668. — III. Contritio, quae est pars Sacramenti Poenitentiae, debet esse aliquo modo SENSIBILIS, et caeteris Sacramenti partibus essentialibus MORALITER UNIRI. — Constat ex dictis de Sacramentis in genere. (n. 1402 et 1434)

1° Debet esse SENSIBILIS, non ita quidem ut in sensum aut appetitum sensitivum redundet; talis enim dolor, etsi saepius ex

[1] L. VI. 438; H. A. XVI. 12. — [2] *Instit. catech.* p. 2. c. 5. n. 18. — [3] L. VI. 439; H. A. XVI. 13.

Digitized by Google

voluntatis tristitia oriatur, non est necessarius; sed ita ut signo aliquo manifestetur, v. g. per dolorosam confessionem, per petitionem veniae, etc.; secus enim non posset confessarius de poenitentis dispositione rectum ferre judicium. (cf. n. 1817. qu. 1°)

2° Debet confessioni et absolutioni MORALITER UNIRI, ut ita ex diversis partibus UNUM fiat Sacramentum. — Quocirca, discutienda veniunt sequentia.

1669. — Quaesita. QUAER. 1° *An debeat contritio* PRAECEDERE *absolutionem?*

Resp. Affirm.; secus enim absolutio, quae est forma Sacramenti, non applicaretur suae materiae et foret invalida. Imo, nec omnino tuta est contritio, quae ad punctum absolutionis remittitur; quia facile accidere potest, praesertim in confessione rudium, ut absolutionis forma desinat, antequam actus contritionis fuerit elicitus.

QUAER. 2° *An debeat etiam contritio* PRAECEDERE *peccatorum* ACCUSATIONEM?

Resp. Prima sententia *affirmat*, tum quia dolor, tanquam materia hujus Sacramenti, debet esse sensibilis, nec alias, nisi per confessionem, sensibilis efficitur; tum quia confessio non debet esse simplex narratio, sed accusatio dolorosa. — Secunda sententia communior *negat*, atque huic valde favet Rituale, dicens: « Audita confessione, ad dolorem efficacibus verbis adducere conabitur » (scil. confessarius). Respondetur autem ad *primam* rationem contrariam, dolorem non modo sensibilem fieri per confessionem, sed aliis etiam signis ac verbis; ad *secundam* vero respondetur, *id tantum requiri*, « ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed habeat rationem accusationis sacramentalis; et ad hoc sufficit, ut confessio fiat animo obtinendi absolutionem, et deinde dolor manifestetur saltem per petitionem seu expectationem absolutionis: sic etenim confessio bene sacramentalis evadit. » Quod et ipsi primae sententiae fautores concedunt; unde patet duas sententias verbis potius quam re discrepare, secundamque modo quo diximus intellectam esse omnino tutam[1]. — « Ad sedandos scrupulos, solent confessarii, si de interna dispositione poenitentis dubitent, excitare illum ad dolendum de peccatis paulo ante explicatis. Quod fit, si dicatur: *De peccatis narratis doleo et me accuso*[2]. »

QUAER. 3° *An actus contritionis debet elici* IN ORDINE AD SACRAMENTUM?

Resp. Neg., ex probabiliori sententia: « tum quia ex Trid. sufficit attritio (quomodocumque) habita, tum quia dolor ordinatur saltem

[1] L. VI. 445. — [2] Ibid. 445 (a 6ª edit.); H. A. XVI. 19; *Conf. dir.* XV. 7.

Digitized by Google

ad absolutionem, cum per confessionem manifestatur [1]. » — Opposita tamen sententia, quae dicit, actum contritionis, quando non fuit in ordine ad Sacramentum elicitus, renovandum esse in confessione, est etiam probabilis, ideoque in praxi tenenda [2]. (cf. n. 1659, fin.)

QUAER. 4° *Quanto tempore actus doloris moraliter* PERDURET *ad valide suscipiendum Sacramentum?*

Resp. Pro variis circumstantiis, assignandum est spatium temporis diuturnius vel brevius: — 1° Si confessio fit unice ex dolore de peccatis, dolor perdurat virtualiter saltem per unum, aut etiam alterum diem. — 2° Si vero fit ex mera devotione aut ex praecepto, ex voto, ex mandato regulae, debet brevius spatium, v. g. de mane ad vesperam, intercedere. — Caeterum, in praxi consulitur, ut actus contritionis semper *ante absolutionem* renovetur [3].

QUAER. 5° *An teneatur iterum elicere actum doloris, qui statim* POST ABSOLUTIONEM *confitetur peccatum per oblivionem omissum?*

Resp. Juxta sententiam communiorem, non tenetur; quia prior dolor, cum sit universalis, sese extendit etiam ad oblita peccata, et perseverat usque ad secundam absolutionem. — Sed, juxta aliam sententiam adhuc probabilem, et ideo sequendam ut *tutiorem*, novum conficiendum est Sacramentum; quia per primam absolutionem jam completum est judicium, ideoque novus est doloris actus eliciendus, nova imponenda poenitentia, et nova impertienda absolutio [4].

§. 2. *De contritione perfecta et imperfecta.*

1670. — Quilibet actus contritionis, prout ex dictis jam constat, illud sibi expostulat, ut ex motivo vere supernaturali eliciatur; et sub hoc quidem respectu omnes et singuli contritionis actus generice conveniunt; sed quoniam motiva, ex quibus eliciuntur, inaequalis sunt ordinis, et quoniam propter hanc inaequalitatem alii sunt aliis magis perfecti atque efficaces: Theologi, hoc fundamento innixi, duas praecipuas SPECIES seu GRADUS contritionis distinguunt, quarum alteram appellant contritionem *perfectam;* et alteram, contritionem *imperfectam.* — De utraque, separatim, nunc tractandum est.

I. — De contritione perfecta.

1671. — DEFINITIO. Contritio PERFECTA seu simpliciter dicta, ea est, quae elicitur ex motivo charitatis divinae, i. e. quatenus pec-

[1] H. A. XVI. 21. — [2] L. VI. 447; *Conf. dir.* l. c.; cf. *Vindic. Alph.* p. 5. q. 2. — [3] L. VI. 446; cf. Konings, n. 1348. q. 5. — [4] L. VI. 448; H. A. XVI. 22; *Conf. dir.* XV. 7; cf. *Vind. Alph.* p. 5. q. 3.

Digitized by Google

catum est offensa Dei Summi Boni et super omnia diligendi. — Divina enim Bonitas, sicut propter summam suam amabilitatem, voluntatem nostram ad sui amorem allicit, ita pariter eam movet ad detestationem mali, quod ipsi adversatur. — Unde, actus contritionis perfectae erit, v. g. sequens: *Mi Deus, toto corde doleo de omnibus peccatis meis, eaque mihi displicent, quia offendi Te bonitatem infinitam.*

Duo notatu digna hic praemittenda sunt: 1° Plures Theologi docent probabiliter, actum perfectae contritionis elici posse *ex motivo cujuscumque attributi divini* offensi. Ille enim, aiunt, qui diligit divinam justitiam, sapientiam, misericordiam, beneficentiam, Deum ipsum jam diligit; cum haec attributa sint ipse Deus. — Alii autem communiter et probabilius tenent, contritionem perfectam debere omnino procedere *ex solo motivo charitatis*, nempe divinae bonitatis per peccatum contemptae, quatenus haec est radix et aggregatio omnium perfectionum. Nam, ex Tridentino, contritio debet esse charitate perfecta seu informata; objectum autem charitatis est Deus, quatenus est ipsa Infinita Bonitas seu infinitum Bonum [1].

2° Contritio perfecta admittit plures GRADUS, inter quos distinguuntur: 1° Contritio in gradu remisso seu infimo, quo excluditur peccatum saltem mortale, ex motivo charitatis praedominantis. — 2° Contritio in gradu perfecto (seu intenso rationis), quo excluditur insuper quodlibet veniale et quilibet ad illud affectus. — 3° Contritio in gradu summo et intensissimo rationis et sensus, qualis ex speciali gratia concessa fuit aliquibus peccatoribus, qui prae doloris vehementia mortui sunt. — Hi tamen diversi gradus sunt *ejusdem naturae*, quia plus et minus non variant speciem [2]. (cf. n. 465 seq.)

1672. — Principia. I. Contritio PERFECTA, etiam in gradu infimo, JUSTIFICAT semper hominem, priusquam actu Sacramentum suscipiatur. — Probatur 1° Ex Scriptura (Prov. 8, 17): « Ego diligentes me diligo. » — « Charitas operit multitudinem peccatorum. » (1. Petr. 4, 8). — 2° Ex Tridentino, quod (sess. 14. cap. 4) docet « contritionem charitate perfectam.... hominem Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur. » — 3° Ex Patribus et Doctoribus [3], inter quos S. Chrysostomus [4]: « Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala; » et D. Thomas [5]: « Charitas non potest esse cum peccato mortali. » — 4° Ex 32ª Baji propositione damnata a Gregorio XIII: « Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. » — Ratio autem theologica est, quia actus contritionis perfectae est formalis actus charitatis erga Deum, sive actus intrinsece conjunctus cum charitate, ut patet ex ipsa contritionis definitione.

Diximus 1° *in gradu etiam infimo.* Sufficit enim, ut amor Dei attingat ad rationem charitatis, quae consistit in dilectione Dei

[1] L. VI. 436; H. A. XVI. 9; cf. *Vindic. Alph.* p. 5. q. 1. — [2] Cf. S. A. in Trid. sess. 14. n. 42. — [3] Cf. L. VI. 422. — [4] In Ep. 2. ad Timoth. homil. 7. n. 3. — [5] 2. 2. p. 45. a. 4.

Digitized by Google

propter se, super omnia. « Et ratio evidens est, ait *S. Alphonsus* [1], quia sicut quaecumque aversio a Deo tanquam a fine ultimo, etiam in gradu remisso, sufficit ad amittendam Dei amicitiam, ita quaecumque vera conversio sufficit ad eam recuperandam. » Unde *D. Thomas* [2]: « Quaelibet contritio est gratia gratum faciente informata; ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam. » Atque haec opinio adeo certa Beato nostro Doctori videtur, ut oppositam omnino tanquam improbabilem ac falsam rejiciat[3].

Diximus 2° *justificat semper*. i. e. etiam extra casum necessitatis. Id pariter certum est, contra Adrianum et Cajetanum, tametsi Concilium Tridentinum ab istis AA. condemnandis sese abstinuerit. Constat ex damnata propositione 71ª Baji: « Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti [4]. »

1673. — II. Contritio perfecta per se non justificat hominem, nisi CUM VOTO SACRAMENTI, saltem implicito. — 1° Constat ex ipsa natura contritionis; nam, ut sit vera et perfecta, requiritur voluntas adimplendi omnia Dei praecepta; atqui confessio est praeceptum divinum; ergo. — Ad rem sic apposite Cardinalis de Lugo[5]: « *Contritio* dicitur justificare in ordine ad claves, non quod accipiat vim justificandi a Sacramento, sed quia, quando extra Sacramentum justificat, habet in se votum implicitum subjiciendi clavibus peccata mortalia; ad quod manet homo obligatus, etiam postquam justificatus est per contritionem. » — 2° Constat insuper ex Tridentino (sess. 14. cap. 4), ubi declaratur votum Sacramenti in contritione perfecta includi.

Diximus *cum voto saltem implicito;* potest enim fieri, ut peccator actum perfectae contritionis eliciat, quin actu de confessione cogitet, sive ex inadvertentia, sive ex ignorantia invincibili; ista autem ignorantia aut inadvertentia nihil merito charitatis et contritionis detrahit. Ergo. — Insuper, ex Tridentino sufficit votum, quod in contritione includitur; quod autem in alio includitur, implicitum est, non explicitum. — Si tamen peccator actu cogitet de praecepto confessionis, debet certe aut confiteri, aut elicere propositum confitendi; alioquin contritio non esset vera, ut palam est[6].

1674. — Plura hic notanda veniunt: — 1° Contritio perfecta non est ipsa forma, quae peccatorem justificat, sed est, in praesenti providentia, *ultima dispositio* seu ultima ad justificationem praeparatio. Posito namque, ex gratia

[1] L. VI. 442. *Posito igitur.* — [2] Suppl. qu. 5. a. 3. *Sed contra.* — [3] L. VI. 442. *Ex his.* — [4] Cf. H. A. XVI. 16. — [5] *De Euch.* disp. 3. n. 3. — [6] L. VI. 437. dub. 4; cf. Lugo, disp. 5. sect. 8. et disp. 8.

Digitized by Google

actuali, actu charitatis vel contritionis perfectae in peccatore, ipsi statim infunditur gratia habitualis, per quam homo diligens Deum et dilectus a Deo, redditur justus et Dei amicus. — Id eruitur ex Tridentino sess. 14. cap. 4. et sess. 6. cap. 7.

2° Contritio, sive consideretur ex parte charitatis, sive ex parte doloris sensibilis, potest eo usque increscere, ut ad PLENAM *culpae* et *poenae* DELETIONEM sufficiat; ut constat exemplo boni Latronis. Etenim charitas, quae parit displicentiam, potest tantum in actu intendi, ut contritio inde sequens non modo culpae amotionem mereatur, sed etiam absolutionem ab omni poena. — Pariter, dolor sensibilis, quem voluntas in contritione excitat, tantum intendi potest, ut sufficiat ad deletionem totius poenae, per modum satisfactionis [1].

3° Contritio vehementissima potest insuper id efficere, ut ipsa PECCATI RELIQUIAS tollat. « Docet enim *D. Thomas* [2], quod Deus aliquando tollit peccati reliquias successive per suam gratiam cooperantem, aliquando vero statim per magnam commotionem, qua homo perfectam sanitatem spiritualem consequitur....; ut patet de S. Magdalena [3]. »

De NECESSITATE contritionis, recole dicta n. 1647.

II. — De contritione imperfecta.

1675. — Definitio. Contritio IMPERFECTA, seu *attritio*, est detestatio peccati, quae communiter concipitur, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae et poenarum metu, quaeque sibi initialem, non tamen praedominantem, Dei amorem conjunctum habet. — Elicitur v. g. his verbis: *Deus meus, quia propter peccata mea paradisum perdidi et infernum aeternum promerui, doleo supra omne malum me tibi displicuisse.*

Diximus 1° *communiter concipitur;* ut innuatur cum Tridentino (sess. 14. cap. 4), dari etiam alia attritionis motiva, prout sunt tristitia de amissione gratiae et amicitiae divinae, spes veniae, spes beatitudinis aeternae, amor Dei non praedominans, v. g. propter ejus beneficentiam et misericordiam: quae tamen omnia motiva sunt charitate inferiora.

Diximus 2° *ex consideratione turpitudinis peccati:* quae nimirum fiat non solum juxta dictamen rationis, sed juxta lumen fidei, puta, si peccator secum perpendat se, per peccatum spoliatum fuisse decore gratiae, se recessisse a virtutis rectitudine, se vitam ducere christiano indignam. Nisi enim supernaturalis consideratio dolorem commoveat, attritio non est supernaturalis.

Diximus 3° *vel ex gehennae et poenarum metu;* intellige metum: 1° *honestum*, i. e. non formaliter, sed solum materialiter servilem, quo excludatur voluntas peccandi, ut notavimus (n. 457. 2°); — 2° *supernaturalem*, quo timeatur poena, prout infligitur a Deo su-

[1] S. Th. *Suppl.* q. 5. a. 2. — [2] 3. q. 86. a. 5. ad 1. — [3] L. VI. 70.

Digitized by Google

premo peccatorum judice ac vindice. Qui enim ex metu morbi, vel infamiae ex peccato sibi provenientis, doleret, non doleret sicut oportet. (cf. n. 1667. 2°)

An sufficiat attritio concepta ex metu poenarum temporalium prout infliguntur a Deo? — « Alii *negant* cum Cano, Concina, etc., dicentes dolorem debere oriri ex timore poenarum aeternarum, quia cum aeterna sit poena peccati mortalis, poenitens debet dolorem peccatorum concipere ex timore aeterni mali. — Alii cum Lugo, Suarez, etc., communius et probabilius *affirmant*, ex his Concilii Tridentini verbis: « Attritio ex gehennae et poenarum metu concipitur. » Hic enim Concilium distinguit alias poenas a poenis inferni, in quibus profecto omnes aliae poenae includuntur. — « Sed quia prima sententia non potest dici improbabilis, in praxi non possumus amplecti secundam [1]. »

Diximus 4° *et aliquem initialem Dei amorem.* Docet enim Tridentinum (sess. 6. cap. 6), quod peccatores, dum ad justificationem disponuntur, « Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt ac propterea moventur adversus peccata, etc. » Hoc autem initium amoris jam habetur in attritione, tum per timorem divinae vindictae, juxta illud (Eccli. 25, 16): « Timor Dei initium dilectionis ejus; » tum per spem veniae et beatitudinis aeternae. Unde *D. Thomas* [2]: « Ex hoc, inquit, quod per aliquem speramus, nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus eum amare. » — Qui ergo cum attritione, et spe veniae, ad Sacramentum accedit, incipit, jam Deum ut suum liberatorem, justificatorem ac glorificatorem diligere [3].

1676. — **Principia.** I. Attritio, EXTRA SACRAMENTUM, non potest, per se, hominem justificare. — Constat ex Tridentino (sess. 14. cap. 4), ubi legitur: « Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen, etc. » — Ratio est, quia justificatio consistit in perfecta conjunctione cum Deo; sed attritus, licet a creaturis recedat, primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, nondum tamen est perfecte ad ipsum conversus, et per charitatem conjunctus [4].

1677. — II. Attritio SUFFICIT, tanquam praerequisita dispositio, ad obtinendam peccatorum etiam lethalium veniam, IN SACRAMENTO Poenitentiae. — Haec sententia est hodie moraliter certa, et opposita, quae requirit amorem praedominantem, non est amplius probabilis. — Probatur autem: 1° Ex Tridentino (sess. 14. cap. 4), ubi dicitur, attritionem *disponere ad justificationem* in Sacramento Poenitentiae.

[1] H. A. XVI. 17; L. VI. 443; cf. *Vindic. Alphons.* p. 5. q. 4. — [2] 1. 2. q. 40. a 7. — [3] L. VI. 442. *Objic.* 3. — [4] Ib. 440. *Objic.*

Digitized by Google

Quae verba non possunt intelligi, quasi attritio remote solum, sicut actus caeterarum virtutum, ad justificationem disponat; sic enim disponit etiam extra Sacramentum. Ergo disponit *proxime*, ita scilicet ut possit gratia per absolutionem infundi. — 2° Ex ratione: Sacramenta operantur actualiter quod significant. Ergo per se hoc evenire debet, ut, cum sacerdos absolutionem impertitur, eo ipso temporis puncto, peccata remittantur, et vita gratiae animae spiritualiter emortuae conferatur. Jam vero si dolori charitas praedominans inesse deberet, Sacramentum, per se, nunquam gratiam causaret, propterea quod omnes ad illud jam justificati accederent, cum, teste D. Thoma [1], omnis dolor, utut parvus, procedens ex charitate praedominante, sit vera contritio per se justificans; ergo Sacramentum Poenitentiae non posset amplius dici Sacramentum *mortuorum*, sed vivorum. Accedit *ratio finis*, ob quem institutum fuit Sacramentum. « Necesse fuit, ait Catechismus Romanus [2], ut clementissimus Dominus, faciliori ratione, communi hominum saluti consuleret. » Jam vero, si attritio non sufficeret cum Sacramento, res profecto non amplius ita se haberet [3]. Ergo. — Poenitens, qui est *actu attritus*, dicitur fieri sub absolutione *habitu contritus;* quia gratia, ideoque charitas, illi per absolutionem conferuntur, et sic efficitur habitualiter conversus ad Deum.

1678. — QUAERITUR. *Utrum qui*, IN MORTIS ARTICULO, *cum sola attritione confessus est, teneatur etiam ad eliciendam contritionem?*

Resp. « Affirmat prima sententia cum Suarez, Bonacina, etc. — Sed secunda sententia multo communior cum Lugo, Laymann, etc. *negat;* et Suarez appellat eam valde probabilem, quia dato quod certa sit sententia (ut ostensum est) sufficere ad confessionem solam attritionem, qui cum illa confessus est, jam est moraliter certus de divina gratia. — Haec secunda sententia est valde probabilis; sed non potest negari, quin prima omnino moribundis *suadenda* sit; tanto magis, quod in extremo vitae tenemur ad actum amoris, cui satisfieri non potest, nisi peccatum detestemur, cum memoriae occurrit, ut communiter docent [4]. »

ARTICULUS II.

DE PROPOSITO

1679. — DEFINITIO. Propositum, quod est altera pars contritionis, est fixum ratumque consilium vel decretum voluntatis, non amplius

[1] *Suppl.* q. 5. a. 3. — [2] *De Poenit.* n. 36. fin. — [3] H. A. XVI. 14-16. — [4] H. A. XVI. 11; L. VI. 437. dub. 2; cf. Sporer, *Theol. Sacram.* p. 3. c. 2. sect. 2. n. 192.

Digitized by Google

peccandi in posterum.—Est actus virtutis prudentiae. «Poenitentia, ait *S. Thomas* [1], respicit etiam peccatum futurum, secundum quod habet aliquid de actu prudentiae adjunctum... Et propter hoc ille qui conteritur, dolet de peccato praeterito, et cavet futurum.»

Divisio. Distinguitur DUPLEX propositum: alterum *explicitum* seu formale, alterum *implicitum* seu virtuale. — Prius habetur, cum quis de tempore futuro cogitans, consilium non amplius peccandi expresse init; posterius, cum quis actualiter de suis peccatis dolet, quin cogitationem ad tempus futurum extendat: in tali enim dolore voluntas non amplius peccandi jam includitur.

1680. — Principia. I. Propositum FORMALE, vel VIRTUALE non peccandi de caetero, est de essentia Sacramenti Poenitentiae.—Constat ex dictis de contritione; haec enim, ut sit appretiative summa, debet excludere omnem affectum ad peccatum, atque omnem peccandi voluntatem; hoc autem nihil aliud est quam propositum non amplius peccandi in futurum; ergo.

QUAERITUR. *An in Sacramento Poenitentiae sufficiat propositum* VIRTUALE *seu* IMPLICITUM *in dolore?*

Resp. Tres sunt sententiae. — Prima *negat* cum Scoto, Cano, Cajetano, etc., quia licet dolor necessario includat propositum tamen Tridentinum videtur requirere de facto formale propositum, dicens: « cum proposito non peccandi de caetero. » — Secunda cum Lugo, etc. *affirmat*, si nimirum dolor ex motivo universali eliciatur. Haec nititur pariter auctoritate Tridentini, dicentis, « quod attritio, si voluntatem peccandi excludit, cum spe veniae jam disponit hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento. » — Tertia demum sententia, quam tenet Holzmann, *distinguit* et dicit: Si poenitens nihil cogitat de futuro, ut contingere solet infirmis morti proximis, sufficit propositum implicitum. Secus autem, si de futuro cogitat: quo in casu, debet formaliter proponere emendationem, quia (juxta Tridentinum) quisque debet per poenitentiam novam inchoare vitam (Ita S. Alphonsus).

« Hae duae ultimae sententiae sunt quidem probabiliores; sed quia prima non caret sua probabilitate, in praxi ante factum TUTIUS sequenda est; » imo etiam post factum, si *certo* constet propositum explicitum defuisse: qui enim certo gravem culpam perpetravit tenetur de ea confessionem explere, non tantum probabiliter [2], sed etiam certo validam [3]. (cf. n. 427, Hinc 2°)—Attamen, ait Scavini [4],

[1] *Suppl.* q. 2. a. 4. — [2] Adverte extare hic dubium de *jure*, et quidem divino. — [3] L. VI. 450 (a 6ª edit.), ad cujus normam reformandus *Homo apost.* XVI. 26. fin.; cf. S. A. in Trid. sess. 14. n. 38. — [4] L. III. n. 292.

Digitized by Google

« in praxi de hoc nemo turbari debet; cum vix, ac ne vix quidem, eveniat ut poenitens vere contritus propositum etiam explicitum omittat, etsi ad hoc non reflectat: quod necesse non est [1]. »

1681. — II. Tres sunt conditiones veri propositi, ut sit nempe FIRMUM, UNIVERSALE et EFFICAX. — Ita omnes.

1° Propositum debet esse FIRMUM. Hoc autem importat, ut poenitens habeat voluntatem omnino deliberatam non relabendi in culpam, sitque animo dispositus, ut nullius mali timore, nullius boni cupidine, peccatum in posterum admittere velit. — Talis dispositio ad veram conversionem requiritur, ut patet; quia voluntas peccandi aboleri debet absolute, et pro quocumque casu [2].

QUAERITUR. *An propositum possit esse firmum cum* PRAEVISIONE *relapsus?*

Resp. 1° Qui *timet* relapsum, ob expertam suae voluntatis mutabilitatem, non ideo judicandus est carere proposito firmo; theologi enim communiter dicunt, seriam voluntatem non relabendi stare posse cum timore lapsus ex fragilitate humana. — Unde, certe erraret confessarius, qui poenitentem vere dispositum ideo absolvere renueret, quia eum relapsurum esse praevidet. — At contra,

Resp 2° Qui *certo credit* se relapsurum, non potest prudenter haberi ut dispositus. « Non nego, ait *S. Alphonsus* [3] contra plures, quod, speculative loquendo, bene posset consistere firmum propositum voluntatis cum cognitione relapsus; sed cum quis certo credit se relapsurum, practice certam suspicionem praebet propositum suae voluntatis non esse satis firmum; impossibile est enim, ut quis firmiter proponat se emendare, sciens quod Deus suam gratiam adjuvantem non denegat facienti quantum in se est, et his non obstantibus, credat certo se ad sua peccata rediturum. Unde, recte ait Croix, quod talis poenitens, priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret, non per vires suas, sed per Dei auxilium, a peccatis liberatum iri. » (cf. n. 539) — Ad probandam autem propositi firmitatem, « non opus est, imo NON EXPEDIT, particulares facere collationes: v. g. *mallem hoc vel illud malum subire, quam mortaliter peccare;* quia periculosae sunt. Et tanto minus expedit, eligere potius infernum; quia secundum praesentem Dei providentiam, cum infernus sit destinatus iis, qui sunt firmati in peccato per aeternum odium erga Deum, incongrue homo ad vitandum peccatum eligeret infernum, in quo non posset manere sine peccato [4]. »

[1] Cf. *Vindic. Alph.* p. 5. q. 6. — [2] Lib. VI. 451. — [3] Ibid. 451. — [4] Ibid. 433. 7°.

Digitized by Google

2° Propositum debet esse UNIVERSALE, saltem circa peccata mortalia. — Ita omnes cum S. Thoma[1]. — « Nec audiendi sunt nonnulli AA. qui autumant, sicut valet dolor particularis, ita valere etiam propositum particulare; nam respondetur, quod dolor particularis admittitur, quia dolor respicit sola peccata commissa; sed non potest admitti propositum particulare, quia quilibet debet esse paratus ad evitanda *omnia* peccata mortalia, *quae committere potest;* ideoque Tridentinum, loquens de dolore, ait: « Dolor est detestatio de peccato commisso; » sed loquens de proposito, dicit « cum proposito non peccandi de caetero. »

« Dictum est *circa peccata mortalia;* quia quoad venialia, certum est cum S. Thoma, sufficere, si poenitens proponat se abstinere ab aliquo (dicendo v. g. *propono non amplius mentiri*), quin proponat abstinere a caeteris. — Caeterum potest homo proponere evitare omnia peccata venialia deliberata; et in quantum ad indeliberata, sufficit proponere evitare ea quantum fert humana fragilitas, ut dicit idem Angelicus[2]. » (cf. n. 1667. 4°)

3° Propositum debet esse EFFICAX, id est, habere vim ad faciendum quod proponitur. — « Oportet igitur, ut poenitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam media adhibere ad peccatum vitandum, et signanter *occasiones proximas peccandi,* ut communiter docent[3]. » Sed de his longior erit sermo, ubi de officio confessarii. (cf. n. 1821)

Interim notetur: 1° « Non semper verum est, tunc solum propositum esse efficax, *quando efficitur id quod proponitur;* alias, quoties poenitens recideret, toties teneretur repetere confessiones; relapsus enim non semper est signum propositi infirmi, sed saepius tantum signum est mutatae voluntatis. Sic Petrus vere proposuit potius mori quam Christum negare, et tamen ad primam ancillae vocem negavit. » Ita *S. Alphonsus* contra Rigoristas[4].

2° Defectus veri propositi magis *ex neglectu mediorum,* quam ex multiplici relapsu dignoscitur; quia facilius est adhibere remedia, quam abstinere a peccato, propter vehementem in illud propensionem ex consuetudine[5]. — Quando autem relapsus in peccata habendus sit tanquam moraliter certum argumentum vitiosi propositi, infra explicabitur, ubi *de Recidivis.* (n. 1828)

CAPUT II.

DE CONFESSIONE

1682. — CONFESSIO SACRAMENTALIS est accusatio propriorum peccatorum, facta sacerdoti legitime approbato, ad eorum veniam vir-

[1] 3. q. 87. a. 1. ad 1. — [2] H. A. XVI. 25; L. VI. 451. 2°. — [3] Ibid. 451. 3°. — [4] Ibid. 3°. — [5] Cf. Billuart, *de Poenit.* diss. 6. art. 10. §. 6. *Obji.* 7.

Digitized by Google

tute clavium recipiendam. — *Virtute clavium* i. e. vi potestatis quam sacerdos a Christo Domino accepit remittendi peccata, aperiendo coelum et claudendo infernum[1]. (cf. n. 1651)

Ut omnia, quae ad hanc materiam spectant, convenienter pertractentur, loquemur: 1° de necessitate confessionis; 2° de ejusdem conditionibus; 3° de confessionibus invalidis atque iterandis.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS

Confessio praecipitur tum jure divino, tum jure ecclesiastico. Quare sequentia statuuntur

1683. — **Principia.** I. Confessio sacramentalis, de jure DIVINO, est omnibus post Baptismum in peccatum mortale prolapsis NECESSARIA ad salutem. — De fide enim est, confessionem esse divinae institutionis[2]. (n. 1650)

Hinc: 1° Nemo baptizatus potest salvari post lapsum gravem, quin habeat saltem votum implicitum confitendi; nemo enim potest salvari, quin velit omnia adimplere Dei mandata. (cf. n. 1652)

2° Soli baptizati, peccati mortalis rei, tenentur, per se, ad confessionem: sola enim peccata mortalia, commissa post Baptismum, sunt materia necessaria Sacramenti Poenitentiae. — Dicimus *per se,* quia per accidens fieri potest, ut solummodo venialium rei ad confessionem teneantur: v. g. ratione scandali, quod tempore praecepti suboriri posset; vel ratione periculi incidendi in praesumptionem, aut in peccata graviora, praesertim appropinquante mortis discrimine.

1684. — Hoc praeceptum: 1° Obligat *per se* in periculo, eoque magis in articulo mortis; item, in praevisione alicujus probabilis casus, qui facultatem postea confitendi adimere potest, ne scilicet contingat praeceptum hoc nunquam impleri, ac ne negligantur quae ex praecepto divino sunt ad salutem necessaria, inter quae recensetur sacramentalis confessio. — Sic *tenetur confiteri* « ingrediens periculosam navigationem vel conflictum; mulier tenera primum paritura, vel quae solet habere partus difficiles; reus morti adjudicatus; aeger, qui signa habet mortis naturalis; » item peccator, si probabiliter credat se non amplius habiturum copiam confessarii per totam vitam. — Secus vero, si timeat oblivionem tantum peccati[3].

[1] Cf. S. Thom. *Suppl.* q. 17 sqq. — [2] Cf. Panzuti, lib. 6. n. 269. — [3] L. VI. 665.

Digitized by Google

Dubium est *an obliget, per se, saepius in vita.* — Negant S. Thomas, Scotus et alii, quia potest peccator per contritionem Deo se reconciliare. — Sed communius *affirmant* Salmanticenses, Croix et alii... Et hoc videtur probabilius, quia (juxta dicta de simili praecepto nempe Communionis), cum praeceptum sit divinum, Christus reliquit illud determinandum ab Ecclesia, quae determinavit obligare saltem semel in anno [1].

2° Obligat *per accidens:* 1° si sumpturus Eucharistiam versatur in mortali (cf. n. 1548); — 2° si necessarium est ad superandam gravem tentationem, vel ad extirpandum pravum habitum; — 3° si quis debet esse in statu gratiae, v. g. ad recipiendum vel administrandum aliquod Sacramentum, et nequit elicere contritionem perfectam, vel de ea non est moraliter certus; — 4° si infra annum peccato mortali inquinatus non conteratur; confiteri enim tenetur ratione charitatis erga seipsum, ne diu maneat in mortali; commune tamen est, eum non obligari statim post peccatum [2]. (cf. n. 1647)

1685. — II. Praeceptum ECCLESIASTICUM, a Lateranensi IV Concilio editum, sic sonat: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere. » Quod praeceptum postea confirmatum est a Tridentino in sess. 14. cap. 5.

Dicitur 1° *Omnis fidelis*, intelligitur omnis baptizatus, etsi haereticus vel apostata, nisi eos impotentia excuset [3].

Dicitur 2° *postquam ad annos*, etc., intelligitur qui ad Dei cognitionem pervenit, saltem crasso modo, et aeternam sibi poenam per peccatum mortale promeruit. — Quare: 1° Pueri hoc praecepto tenentur, etiam ante septennium, si usum rationis jam adepti graviter peccaverunt. In dubio, absolvantur sub conditione, ne forte in mortali remaneant, et gratia sacramentali priventur. — 2° Errant graviter confessarii, qui sibi commissos pueros nunquam ante primae Communionis aetatem absolvunt; nam alia est discretio quae sufficit ad peccatum et ad confessionem, et alia quae requiritur ad Communionem [4]. Periculosum hunc usum alicubi vigentem aperte reprobavit Pius Papa IX [5]. (cf. n. 1663. qu. 5°, Reg. II)

Dicitur 3° *omnia sua peccata.* Hic quaestio movetur, *an teneantur confiteri in anno, qui eo anno non peccaverunt mortaliter.* — Affirmant Sylvester et alii cum S. Bonaventura; sed communis et verior sen-

[1] L. VI. 663. — [2] Ib. 437. dub. 1 et 663. — [3] H. A. XII. 35. — [4] L. VI. 432 et 666. — [4] Cf. *Analecta J. P.*, series 9ª. pag. 1008.

Digitized by Google

tentia *negat* cum S. Antonino, Suarez, etc., quia Ecclesia praecipiendo confessionem praecipit eam, quae facienda est juxta Jesu Christi institutionem. Dominus autem non praecipit nisi confessionem mortalium, ut declaravit Tridentinum (sess. 14. cap. 5). Atque hoc ipsum deducitur ex allato textu *Omnis utriusque;* nam praecipiendo confessionem omnium peccatorum, certe intelligit confessionem mortalium tantum; quia certum est apud omnes, non esse obligationem confitendi omnia venialia [1].

Dicitur 4° *semel in anno.* « Hic annus proprie deberet incipere a januario et terminare in decembri; sed, juxta communem consuetudinem, accipitur a Paschate ad Pascha [2]. » — Unde: 1° Qui inchoato jam tempore Paschatis, praevidet sibi in posterum non fore commoditatem confitendi toto anno, debet confessionem praevenire, si mortaliter peccaverit, quia contraxit jam obligationem. — 2° Qui autem praecepto, intra annum, etsi involuntarie, non satisfecit, tenetur, ex probabiliori et communiori sententia, satisfacere, *quamprimum,* anno insequenti; quia terminus non apponitur ad finiendam, sed ad urgendam obligationem; ac proinde quoties occasionem oblatam negligit, toties peccat mortaliter, prout probabiliter dicunt Suarez, Lugo, etc.: et ratio est, quia « illud peccatum non perseverat in aliquo effectu, sed tantum in malo proposito, propter quod jam multiplicantur peccata, cum per longum tempus perdurat [3]. » Opposita tamen sententia, quae unum dicit esse peccatum, non est contemnenda. (cf. n. 328, Reg. 2ª)

Dicitur 5° *fideliter confiteatur;* ideoque non satisfit per confessionem invalidam, et tanto minus per sacrilegam. Propterea, merito damnata est ab Alexandro VII propositio 14ª quae dicebat: « Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae [4]. » — Nec satisfit, ut recte advertit Gousset [5], per confessionem, in qua non datur absolutio; quia reconciliatio cum Deo praecipitur, non autem nova peccatorum accusatio.

Dicitur 6° *proprio sacerdoti,* scil., cuilibet sacerdoti *approbato* [6]. « Sacerdos proprius, ait Angelicus [7], non solum est parochialis, sed etiam Episcopus vel Papa; unde, qui confessus est Episcopo suo, vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio sacerdoti. » Et S. C. Episc. declaravit anno 1584, quod si Episcopus juberet, ne quis Confessarius in Paschate audiret confessiones poenitentium sine licentia Curati, talis decreti nulla esset ratio habenda [8].

[1] H. A. XII. 35 et L. VI. 667. — [2] H. A. ibid; L. VI. 662. — [3] L. VI. 668; H. A. XII. 36. — [4] H. A. XII. 35; L. VI. 672. — [5] *Theol. mor.* II. n. 414. — [6] L. VI. 564 et 574. — [7] *Opusc.* XIX. *contra impugnantes Relig.* cap. 4. vers. fin. — [8] Bened. XIV. *De Syn.* L. 11. cap. 14.

Digitized by Google

1686. — Quaesita. QUAER. 1° *Quinam* EXCUSENTUR *a confessionis praecepto?*

Resp. Excusantur: 1° Qui versantur in impotentia physica: v. g. qui non habent copiam confessarii, vel qui confessarii idiomatis absolute ignari sunt; 2° qui versantur in impotentia morali: v. g. qui prudenter timent revelationem sigilli, qui non possunt sine notabili incommodo vitae, fortunae, etc. Remota autem causa, tenentur *quam primum* implere praeceptum. — Non excusantur infirmi, apud quos confessarius advocari potest[1].

QUAER. 2° *An poenitens, qui anno sequenti confitetur peccata anni praeteriti, satisfaciat praecepto utriusque anni?*

Resp. Alii affirmant, alii vero negant. Sed verior sententia sic distinguit: 1° Si ipse confitetur peccata mortalia tam praeteriti quam praesentis anni, satisfacit utrique obligationi; quia adimplet totum praecepti finem, qui est reconciliatio cum Deo. — 2° Si confitetur tantum peccata gravia praeteriti anni: v. g. quia in currenti anno non habet nisi venialia, non satisfacit nisi pro anno praeterito. — Unde, si post peractam confessionem labitur in peccata mortalia, tenetur iterum confiteri, ut ita praecepto anni praesentis satisfaciat[2].

QUAER. 3° *Quaenam sint* POENAE *in transgressores latae?*

Resp. In cap. *Omnis utriusque* sic sancitum est: « Alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura. » Sed illae poenae non incurruntur nisi post judicis sententiam. — Impuberes universim excusantur, ex communi DD. interpretatione[3].

Nota. Plures DD. dicunt, *Religiosos* et *Moniales* teneri sub gravi confessionem instituere QUOLIBET MENSE, etsi gravibus peccatis non forent obnoxii, ex Clementina *Ne in agro*, §. *Sane. De statu monach.* — Sed communius docetur, id non esse grave, nisi constet Religionis constitutiones obligare sub gravi. Imo, Suarez dicit praefatum decretum non importare praeceptum, sed tantum consilium. Et idem innuit Tridentinum, sess. 25. cap. 10, tum pro confessione, tum etiam pro Communione[4].

ARTICULUS II.

DE CONDITIONIBUS CONFESSIONIS

1687. — Quatuor sunt confessionis conditiones, videlicet: debet esse VOCALIS, SECRETA, VERA et INTEGRA[5]. — De tribus primis conditionibus pauca dicenda sunt; plura vero de quarta.

[1] L. VI. 673. — [2] Ib. 669; H. A. XII. 37. — [3] L. VI. 674; H. A. XII. 38. — [4] H. A. XVI. 2. — [5] Cf. S. Thom. *Suppl.* q. 9. a. 4, ubi 16 conditiones requiruntur ad confessionem *perfectam*.

Digitized by Google

I. Confessio debet esse VOCALIS, i. e. non debet fieri scripto aut signo, sed ipsius poenitentis voce, ut constat tum ex usu communi Ecclesiae, tum ex Bulla Benedicti XI *Inter cunctas*, in qua (§. 1) dicitur: « Nisi articulus necessitatis occurrat, sacerdoti facienda est oris confessio. » — Excipe, si habeatur gravis causa, v. g. nimiae et extraordinariae verecundiae, aut linguae impeditae et hujusmodi: quia, in tali casu, sufficit, postquam confessarius confessionem legerit, ut dicat poenitens: « Me accuso de omnibus istis peccatis. » Ita communiter [1].

Notetur: 1° Qui non potest voce confiteri, v. g. mutus, tenetur saltem confiteri per signa aut scripturam, quoties id commode et sine periculo facere potest. Ratio, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media non difficilia [2]. Et ita docet sententia probabilior et communior cum S. Thoma [3]. — 2° Qui sine gravi causa, *totam* confessionem facit nutu vel scripto, peccat mortaliter, ac consequenter non absolvitur, nisi bona fide excusetur [4].

1688. — II. Confessio debet esse SECRETA, seu *auricularis*, i. e. fieri soli sacerdoti, non quidem ex necessitate Sacramenti, sed ex usu Ecclesiae. — Confessio *publica* autem *per interpretem* est quidem licita, si fiat ex rationabili causa, et abusus praecaveatur; sed non videtur unquam obligare, per se, vi praecepti divini, aut ecclesiastici: unde nunquam imponenda est [5]. — Excipe, si peccator in articulo mortis constitutus, et non valens secreto confiteri, dubitaret an sit perfecte contritus; in hoc casu teneretur, ex charitate sibi debita, id quod tutius est eligere; sed sufficeret cum attritione universali confiteri unum alterumve peccatum minus infamans, aut etiam culpam tantum venialem [6].

Notetur: 1° Confessio publica, quae olim in Ecclesia vigebat, non erat sacramentalis, nisi in quantum imponebatur tanquam satisfactio et reparatio pro peccatis prius sacerdoti confessis. — 2° Si quis velit per interpretem integre confiteri, curandum est, ut responsa signis potius quam vocibus dentur, ita scilicet ut interpres illa non intelligat. Monendus est etiam interpres de obligatione servandi secretum.

1689. — III. Confessio debet esse VERA, seu *fidelis*, i. e. nulla hypocrisi aut falsitate maculari, ita ut poenitens non deficiat in peccatis commissis rite declarandis, neque excedat in iis exaggerandis, vel in fictis culpis adjiciendis. — Haec sinceritas requiritur absolute in materia gravi ac necessaria; secus vero, in materia libera, aut non necessario ad praesens confessarii judicium pertinente.

Hinc: 1° Est peccatum GRAVE continens malitiam perniciosi mendacii et sacrilegii, peccatum mortale nondum confessum in con-

[1] H. A. XVI. 27; L. VI. 429. 493. — [2] L. VI. 479; cf. *1 Elench. qq. ref.* n. 78. — [3] In 4. dist. 17. qu. 3. a 4. solut. 3. ad 2m. — [4] L. VI. 429. 493. — [5] Cf. *Collect. S. Sedis.* n. 476-479. — [6] H. A. XVI. 27. 35; L. VI. 494.

Digitized by Google

fessione inficiari vel ita tegere, ut a confessario non possit intelligi; vel certo mortale confiteri tanquam dubium; vel mortalium numerum augere, nisi forte hoc fiat ex scrupulo, ex animi perturbatione, aut simplicitate, ut saepius accidit.

2° Est per se VENIALE, falso se accusare de peccato levi, quod non commissum est; vel peccatum veniale, quod commissum est, negare; item, negare peccatum mortale, quod jam accusatum est; vel falsam narrare historiam, quae confessioni est extranea. Per accidens vero talia mendacia forent peccata mortalia et irritarent Sacramentum, si poenitens negaret quae fateri tenetur ad confessarii judicium rite formandum, puta respectu pravi habitus, occasionis proximae, si fictam absolutionis materiam afferret, etc. [1]

3° Non est peccatum, nec officit sinceritati, per se loquendo, « si quis subinde gravius lapsus, id alteri prius confiteatur, et deinde ordinario suo venialia tantum; nisi tamen ea occasione maneat in morali occasione peccandi, aut ideo circumeat, ut liberius peccet; tunc enim graviter peccabit, et ob defectum attritionis, confessio erit nulla [2]. »

QUAERITUR. *Utrum necessario distinguenda sint peccata* JAM CONFESSA *a peccatis* NON CONFESSIS?

Resp. Neg. per se. Secus vero, si hoc *necessarium* foret « ob proximam removendam occasionem, aut ob casum reservatum, aut ob aliam circumstantiam, » puta ut confessarius justum judicium ferre et congruam poenitentiam imponere possit (cf. n. 1716). « Tutius tamen est nova ab antiquis secernere [3]. »

1690. — IV. Confessio debet esse INTEGRA, i. e. debet comprehendere omnia, quae, ex voluntate Christi, in sacramentali confessione declaranda sunt. (cf. n. 1656)

Duplex distinguitur integritas, materialis scilicet et formalis. Confessio est *materialiter* integra, quando in ipsa exponuntur omnia et singula peccata mortalia post Baptismum commissa, et nondum directe, vi clavium, remissa. — Est *formaliter* integra, quando poenitens declarat sincere omnia, quae hic et nunc, spectatis circumstantiis, accusare potest ac tenetur, quamvis aliqua peccata ex oblivione, vel ignorantia invincibili, aut ob aliam justam causam omittantur.

Cum autem haec quaestio magni sit momenti, diligenter perpendenda est. Atque idcirco agendum est: 1° de integritate materiali; 2° de integritate formali; 3° de modo procurandi integritatem.

[1] L. VI. 495-497; H. A. XVI. 28. — [2] L. VI. 471. 5°. — [3] H. A. XVI. 4; L. VI. 425; cf. Lugo, Disp. XVI. n. 46.

Digitized by Google

§. 1. *De integritate materiali confessionis.*

1691. — **Principia.** I. Integritas MATERIALIS in confessione NECESSARIA est ex praecepto divino, non vero ex necessitate Sacramenti. — Ita omnes. — PRIMUM constat: 1° Ex Tridentino, sess. 14. can. 7: « Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae, ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant: anathema sit. » 2° Ex ratione; nam, sine tali integritate, nec judicium sacramentale recte exerceri, neque aequitas in statuendis poenis servari potest [1]. — SECUNDUM probatur ex his ejusdem Concilii verbis (sess. 14. cap. 5): « Reliqua peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. » Ex qua declaratione liquet, sufficere quandoque integritatem formalem, nec semper requiri materialem (cf. n. 1697).

Ex his deduces: 1° Praeceptum integritatis materialis, cum sit positivum, admittit nonnunquam causas excusantes, ipsique sicut aliis praeceptis positivis, applicari potest illa regula generalis: « Lex dubia non obligat. » — 2° Per accidens tamen, seu indirecte, integritas materialis etiam ad valorem Sacramenti requiritur, toties nempe quoties physice et moraliter haberi potest. Ratio est, quia transgressio praecepti, ubi fit voluntaria et culpabilis, tollit etiam integritatem formalem, et sic redundat in defectum essentialem, redditque confessionem invalidam et sacrilegam.

1692. — II. Ut confessio sit materialiter integra, EXPRIMI DEBENT omnium peccatorum mortalium species et numerus, circumstantiae mutantes speciem, actus peccati externus, effectusque peccati moraliter malus. — Constat ex praelaudatis Tridentini verbis, et ex aliis infra exponendis argumentis [2].

Diximus 1° *species*, scilicet infima, qualis exponitur in Tractatu *de Peccatis* (n. 324); alioquin non declararentur peccata mortalia uti sunt, cum non omnia in uno genere malitiae conveniant. Hinc damnata est ab Alex. VII propos. 25ª: « Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. » — Qui autem non potest speciem infimam patefacere, tenetur

[1] L. VI. 465. — [2] Ib. 465-470; H. A. XVI. 29.

Digitized by Google

patefacere superiorem, seu genericam: v. g. si quis scit se contra castitatem peccasse, sed non recordatur de peccato specifico, tenetur dicere se graviter contra castitatem deliquisse. — Item, qui scit se peccasse mortaliter, sed ignorat vel ipsam genericam peccati speciem, debet dicere se peccasse graviter, non recordari autem cujus peccati sit reus.

Diximus 2° *numerus;* ait enim Concilium, confitenda esse *singula peccata.* Itaque si numerus certus haberi possit, ita indicandus est, ut nec augeatur, nec minuatur. — Si certus haberi nequeat, indicandus est verisimilior, adjecta hac voce *circiter.* — Si verisimilior haberi non possit, sufficit dicere, quoties circiter peccatum commissum fuerit, in die, in hebdomade, in mense, vel etiam in anno. — Sed si neque hoc indicari possit, saltem dicendum, an semper consensus datus fuerit, et an tentatio vel occasio talis peccati saepe occurrerit [1]. (cf. n. 1705)

Notetur autem: 1° Qui post confessionem in bona fide peractam, detegit numerum verum esse *majorem* illo approximativo, quem cum particula *circiter* denotavit, non tenetur numerum verum denuo confiteri, quoties ille in approximativo continebatur. Id autem dijudicandum est ex arbitrio prudentum. — En NORMAM quam tradit S. Alphonsus [2]: « Circa ter, intellige bis vel quater; circa 10, intellige 8 vel 12; circa triginta, 27 vel 33; circa centum, 95 vel 105; circa mille, 950 vel 1050. » Ex qua generali norma concludes, inclusum numerum eo magis increscere, quo major fuerit numerus per particulam *circiter* denotatus. — 2° Qui detegit numerum esse *minorem*, non tenetur se retractare; tum quia numerum bona fide exaggerando non peccavit, tum quia sic nemini nisi sibi soli nocuit. — 3° Qui numerum certum sine particula *circiter* expressit, dicendo v. g. *blasphemavi ter*, et postea recordatur se quater blasphemavisse, tenetur omissam hanc vicem declarare, quia non erat in accusatione inclusa.

Diximus 3° *circumstantiae mutantes speciem;* de fide est enim, has etiam declarandas esse cum numero et specie peccatorum, ut constat ex Tridentino (loc. cit.); et ratio est, quia constituunt specialem malitiam. — Intellige, si diversae speciei malitia, quam circumstantia inducit, gravis sit; nam si sit levis, v. g. levis irreverentia illius, qui in ecclesia surripit librum alterius, necesse non est, prout de venialibus statuitur, eam in confessione exprimere. — Atque hoc idem dicendum est de illis circumstantiis, quae vocantur *generales*, ut sunt ingratitudo erga Deum, inobedientia,

[1] H. A. XVI. 103. IV. — [2] L. VI. 466.

Digitized by Google

acedia, etc.; nam eo ipso quod sunt generales et cuivis peccato mortali communes, per se jam intelliguntur. Secus tamen, si formaliter et reflexe intenderentur [1]. (cf. n. 180. qu. 2. et n. 302)

Diximus 4° *actus externus peccati;* quia actum internum perficit et ab eo differt moraliter; unde, sine declaratione actus externi (v. g. fornicationis) confessio peccati non foret integra [2]. — Insuper, absque declaratione actus externi confessarius non posset, plerumque, fungi suo munere, ut par est, circa absolutionem concedendam, vel differendam, monita praebenda, etc. — Constat etiam ex universali fidelium consuetudine, quae legem in hoc sensu explicat. (cf. n. 328)

Diximus 5° *effectusque moraliter malus*, qui nempe secutus est ex causa advertenter posita, et non retractata. Sic v. g. qui vulnus lethale inflixit, ex quo mors secuta est, debet dicere: *Homicidium commisi.* Item, qui se inebriavit, praevidens se ob ebrietatem omissurum esse Missam, tenetur confiteri tum ebrietatem tum omissionem Sacri. Ratio est, quia talis effectus, utpote malus et indirecte volitus, est peccatum in se, juxta veriorem sententiam, ideoque pro ejus accusatione eadem ratio militat, ac pro accusatione actus externi peccati. (cf. n. 314) — Excipitur, si ante effectum perversa voluntas retractata fuerit; quia in hoc casu effectus sequitur mere materialiter nec est moraliter malus; unde, probabile est poenitentem non teneri illum confiteri [3]. (cf. n. 322. qu. 2°; n. 760. qu. 5°; n. 796)

His explicatis, restat ut duas magni momenti quaestiones expendamus: nimirum 1° an declarari debeant circumstantiae notabiliter aggravantes, intra eamdem speciem? 2° an declarari debeant peccata dubia?

I. — De circumstantiis aggravantibus.

1693. — Circumstantiae dicuntur *notabiliter aggravantes*, quando malitiam actus peccaminosi intra eamdem speciem non leviter adaugent; v. g. ratione durationis, intensitatis, gradus, modi, temporis, personae, loci, etc.

Jam vero, certum est, circumstantias aggravantes esse quandoque declarandas: — 1° ratione *censurae*, aut reservationis, v. g. si furtum reservetur quando pertingit ad talem quantitatem; si percussio clerici fuerit gravis vel enormis, etc.; — 2° ratione *numeri* peccatorum, et sic declaranda est circumstantia diuturnitatis tem-

[1] Suarez, Disp. 22. sect. 4. n. 15. — [2] Cf. L. V. 42; S. Th. 1. 2. q. 72. a. 7. et Lugo, disp. 16. n. 437. — [3] Cf. L. IV. 149 et V. 10; cf. Salm. tr. 20. cap. 10. n. 28; Lugo, Disp. 16. n. 439.

Digitized by Google

poris, per quod odium perduravit, aut concupiscentia in mulierem; quia, ex passionis natura, longius spatium fit circumstantia multiplicans peccata, ut visum est in Tractatu *de Peccatis* (n. 328); — 3° ratione *necessariae directionis*, nempe cum confessarius interrogat de consuetudine, de occasione, vel etiam de restitutionis obligatione[1]. Ita omnes. (cf. 1689)

Ast, praecisa hujusmodi ratione, quae est *per accidens*, graviter hinc inde disputant Theologi, *an necessario, et per se, aperiendae sint circumstantiae* NOTABILITER AGGRAVANTES. — Tres adsunt sententiae probabiles. — PRIMA, quam tenent Suarez, Sotus, Gonet, Sanchez, Concina, etc., et cui suffragari videtur Catechismus Romanus cum Rituali, affirmat dicens, eamdem rationem, quae obligat ad aperiendas circumstantias mutantes speciem, obligare etiam ad aperiendas circumstantias aggravantes, eo quod utraeque confessarii judicium notabiliter mutent. — ALTERA, quam tenent Laymann, Sporer, Busenbaum, etc., affirmat similiter, sed restringit obligationem ad illas solummodo circumstantias, quae respiciunt integritatem substantialem peccati in individuo, ut est quantitas furti, et gradus conjunctionis in incestu; secus enim (aiunt) confessarius non potest sibi debitum judicium de peccati substantia formare. — TERTIA tandem sententia communior et probabilior, absolute *negat* cum S. Thoma, S. Antonino, S. Bernardino Senensi, Scoto, Navarro, Lugone, Salmanticensibus, et aliis non paucis. Ratio est: — 1° quia Concilium Tridentinum non alias memorat circumstantias aperiendas praeter eas, quae peccati speciem mutant; ergo non obscure videtur innuere, earum manifestationem sufficere ad hoc, ut Confessarius rectum sibi efformet judicium de gravitate criminum, et de poena imponenda. Hic enim non omnimoda, sed quaedam tantum aequalitas requiritur; — 2° quia alias poenitentes semper inter angustias fluctuarent, cum semper dubitare possent de integritate confessionum suarum, in determinando quae circumstantiae sint, et quae non sint notabiliter aggravantes; — 3° maxime quia nemo debet obligari ad servandam *legem dubiam*, ut saepe diximus; atqui lex confitendi circumstantias notabiliter aggravantes est saltem dubia, cum hinc inde disputent gravissimi Doctores: ergo[2].

Nec obstat hic dicere, quod in Sacramentorum materia non possumus sequi opiniones solum probabiles; quia hoc procedit, cum agitur de valore Sacramenti, secus de integritate; et in quantum ad valorem, certum est sufficere integritatem formalem[3].

[1] L. VI. 467-468. v. *Nec obstat*, et n. 585. dub. 3. — [2] L. VI. 468 — [3] H. A. XVI. 29. fin.

Digitized by Google

1694. — *Notamus:* 1° Expedit ordinarie, circumstantias notabiliores in confessione aperire; id enim confert non solum ad majorem animi pacem et humilitatem, sed etiam ad uberioris gratiae consecutionem. Utiliter igitur adhortandi sunt Christifideles, ut tales circumstantias generatim aperiant, tametsi ad id non obligentur. — Excipe tamen materiam turpem, in qua hoc perraro expedit. Imo confessarius foret poenitenti scandalo, et ipse sibi periculum crearet, si istiusmodi circumstantias, sine justa causa, exquireret.

2° « Ex circumstantiis *minuentibus*, illae tantum explicandae sunt, quae vel omnino tollunt malitiam, vel ex mortali faciunt veniale, ut parvitas materiae, indeliberatio, etc. (v. g. si die Veneris ignorans comedisses carnem), vel alioqui notabiliter mutant judicium confessarii, saltem quoad speciem [1]. »

QUAERITUR. *An debeat poenitens declarare numerum* PERSONARUM *quibuscum peccavit?*

Resp. Neg., per se. — Ratio est, quia sufficit declarare numerum peccatorum cum variis suis speciebus; peccatum autem non mutat speciem, ex eo quod cum pluribus patratum fuerit. — Hinc, qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendo, se ter fornicatum esse: nec tenetur dicere, an fuerint meretrices, an aliae. — Attamen, si versetur in proxima occasione peccati, v. g., quia cum eadem persona pluries peccavit, tenetur talem circumstantiam aperire. Ita communiter cum Bonacina [2], Croix [3], etc.

Nota. An manifestari debeat circumstantia *temporis sacri*, quo peccatum commissum est, vide n. 580. fin. — An *gradus* in incestu, vide n. 786.

II. — De peccatis dubiis.

1695. — Poenitens dubitare potest: 1° Utrum peccatum certe commissum confessus sit; 2° Utrum grave peccatum certe confitendum commiserit, incertus scilicet vel de ipso facto, vel de gravitate facti. — Quocirca sequentes statuendae sunt regulae [4]:

Regula 1ª Si dubitatur an peccatum certe commissum, fuerit *in confessione declaratum*, declarandum est. Ratio est, quia certa confessionis obligatio, in hoc casu, possidet; nec proin ipsi satisfit per confessionem dubiam. Atque in hac sententia conveniunt omnes, si agitur de dubio negativo. — Quodsi dubium est *positivum*, ita scilicet ut peccati confessio aeque probabilis sit ac ejus praetermissio, quamvis plures obligationem confessionis negent, S. Alphonsus tamen eam affirmat, hac innixus ratione, quod obligationi certae non satisfit nisi per impletionem saltem moraliter certam [5]. (cf. n. 96 et 97) « Nec tamen reprobo, subdit B. Doctor [6], quod illi

[1] L. VI. 471. 6°. — [2] *De Poenit.* qu. 5. diffic. 3. n. 14. — [3] Ib. n. 1040. — [4] Cf. L. VI. 473-478; sed cf. *Istruz.* XVI. 30-34, ubi posteriores emendationes; item *Conf. diretto*, XIV. 12 et XV. 17. — [5] 2 *Elench. qq. ref.* n. 16 et 18. — [6] H. A. XVI. 33; L. VI. 477 (a 5ª edit.).

Digitized by Google

AA. tradunt, nempe quod ille qui *diligens fuit* in suis peccatis confitendis, si postea dubitat an aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum sit tempus, a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum possit credere, eo casu, *moraliter certe* jam de illo confessum fuisse. Et subjungit Concina: « Illi qui diutius vitam rectam duxerunt, licet antea in vitiis habituati fuerint, si postea ipsi dubitant aliquod peccatum aut circumstantiam omisisse in confessione generali, aut particulari, debita diligentia praecedente, confessarius debet imponere, ut amplius de illis non confiteantur, et ut nunquam animum ad illa addicant. » — Si agatur de scrupulis, vide n. 1838.

Regula 2ª Si dubitatur, *an peccatum fuerit commissum*, an pertingat *ad mortale*, et post debitam inquisitionem, dubium vinci nequeat: non datur, ex sententia probabiliori, sive dubium sit negativum, sive etiam positivum (ex conjecturis fere aequiprobabilibus), non datur, inquam, obligatio, per se, peccatum hujusmodi confitendi. Ratio est: 1° quia Concilium Tridentinum non jam imponit, ut supponunt adversarii, confessionem peccatorum ut sunt in conscientia, sed peccatorum, quorum (poenitentes) habent conscientiam, i. e. certam scientiam seu memoriam; — 2° quia non est pro delicto dubio onus certum imponendum, nec in dubio an lex existat, obligatio legis adest, ut sapienter ait Benedictus XIV [1]. Et hoc currit, etiamsi quis vellet communicare, ut jam diximus (n. 1548. dic. 2°) [2].

Dictum est *per se*, nam: 1° in articulo vel periculo mortis, si quis positive dubitet, an reus sit peccati gravis, « debet aut contritionem elicere, aut accipere absolutionem, confitendo saltem aliam materiam certam [3]. » — 2° In dubio practico, an aliquid sit licitum nec ne, poenitens debet consilium petere, ne postea in mala fide operetur, et graviter peccet. (cf. n. 42)

1696. — Admonet *S. Alphonsus* [4], scribens: 1° In praxi (ordinarie loquendo) consultius est poenitentibus *suadere*, ut ad majorem suae conscientiae quietem, omnia peccata dubia confiteantur, modo non sint scrupulosi. — 2° Qui sunt *timoratae conscientiae*, et a multo tempore nunquam, aut nonnisi perraro mortaliter peccarunt, cum dubitant an tentationi consenserint, praecipue si recordantur se irruente tentatione, restitisse; aut cum dubitant an fuerint in perfecta vigilia: hi possunt pro certo tenere, se non peccasse mortaliter, cum moraliter impossibile sit, voluntatem in bono proposito

[1] *Instit. seu Notif.* 80. n. 19. — [2] H. A. XVI. 30 *(Istruz.* ubi accuratius); L. VI. 473. — [3] Ibid. — [4] H. A. XVI. 32; L. VI. 476.

Digitized by Google

obfirmatam immutari, quin istiusmodi immutatio clare innotescat. — 3° Si *peccatores*, qui ex pravo habitu tentationibus consentiunt, dubitant an consenserint, consensisse praesumuntur, et tenentur confiteri; quia, si restitissent, de conatu in tentatione repellenda utique recordarentur. — Merum igitur dubium de consensu praestito, vel negato, vix unquam subsistit. (cf. n. 337. q. 3°)

QUAERITUR. *An qui confessus est aliquod peccatum mortale uti* DUBIUM, *teneatur postea illud repetere, quando uti* CERTUM *agnoscit?*

Resp. Dist. 1° Si dubium fuerit de *existentia* facti, tenetur illud repetere, juxta communissimam et veram sententiam. Et ratio est, quia non fuit explicata tota peccati substantia; nam fuit declaratum duntaxat ut dubium, cum tamen fuerit certo commissum. Unde scribit *Dom. Viva* [1]: « Sententia negativa, quam sequebatur Pater Pellizzarius, quamvis non sit damnata, nihilominus ab eo codice (tract. 5. c. 3. n. 56) est expurgata a S. INDICIS Congr., quae non vult illam tolerare; quare, in praxi ab ea abstinendum. »

2° Si dubium fuerit de *qualitate* peccati, i. e. si poenitens confessus sit peccatum, cujus vel ipse, vel confessarius, vel uterque nesciebat gravitatem, sed postea, lectis vel auditis Theologis, mortale esse cognovit, non tenetur illud repetere; quia nulla occurrit circumstantia, quae non fuerit expressa, nec opus est ut confessarius determinate sciat, utrum peccatum quod audit, sit mortale, nec ne. Ita communissime [2].

§. 2. *De integritate formali.*

1697. — Integritas FORMALIS, sicut dictum est (n. 1660), in eo consistit, ut poenitens confiteatur omnia peccata, quae, spectatis circumstantiis, moraliter confiteri potest. — Haec, ut palam est, non implet totam legem, sed partem legis hic et nunc possibilem, cum onere supplendi defectum, remoto impedimento [3]. Rem dilucidabunt sequentia

Principia. I. Sufficit integritas formalis, quotiescumque poenitens versatur in impotentia PHYSICA praestandi integritatem materialem. Ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur. (Recole dicta n. 221 et sqq.) — Porro, OB IMPOTENTIAM PHYSICAM, praeter eos qui peccata ignorant, vel obliti sunt, excusantur:

1° *Moribundi*, vel alii in periculo mortis positi, ob temporis defectum vel mentis deliquium [4]. De his peculiariter agemus infra (n. 1720. 2° et n. 1854. 5°).

[1] *De Sacr. Poenit.* q. 2. a. 3. III. — [2] L. VI. 478; H. A. XVI. 34. — [3] H. A. XVI. 35. — [4] L. VI. 487; H. A. ib. 39.

Digitized by Google

2° *Muti*, ob defectum loquelae. Hi igitur, significato per nutus uno alterove peccato, possunt absolvi, tum tempore mortis, tum tempore praecepti paschalis. — Attamen, si scriptura vel signis omnia peccata patefacere valent, ad id tenentur; modo absit manifestationis periculum, aut aliud grave incommodum, ut jam dictum est (n. 1687).

3° *Surdi*, qui confessario respondere nequeunt, neque omnia sua peccata declarare sciunt. — Secus vero *surdastri;* hi enim debent duci in aliquem locum remotum; adhibitis tamen debitis cautelis quoad tempus et locum, si agatur de feminis.

4° *Ignari idiomatis* regionis, in qua versantur, et quibus non est copia confessarii, a quo possint intelligi. Hi, si signis dolorem de suis peccatis manifestant, possunt, sicut muti, tempore praecepti, vel alius necessitatis, absolvi. — Nec tenentur uti interprete, ut supra ostensum est[1] (n. 1688).

1698. — II. Sufficit pariter integritas formalis, si poenitens sit in impotentia MORALI instituendi confessionem materialiter integram. — Ratio est, quia praeceptum confessionis, cum sit positivum, non obligat cum gravi incommodo confessioni extrinseco. (cf. n. 223) — Dicimus *extrinseco;* nam, nulla difficultas ipsi confessioni intrinseca, quantumvis gravis, unquam excusat, quia confessio est suapte natura laboriosa. Unde, si intrinseca difficultas excusaret, evanesceret ejus praeceptum.

Porro, MORALIS IMPOTENTIA tunc haberi censetur, cum duae conditiones verificantur. — Prima est, cum urget necessitas confitendi: v. g. quia satisfaciendum est praecepto paschali, vel quia sumptio Eucharistiae, aut Missae celebratio, non potest omitti sine nota infamiae aut scandalo; vel etiam quia secus poenitens deberet manere in mortali, licet per unum tantum diem. — Altera est, si ex declaratione omnium peccatorum mortalium, apud hunc sacerdotem, grave damnum spirituale vel temporale immineret poenitenti, aut confessario, aut alicui tertio[2]. — EXCUSAT ergo, in praefata necessitate:

1° Periculum *vitae* poenitentis, confessarii, aut tertii: v. g. si tempore pestis ipse sacerdos prudenter timeat infectionem, nec ideo sinat poenitentem integre confiteri; si adveniant hostes v. g. immediate ante pugnam: quo casu, possent omnes, exhibito aliquo generali signo contritionis et confessionis, unica hac absolutionis forma absolvi: Ego vos absolvo, etc.[3]

[1] L. VI. 479; H. A. XVI. 35. — [2] L. VI. 487; H. A. XVI. 39. — [3] L. VI. 485. 486.

Digitized by Google

2° Periculum *scandali* vel *lapsus*, tum ex parte poenitentis, tum ex parte confessarii: v. g. si mulier certe cognosceret maximam confessarii fragilitatem, etc.

3° Periculum *revelationis*, seu violationis sigilli: v. g. si confessarius nequeat integre confiteri, quin peccata alicujus personae in confessione audita manifestet; — item, si confiteatur surdaster, aliis adstantibus; vel si confiteatur graviter vulneratus, aut mulier parturiens, qui a servientibus relinqui non possunt; vel si poenitens ex gravi causa timeat, ne confessarius legem sigilli infringat. Hic autem casus, si unquam contingere dicendus sit, est rarissimus.

4° Periculum *famae:* v. g. si sacerdos mox celebraturus, et confessione generali indigens, non posset integre confiteri, quin adstantes rem suspicarentur. — Idem dic de infirmo ante delationem SS. Sacramenti confesso, et jamjam per S. Synaxim reficiendo, si tunc deberet, eo quod praeteritae confessiones invalidae fuerint, instituere confessionem prolixiorem. — Hoc casu, confessarius, audito aliquo peccato, infirmum absolvat, ipsi Communionem praebeat, ac postea redeat integram confessionem excepturus [1].

5° Periculum pro scrupuloso *gravis detrimenti,* tum in spirituali profectu, tum in valetudine corporis ac mentis. (cf. n. 28 et 1835)

6° Reservatio *peccati* vel *censurae*, juxta ea quae habentur n. 1551 et n. 1775. Not. 2°. — Atvero,

Non excusat *multitudo negotiorum.* Damnata est enim ab Innocentio XI propositio 59ª, quae sic sonat: « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis, aut indulgentiae [2]. » Nec exceptio admitti potest, si ob prolixitatem confessionis alii facile suspicarentur, poenitentem multis esse culpis gravatum [3]. — An autem excuset periculum manifestandi complicem, infra perpendetur (n. 1702).

1699. — III. Cessante causa excusante, tenetur poenitens SUPPLERE defectum confessionis, non statim, sed quando rursum confiteri obligabitur, aut volet [4]. — Ratio est quia impedimentum actuale non tollit simpliciter integrae confessionis obligationem, sed eam tantum suspendit. Unde, sublato impedimento, praeceptum divinum in totum reviviscit. — Constat alias ex propositione 11ª ab Alexandro VII damnata, quae dicebat: « Peccata in confessione omissa, aut oblita, ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. »

[1] L. VI. 484. 485. — [2] Ib. 595. — [3] Ib. 485. fin. — [4] Ib. 479.

Digitized by Google

Dictum est 1° *non statim*; obligatio enim moraliter accipienda est, tanto magis quod inculpabiliter omissa peccata jam sunt deleta, et quod dilatio animam in nullum periculum adducit. Ita communiter.

Dictum est 2° *sed quando obligabitur, aut volet.* Etenim: — 1° Obligatio supplendi non adfigitur per se tempori vel circumstantiis, ideoque non urget per se, nisi cum urget iterum praeceptum confitendi: v. g. tempore annuae confessionis (cf. n. 1548). — 2° Cessante impedimento, non licet peccata oblita vel omissa tacere in confessione, quae primo subsequitur. Sic enim communius DD. interpretantur sensum propositionis damnatae ab Alexandro VII [1]; et ratio est, quia ad integritatem subsequentis confessionis pertinet declarare omnia peccata mortalia, quorum habetur conscentia, ut loquitur Tridentinum [2],

1700. — QUAERITUR. *Ad quid teneantur illi, qui* BONA FIDE *confessiones integritate carentes instituerunt?*

Resp. Non tenentur quidem eas *integre* repetere, « quia ad tales confessiones jam adfuerunt omnia essentialiter requisita. — Tenentur tamen explicare species et numerum omissum, ut saltem confessionem praesentem integram faciant. » Ita communiter [3].

Notetur vero: 1° Qui *uniformem vivendi rationem* tenuit, et inculpabiliter numerum peccatorum declarare omisit, satisfacit legi integritatis, si « in principio confessionis, patefecerit confessario praesenti, quod in annis praeteritis semper confessus sit male, numerum omittendo, et confessarius ab initio, confessionem excipiendo illius anni, efformet simul judicium de annis praeteritis.» Item, si post confessionem exceptam, confessarius habeat *distinctam notitiam* peccatorum praesentis anni, « poterit quidem, quin repetantur priores confessiones, sibi formare simul distinctum judicium de annis praeteritis.» — 2° Secus dicendum, « si ex confessione praesenti habeat tantum *confusam notitiam* de culpis confessis, ut saepius accidit in confessionibus longioribus et implicatis; eo casu, ut bene ait Lugo [4], tenetur sumere distinctam notitiam specierum et numeri omissi in confessionibus praeteritis [5].

Scholium.

De manifestatione complicis.

1701. — Certum est 1° Complicem *debere occultari*, quotiescumque confessio esse potest sine ejus manifestatione materialiter integra. — Non licet igitur, ad declarandum peccatum veniale, aut mortale jam confessum, alterius grave peccatum patefacere [6].

Certum est 2° Poenitentem reum peccati mortalis nondum confessi, teneri adire *confessarium, cui complex sit ignotus*, si eum adire

[1] Cf. Viva, *Thes. damn.* (prop. 11ª ab Alex. VII damn.). — [2] Sess. 14. cap. 5. — [3] L. VI. 504. — [4] *De Poenit.* d. 16. n. 640. — [5] L. VI. 504. Dic. 3. — [6] Ib. 489.

Digitized by Google

possit absque incommodo temporali vel spirituali. — Urget enim tunc praeceptum tuendi famam proximi, praesertim si agatur de crimine magis infamante.

Certum est 3° Non licere, generatim, confessario, *exquirere nomen complicis*, etsi ad bonum finem, v. g. ad correctionem; hoc enim adversatur charitati, et reddit Poenitentiae Sacramentum odiosum. — Constat ex Bulla Benedicti XIV *Ubi primum*, in qua Pontifex, loquens de confessariis, qui sub poena denegandae absolutionis requirunt nomen complicis, declarat: — 1) Eos peccare graviter, et incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendae tantum sententiae; — 2) eos esse denuntiandos infra mensem, non ab ipso quidem poenitente, sed ab alio qui eos novit, si tamen propter hoc absolutionem denegarint, nec egerint ex simplicitate; — 3) docentes, hanc detestabilem praxim esse licitam, incurrere ipso facto excommunicationem S. Pontifici reservatam [1]: quod idem sanxit Pius IX, in Constitutione *Apostolicae Sedis* (cf. n. 1328). — His praemissis, sint sequentia

1702. — Quaesita. QUAER. 1° *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod* NON POSSIT *explicari sine manifestatione complicis?*

Resp. Affirm., quando non potest *commode* haberi alius confessarius, cui complex sit ignotus. Ita sententia communis contra nonnullos, qui dicunt praeceptum naturale servandi famam proximi praeferendum esse positivo servandi integritatem confessionis. — Ratio autem affirmativae sententiae est, « quia divinum praeceptum integre confitendi servari debet, semper ac licite servari potest; satis autem licite in casu nostro servari potest, cum manifestatio alieni criminis non sit illicita, quando fit ex rationabili causa; » et ideo cessat tunc praeceptum naturale (cf. n. 1198). — Adde quod « complex, consentiendo peccato, jam amisit jus ad suam famam, in ordine ad confessionem illius peccati [2]. »

QUAER. 2° *Quaenam sint* CAUSAE EXCUSANTES *a quaerendo alio confessario, cui complex sit ignotus?*

Resp. Juxta plurimorum sententiam, sunt sequentes: — 1° Si urgeat periculum mortis, aut praeceptum annuae confessionis. — 2° Si grave sit poenitenti omittere confessionem, aut Communionem. — 3° Si difficulter alteri quam consueto confessario conscientiam aperiret. — 4° Si alias privaretur beneficiis alicujus indulgentiae extraordinariae. — 5° Si secus in peccato vel per unum diem remanere deberet. — 6° Si adeundo confessarium, cui complex notus est, meliorem habiturus sit directionem, vel percep-

[1] L. VI. 491; H. A. XVI. 40-41. — [2] L. VI. 489.

Digitized by Google

turus consolationem notabiliter majorem. — 7° Si credatur complicem cessisse juri suae famae, puta si frater peccavit cum sorore, quam scit non posse sejungi a comitatu matris, ut alium adeat confessarium. — Hinc, saepe excusantur matres et uxores manifestantes peccata virorum et filiorum confessario, qui hos novit, ratione petendi consilii, doloris leniendi, etc.; nimis enim ipsis durum esset, si alium confessarium quaerere tenerentur[1]. — Conferendum tamen est commodum directionis cum infamia[2].

QUAER. 3° *An* ALIQUANDO *licet confessario* EXQUIRERE *complicis nomen, vel notitiam?*

Resp. 1° Confessarius *potest*, imo *debet*, etsi veniat ex hoc in cognitionem complicis, exquirere circumstantias, quae peccatorum speciem mutant, aut quae necessariae sunt ad melius consulendum conscientiae poenitentis: v. g. an complex in peccato turpi sit in primo vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis, an sit ligatus voto castitatis, an habitet in eadem domo etc.

Resp. 2° Non potest absolvi poenitens, qui nollet complicem patefacere, cum hoc necessarium est ad avertendum vel reparandum *publicum damnum*. In hujusmodi igitur casu, poterit confessarius poenitenti imponere in genere, ut complicem illi, qui damnum vel scandalum avertere potest, patefaciat. — Sed stante prohibitione Benedicti XIV (i. e. quoties revelatio alteri utiliter fieri potest[3]), nunquam licebit confessario, dicere: *Revela mihi.* — Si vero poenitens ex se et *sponte sua*, confessarium roget, ut ipse has in se partes suscipiat et complicem ultro revelet, confessarius non peccat, et potest utique illa uti notitia ad afferendum remedium: sed plerumque hoc non expedit ob periculum scandali et offensionis sacri ministerii[4].

§. 3. *De modo procurandi integritatem confessionis.*

Obligatio procurandi confessionis integritatem spectat tum ad *poenitentem*, tum ad *confessarium*. — Quocirca statuuntur sequentia

1703. — Principia. I. POENITENS tenetur, et quidem, per se loquendo, sub gravi, praemittere confessioni diligens EXAMEN omnium, quae commisit, peccatorum mortalium. — Ratio est, quia sine tali examine non posset, ut verbis Tridentini[5] utamur, *omnes animi sui sinus* perscrutari.

Hujus examinis diligentia aestimanda est pro capacitate poenitentis, temporis mora, et caeteris circumstantiis. — « Ad id

[1] L. VI. 490. — [2] Ib. 488. 6°. — [3] Cf. *De Synodo*, lib. 6. cap. 11. n. 1. — [4] L. VI. 491-492. — [5] Sess. 14. cap. 5.

Digitized by Google

autem sufficit diligentia *mediocris,* qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet; vel qualem, moraliter loquendo, docti et timorati adhibere solent, etiamsi quis putet, majore diligentia plura se reperturum [1]. » — Cui obligationi, sine nimio labore, poenitens satisfacere potest, si Dei auxilio implorato, in mentem sibi revocet praecepta Decalogi et praecepta Ecclesiae, peccata capitalia, obligationes proprii status, et simul inquirat, an et quoties circa haec omnia deliquerit, cogitatione, verbo et opere. — Et hoc facilius consequetur, si mente revolvat loca quo se contulit, personas cum quibus conversatus est, negotia quae tractavit, animi affectiones quibus indulgere solitus est [2].

Notetur PRO PRAXI: 1° Remoto periculo evulgationis, utile est peccata *scribere*, ne memoria excidant; sed vitetur nimia anxietas; ideoque id scrupulosis prohibeatur [3].

2° Qui *moraliter certi* sunt, se esse peccatis mortalibus immunes, non tenentur excutiendae conscientiae multum immorari, dummodo materiam, quae Sacramento vere sufficiat, subministrare possint. — Nihilominus adhortandi sunt, ut conscientiae examen non nimis deproperent, eique spatium *quinque saltem minutorum* impendant, quo melius suos defectus agnoscere atque agnitos extirpare valeant [4].

3° Qui sunt *scrupulosi*, non debent multum suam conscientiam excutere; imo, diligens investigatio ipsis aliquando interdicenda est; si enim graviter peccassent, semper prae oculis peccatum haberent.

4° *Aegroti* non tenentur ad accuratum examen, sicut sani, ut patet. Advigilandum est igitur, ne suam confessionem *differant*, sub praetextu, quod conscientiam nondum sufficienter excusserint; eos ipse confessarius examinet; praestat enim eos, etiam imperfecte confessos, per absolutionem in statum gratiae restituere, quam dilatis Ecclesiae Sacramentis, certo damnationis periculo exponere [5] (cf. n. 1854).

1704. — II. CONFESSARIUS potest, imo DEBET interdum conscientiae examen supplere, necnon integritatem confessionis ipse procurare. — Ad rem sic S. Doctor [6]: « Quamvis debitum examinandi conscientiam sit praecipuum poenitentis, nihilominus, quidquid alii DD. dixerint, non est dubitandum, quod si confessarius cognoverit poenitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, tenetur ipse eum interrogare, prius de peccatis, in quae verisimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie et numero, ut probatur ex cap. *Omnis utriusque* de Poenit., et ex Rituali Romano [7]. » — Ad hoc vero tenetur qua *judex*, ut cognoscat causam, et qua *minister Sacramenti*, ut procuret ejus integritatem (cf. n. 1834).

[1] Lib. VI. 471. 1°. — [2] Cf. *Inst. catech.* p. 2. c. 5. n. 3. sqq. — [3] L. VI. 471. 3°. — [4] Cf. Gury, II. n. 508. — [5] Elbel, *de Poenit.* n. 153. — [6] H. A. XVI. 102. — [7] L. VI. 607.

Digitized by Google

1705. — QUAERITUR. *Quid agendum confessario, si poenitentes non satis discussa conscientia accedant?*

Resp. 1° Si sint sufficienter *instructi*, in aliud tempus remittendi sunt: « Humanissimis verbis, ait Catechismus Romanus [1], eos a se dimittet; hortabiturque, ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. » Ratio est, quia vix fieri potest, ut quis, saltem si de longiori confessione agatur, repente rogatus de omnibus recordetur [2]. — Excipe, nisi circumstantiae aliud suadeant.

Resp. 2° Si sint *rudes*, non facile remittendi sunt. « Perperam agunt, ait *S. Alphonsus* [3], qui rudes dimittunt, ut melius se examinent. » Et graviter subdit: « Hoc P. Segneri vocat errorem intolerabilem, et jure optimo, quia hujusmodi homines, quantum laborent, difficulter se examinabunt, ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse confessarius eos examinare: et contra cum dimissi sunt, periculum erit, ne exterriti difficultate se examinandi, a confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant. — Advertat nihilominus confessarius, se non teneri tam minute hos interrogare; interroget tantum de peccatis, in quae faciliter incidere possunt, spectata eorum *conditione* et *capacitate*. Imo, cum poenitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus et diligens in confitendo peccata sua cum circumstantiis..., tunc confessarius nihil aliud tenetur interrogare. »

Resp. 3° Si sint *consuetudinarii*, non debet confessarius nimis anxie inquirendo numerum peccatorum immorari; quia saepe impossibile est talem numerum invenire; plures ad importunitatem confessarii, solum divinando respondent: *centies*, *millies;* sed quis prudens eis fidem praestabit? — Melius facit confessarius, si diligenter statum poenitentis exquirat, « nempe vivendi rationem, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est; et deinde inquirat de numero: interrogando poenitentem, quoties circiter peccaverit in die, in hebdomada, aut mense, proponens ei plures numeros, v. g. ter aut quater, octies vel decies, ut videat, cui numero potius ille adhaereat. Et si poenitens numero majori adhaereat, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori.» — Sed in hoc confessarius advertat, ne formet de numero judicium certum; notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sint coram Deo [4] (cf. n. 1805).

ARTICULUS III.

DE ITERATIONE CONFESSIONIS

In hoc articulo agemus: 1° in genere, de confessione iteranda; 2° in specie, de confessione generali.

§. 1. *De confessione invalida iteranda.*

1706. — Principia. I. Confessio est INVALIDA, quoties ei aliquid essentiale deest, sive ex parte CONFESSARII, sive ex parte POENITENTIS.

[1] *De Poenit.* n. 60. — [2] L. VI. 471. 2° — [3] H. A. XVI. 103. — [4] Ib. IV.

Digitized by Google

— Id sequitur ex dictis de materia et forma, ac de ministro. — Igitur:

1° Ex parte CONFESSARII invalida est confessio: 1. Si ipse caret potestate jurisdictionis; puta, quia eam nullo modo accepit; vel quia haec est ei jure ablata, v. g. erga complicem in peccato turpi; vel quia impeditur per censuram, nempe si ipse est excommunicatus vitandus, aut suspensus denuntiatus; vel quia restricta per reservationem casus, non se extendit ad illum casum, quem poenitens unice confitetur, etc. — 2. Si forma substantialiter vitiavit, vel si non habuit absolvendi voluntatem. — 3. Si peccatum nullum intellexit. Dicimus *nullum*, quia si aliquod intellexit, valida est absolutio, si bona fide eam recepit poenitens, cui restat sola obligatio confitendi peccata, quae ille non audivit[1]. — 4. Si nihil recordatur, cum absolvit, id est, nec peccata, nec statum poenitentis, nec poenitentiam injunctam: tunc enim non est judex, cum absolute ignoret causam; unde nec valide nec licite absolvit. Sed facta a poenitente confessione in communi, jam valide absolveret, etsi nondum licite[2].

2° Ex parte POENITENTIS invalida est confessio: — 1. Si fuit *incapax*, v. g. invalide baptizatus, vel res necessitate medii necessarias ignorans. — 2. Si fuit *indispositus:* i. e. si accessit excommunicatus, violando scienter prohibitionem Ecclesiae; si mortale ex malitia vel gravi negligentia tacuit, vel de eo false se accusavit; si numerum peccatorum aut speciem aut circumstantiam specificantem voluntarie omisit; si grave mendacium dixit; si graviter negligens fuit in examinanda conscientia; si non fuit attritus (quod patere solet ex hoc, quod quaesierit confessarium surdum, indoctum, etc.); si non habuit verum propositum; si noluit occasionem tollere, inimico condonare, restitutionem facere; si fuit recidivus in eodem habitu pravo, etc.[3].

1707. — *Notetur:* 1° Confessio potest esse invalida, quin sit sacrilega. Est simpliciter *invalida* seu nulla, si deest dolor vel propositum, quin poenitens ad talem defectum advertat. — Est nulla et *sacrilega,* si ad defectum advertit, et mala fide agit.

2° Confessio aliqua potest esse invalida (imo sacrilega), quin omnes *subsequentes confessiones* sint idcirco invalidae. Perfecta enim oblivio defectûs in praecedenti confessione commissi, et bona fides, quae confessiones posteriores comitatur, efficiunt, ut istae sint per se validae, et tollunt indirecte invaliditatis defectum in antecedenti confessione inclusum. Quo casu, sola confessio invalida repetenda est, non autem confessiones posteriores[4].

[1]. H. A. XVI. 42; L. VI. 498. 499. 626. — [2] L. VI. 502. dub. 3. — [3] H. A. XVI. 43; L. VI. 501. — [4] Cf. *Prax. Conf.* n. 22. *Si autem.*

Digitized by Google

1708. — II. Omnis mortalium peccatorum confessio, de cujus invaliditate MORALITER CERTO constat, ITERANDA est. — Ratio patet ex dictis n. 1706; per istiusmodi enim confessionem peccata non fuerunt remissa; ergo eorum confessio repetenda est.

Diximus *moraliter certo;* in moralibus enim non requiritur certitudo absoluta, ut imponatur vel tollatur obligatio, sed sufficit certitudo moralis (cf. n. 33 et 34). « Si quis v. g. post confessionem statim, sine ullo conatu, labitur, signum moraliter certum exhibet, ejus confessiones praeteritas nullas fuisse, quia deerat dolor et propositum[1]. » Talis igitur debet hujusmodi confessiones repetere.

In DUBIO autem de confessionis validitate, DUPLEX haec REGULA statuenda ac tenenda est: — 1° Si prudenter dubitetur de *existentia actus essentialis* ad confessionis validitatem, v. g. si dubitetur positive an confessarius posuerit formam, an habuerit jurisdictionem, etc., an poenitens elicuerit actum contritionis: confessio est iteranda, ex illo principio: « Non satisfit praecepto certo per satisfactionem dubiam. » — 2° Si dubitetur *de modo actus*, i. e. si dubitetur, an actus rite positus fuerit, prout erat de jure ponendus, v. g. an propositum certe elicitum satis efficax fuerit, an peccata certo confessa quoad substantiam fuerint sufficienter declarata: in tali casu, confessio non est repetenda, quia valet regula juris: « In dubio, standum pro valore actus. » — Hinc *S. Alphonsus*[2] cum *P. Segneri:* « Non tenentur, inquit, poenitentes ad repetendas confessiones, quoties praesumptio, et per consequens possessio, stat pro illarum valore, nisi de nullitate constet. » Sic, v. g. poenitens, qui post confessionem occasiones vitavit, et per aliquod tempus tentationibus obstitit, bene potest judicare suas confessiones fuisse validas, nec tenetur eas iterare (cf. n. 50 et 51).

1709. — Quaesita. QUAER. 1° QUOMODO *iteranda sit confessio invalida?*

Resp. 1° Si instituitur apud *alium* confessarium, est nova confessio, ac proinde omnia et singula peccata accusanda sunt.

Resp. 2° Si instituitur apud *eumdem* confessarium, sufficit, ex probabiliori et communiori sententia, si poenitens se accusat *in genere* de peccatis jam patefactis, dummodo confessarius eorum saltem in confuso recordetur. — Quod si *nullius peccati memoriam* servaverit, sufficit, si recordetur status poenitentis, vel confusam de ejus conscientia notitiam reassumat. Ratio est: 1° quia talis confessio, etsi invalida aut etiam sacrilega, facta tamen fuit in ordine ad recipiendam absolutionem, et bene potest dici sacra-

[1] H. A. XVI. 46. fin. — [2] Ib. 46; L. VI. 505.

Digitized by Google

mentalis, dum jam obligat ad sigillum sacramentale; 2° quia, quamvis non fuisset sacramentalis ex parte poenitentis, ejus tamen ratificatio seu generalis repetitio conjuncta cum cognitione, quam confessarius de singulis peccatis prius habuit, reputatur sufficiens ad judicium sacramentale, et ad eam efficiendam validam atque integram[1]. —Atque hoc a fortiori valet, si, dilata per aliquod tempus absolutione, poenitens iterum confessario se sistit.

QUAER. 2° *Quid, si confessarius recordetur tantum* POENITENTIAE *injunctae?*

Resp. 1° Si *ipsius poenitentiae* recordetur, potest absolvere, etsi poenitentis statum non amplius cognoscat. Id enim concedunt multi DD. graves, et ratio videtur esse, quia ex ipsa notitia poenitentiae potest sibi efformare judicium de poenitentis statu.

Resp. 2° Si reminiscatur *se poenitentiam quidem imposuisse*, sed nesciat quamnam, neque hoc a poenitente edoceri possit, controvertitur, an valeat licite absolvere. — Plures cum S. Antonino affirmant; sed *negat* S. Alphonsus. Talis enim opinio videtur ei nimis extensa, quia sacerdos debet sibi formare judicium, saltem in confuso, de statu poenitentis, tam ad dandam absolutionem, quam ad injungendam poenitentiam, quae utique imponenda est ad faciendum Sacramentum integrum[2] (cf. n. 1715).

QUAER. 3° *An et quomodo repetenda sit confessio facta confessario* NON ATTENTO *vel inepto?*

Resp. 1° Si facta sit *mala fide*, v. g. si poenitens adverterit confessarium aut non audire, aut dormire, aut esse ignarum, aut peccati gravitatem non intelligere, utique confessio iteranda est; quia poenitens hujusmodi peccavit actu, quo confessus est[3].

Resp. 2° Si facta sit *bona fide*, distinguendum: 1. Si constet confessarium *nihil* audivisse, tota confessio est repetenda, ut patet ex dictis (n. 1706). — 2. Si constet, peccata non fuisse declarata quoad numerum vel speciem, aut certum *aliquod peccatum* non fuisse intellectum, supplenda est confessionis integritas. — 3. Si « denique finita confessione, intelligas confessarium *aliqua peccata* non percepisse sive propter somnum, sive distractionem, nescias autem quae sint illa, teneris, juxta communissimam sententiam, si *brevis* fuerit confessio, eam repetere, quia de singulis prudenter potes dubitare. Si autem *longa* fuerit, non teneris, ob rationem contrariam, » et quia, eo casu, praesumitur Deus non obligare ad integritatem confessionis cum tanto incommodo[4]. Unde, satis erit

[1] L. VI. 502. — [2] H. A. XVI. 44; L. VI. 502. dub. 2 et 3. — [3] L. VI. 499. — [4] Ibid. 499; H. A. XVI. 42.

Digitized by Google

illa confiteri, de quibus dubitas utrum fuerint a confessario intellecta.

QUAER. 4° *An repetenda sint peccata* HISTORICE *extra confessionem narrata?*

Resp. 1° Si confessarius distinctam omnium servaverit notitiam, non sunt repetenda, sed sufficit, si poenitens dicat: « accuso me de his omnibus, quae tibi jam enarravi. » — 2° Si confessarius in confuso, vel ex parte tantum eorum recordetur, ex integro repetenda sunt; secus enim nec prima nec secunda confessio foret sacramentalis: non prima, quia non fuit facta in ordine ad absolutionem et sine onere sigilli sacramentalis; non secunda, quia peccata non sunt singillatim declarata, prout a Concilio Tridentino requiritur [1].

§. 2. *De confessione generali.* [2]

1710. — DEFINITIO. Confessio generalis est repetitio plurium confessionum. — Complectitur, vel totam vitam, vel partem ejus notabilem, v. g. unum aut plures annos.

DIVISIO. Confessio generalis alia est NECESSARIA, quae scilicet instituenda est ob invalididatem confessionum praeteritarum; alia SPONTANEA seu *libera*, quae instituitur ex consilio confessarii, vel ex devotione poenitentis. Haec porro, potest esse, pro ratione personarum et circumstantiarum, vel *utilis*, vel *inutilis*, vel etiam *nociva*.

REGULAE PRACTICAE. — I. Confessio generalis, SUB GRAVI, regulariter, injungenda est omnibus, qui sacrilege vel invalide confessi sunt. Patet ex dictis in §. praecedenti.

Diximus *regulariter*, quia non semper monendus est poenitens de invaliditate confessionum praeteritarum, quando nempe versatur in bona fide, eisque repetendis non assensurus praevidetur. Hoc enim in casu, absolutio indirecte ad invalide factas confessiones sese extendit. — Nonnunquam tamen prudens confessarius poenitentem ita examinare poterit, ut is, vel nesciens, generalem confessionem peragat. Qua peracta, nihil jam obstare videtur, quominus praeteritarum confessionum invaliditas ipsi manifestetur, ut ita cum perfecta animi serenitate recedat.

Quod si poenitens se exhibeat DISPOSITUM, ex rerum adjunctis colligendum est, utrum confessio *statim* inchoanda sit, an *in aliud tempus* differenda. — Qua in re considerandum est: num ipse poenitens, perfectiori praeparationi con-

[1] L. VI. 502. dub. 1. fin.; cf. *Vindic. Alph.* P. 5. qu. 8. — [2] Cf. S. Leonardo, *Direttorio della Conf. gen.*

Digitized by Google

sulturus, dilationem desideret; num ad instituendum bonum conscientiae examen vere aptus sit; num aliquod obstaculum, sive ex parte poenitentis, sive ex parte confessarii, suboriri posset, quo confessio impediretur.

Quibus consideratis, si confessio revera PROCRASTINANDA videatur, poenitens *edoceatur* rite se praeparandi modum ac methodum instituendi conscientiae examen, adjecta admonitione, ut in hoc negotio accurate quidem ac diligenter, non autem scrupulose procedat; admoneatur de adhibenda diligentia, quae in eo est, ut per orationem ac frequentem actuum contritionis iterationem, veram sibi contritionem comparet; ac postremo ad ejus erigendum animum, ostendatur facilitas, quacum confessio generalis, quae menti magnam pacem concedit, peragi solet, eo magis quod confessarii opportunum ac paternum adjumentum ei non sit defuturum.

Si vero poenitens omnino redire nequeat, vel nonnisi post longum tempus, aut si communicandi necessitas urgeat, confessio generalis STATIM excipienda est. — Si magnus esset poenitentium concursus, aut breve temporis vacui spatium, confessarius poterit se ad omnino necessaria restringere, contrahendo instructiones atque adhortationes; adjecta tamen admonitione, ut poenitens vel tardius, etsi post longius tempus, ad se revertatur, caeteras, quae necessariae sunt, instructiones auditurus; vel saltem ut alium zelantem confessarium, a quo edoceatur, quamprimum potuerit, conveniat [1].

1711. — II. Confessio generalis, licet non necessaria, petentibus eam, est ordinarie CONCEDENDA; et permultis, etiam non petentibus, prudenter SUADENDA. — Hinc sequens S. Alphonsi ad populum monitum [2]: « Unumquemque hortor, ut, nisi adhuc fecerit, peccata omnia, quae unquam in vita sua commisit, confiteatur: et non solum pro illis loquor, qui sacrilege... aut invalide confessi sunt... verum etiam de unoquoque, qui ad bonam vitam se recipere velit. »

Diximus 1° *ordinarie concedenda:* nam si excipias scrupulosos et alios quosdam, de quibus infra dicetur, confessio generalis, aut saltem partialis confessionum iteratio, multum prodest ad majorem dolorem de peccatis concipiendum, ad animae pacem et tranquillitatem, et ad perseverabilem vitae mutationem [3]. — Imo, non raro evenit, ut quae primum utilis tantum existimabatur, postea dignoscatur vere necessaria.

Diximus 2° *prudenter suadenda:* nam, neque omnibus indiscriminatim, neque ulli importunis adhortationibus eam obtrudere licet, quando non est necessaria [4]. — Sed opportune suadenda est, sive totalis, sive partialis, prout expedire videbitur: — 1. Iis, quorum priores confessiones dubie validae censentur; — 2. Iis, qui accuratiore institutione ad christianam vitae rationem indigent, maxime si sint homines bonae voluntatis, qui prompto animo consilium excepturi praevidentur; — 3. Iis, quos tenet perfectioris vitae desi-

[1] Cf. S. A. *Monita ad conf.* n. 15. — [2] *Inst. catech.* p. 2. c. 5. n. 11. — [3] Cf. *Monita ad conf.* l. c. — [4] *Prax. Conf.* n. 20. 5°.

Digitized by Google

derium; — 4. Iis, qui in periculo vitae existunt, aut tali periculo se committere coguntur; — 5. Sponsis, et omnibus gravioris momenti vitae partem finientibus vel incipientibus; — 6. Omnibus fidelibus, universim, in occasionibus extraordinariis, quae juxta mentem Ecclesiae ipsis offeruntur ad expiandas conscientias, et dignos fructus poenitentiae producendos, ut sunt Jubilaeum et Missiones; — 7. Personis piis, quae sacrum secessum celebrant: in quo rem utilem faciunt, iterando confessiones totius anni[1].

1712. — III. Confessio generalis non est concedenda, sed PROHIBENDA iis omnibus, quibus notabiliter nocitura judicatur. — Hujusmodi sunt: 1° Scrupulosi, quibus unica quidem confessio generalis prodesse poterit, sed quibus iterata nocebit; unde non sunt in hoc audiendi, sed ad caecam obedientiam enixe adhortandi. — 2° Poenitentes, qui multum peccaverunt contra sextum praeceptum, nec possunt, sine periculo se iterum inquinandi, iterare confessionem jam valide factam; unde sufficit, si de peccatis doleant, et accusationem summatim renovent. — 3° Quidam occasionarii ac recidivi, qui non sunt vere dispositi, et interdum confessionem generalem petunt, quo facilius absolutionem aucupentur. Isti se produnt modo, quo de peccatis ab ultima confessione commissis se accusant; et ideo sunt monendi et benigne instruendi, ut occasionem relinquant utque contra pravum habitum strenue pugnent, ac postea generalem confessionem cum fructu instituant (cf. n. 1822 et 1823).

1713. — QUAERITUR *Quinam sit* MODUS *excipiendi confessionem generalem?* *Resp.* 1° ANTE CONFESSIONEM, satagere debet confessarius, explicitum cognoscere statum poenitentis, et varias circumstantias, ex quibus dirigi possit ad prudenter et fructuose interrogandum. — Hinc: 1° examinet utrum agatur de confessione *necessaria* necne (juxta dicta n. 1710); si enim necessaria sit, multo majori diligentia et cura poenitens audiendus, interrogandus et adjuvandus erit; si vero non necessaria est, prorsus moneri debet, non tantam requiri diligentiam, imo liberum sibi esse aliqua reticere. — 2° Inquirat prudenter de *conditione poenitentis*, an caelebs sit necne, de ejus aetate, occupationibus vel officiis, de ejus vivendi ratione, etc., si conjugatus sit, a quo tempore, an habeat filios, etc. — 3° Interroget de *statu conscientiae*, an hic et nunc aliqua prava consuetudine aut pravo animo affectu sit irretitus? an forsan alicui damnatae societati sit adscriptus? an frequenter ad Sacramenta accesserit, et cum quibus dispositionibus? an peccata celaverit? quo tempore? quamdiu? an ea postea confessus fuerit, et confessiones sacrilegas iteraverit? et quoties? — Ad illas autem notiones habendas, *ordinarie*, expedit prius excipere confessionem particularem[2].

2° IN IPSA CONFESSIONE, confessarius adjuvet poenitentem, non turbet. Si poenitens sit praeparatus, sinat eum suo modo confiteri. — Si sit vix praeparatus, vel rudis, prius petat ab eo peccata, quae ipsum maxime premunt,

[1] Cf. S. Franc. Sales, *Philotée*, P. I. ch. 6. — [2] Cf. Gury, II. 519.

Digitized by Google

quo securius procedat; deinde, necessaria statim ipse suppleat, juxta *uniformem ordinem* v. g. Decalogi, praeceptorum Ecclesiae, et obligationum particularium; nisi peculiaris ratio aliud suadeat.

3° In fine confessionis, non praetermittatur generalis interrogatio: *an poenitens adhuc aliquid in animo habeat.* — Quocirca advertimus, ad majorem animae pacem et munditiem, praesertim si agatur de confessione tantum utili, recte declarari et quaeri posse etiam materiam haud necessariam, i. e. dubie mortalia, venialia graviora, circumstantias aggravantes (excipe in materia turpi), et generatim ea omnia, quae *apprehensive*, seu ex mente poenitentis, *gravia* esse possunt. Secus poenitens parum instructus, qui more theologorum levia a gravibus, et circumstantias necessarias a non necessariis distinguere nescit, semper arbitratur, suis confessionibus multa defuisse, quae erant necessario declaranda [1]. — Caetera vide n. 1804 et sqq.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE

1714. — *Praenotanda.* Satisfactio in genere, secundum vim nominis (satis facio), significat solutionem cujuscumque debiti, speciatim vero compensationem injuriae alteri illatae [2].

Strictiori sensu sumpta, prout hic, *definitur*: « Voluntaria poenae toleratio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, et ad redimendam graviorem poenam temporalem promeritam. » — Dicimus *redimendam;* remissis enim per Sacramentum Poenitentiae culpa et poena aeterna, non semper tota poena temporalis, in hac vel in altera vita luenda, remittitur. Haec, per Christi merita, laboriosis nostris operibus redimenda est, sicut docet Tridentinum (sess. 14. cap. 8).

Satisfactio alia est *sacramentalis* (de hac nunc agitur); alia *extrasacramentalis*, quae consistit in piis et laboriosis operibus sponte susceptis, tum etiam in malis et aerumnis hujus vitae a Deo immissis et patienter toleratis (cf. Trid. sess. 14. cap. 9).

Satisfactio sacramentalis definiri solet: Poenitentia, seu opus bonum, a confessario virtute clavium poenitenti impositum, tum ad praeteritorum peccatorum vindictam (quae satisfactio *vindicativa* dicitur), tum ad novae vitae custodiam (quae appellatur satisfactio *medicinalis*).

Ut nostra tractatio ad omnia, quae ad satisfactionem spectant, se extendat, agemus: 1° de impositione poenitentiae; 2° de ejusdem impletione; 3° de Indulgentiis, quae possunt defectus satisfactionum nostrarum supplere.

[1] Konings, n. 1380; cf. Scavini, vol. IV. *Append.* 65 et 66. — [2] Catech. Rom. *de Poenit.* n. 62; cf. Lugo, disp. 24 et seq.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

DE IMPOSITIONE PŒNITENTIÆ.

1715. — Principia. I. Confessarius, in danda absolutione, tenetur, IMPONERE poenitentiam, seu satisfactionem. — Constat ex Tridentino sess. 14. cap. 8, ubi dicitur: « Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. »

Peccat igitur confessarius, si poenitentiam non imponat; et peccat quidem GRAVITER, si de *mortalibus* confessio instituta fuerit: debet enim, vi triplicis sui officii, qua *minister* consulere integritati Sacramenti, qua *judex* sumere vindictam de peccatis, et qua *medicus* praebere medicamentum, quo spiritualis poenitentis infirmitas depellatur. — Si autem confessio fuerit de *venialibus* aut de mortalibus *jam confessis*, probabile est confessarium non peccare graviter, si nullam poenitentiam imponat. Ita Lugo, Salmanticenses et alii, contra Suarez et alios, qui etiam probabiliter contrarium docent. — Quod si demum impletio poenitentiae *impossibilis* sit v. g. in articulo mortis, nullum aderit peccatum [1] (cf. n. 1854. 5°).

Notetur: 1° Poenitentia imponenda est, regulariter, *ante absolutionem*. Ratio est, quia sic servatur judicii ordo, qui exigit, ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. Si tamen ex oblivione omissa fuerit, potest statim *post* absolutionem imponi; tum quia sic ei adhuc moraliter unitur, tum quia praedictus ordo non est essentialis [2].

2° Si poenitens, data jam absolutione, *novum peccatum* accusat, nova ei poenitentia saltem levis imponenda est. Non enim prior valere censetur; quia, licet opus ex alio praecepto jam debitum imponi possit, non potest tamen imponi opus debitum ex eodem titulo satisfactionis sacramentalis [3].

3° Si *differatur* absolutio, potest jam prima vice satisfactio imponi, tum ut precaveatur relapsus, tum ut minor poenitentia postea imponatur.

1716. — II. QUANTITAS poenitentiae debet esse PROPORTIONATA, tum peccatis, tum facultati poenitentis, secundum prudentem confessarii aestimationem. — Constat ex Tridentino loc. cit., et ex Rituali Romano, ubi legitur: « Postremo (confessarius) salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia sugges-

[1] L. VI. 506-508. — [2] Ib. 514. 8°; et H. A. XVI. 47. — [3] L. VI. 513. dub. 2. et ibid. XVI. 47.

Digitized by Google

serint, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus et aetatis, et item dispositionis poenitentium. »

Diximus 1° *proportionata peccatis;* unde per se, *gravis* poenitentia pro mortalibus, *levis* pro venialibus aut mortalibus jam confessis imponenda est. — Porro illa censenda est GRAVIS POENITENTIA saltem ex hodierno Ecclesiae more, quae respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod ex se sub gravi obligaret, si praeciperetur. — Hinc, poenitentia gravis est, et pro peccato gravi ordinarie sufficiens, Missam unam audire, uno die jejunare, recitare Rosarium (etiam solam tertiam partem), Officium parvum B. M. V., Litanias Sanctorum, Psalmos poenitentiales, obire *Viam Crucis*, meditari per tertiam horae partem, et similia. — Non autem foret gravis, recitare Psalmum *Miserere;* vel quinque *Pater* et *Ave*, una vice tantummodo [1].

Diximus 2° *proportionata facultati poenitentis, secundum prudentem confessarii aestimationem.* — Prudentia autem confessarii in hoc praecipue sita est, ut prius prae oculis habeat bonum spirituale poenitentis, deinde vindicationem divinae justitiae; nam, ex natura Sacramenti, magis intendi debet ad poenitentis emendationem et salutem, quam ad satisfactionem et ad poenam [2].

Atque hinc est, cur poenitentia multis de causis MINUI possit; videlicet: — 1° Si poenitens accedit *valde contritus*, aut postquam multas poenales egerit actiones, quia convenienter jam satisfecit. — 2° Si accedit *tempore Jubilaei*, vel Indulgentiae plenariae, quia implendo conditiones requisitas, jam subit poenam et satisfacit. Semper tamen aliqua poenitentia imponenda est, ut declaravit Benedictus XIV [3], tum quia nemo potest esse securus de lucranda tota Indulgentia, tum quia semper integrandum est Sacramentum [4]. — 3° Si poenitens est *infirmus corpore*, cum dicat Rituale: « Meminerit sacerdos, aegris non esse injungendam gravem poenitentiam, sed indicendam tantum illam quam, si convaluerint, opportune tempore peragant. » — 4° Si est *infirmus spiritu*, adeo ut prudenter omissurus timeatur poenitentiam culpis proportionatam. Ita enim communiter docent, et merito; quia, ut ait S. noster Doctor [5]: « Tametsi, juxta divinae justitiae rationem, exigatur satisfactio peccatis adaequata, tamen, ex divina clementia, habenda est ratio virium poenitentium, tam corporis, quam animi. »

1717. *An*, quaeres, *possit confessarius, pro culpis gravibus imponere poenitentiam gravem sub obligatione* LEVI? — Sententia affirmans com-

[1] L. VI. 515. — [2] H. A. XVI. 50; cf. L. VI. 508-510. — [3] Encycl. *Inter praeteritos.* — [4] L. VI. 519. — [5] Ib. 509.

Digitized by Google

munior et probabilior est, quia legislator, qualis est sacerdos, quem Christus judicem instituit, potest gravem materiam sub levi praecipere. — In praxi quidem non debet talis agendi modus teneri (saltem ordinarie), quia ex Tridentino imponenda est condigna pro qualitate criminis poenitentia. — Licite tamen, quin etiam *utiliter* eum ita tenere poterit confessarius, ut imposita primum, et quidem sub gravi, poenitentia gravi, aliam *graviorem* sub levi superaddat: quam si poenitens impleat, satisfacit quidem sacramentaliter; si vero negligat, non culpa gravi oneratur. « Minime vero approbo, ait *S. Alphonsus* [1], id quod dicunt Medina et alii, nempe quod confessarius possit aliquando injungere poenitentiam sine ulla obligatione: hoc, dico, est omnino improbabile; nam legislator potest ferre et non ferre legem; sed si ferat, non potest quidem eam ferre sine obligatione, cum lex debeat necessario saltem sub levi obligare. »

Ex dictis colliges: 1° quam imprudenter se gerant confessarii, qui *magnas poenitentias* imponunt, quas praevident poenitentes non impleturos. — « O quam multi confessarii indocti inveniuntur, exclamat *S. Alphonsus* [2], qui non dubitant absolvere eos, qui vel sunt in proxima occasione peccandi vel recidivi indispositi, et insipienter putant, se ipsos curare, graves eis imponendo poenitentias! Ex quo fit, quod illi, etsi poenitentiam acceptent, ut absolutionem carpant, tamen, post absolutionem obtentam, quia nullum eis remedium praescribitur, quo praeserventur, brevi misere relabuntur, poenitentiam non implent, et ab ejus gravitate deterriti, deinde a confessione abhorrent, et sic in peccatis diutius tabescunt. »

2° « Extra casum gravissimae infirmitatis, aut vehementissimae contritionis, non bene ageret confessarius, si pro culpis mortalibus injungeret poenitentiam *per se levem*, quae *levem* inferat *obligationem*. » Unde, sapienter advertit S. Thomas de Villanova: « Hoc, judicio meo, ita perficies, si facilem unam poenitentiam *injunxeris*, acriorem *consuleris* [3]. »

1718. — III. QUALITAS poenitentiae ita determinanda est, ut satisfactio simul sit VINDICATIVA et MEDICINALIS. — Constat ex Trid. sess. 14. cap. 8, ubi dicitur: « Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem. »

Porro: 1° VINDICATIVA seu POENALIA opera reducuntur praecipue ad haec TRIA: *orationem*, *eleemosynam* et *jejunium*, quae opponuntur peccatis contra *Deum*, contra *proximum*, et contra *seipsum* commissis. — Per ORATIOMEM intelligitur quidquid spectat ad cultum Dei, ut confessio, communio, ecclesiae visitatio, etc.; per ELEEMO-

[1] L. VI. 518; H A. XVI. 48. — [2] L. VI. 510. *Ex his.* — [3] Ibid. 510; H. A. XVI. 51.

Digitized by Google

SYNAM, quodlibet opus misericordiae; et per JEJUNIUM, quaelibet corporis afflictatio. — Caeterum, omne opus bonum valet pro satisfactione poenali, ut communiter docent; nam, in statu naturae lapsae, omnis virtuosa actio habet rationem poenae, ex eo quod, amissa originali justitia, omnes ad terrena et propria commoda proclives sumus [1].

2° MEDICINALES sunt satisfactiones, quae medentur peccatorum reliquiis, i. e. quae malos habitus tollunt, pravas cupiditates coercent, occasiones peccandi removent, et radices seu causas peccatorum resecant. — Tales sunt actus virtutum, interni et externi, vitiis poenitentis oppositi. Quocirca monet RITUALE: « Curet, (confessarius) quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. » — Ad quae dilucidanda juvabunt sequentia

1719. — Quaesita. QUAER. 1° *Quaenam opera generatim* POSSINT *vel* NON POSSINT *imponi?*

Resp. 1° POSSUNT imponi non solum opera externa et supererogatoria; sed etiam: 1° Opera *interna,* ut actus charitatis, contritionis, orationis mentalis, etc., quia sunt de se meritoria, et fiunt per impositionem et acceptationem, externa seu sensibilia. — 2° Opera jam *aliunde debita,* v. g. auditio Missae die festo, jejunium in vigilia, quia, cum sint de se satisfactoria, possunt per potestatem clavium ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari. His tamen alia adjungenda sunt, nisi poenitentis fragilitas aliud suadeat; aequum est enim ut peccator sentiat peccati pondus. — Sed nec opus jam titulo satisfactionis sacramentalis debitum imponi potest. — 3° Opera aliis sive *defunctis* sive etiam *vivis applicanda;* satisfactio enim, in hoc casu, stat ex parte bonae voluntatis, qua poenitens opus suum applicat aliis. — 4° *Cessatio a bono opere,* v. g. a Communione, quia potest esse actus virtutis, v. g. ad servandam obedientiam Confessarii. Excipe, si consueti operis omissio praebeat aliis ansam judicandi, talem omissionem fuisse injunctam a confessario in poenitentiam peccati occulti [2]. Potest etiam imponi, ut notat S. Alphonsus [3], aliqua poenitentia *sub conditione relapsus:* v. g. « si iterum blasphemas, talem orationem recitabis. » Sed expedit ut imponatur ad breve tempus, aut ad aliam confessionem, et alia proportionata poenitentia pro peccatis confessis *adjungatur.*

Resp. 2° NON POSSUNT imponi: 1° *Ingressus in Religionem,* quia nimis durum videtur. — 2° *Matrimonium,* quia requirit omnimodam libertatem. Poenitens tamen, qui hoc remedio indiget, enixe ad statum conjugalem adhortandus est. — 3° Poenitentia *publica pro peccatis occultis,* quia violaretur indirecte confessionis sigillum, et quia Rituale Romanum hoc expresse vetat. Imponi vero potest pro peccatis publicis, ut desumitur ex his Tridentini verbis: « Huic (publico peccatori) condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet; » intellige, si scandalum non possit aliter reparari [4].

[1] L. VI 514. — [2] Cf. L. VI. 513. 514; H. A. XVI. 52. 53. — [3] *Prax. Conf.* r. 13. III. et L. VI. 524. — [4] L. VI. 511-512; H. A. XVI. 52.

Digitized by Google

QUAER. 2° *Quaenam poenitentiae non sint,* PRUDENTIAE CAUSA, *imponendae?*

Resp. Non sunt imponendae: 1° Poenitentiae *perpetuae,* aut *ad longum tempus* duraturae; tum quia inducerent periculum oblivionis vel nimiae anxietatis, tum quia, cum tales forte poenitentiae a variis confessariis eidem poenitenti imponerentur, hic innumeris vinculis et pro tota vita obstringeretur. — 2° Poenitentiae *inusitatae* moventes admirationem populi, v. g. si cui imponeretur recitare quinque *Pater noster* in media ecclesia, brachiis extensis, etc. — 3° *Carnis afflictationes,* vigiliae, jejunia, si poenitentes sint adolescentuli, rustici, opifices continuo labori incumbentes, filiifamilias, quorum parentibus tales austeritates displicerent. — 4° *Peregrinationes, prolixae preces, eleemosynae,* si poenitentes sunt constituti sub potestate aliorum, vel ita pauperes, ut jugi labore victum sibi comparare teneantur. — 5° Poenitentiae multis operibus *implicatae,* quia facile oblivioni dantur. — 6° Imprudenter etiam, generatim, imponitur pueris, ut *veniam petant a parentibus* vel ab aliis ob inobedientiam, irreverentiam aut furtula; quia saepe odiosam reddunt confessionem, et plerumque omittuntur, etc. [1] — 7° Monet S. Carolus Borromaeus, ut non imponantur *Missae celebrandae;* aut saltem, ut confessarius non acceptet quas ipse imposuerit; nec eleemosynas a se distribuendas, ne in avaritiae suspicionem incidat [2].

QUAER. 3° *Quaenam poenitentiae* DEBEANT POTIUS *imponi?*

Respondet S. Alphonsus [3]: « 1° Ad praxim quod attinet, haec est regula, ut pro peccatis sensualitatis, imponantur *mortificationes* corporales, *eleemosynae* pro peccatis avaritiae, pro blasphemiis *orationes,* etc. — Semper tamen considerandum est, quid *magis expediat* aut *magis profuturum* sit poenitenti. Etenim, quamvis in se utilissimum sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleemosynas, accidere tamen solet, ut talia opera iis, qui nihil aut parum ipsis assuefacti sunt, in damnum vergant.

« 2° Poenitentiae, quae omnibus, generatim, utiliter imponuntur, sunt sequentes: — Aggregare se alicui Congregationi; — elicere, omni vespere, saltem per aliquod tempus, actum doloris; — renovare quolibet mane bonum propositum, et dicere cum S. Philippo Nerio: « Domine, ne removeas tuam manum a me hodie, ne tui proditor efficiar; » — visitare quotidie SS. Altaris Sacramentum et aliquam Deiparae Virginis Imaginem, et inter hanc visitationem efflagitare sanctam perseverantiam; — recitare Rosarium, — et tum mane, tum vespere, dicere ter *Ave Maria* ad B. Virginem, cum hac precatione: *Mater mea, adjuva me hodie, ne ego in Deum peccem* (hanc exiguam poenitentiam, videlicet ter recitare Salutationem Angelicam cum praedicta precatiuncula, ego iis omnibus, qui id nondum faciunt, imponere soleo); — cum itur cubitum, dicere: « In praesentiarum deberem esse in igne inferni; » aut haec alia verba: « Veniet dies, quo mihi in hoc ipso lecto moriendum est; — legere quotidie (speciatim si sint ecclesiastici) aliquem librum spiritualem. »

1720. — Monita. 1° Non abs re erit hic adjungere, quae sapienter sic admonet *S. Carolus Borromaeus:* « Imponat (confessarius) talem poenitentiam, qualem a poenitente impleri posse judicet. Hinc aliquando, si ita expedire viderit, illum *interroget,* an possit anve dubitet poenitentiam sibi impositam peragere; alioquin eam mutabit, aut minuet [4]. »

2° Ad *moribundos* quod attinet, si quis sit sensibus destitutus, potest absolvi sine ulla poenitentia; excepto autem hoc casu, semper aliqua, levis

[1] Cf. Gury, II. 526. — [2] Cf. H. A. XVI. 52; L. VI. 512; *Prax. Conf.* n. 34. — [3] *Istruz.* XVI. 54. — [4] L. VI. 510; cf. Reuter, *de Poenit.* n. 392-395.

Digitized by Google

saltem, poenitentia imponenda est, ut osculari crucifixum, invocare nomina Jesu et Mariae, saltem in corde, etc. — Non autem expedit imponere infirmo pro poenitentia, ut patienter incommoda infirmitatis sufferat; hoc enim posset ei fieri multorum scrupulorum occasio. « Contra, recte advertunt Salmanticenses, quod si infirmus possit satisfacere per *eleemosynas*, istas utique esse a confessario injungendas; dum quilibet tenetur eam facere, quam potest, poenitentiam [1]. » (Cf. n. 1716, atque hinc 3°).

3° Praestat etiam nosse rigorem poenitentiarum, quae olim in CANONIBUS POENITENTIALIBUS erant praescriptae. Propterea autem haec notitia utilis est, tum quia confessarius ex eis discit aestimare gravitatem peccatorum, quae Ecclesia olim tam rigide punire solebat; tum praesertim, quia ex hoc canonum rigore poterit majorem poenitentibus horrorem peccatorum incutere, ita ut promptiori animo mitiorem poenitentiam suscipiant [2].

ARTICULUS II.

DE ACCEPTATIONE ET IMPLETIONE PŒNITENTIÆ

1721. — Principia. I. Poenitens tenetur ACCEPTARE poenitentiam sacramentaliter injunctam. — Ratio est: 1° quia, sicut confessarius habet, qua judex, jus et obligationem imponendi poenitentiam, ita poenitens debet, qua reus, sententiam judicis revereri et exequi; 2° quia poenitens tenetur, non minus quam confessarius, procurare integritatem Sacramenti [3]. — Attamen, si poenitentia ei videatur justo gravior, et nimis onerosa respectu sui peccati aut suarum virium, potest, si confessarius eam moderari nolit, discedere sine absolutione, et alium adire confessarium. Hoc autem intellige, si poenitentia vere sit irrationabilis. — Quodsi eam ex desidia acceptare renueret, ac cum levi poenitentia a peccatis absolvi vellet, non videtur posse a peccato gravi excusari, nec absolvendus est [4].

1722. — II. Poenitens tenetur, sub gravi, IMPLERE poenitentiam gravem, pro gravibus peccatis impositam. — Ratio est, quia materia gravis per se obligat sub gravi. Unde, si eam omittat ex toto, vel ex parte notabili, peccat graviter. — Tenetur autem *sub levi*, implere poenitentiam levem pro levibus culpis impositam. Ita communiter.

Si vero *pro levibus culpis* gravis poenitentia imposita fuerit, sat probabile est (contra Bonacina, Roncaglia et alios) eam nonnisi *sub levi* obligare; quia « sicut confessarius non tenebatur, imo nec poterat illam imponere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi tenetur illam adimplere. » — Excipe, si imposita sit ceu *medicinalis* pro venialibus, quae valde ad mortale disponunt; vel si agatur de

[1] H. A. XVI. 49; L. VI. 507. — [2] Cf. L. VI. 530. ubi canones poenitentiales referuntur. — [3] L. VI. 516. — [4] Ibid. et H. A. XVI. 55.

Digitized by Google

mortalibus jam olim confessis, de quibus poenitens *nondum condignam* fecit poenitentiam, v. g. quia fuit absolutus in quodam periculo mortis [1].

Atque hic notandum est, quod poenitens non tenetur adimplere poenitentiam, quando confessio fuit *invalida;* quia judicis sententia sacramentalis nulla fuit, nec proinde adest Sacramentum integrandum. — Idem dicendum de poenitentia *sine absolutione* imposita, nisi sit medicinalis, vel nisi ordinetur ad absolutionem per confessionem sequentem, in qua confessarius minorem poenitentiam imponere intendit [2].

1723. — III. Poenitens debet implere poenitentiam, TEMPORE a confessario assignato, vel QUAMPRIMUM commode potest. — Peccat nempe graviter, si eam graviter obligantem ex gravi negligentia multum differt; quia per se grave est, debitum notabile diu protrahere. — Quoties autem poenitentia statuto tempore *adimpleta non fuit*, remanet semper onus eam peragendi; quia tempus tantum accessorie intenditur, i. e. non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem [3].

Hinc notat *S. Alphonsus* [4]: 1° Licet non adsit obligatio adimplendi poenitentiam ante Communionem, ut requirebat propositio 22ª damnata ab Alexandro VIII, nihilominus peccat graviter, qui eam differt per longum tempus, v. g. per annum, aut etiam *per sex menses;* non vero per unum duntaxat mensem, modo poenitentia non sit medicinalis, et modo eam in posterum adimplere possit. — 2° Non peccat graviter qui jejunium feriae sextae transfert in Sabbatum, aut qui Communionem singulorum mensium ad sex alios vel octo dies procrastinat; nisi, ut jam diximus, poenitentia sit medicinalis, ejusque dilatio in relapsus periculum inducat.

1724. — IV. MODUS vel CIRCUMSTANTIA implendae poenitentiae, v. g. ut fiat flexis genibus, extensis brachiis, OBLIGAT saltem sub veniali. — Quando autem obligatio judicanda sit levis vel gravis, « pendet ex molestia levi aut gravi, quam affert circumstantia, vel per se, vel respective ad poenitentem, prout significaverit confessarius poenitentiam imponens. Ita communiter [5]. »

Notetur: 1° Preces in poenitentiam impositae possunt recitari, dum Missa de praecepto auditur, nisi fuerit aliud statutum a confessario. — Possunt etiam *alternatim* recitari cum sociis preces, quae ex Ecclesiae usu aut fidelium praxi velut in choro recitari solent, v. g. Rosarium, etc. — Si confessarius duas Missas eodem die audiendas in poenitentiam imposuerit, illae audiendae sunt successive, non autem eodem tempore; quia id intendisse confessarium rationabiliter praesumendum est [6].

2° Existens in mortali, implet *valide* poenitentiam, nec eam iterare tenetur. Ita enim docet communis et probabilior sententia; et ratio est, quia ad implendum praeceptum sufficit ponere opus praeceptum, quamvis finis prae-

[1] L. VI. n. 517 et H. A. ib 56. — [2] Cf. Gury, II. 534. — [3] H. A. XVI. 57; L. VI. 525. — [4] H. A. ib. 57; L. VI. 521. — [5] L. VI. 517. *An autem.* — [6] H. A. XVI. 57.

Digitized by Google

cepti non obtineatur. — Attamen, probabile est, eum peccare venialiter, quia ponens obicem effectui partiali Sacramenti non potest ab aliqua culpa excusari [1].

3° Non requiritur alia *intentio* satisfaciendi, nisi illa quam habuit poenitens acceptando poenitentiam; perseverat enim saltem habitualiter, nisi fuerit retractata. Ita Lugo et alii probabilius. « Propterea, ait *S. Alphonsus* [2], quisque in quolibet satisfactorio opere, quod ponit, semper intendit voluntate generali satisfacere prius operi debito quam aliis supererogationis. »

1725. — Quaesita. QUAER. 1° *An satisfactio impleri possit* PER ALIUM?

Resp. 1° Satisfactio *extrasacramentalis* vindicativa bene potest per alium impleri; potest enim alius pro alio praesertim amico debitum solvere, uti probat S. Thomas [3]. — 2° Satisfactio *sacramentalis* non potest per alium impleri, quia actus poenitentis sunt materia Sacramenti, et ideo, sicut non possum pro alio conteri aut confiteri, ita nec satisfacere. Constat etiam ex propositione 15ª ab Alexandro VII damnata: « Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat. » — Excipe casum, quo confessarius id poenitenti concedat, ut dicit Suarez cum D. Thoma; nam tunc non jam opus, sed ipse actus poenitentis, quo satisfactionem ab altero pro se petit, tenet locum formalis satisfactionis [4].

QUAER. 2° *Ad quid teneatur poenitens, qui* OBLITUS EST *poenitentiam?*

Resp. Alii, ut Bonacina, S. Antoninus, etc., volunt illum teneri ad repetendam confessionem, ut Sacramentum fiat integrum. — Sed communius, et forte magis probabiliter talem obligationem negant Suarez, Vasquez, etc., etiamsi poenitens poenitentiam culpabiliter oblitus fuisset. Ratio est, quia ex una parte impletio poenitentiae facta est impossibilis, et ex altera parte est valde dubia lex an peccata directe jam remissa denuo confitenda sint, ut integretur Sacramentum. — Attamen, si poenitens putaret confessarium esse injunctae poenitentiae adhuc memorem, *teneretur*, si commode possit, eum adire; quia, in hoc casu, impletio poenitentiae esset adhuc moraliter possibilis [5].

QUAER. 3° *Quis possit poenitentiam* COMMUTARE?

Resp. 1° Certum est et commune apud DD. (quidquid dicat Diana cum paucioribus), eam non posse ab ipso poenitente commutari, ne in opus quidem evidenter melius; nam sicut a solo confessario imponi potest, ita potest ab eo solo mutari [6].

Resp. 2° Potest eam commutare 1° confessarius, *qui eam imposuit;* quia legislator potest propriam legem mutare. Et hoc quidem

[1] H. A. XVI. 60; et L. VI. 522 et 523. — [2] H. A. ib. 58. fin. — [3] Suppl. q. 13. a. 2. — [4] L. VI. 526. — [5] Ib. 520; H. A. (*Istruz.* rectius) XVI. 59. — [6] L. VI. 523. Resp. 3.

Digitized by Google

potest: 1) quin peccata sibi declarata repetantur, modo injunctam poenitentiam adhuc cognoscat, vel in confuso saltem de statu conscientiae poenitentis recordetur; 2) etiam extra confessionem, si fiat statim post absolutionem, et antequam poenitens discedat; quia idem judicium adhuc moraliter perseverare censetur. Ita communior et verior sententia [1]. — 2° Id ipsum potest quivis *alius confessarius*, modo: 1) hoc faciat intra confessionem; 2) commutet ex justa causa, v. g. quia advertit poenitentem non implevisse poenitentiam, nec eam facile impleturum: quo in casu potest, probabiliter, etiam sponte sua eam mutare; 3) poenitentia non fuerit imposita a Superiore ob casus reservatos, ut recte dicunt Suarez, Lugo et alii contra Sanchez et alios; quia inferior non habet facultatem mutandi sententiam Superioris, in judicio prius formato. Hoc solum admitti posset, si poenitentis reditus ad Superiorem foret difficilis, et gravis aliunde causa commutationem suaderet; quia Superioris conniventia, in tali casu, merito praesumitur [2].

QUAER. 4° *An poenitentia mutari possit ab alio confessario, quin accusentur* ITERUM *peccata?*

Resp. Negant probabiliter Castropalaus, Lugo et alii, dicentes poenitentem debere saltem summatim confessionem repetere, ut ita novus confessarius confusam status ejus conscientiae notitiam acquirat. — Sed multi alii, etiam probabiliter, *affirmant* cum Toleto, Navarro, etc.; et ratio est, quia in hac posteriore confessione non agitur de peccatorum in priori confessione adductorum judicio faciendo, cum illud jam absolutum sit; sed tantum de imbecillitate poenitentis priori poenitentiae satisfaciendi. — *Opponitur:* Sed poenitentia debet esse medicinalis, et quomodo remedia praescribet, qui infirmi vulnus ignorat? — *Respondetur*, confessarium posse ex imposita poenitentia peccatorum materiam argumentari, ideoque posse etiam, in commutatione aut diminutione poenitentiae, se dirigere [3].

Nota. — 1° Poenitens minime liberatur a prima poenitentia, si iterando confessionem apud alium confessarium non faciat mentionem de priori confessione ac poenitentia; tum quia tenetur reddere primum Sacramentum integrum, tum quia ad commutandam poenitentiam requiritur ex parte confessarii actus voluntatis positivus, quo prior obligatio revocetur.

2° Facta commutatione, poenitens potest semper redire ad primam poenitentiam, sicut communiter docetur [4].

[1] H. A. XVI. 61; L. VI. 529. dub. 3. — [2] H. A. ib. 61. — [3] Ibid. 61; L. VI. 529. dub. 1. — [4] H. A. ib. 61. fin. — De Satisf. sacramentali cf. Croix, Lib. 6. P. 2. n. 1230 sqq., ubi plura scitu utilia.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE SATISFACTIONE PER INDULGENTIAS

Inter varios modos Deo satisfaciendi pro peccatis quoad culpam jam remissis, non infimum locum tenent INDULGENTIAE, praesertim Indulgentiae JUBILAEI. — Unde disseremus hoc loco: 1° de Indulgentiis in genere; 2° de Indulgentiis Jubilaei; 3° de Indulgentiis lucrandis in articulo mortis; 4° de altari privilegiato pro defunctis.

§. 1. *De Indulgentiis.*

1726. — DEFINITIO. Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo pro peccatis quoad culpam condonatis debitae, quam per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum, Ecclesia, extra Sacramentum, justa de causa, fidelibus concedit [1].

DIVISIO. Multipliciter Indulgentia distinguitur:

1° Alia est PLENARIA, seu *totalis*, quae juxta intentionem concedentis ab omni poena liberat; alia PARTIALIS, ut sunt *septenae*, et *quadragenae*, quibus intelligitur tolli illam poenam, quae tolleretur per jejunium 7 annorum, aut 40 dierum in pane et aqua, secundum Canones olim imponi solitum.

2° Alia est PERSONALIS, quae conceditur immediate personis, v. g. Confraternitati; alia LOCALIS, quae affixa est alicui loco, v. g. ecclesiae, oratorio, etc.; alia REALIS, quae adnectitur alicui rei portatili, v. g. Cruci, Rosario, numismati, etc. — Realis autem est fere semper etiam personalis, cum, plerumque, solus dominus rei, cui annexa est Indulgentia, eam lucrari valeat.

3° Alia est TEMPORALIS, quae ad tempus determinatum; alia PERPETUA, quae in perpetuum vel sine ullo termino praefixo, conceditur.

1727. — Principia. I. Ecclesia habet POTESTATEM Indulgentias concedendi, hacque potestate ab antiquis temporibus usa est. — Est de fide, contra Protestantes, et constat ex Tridentino sess. 25. Decr. *de Indulgentiis*, ubi Concilium excommunicatione damnat eum, qui Indulgentias *inutiles* esse diceret, aut qui eam potestatem in Ecclesia esse negaret. — Vide AA. dogmaticos.

Notentur sequentia: 1° Solus Papa concedere potest Indulgentias *plenarias*, vel *toti orbi* catholico. — Eas autem concedit vel per se, vel per delega-

[1] L. VI. 531; cf. S. A. in Trid. sess. 25. n. 50-67; Lugo, *de Poenit.* Disp. 27; etc.

Digitized by Google

tos, hac tamen conditione, ut tunc tantum suum effectum sortiantur, cum fuerint a S. C. Indulgentiarum recognitae [1].

2° Episcopi (non tamen Titulares) possunt, ex Lateranensi IV, concedere suis dioecesanis Indulgentias 40 dierum; Indulgentiam autem *unius* anni die dedicationis ecclesiae. — Perpetuae quidem sunt hae Indulgentiae, sed valent pro solis vivis, nec sunt applicabiles defunctis [2]. — Vetitum est insuper ne alia nova Indulgentia 40 dierum eidem objecto, vel eidem actui pietatis, ab Episcopi successore adnectatur [3].

3° Cardinales possunt concedere Indulgentias 100 dierum in ecclesiis suorum titulorum [4]. Quaenam sint hac in re, Nuntiorum facultates, ex Litteris Apostolicis dignosci debet.

4° Praelati, Episcopi titulares, et alii Episcopo inferiores, non possunt ullas Indulgentias concedere, nisi ex expressa Pontificis vel Episcopi delegatione [5]. — Communicatio meritorum Ordinis, quam Superiores Regulares insignibus subinde benefactoribus concedunt, non est largitio Indulgentiarum, sed est, ut ait Suarez, *oblatio* tantum seu donatio suffragiorum [6].

5° Quamvis ut suspectae habendae sint Indulgentiae numeri annorum valde excessivi, v. g. indulgentiae mille, decies mille annorum: nonnullae tamen hujusmodi concessae sunt, neque earum authenticitas in dubium vocari potest. Cf. v. g. Bullam Innocentii XI *Nuper pro parte*, de die 31 julii 1679, in qua continetur summarium Indulgentiarum, quae Confraternitati SS. Rosarii concessae sunt. Ibi, inter alias (cap. III. n. 3), approbatur Indulgentia sexagies mille annorum [7].

1728. — II. Indulgentiae, cum sint gratiae, sunt LARGE INTERPRETANDAE, servata tamen verborum proprietate (cf. n. 253). Ideo censendae sunt perpetuae, si datae sint sine temporis restrictione; nec cessant perpetuo concessae per cessationem causae. — Attamen, bona fides et error, licet communis, non supplent praescriptae conditionis defectum [8].

Notetur: 1° Nisi id in ipsamet concessione exprimatur, sive explicite, sive implicite (v. g. per clausulam *usque ad beneplacitum nostrum*), Indulgentiae non expirant morte concedentis, nec ante notitiam revocationis [9] (cf. n. 254).

2° Non cessant Indulgentiae alicui ecclesiae adnexae, cum in eodem fere loco, et sub eodem titulo, nova aedificatur. Cessant vero, si aedificatio fit in alio loco, quamvis vicino, v. g. in coemeterio, et non in loco veteris ecclesiae [10]. — Atque hoc idem dicendum est de Indulgentia concessa visitantibus ecclesias Regularium. Si concessa fuerit intuitu regularis Familiae, a qua regebantur ecclesiae, Indulgentia, cessante regulari Familia, pariter cessat [11].

1729. — III. Ad lucrandas Indulgentias IMPLERI debent omnes, quae praescriptae sunt, CONDITIONES. — Porro, conditiones ex parte SUBJECTI implendae, admodum quinque recensentur [12].

[1] Cf. *Collectan. S. Sed.* n. 535; cf. et *Decreta authen. S. C. Indulg.* n. 371 (ed. Pustet 1883). — [2] Ferraris, Verb. *Indulgentia*, art. 2. n. 7-10. — [3] Maurel, *de Indulg.* p. 1. §. 3. — [4] Cf. Croix, lib. 6. p. 2. n. 1321. — [5] Ibid. n. 1323. — [6] Maurel, loc. cit. — [7] Cf. etiam *Decreta auth. S. C. Indulg.* n. 374 (14 april. 1856). — [8] H. A. XVI. 62; L. VI. 534. — [9] H. A. ibid; L. VI. ibid. — [10] *Decreta auth. Indulg.* n. 323 (9 aug. 1843). — [11] Ibid. n. 424. (18 aug. 1868). — [12] L. VI. 533. 534. 9°.

Digitized by Google

1° Ut sit *concedentis subditus;* quia concessio Indulgentiae est actus jurisdictionis, qui solos subditos afficit. — Ab Indulgentiis tamen localibus, quae adnexae sunt v. g. altari, cruci, ecclesiae, non excluduntur extranei, ut communis fert sententia.

2° Ut *non sit ligatus excommunicatione majori*, quia haec privat communione bonorum spiritualium. (cf. n. 1292. 4°)

3° Ut sit *in statu gratiae*, saltem quando opus praescriptum completur; quia poena non potest ante culpam remitti. Maxime autem optandum est, ut omnia opera fiant in gratia, praesertim si Indulgentia concessa sit ad placandum Deum. — Quocirca notetur: Clausula *corde saltem contrito* (vel *contritis corde*), quae concessionibus partialium Indulgentiarum inseri solet, non indicat opus injunctum, sed necessitatem status gratiae ad lucrandam Indulgentiam. Unde, non requiritur ut, qui jam in statu gratiae reperiuntur, actum contritionis eliciant (S. C. Indulg. 17 dec. 1870) [1].

4° Ut habeat debitam *intentionem.* Requiritur autem intentio saltem *virtualis*, quoties conceditur Indulgentia, cum certa intentione sibi proponenda, v. g. orandi pro felici statu Ecclesiae, lucrandi Jubilaeum cum privilegiis eidem annexis, vel si dies Indulgentiae relinquatur determinationi nostrae voluntatis, v. g. infra mensem, infra annum. — Alias, sufficiens videtur intentio interpretativa, vel certe sufficit mane elicita intentio lucrandi omnes per diem occurrentes Indulgentias. Ita communiter [2].

5° Ut opera injuncta, LOCO, TEMPORE, et MODO praescripto, INTEGRE perficiat, quia Indulgentiae sub ea conditione conceduntur. — Nec sufficit, nisi id expresse concedatur, praestare opera jam alio titulo debita, v. g. jejunium quadragesimale, recitatio Breviarii, etc. [3].

1730. — Jam vero: I. Quoad LOCUM, haec est saepe conditio, ut ecclesia parochialis vel oratorium publicum *visitetur.* — Quocirca probe notandum est, ex S. C. Indulg. 22 aug. 1842, in *Verdunen.* [4] « publicum non esse censendum oratorium sive in monasteriis, sive in seminariis, aut aliis conventibus, canonice dedicatum, ad quod christiana plebs publice non solet accedere. » Conceditur tamen quandoque Religiosis, vel aliis, ut haec possint visitari oratoria (cf. n. 1733. q. 7°). — Sed si *certa ecclesia* praescribitur, non potest loco ejus parochialis vel alia ecclesia eligi, nisi hoc speciali privilegio concedatur.

Caeterum « docent plures graves auctores, quod pro visitatione ecclesiae praescripta, sufficit ad lucrandam Indulgentiam orare ante ostium vel coemeterium, si prae hominum multitudine illam nequeas ingredi: ita Suarez, Bonacina... Imo, addunt Mazzotta et Croix cum Lugo, si ores ante ostium ecclesiae, quando illud est clausum [5].

[1] *Decreta auth.* n. 427. — [2] L. VI. 534. sub 14. 5°. — [3] *Decr. auth.* n. 291 (29 maji 1841); cf. et *Collect. S. Sed.* n. 555. — [4] *Decr. auth.* n. 310. — [5] L. VI. 538. q. 10. fin.

Digitized by Google

II. Quoad TEMPUS: 1° Decisum est (S. C. Ind. 29 aug. 1864): « Indulgentiam acquiri a Christifidelibus die fixa et rite constituta in sua dioecesi; a regularibus Ordinibus die rite constituta in suo Kalendario; ab hominibus, qui Sodalitati nomen dederint, quae ad Ordinem Regularem attineat, Indulgentiam acquiri die rite constituta in Kalendario dioecesis, vel in Kalendario Ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant, non tamen in utraque die [1]. »

2° Translata *solemnitate* Festi (sive in perpetuum, sive ad tempus, modo legitimo) translata intelligitur Indulgentia. — « Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio Festi, Indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit S. Congr. Indulg. ex mandato Pii IX 9 aug. 1852 [2].

3° Cum indulgentia *semel in mense*, vel *in anno*, lucranda conceditur iis, qui quaedam opera vel quasdam preces per mensem vel per annum (praevie) perfecerint: mensis non necessario a primo die ad ultimum computandus est, nec annus a 1° januarii usque ad diem 31um decembris; sed a quolibet die computari poterunt 30 dies, et 12 menses a quolibet mense [3].

4° Si indulgentia concedatur intuitu mysterii vel Sancti illo die colendi, possunt opera valide peragi a *primis Vesperis*, a tempore nempe quo Vesperae in choro recitari solent, i. e. hora circiter secunda pomeridiana diei praecedentis usque ad solis occasum i. e. vespertinum crepusculum ipsius diei festi [4]. — Secus, a *media nocte* ad mediam noctem, quoties in Indulto aliud non exprimitur (S. C. Ind. 12 jan. 1878 [5]).

III. Quoad MODUM: 1° Non est necesse recitare preces flexis genibus, nisi id praescribatur (ut v. g. praescribitur pro oratione *Sacrosanctae* extra casum infirmitatis). — 2° Opera debent fieri ab eo, qui indulgentiam lucrari intendit, excepta eleemosyna, quae per alium valide datur. — 3° Non sufficit actus mere materialis, sed requiritur humanus [6].

IV. Quoad INTEGRITATEM operum perficiendorum, haec duo communiter asseruntur: 1° Qui ex impotentia vel ignorantia, sive totum opus, sive notabilem ejus partem omittit, v. g. si puer vel senex non jejunet, is non lucratur indulgentiam, nisi hoc opus, ob gravem difficultatem, ex legitima Pontificis concessione, ei in aliud commutatum fuerit. — 2° Non officit, si parva pars operis injuncti omittatur, quia opus censetur adhuc perfici quoad substantiam. Pars autem parva sumenda est respective ad totum opus: sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave* parva videtur; secus vero, si quinque *Pater* et *Ave* ad indulgentiam requirantur, et unum *Pater* et *Ave* omittantur [7].

1731. — IV. Conditiones speciales, quae ORDINARIE pro indulgentia plenaria requiruntur, sunt CONFESSIO, COMMUNIO, et PRECES VOCALES. — Quocirca notamus:

1° CONFESSIO, etsi non requiratur pro quibusdam indulgentiis plenariis, v. g. pro Indulgentiis *Viae Crucis*, plerumque tamen requiritur ex hac vel simili clausula, quae variis Rescriptis apponi solet « *contritis* et *confessis.* » — Necessaria est igitur confessio etiamsi quis solum venialia habeat; quia requiritur tanquam condi-

[1] *Decr. auth.* n. 407. — [2] Ibid. n. 360. — [3] M. Ulrich, C. SS. R., *Trésor spirituel*, p. 1. chap. 4. art. 3. §. 2. n. II. — [4] *Raccolta* (ed. 1886) pag. XXII. — [5] *Decr. auth.* n. 434; cf. et *Acta S. Sed.* vol. X. p. 563. — [6] Cf. Konings, n. 1778. III. 5° et 7°. — [7] L. VI. 534. 13°. 14°, 16°.

Digitized by Google

tio et opus praescriptum, ut constat ex Decreto S. Indulg. a Clemente XIII approbato, die 19 maji 1759[1]. Nec vero absolutio requiritur, nisi pro peccatis mortalibus.

Ex Indulto 9 dec. 1763[2] et ex Decreto S. C. Indulg. 15 dec. 1841[3] statutum est, ut, qui *singulis hebdomadis* (i. e. quolibet decurrente septem dierum spatio, ut declaravit S. C. 23 nov. 1878[4]) confiteri solent, omnes Indulgentias per hebdomadam occurrentes lucrari possint, ad quas lucrandas confessio sacramentalis caeteroquin requireretur; dummodo nullius lethalis culpae sibi sint conscii (ut patet), nec agatur de Jubilaeo. — Hoc privilegium, in pluribus locis, extensum est ex Indultis particularibus ad duas hebdomadas, vel etiam ad integrum mensem, v. g. in Missionibus orientalibus[5]. — Praeterea, ex decreto S. C. Indulg. a Pio VII approbato die 12 junii 1822[6], illi, qui singulis hebdomadis confiteri non solent, possunt confessionem ad lucrandam indulgentiam die festo necessariam, *infra octo dies ante festum* peragere, si degant in locis, in quibus, attenta penuria confessariorum, Ordinarius obtinuit speciale Indultum.

2° Communio (sicut etiam confessio) potest *anticipari* pridie ejus diei, pro quo aliqua Indulgentia conceditur, non solum ratione festivitatis occurrentis, verum etiam quacumque alia ex causa, v. g. receptionis in aliquam Confraternitatem, orationis XL Horarum, pii exercitii, etc.; — « servata tamen, in adimplendis aliis operibus injunctis, regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum » (S. C. Indulg., 6 octobris 1870)[7].

Communio *paschalis* valet ad lucrandam Indulgentiam plenariam eodem die occurrentem; excepta tamen Indulgentia Jubilaei, pro qua specialis requiritur tum confessio tum Communio, nisi contrarium in Litteris Pontificiis exprimatur. Ita ex Decr. 10 maji 1844[8]. — Item, una sacra Communio, peracta tempore *Visitationis* pastoralis vel *spiritualium Exercitiorum* in paroeciis, sufficit ad satisfaciendum praecepto paschali et ad lucrandam Indulgentiam plenariam[9] (cf. n. 1738). — Item, Communio die Paschatis sufficere potest ad lucrandam indulgentiam benedictionis Papalis et ad satisfaciendum praecepto (Decl. Greg. XVI, 19 mart. 1841)[10].

3° Preces vocales, recitandae *juxta intentionem* concedentis, sunt, ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter assignentur; sed ordinarie sunt *in aliqua ecclesia* fundendae (cf. 1733. q. 4°).

Monet tamen Benedictus XIV.[11]: « Licet oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita.... satisfacere possit, plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio aut parum propenso ad res spirituales animo, sive taedio negligentiaque proficisci solet. » Sufficiunt autem, juxta communem sententiam, quinque *Pater* et *Ave*, vel oratio aequivalens. — Hae preces possunt etiam cum socio alternatim recitari[12]. Situs, inter orandum generatim, non prae-

[1] *Decr. auth*, n. 214. 295. — [2] Ibid. n. 231. — [3] Ibid. n. 295. — [4] Ib. n. 439. — [5] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 546 et 547. — [6] *Decr. auth.* n. 252 et n. 264. — [7] Ibid. n. 426; cf. et *Collect. S. Sed.* n. 549. — [8] *Decr. auth.* n. 327. — [9] Ib. n. 296. — [10] Ib. n. 288. — [11] Constit. *Inter praeteritos*, 3 dec. 1749. §. 83. — [12] Konings, n. 1778 fin.

Digitized by Google

scribitur [1]. — Quoad aegrotos, surdo-mutos, etc., quibus facienda est commutatio operum, vide n. 1733. qu. 6 et 7.

1732. — V. Indulgentiae, sive plenariae sive partiales, possunt, ex concessione Pontificis, APPLICARI defunctis. — Constat ex usu Ecclesiae, et ex propositionibus damnatis a Sisto IV, Leone X et Pio VI. Ad hoc autem NECESSE est:

1° Ut tamquam defunctis *applicabiles* concessae fuerint [2]. Haec autem concessio a solo Romano Pontifice datur.

2° Ut lucrans habeat *intentionem* saltem interpretativam eas defunctis applicandi; nam Superior dat tantum *posse,* non autem eas huic vel illi defuncto applicat. — Sufficit tamen applicatio generalis, v. g. omnibus defunctis, quia suffragia sunt divisibilia.

3° Ut qui eas lucrare intendit, sit *in statu gratiae*, saltem cum ultimum praescriptum opus implet, prout S. Alphonso verius videtur contra aliquos; nemo enim potest alteri applicare Indulgentiam, nisi ipse eam prius lucratus fuerit [3]. Interrogata est hac super re S. C. Indulg., et die 20 augusti 1822 respondit: *Dilata* [4]; et iterum interrogata, respondit die 22 febbr. 1847: *Consulat* (Orator) *probatos auctores* [5].

1733. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An indulgentia concessa ut plenaria, valeat ut* PARTIALIS, *si integra obtineri nequeat: v. g. propter affectum ad aliquod veniale?*

Resp. Affirm. Ratio est: 1° « quia sicut non repugnat culpam alicujus venialis remitti, quin remittatur culpa aliorum, ita et poena; » 2° quia S. Pontifex « concedendo Indulgentiam plenariam non praesumitur velle eam restringere tantum ad eos, quibus remittuntur omnia venialia (qui certe sunt paucissimi), sed potius illam concedere juxta capacitatem subjecti, ut remittatur saltem poena venialium illorum, quorum culpa remissa est [6]. »

QUAER. 2° *An quis possit* EADEM DIE *diversas, aut pluries easdem Indulgentias lucrari?*

Resp. 1° Quoad Indulgentias *diversas*, generatim eas possunt fideles lucrari, saltem si sint *partiales* (de plenariis vid. quaer. 4°) et annexae operibus diversis, vel eisdem operibus, quae pluries in die repeti possunt. Ita communiter Theologi. — 2° Quoad Indulgentias *easdem*, ad Litteras concessionis attendendum est, an nimirum dicant *toties quoties*. Hae si nihil determinent, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiae [7].

QUAER. 3° *An quis possit* EODEM ACTU, *seu eodem opere, plures Indulgentias lucrari?*

[1] *Decr. auth.* n. 398. — [2] Omnes Indulgentiae in opere, cui titulus *La Raccolta*, publicatae, declaratae sunt defunctis applicabiles. — [3] L. VI. 533 et 534. 10°; H. A. XVI. 62. — [4] *Decr. auth.* n. 253. — [5] Ib. n. 341. — [6] L. VI. 534. 19°, v. *Certum est;* H. A. XVI. 63. — [7] Gury, II. 1053. qu. 12; cf. *Acta S. Sedis*, vol. I. p. 116 et vol. X. pag. 563.

Digitized by Google

Resp. Affirmative, si praescriptum opus repeti non possit, aut non soleat eodem die, ut jejunium, Communio, etc.; *negative*, si opus repeti possit, ut preces ad intentionem S. Pontificis, visitatio ecclesiae, etc. — Etenim *ad quaesitum:* « Utrum, si eidem pio operi, quod a fidelibus iterari non potest, variis titulis Indulgentiae adnexae sunt, possint omnes lucrifieri? « Respondit S. C. Indulg. die 12 jan. 1878 [1]: « *Affirmative*, dummodo opera injuncta vere iterari nequeant, vel non soleant, sicuti confessio, nisi sit aliunde necessaria. »

QUAER. 4° *Quomodo possint acquiri* PLURES *Indulgentiae* PLENARIAE, *eodem die?*

Resp. Postùlatum fuit: « 1° Cum ex diversis decretis S. C. Indulgentiarum jam liceat plures plenarias Indulgentias EADEM DIE lucrari, solutis scilicet conditionibus, *quaeritur,* an dictum decretum respiciat solas Indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit? — 2° Qui decreto ipso uti voluerit, an teneatur ecclesiam vel publicum oratorium *visitare* (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae? — Et quatenus Affirmative, — 3° An sufficiat ut in una eademque ecclesia tot preces, seu visitationes *repetantur*, quot sunt Indulgentiae lucrandae, quin de ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur? » —Et S. C. Indulg., 29 febr. 1864, respondit: « Ad 1[m]: Affirmative. Ad 2[m]: Affirmative. Ad 3[m]: Negative [2]. »

QUAER. 5° *Utrum, si concedatur facultas commutandi opera injuncta ad lucrandas indulgentias, commutatio necessario* IN CONFESSIONE *fieri debeat?*

Resp. Controvertitur. Busenbaum, a S. Alphonso non correctus [3], negat ex declaratione Gregorii XIII.—Affirmandum tamen, cum agitur de Jubilaeo, ex Benedicti XIV Constitutione *Inter praeteritos*, § 63 [4], nisi alia facultas expresse concedatur.

QUAER. 6° *Quomodo* SURDO-MUTI *lucrari valeant Indulgentias, quibus adnexae sunt orationes* VOCALES?

Resp. S. C. Indulg. statuit, et Pius IX approbavit 15 martii 1852 [5] sequentia: 1° « Quodsi inter opera pro lucranda Indulgentia praescripta sit visitatio alicujus ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devoti visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent,

[1] *Decr. auth.* n. 434. — [2] Ib. n. 399; cf. *Collect. S. Sed.* n. 558. — [3] L. VI. 534. 15°. — [4] Ib. 536. 14°. — [5] *Decr. auth.* n. 355; cf. et *Collect. S. Sed.* n. 557.

Digitized by Google

et pios affectus. — 2° Quodsi inter opera sint publicae preces, surdomuti possint lucrari Indulgentias iis adnexas, corpore quidem conjuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus. — 3° Quodsi agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. »

QUAER. 7° *Quomodo* AEGROTI *lucrari valeant Indulgentias ad quas acquirendas S. Communio et visitatio alicujus ecclesiae praescribuntur?*

Resp. Ex benigna concessione Pii IX, die 18 sept. 1862[1], aegroti, qui « ob morbum *chronicum*, aut physicum *permanens* aliquod impedimentum e domo egredi impotentes sunt (exceptis tamen illis qui in communitate morantur), possunt acquirere omnes et singulas Indulgentias plenarias, dummodo vere poenitentes confessi, ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis, *alia pia opera* a respectivo confessario injungenda fideliter adimpleant. »

Porro SS. D. N. Leo Papa XIII, die 16 jan. 1886, S. Congr. Indulg. decretum approbavit, quo conceditur « ut infirmi aut senio confecti in communitate et sub regula viventes, qui Ecclesias aut oratoria aliave pro indulgentiis praescripta exequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera confessarii arbitrio praescribenda[2]. »

QUAER. 8° *An fideles* CONFRATERNITATIBUS *adscripti priventur indulgentiis, si Confraternitatis* STATUTA *non observent?*

Resp. Neg. Sic enim ad quaesitum respondit S. C. Indulg. die 25 jan. 1842 in *Cameracen*[3]: « Dummodo Sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera injuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis Indulgentiis suae respectivae Confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime adscripti fuerint in Confraternitatem: inobservantia partialis, seu generalis statutorum non obest acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tanquam injuncta opera ad Indulgentias acquirendas. »

Caetera ad CONFRATERNITATES et SODALIDATES spectantia vide apud Canonistas[4].

[1] *Decr. auth.* n. 393; cf. *Collect. S. Sed.* n. 553. — [2] *Acta S. Sedis*, vol. XVIII pag. 462. — [3] *Decr. auth.* n. 298; *Collect. S. Sed.* n. 563. — [4] Cf. Ferraris, V. *Confraternitates;* Craisson, *Man. j. can.* n. 4654-4680; Lucidi, *de Vis. SS. Limin.* vol. 2. pag. 474. sqq.; *Decr. auth.* S. C. INDULG. (Append. n. I, XII, XIII et Indic. rer.); item *Rescripta auth.* ejusd. Congr. anno 1885, Ratisb. edita.

Digitized by Google

1734. — *Nota.* Juvat hic nonnulla alia RESPONSA S. C. INDULGENTIARUM, quae ad praesentem materiam spectant, ad lectoris commodum, transcribere [1].

1° Indulgentiae applicari possunt rebus *solidis*, ferro, ligno, plumbo, ecc., etiam coronae vitro solido confectae. Solae res, quae facile frangi possunt aut lacerari, ut papyrus, vitrum insufflatum, etc. excipiuntur (S. C. Indulg. 29 febr. 1820 [2]). — Debent autem *numismata* referre imaginem alicujus Sancti vel solemniter canonizati, vel saltem in Martyrologio Romano relati; nec sufficit imago alicujus Beati, nisi simul adsit imago Sancti (S. C. Indulg. 22 dec. 1710) [3].

2° Ad benedicendas pro Indulgentiis *cruces*, *rosaria*, etc. sufficit si fiat signum crucis a sacerdote, qui hanc facultatem accepit, licet in Indulto existat clausula « in forma Ecclesiae consueta. » — Sed pro coronis Rosarii, et Septem Dolorum B. V. requiritur formula praescripta et aspersio aquae benedictae (S. C. Indulg. 11 apr. 1840; 7 jan. 1843 et 29 febr. 1864 [4]).

3° *Quaesitum fuit:* « 1° Utrum... coronae Indulgentias amittant, si alicui donentur? — 2° Utrum post mortem domini alter acquirat dominium earum, nempe Indulgentiarum? — 3° Si rumpatur coronarum filum, sive voluntarie ut catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id acciderit? — 4° Si globuli quatuor vel quinque deperdantur? — 5° Si amico commodentur, sive ad coronam simpliciter recitandam, sive ad Indulgentias lucrandas? — Et S. C. Indulg. die 10 januarii 1839 [5] respondit: Ad 1^m *affirmative*, quoties non dentur immediate, vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi. — Ad 2^m *negative*, quia Indulgentiae non transeunt personam prioris domini. — Ad 3^m *negative*, quia coronae eaedem perseverant quoad formam moralem. — Ad 4^m *negative*, ex allata ratione in praecedente responsione. — Ad 5^m *negative* in primo casu, *affirmative* in secundo. Ut enim pereant Indulgentiae coronis aliisque rebus mobilibus affixae, requiritur finis dandi vel praestandi pro communicatione Indulgentiarum. »

4° Quando S. Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit *Urbi* et *Orbi*, ut fideles talem Indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint: requiriturne, ut haec Indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, an sufficit e contra, ut certi sint praedictam Indulgentiam a S. Pontifice fuisse concessam? — S. C. Indulg. die 1 julii 1839 respondit [6]: *Negative*, quoad primam partem, *Affirmative* quoad secundam.

5° Utrum quis frui possit obtentis indulgentiis, seu gratiis, absque licentia et recognitione *Ordinarii sui?* — Resp. *Affirm.*, quoad usum et fruitionem; sed privatim tantum iisdem valeat uti gratiis, modo in nullius gravamen cedant, aut scandali occasionem praebeant, et modo orator eas facultates sine licentia typis mandare non praesumat (Die 12 dec. 1840 [7]).

6° Utrum qui obtinet *facultates diversas* ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes *Viae Crucis*, benedicendi cruces, numismata..., debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis? — Resp. *Affirmative*, quoad *Viae Crucis* erectionem; *negative*, relative ad alias facultates, nisi aliter dispositum fuerit in obtentis concessionibus. — (Die 6 feb. 1844) [8].

[1] Cf. Del Vecchio, *Compend.* tom. II. n. 666. — [2] *Decr. auth.* n. 249. — [3] *Decr. auth.* n. 32. — [4] *Decr. auth.* n. 281. n. 313. 401. — [5] *Collect. S. Sed.* n. 587. — [6] *Decr. auth.* n. 273. — [7] Del Vecchio, vol. II. n. 666. VIII. — [8] Ibid. n. 666. IX. —

Digitized by Google

7° Cum in Brevibus Indulgentiarum dicitur « *praesentibus ad septennium duraturis,* » septennium est computandum non a die publicationis, sed a die datae Brevis (S. C. Indulg. die 20 maji 1711) [1].

8° Licet vertere in aliam linguam preces cum Indulgentiis, quin Indulgentiae amittantur, *si fidelis est versio* (S. C. Indulg. die 30 sept. 1852) [2]. — Ut vero constet de fidelitate versionis precum, quibus adnexae sunt indulgentiae, sufficit declaratio S. C. Indulgentiarum per Emum Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio. Ita S. C. Indulg. die 29 dec. 1864 [3].

9° An visitantes ecclesias Ordinis S. Francisci, die 2 augusti, lucrentur indulgentiam plenariam *toties quoties* in eas ingrediuntur, et parumper ibi orant? Et an requiratur, ut Communio fiat in eadem ecclesia? — S. C. I. die 12 julii 1847 [4] respondit: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

NB. Quoad Indulgentias *Viae Crucis* et variorum *Scapularium* vide *Acta authentica* S. C. Indulg. Append. §. V. VI, etc. [5].

§. 2. *De Jubilaeo.*

1735. — Definitio. Jubilaeum est Indulgentia plenaria solemnis cum privilegiis annexis, a S. Pontifice concessa certa opera peragentibus.

Differt *accidentaliter* tantum ab alia indulgentia plenaria, ratione scilicet solemnitatis et privilegiorum, gratiarumque quae ipsi annectuntur. — Primarium tamen concessionis motivum non est, ut fideles Indulgentiam lucrentur, sed potius in genere, ut ad veram poenitentiam provocentur, atque ita Dei misericordiam aut publicarum calamitatum liberationem consequantur. Indicitur etiam quandoque ad fovendam reverentiam et obedientiam erga S. Sedem: ad hujus enim finis consecutionem multum prodest solemnis Jubilaei Indulgentia.

Divisio. Multiplex distinguitur Jubilaeum.

1° Jubilaeum majus seu *ordinarium*, quod regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui annus sanctus vocatur; et Jubilaeum minus seu *extraordinarium*, quod conceditur a singulis Summis Pontificibus post uniuscujusque exaltationem, vel in aliis peculiaribus circumstantiis. — Jubilaeum majus concedi solet Urbi, seu Romae soli, per integrum annum, quo expleto, ad universum Orbem per tempus brevius *extenditur:* secus Jubilaeum minus.

2° Jubilaeum generale, quod conceditur universo Orbi (ut Jubilaeum majus, ac saepe etiam Jubilaeum minus); et particulare, quod conceditur alicui provinciae, civitati, vel communitati.

Nota. In interpretandis Bullis Jubilaei *servandae sunt* regulae *a Benedicto XIV traditae*, quibus nec ipsa Bulla Jubilaei adversatur, prout, quoad

[1] *Decr. auth.* n. 37. — [2] *Decr. auth.* n. 361. — [3] *Decr. auth.* n. 415. — [4] *Decr. auth.* n. 344. — [5] Vide etiam Konings, n. 1787. sqq.; Craisson, *Man. jur. can.* n. 4602. sqq.; et speciatim pro *Scapularibus* M. Ulrich, C. SS. R., *Trésor spirituel.*

Digitized by Google

Jubilaeum tum ordinarium, tum extraordinarium, declaravit Pius IX die 15 martii 1852 [1].

I. — Privilegia jubilæi.

1736. — Quoad haec, primario consulatur BULLA, qua Jubilaeum conceditur. — Ea vero, quae hucusque, juxta constituta a Benedicto XIV [2] et mentem auctorum probatorum, tempore extensionis Jubilaei majoris ad universum catholicum Orbem, concedi consueverunt, sunt summatim sequentia:

A) *Directe pro* POENITENTE: Facultas eligendi confessarium inter approbatos ab Episcopo loci, ubi confessio fit. — Hinc, etiam Regulares quicumque, Oblatae, Tertiariae, etc., pro confessione ad lucrandum Jubilaeum requisita, absque Superiorum licentia, ex dictis approbatis quemcumque sacerdotem, etiam saecularem, eligere possunt; Moniales vero stricte dictae, et earum novitiae, aliquem ex approbatis a loci Ordinario ad audiendas Monialium confessiones, sive ad hunc finem generatim, sive pro aliis monasteriis, approbatus sit [3]. — Semel autem pro Monialibus approbatus sive tanquam ordinarius, sive tanquam extraordinarius, sed cujus approbatio, v. g. ob lapsum termini praefixi, cessavit, etiam eligi potest pro Jubilaeo a praefatis Monialibus, « nisi constet eumdem confessarium fuisse postea ob demerita, quae ipsas confessiones concernant, ab eodem Ordinario positive reprobatum. » Ita S. Poenitentiaria [4].

B) *Directe pro* CONFESSARIO *et indirecte pro poenitente.*

I. Facultas absolvendi, pro foro conscientiae duntaxat, « ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum » ac Pontifici et S. Sedi, « speciali licet forma, reservatis, et quae alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessae, necnon ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Pontifici... reservatis [5]. » — Nec obstat (ut probabilius et communius docetur), si quis peccavit in Jubilaei confidentiam [6].

EXCIPIUNTUR tamen ab hac ampla facultate: 1° Haeresis *formalis externata,* quamvis occulta, nisi potestas ab ea absolvendi ex-

[1] *Decr. auth.* n. 353, et Append. §. XVIII, ubi hae regulae omnes referuntur. — [2] Cf. Const. *Benedictus* (25 dec. 1750); *Celebrationem* (1 jan. 1751); *Convocatis* (25 nov. 1749); *Inter praeteritos* (3 dec. 1749). — [3] Const. *Celebrationem,* §. 9-11. — [4] Cf. *Nouv. Revue Théol.* tom. I. p. 430 sq. — [5] Ben. XIV. Const. *Benedictus,* §. 4; et Pius IX. Encycl. *Gravibus Ecclesiae,* 1874. — [6] L. VI. 537. qu. 6°; H. A. XVI. 69.

Digitized by Google

presse indicetur [1] (Haec potestas, servatis de jure servandis, concessa est in ultimis Jubilaeis, tempore Concilii Vaticani ac deinceps, celebratis). — 2° Casus et censurae in Benedicti XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae* reservati (vid. n. 1772 et 1780). — 3° Absolutio illorum, qui a S. Sede vel ab aliquo Praelato seu judice apostolico *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti seu in alias sententias et censuras incidisse *declarati* aut publice *denuntiati* fuerint; nisi intra tempus Jubilaei satisfacerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint [2].

II. Facultas dispensandi ab *irregularitate,* occulta tamen, incursa ob violationem censurarum, per exercitium Ordinis.

III. Facultas *commutandi vota simplicia* (non excepto voto commutationem non petendi [3]), etiam jurata et Sedi Apostolicae reservata [4] (cf. n. 2191. 2°).

Excipiuntur autem ab hac facultate: 1° Vota castitatis perpetuae, et ingressus in Religionem [5] (cf. n. 645. qu. 2°); 2° Vota in favorem tertii, si sint jam acceptata, nisi tertius juri suo renuntiet (cf. n. 647). Ergo excipiuntur etiam vota in aliqua religiosa Communitate emissa [6]. 3° Vota poenalia praeservativa a peccato, nisi commutatio fiat in aliud opus, quod aeque vel magis ad praeservationem conducit [7].

Notetur: 1° Hae absolutiones, commutationes, dispensationes, non possunt fieri absque speciali concessione, extra actum sacramentalis confessionis [8]. — Vide Resp. S. Poenit. die 16 martii 1865 [9].

2° *Una* tantum *vice* quisque fidelis, durante Jubilaeo, iis frui potest; sed non opus est ut ei omnia in eodem tempore, vel per eumdem confessarium, applicentur; at *iis solis* illa applicari possunt « qui Jubilaeum consequi sincere ac serio statuerunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad confessionem accedunt [10]. »

II. — Conditiones ad jubilæum requisitæ [11].

1737. — I. Ad Jubilaeum, MAJUS seu ORDINARIUM, tres solent requiri conditiones, videlicet:

1° Visitatio devota ecclesiarum, illarum nimirum, quae in Urbe a S. Pontifice, et extra Urbem ab Ordinariis locorum designatae sunt, pie orando in ipsis, ad Pontificis intentionem, v. g. recitando quinque *Pater* et *Ave,* vel preces aequivalentes. — Non obstat

[1] Bened. XIV. Const. *Inter praeteritos,* §. 85. — [2] Bened. XIV, C. *Benedictus,* §. 5; cf. H. A. XVI. 70. 71; L. VI. 537. qu. 7 et 8. — [3] Ferraris, v. *Jubilaeum,* art. 2. n. 39. — [4] Ben. XIV. C. *Benedictus,* §. 4; cf. Loiseaux, *Du Jubilé,* pag. 460-554. — [5] Const. *Benedictus,* §. 4. — [6] Ibid. §. 4. — [7] Ibid. — [8] Bened XIV. Const. *Convocatis,* n. 25. — [9] *Acta S. Sed.* vol. I. pag. 176. — [10] Cf. Konings, n. 1784. — [11] Ib. 1785. sq.

Digitized by Google

autem, si dum ecclesiam visitandam, ob hominum multitudinem, non possis ingredi, ores in vestibulo, vel ante fores, vel in coemeterio, vel ante obseratum ecclesiae ostium. Quod si *plura altaria* visitanda praescribuntur, ita visitanda sunt, ut motu saltem corporis ad unumquodque te vertas, cum intentione illud visitandi, recitando dein preces debitas [1]. — Si in aliquo loco *una* tantum exstat *ecclesia*, ex decreto generali S. C. Ind. edito die 15 mart. 1852 [2], tribuitur Ordinariis facultas concedendi, ut omnes praescriptae visitationes in hac ecclesia peragantur. Hae vero visitationes in eadem ecclesia sunt ab invicem distinguendae, adeo ut singulis vicibus necesse sit in eam ingredi, et ex ea egredi. Ita ex declaratione S. Poenit., 26 jan. 1875 [3].

2° Confessio valida, etsi formaliter tantum integra (cf. n. 1731).

3° Communio, facta in statu gratiae, vel in qua saltem gratia sanctificans prima per accidens confertur [4], si quis nempe indispositus, sed bona fide atque attritus, ad Sacram Mensam accedat (cf. n. 1395).

II. Pro Jubilaeo extraordinario, praeter tres enumeratas conditiones, praescribi solent: — 1° Jejunium trium dierum, feria quarta, sexta et sabbato. Praescribitur autem jejunium *strictum*, in quo cibis tantum esurialibus vesci licet, nisi commutatio obtineatur (cf. Decis. S. Poenit. 16 mart. 1865) [5]. — 2° Eleemosyna, vel indeterminata, i. e. aliqua; vel determinata, juxta cujusque facultatem. Non vero necesse est erogare pecuniam, sed sufficit dare aliam rem pretio aestimabilem, v. g. vestem, etc.

Nota. Pro Jubilaeo particulari, attendendum est ad tenorem Indulti concessi. — Ordinarie tria tantum requiruntur, nempe *Confessio*, *Communio* et *visitatio* alicujus ecclesiae.

1738. — Tria hic notanda veniunt: — 1° Ad lucrandam Jubilaei Indulgentiam, non sufficiunt opera *ex alio jam titulo debita*. Unde: 1) non sufficit jejunium jam praescriptum, v. g. ratione IV Temporum; nisi S. Pontifex id indulserit v. g. determinando, vel permittendo ut determinetur, pro lucrando Jubilaeo, tempus quadragesimale. 2) Non sufficit confessio annua, nisi hoc expresse concedatur. 3) Non sufficit Communio paschalis, etsi tempore Paschatis Jubilaeum celebretur. Ita S. Poenit., 26 jan. 1875. Aliquando tamen eam sufficere S. Pontifex benigne indulsit [6]. 4) Non sufficit denique visitatio ecclesiae, dum quis Sacro assistit die Dominica.

[1] L. VI. 534. 14°; cf. Ferraris, v. *Jubil.* art. 3. n. 7. sqq. — [2] *Decr. auth.* n. 353. — [3] Cf. *Catech. dell'Anno Santo*, 1875, pag. 257. — [4] Cf. Loiseaux, *du Jubilé*, ch. 5. art. 2. §. 3. n. 5. (pag. 202). — [5] *Acta S. Sed.* vol. I. 174. sq. — [6] Cf. Scavini, tom. IV. n. 348. I.

Digitized by Google

2° Conceditur confessariis FACULTAS COMMUTANDI opera praescripta in alia opera, aliunde indebita et ejusdem fere naturae; non quidem omnibus indiscriminatim, sed iis solis, qui versantur in impossibilitate physica, vel morali, adimplendi communes conditiones. Et quando indulgetur ut fideles indulgentiam Jubilaei pluries lucrari possint, etiam pluries commutari possunt opera injuncta. (S. POENIT. 18 mart. 1886) [1]. — Advertendum tamen est, hanc facultatem posse intra solum confessionis actum exerceri (ut supra, n. 1737. Not. 1°, dictum est), et non extendi ad omnia opera praescripta. Confessio enim nunquam commutatur; Communio autem commutatur solis pueris, et etiam, ut videtur, chronico morbo laborantibus (ex generali concessione Pii IX, relata n. 1733. qu. 7., quae Jubilaeum non excipit); orationes demum non possunt commutari, etsi commutentur visitationes ecclesiarum. Ita Benedictus XIV C. *Inter praeteritos*, §. 53.

3° Jubilaeum, saltem ex recentioribus Indultis, in aliud, sed proximum, tempus PROROGARI potest, in favorem viatorum, navigantium, et generatim eorum, qui aliquo transitorio obstaculo praepediuntur, quominus omnia praescripta opera intra ipsum Jubilaei tempus compleant. — Unde, si quis ultimo die, v. g. ob fractum jejunium, vel dilationem absolutionis, communicare prohiberetur, prorogationem Jubilaei a confessario recte obtineret.

1739. — Quaesita. QUAER. 1° *Quaenam* QUANTITAS *eleemosynae eroganda sit?*

Resp. « In hoc praecipue attendenda sunt verba Indulti; nam si dicatur: *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit*, tunc quantitatem oportet proportionari cujusque facultatibus; unde sufficiet pauperi, dare obolum, non diviti. — Si vero dicatur simpliciter: *Qui dederit eleemosynam*, distinguendum: si Papa eam postulet tantum ad exercendam misericordiam in pauperes, tunc sufficit dare quamlibet summam; secus, si eleemosyna exposcatur in subsidium alicujus operae piae [2]. »

QUAER. 2° *An* PAUPERES *teneantur, ad lucrandum Jubilaeum, facere eleemosynam?*

Resp. Affirm., Quia nemo est tam pauper, quin saltem obolum dare possit. — Pro Religiosis vero, filiisfamilias, uxoribus et servis sufficit, si eleemosyna ab eorum Superioribus, ipsis scientibus, erogetur. — Quod si Superior eam erogare renuat, petenda est commutatio [3].

[1] *Acta S. Sed.* vol. XVIII. 512. — [2] L. VI. 538. qu. 11. — [3] Ibid. qu. 11. dub. 1.

Digitized by Google

QUAER. 3° *An certus* ORDO *requiratur in exequendis Jubilaei conditionibus?*

Resp. Neg., id enim in Bullis non exprimitur. — At vero *ultimum opus* in statu gratiae ponendum est. Si quis autem post confessionem labatur in peccatum mortale, licet non teneatur iterare visitationes etc., tenetur tamen iterum confiteri, nec sufficit conteri, si velit lucrari Jubilaeum [1].

QUAER. 4° *An in* UNO ET EODEM *loco omnia opera peragi debeant?*

Resp. Neg., nam S. Poenitentiaria (anno 1875) declaravit: « opera incepta uno in loco impleri et perfici posse in alio, ubi quis vitam degere debeat, ratione officii, servitutis vel matrimonii. » — Item, ad *quaesitum:* « utrum lucretur Jubilaeum, qui conditiones praescriptas adimplet in aliena dioecesi, ubi non habet domicilium, si observet ordinationes Ordinarii loci, ubi moratur? — responsum est: *Affirmative* [2]. »

QUAER. 5° *An confessio facta in* VIGILIA *primae diei Jubilaei sufficiat?*

Resp. Neg., et ratio est, quia omnia opera fieri debent intra intervallum temporis ad Jubilaeum lucrandum statuti. — Potest tamen inchoari confessio, sive in vigilia, sive ante, modo tempore Jubilaei terminetur. Et potest tota confessio peragi in ea parte vigiliae, quae *primas Vesperas* subsequitur; quia prima dies, ecclesiastico more, a primis Vesperis computari solet; et hoc in Jubilaeo ordinario Urbis constanter servatur, ut patet ex Benedicti XIV Bulla *Peregrinantes* 5 maji 1749. § 5. [3].

QUAER. 6° *An debeant omnia injuncta opera in* UNA *perfici hebdomade?*

Resp. 1° *Affirm.*, quoad JEJUNIA. Patet ex apponi solita formula, quae sic sonat: « Qui processioni interfuerint, vel ecclesias visitaverint, et feria quarta, sexta et Sabbato alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, pariterque sua peccata confessi, et S. Communione refecti fuerint, eleemosynamque tribuerint, etc. » Ergo, tria jejunia sunt in eadem hebdomada facienda [4]. — 2° Quoad ALIA OPERA, in recentioribus Indultis expresse declaratum est, non esse necessario intra eamdem hebdomadam perficienda. Ita Pius IX, 20 novemb. 1846, et Leo XIII, 12 martii 1881. — Imo, ad implendas *quaslibet conditiones* totus annus quandoque conceditur (Encycl. 22 Dec. 1885).

QUAER. 7° *An Jubilaeum* PLURIES *lucrifieri possit?*

Resp. Jubilaeum ANNI SANCTI in Urbe, non autem extra, pluries quis lucrari potest [5], atque eadem, quoad Jubilaea *extraor-*

[1] Bened. XIV. Const. *Convocatis*, n. 47. — [2] Cf. *Acta S. Sed.* VII. 486. — [3] Gury, II. n. 1069. — [4] L. VI. 537. — [5] Ib. 536. 25°.

Digitized by Google

dinaria, tribui solet facultas. Favoribus vero Jubilaeo adjunctis semel tantum quisque frui potest. Ita omnes [1], et S. Poenitentiaria de pluribus Jubilaeis particularibus expresse declaravit.

QUAER. 8° *An peccet graviter, qui postquam absolutus est a reservatis,* NON IMPLET *postea opera injuncta?*

Resp. Neg., cum sententia communi. « Ratio est, quia hujusmodi obligatio non inspicitur imposita, neque ex natura Jubilaei, neque ex Pontificis aut confessarii praecepto. » Qui autem, cum vera intentione lucrandi Jubilaeum, a censuris absolutus, aut in voto vel irregularitate dispensatus est, non reincidit, si postea, mutata voluntate, Jubilaeum non lucratur, etiam culpabiliter [2].

QUAER. 9° *An qui confessus est tempore Jubilaei, et* OBLITUS EST *vel cum causa* OMISIT *confiteri peccata sua* RESERVATA, *possit deinde a quocumque confessario absolvi?*

Resp. 1° *Affirm.*, si confessarius habuerit expressam intentionem absolvendi a peccatis etiam reservatis. Ita omnes.—2° Idem communius et probabilius admittitur, licet confessarius de hoc non cogitaverit; quia poenitens, vi Jubilaei, jus acquisivit ad favorem Pontificis, ut ex eo tempore a quolibet confessario possit absolvi [3]. — 3° Si quis autem confessionem intra Jubilaeum *inchoaverit*, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, ab omnibus peccatis reservatis vel tunc, vel deinde, absolvi poterit [4].

QUAER. 10. *An per confessionem* INVALIDAM *in Jubilaeo absolvantur censurae reservatae, et auferatur reservatio peccatorum?*

Resp. Neg., juxta S. Alphonsum [5]. Ratio est, quia Pontifex talem facultatem eo fine concedit, ut fideles Jubilaei indulgentiam lucrentur. Ergo non praesumitur illam concedere in favorem eorum, qui ob invalidam confessionem non valent lucrari indulgentiam.

1740. — *Nota.* Tempore quo Jubilaeum ANNI SANCTI Romae celebratur (non autem tempore, quo ad Orbem extenditur): 1° SUSPENDUNTUR extra Urbem *facultates* seu privilegia tum absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis, tum commutandi vota, dispensandi ab irregularitatibus, etc.; sive intuitu indulgentiarum, sive ob alias causas hae facultates concessae fuerint. Ita Benedictus XIV [6]. — Excipiuntur (nisi aliud ex Bulla constet): 1) facultates S. Inquisitionis suorumque ministrorum; 2) facultates Episcopis a Concilio Trid. concessae; 3) facultates Superiorum Regularium cum suis subditis exercendae; 4) facultates Missionariorum, quos mittit S. Sedes, vel S. Congr. de Prop. Fide; 5) facultates, quas S. Poenitentiaria Missionariis *pro locis missionum* tribuit [7]; 6) facultates, quas forte confessarius sive a S. Poenitentiaria obtinuit, sive a proprio Ordinario subdelegatus habet per modum

[1] Cf. *Acta S. Sed.* VII. 222. in nota. — [2] L. VI. 537. qu. 3°; H. A. XVI. 67. — [3] L. VI. 537. qu. 4; H. A. XVI. 68. — [4] L. VI. 535. 3°. — [5] Ib. 537. q. 2; H. A. 66; cf. *1 Elench. qq. ref.* n. 80. — [6] Bulla *Inter praeteritos*, §. 29. — [7] Ben. XIV. *Cum nos nuper*, 7 maji, 1749; cf. Loiseaux, *Du Jubilé*, §. ult

Digitized by Google

habitus pro foro interno, et in actu sacramentalis confessionis tantum. (S. Poenit. anno 1875 [1]).

2° Similiter anno sancto suspenduntur (nisi aliud statuatur, sicut in Jubilaeo anni 1875) omnes *indulgentiae* tum plenariae tum particulares, quae concessae sunt pro vivis, et quae nec reales sunt, nec locales; nec vero suspenduntur concessae pro defunctis. — Imo, ex concessione Benedicti XIV, toto Jubilaei anno, *defunctis* applicari possunt omnes Indulgentiae, ne illis quidem exceptis, quae alias ipsis non erant applicabiles.

Ex indulgentiis tamen pro vivis, EXCIPIUNTUR nonnullae a suspensione, videlicet: 1° Indulgentiae pro moribundis; 2° Indulgentiae pro oratione *Angelus Domini;* 3° Indulgentiae pro visitatione SS. Sacramenti solemniter expositi; 4° Indulgentiae pro iis, qui comitantur SS. Sacramentum infirmis delatum; 5° omnes Indulgentiae, quae ab alio quam a Papa conceduntur. Haec deducuntur a Constitutionibus Benedicti XIV et Leonis XII [2].

§. 3. *De Indulgentiis in articulo mortis lucrandis.*

1741. — I. Moribundi possunt, variis titulis, lucrari PLURES INDULGENTIAS, quas vocant *latas* i. e. sine sacerdotis ministerio obtinendas, videlicet: 1° Si possideant *res sacras*, v. g. cruces, numismata, coronas, apostolicis Indulgentiis ditatas; — 2° si sint *sodales* alicujus Confraternitatis v. g. SS. Rosarii, Tertii Ordinis S. Francisci, etc.; vel si gestent aliquod Scapulare approbatum; — 3° si frequenter in vita elicuerint actus virtutum theologalium, etc. [3].

Conditiones ad has lucrandas indulgentias requisitae, eaedem sunt ac pro indulgentia Apostolicae Benedictionis (v. infra, q. 2°). Sed si annexae sunt v. g. cruci, rosario, etc., requiritur ut aegrotus has res secum, vel prope lectum, habeat, quamvis eas non videat, et SS. Nomen Jesu tot vicibus invocet, quot sunt indulgentiae lucrandae.

II. Inter indulgentias quas dicunt *ferendas* (seu per ministerium sacerdotis concedendas) quae in mortis articulo lucrifieri possunt, maxime eminet BENEDICTIO APOSTOLICA pro articulo mortis, seu ABSOLUTIO GENERALIS, quam refert Rituale Romanum.

1742. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Quandonam* ABSOLUTIO GENERALIS *impertiri possit?*

Resp. In gravi infirmitate, nempe in imminente mortis articulo, sub quo intelligitur non quidem agonia, sed evidens et proximum mortis periculum, ut colligitur ex Bulla Benedicti XIV. — Rubrica hujus benedictionis dicit: « Solet impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae-Unctionis. » Quo in casu, *Confiteor* ter dici debet (S. C. Indulg. 5 febr. 1841 ad 6[m]) [4].

QUAER. 2° *Quid requiratur* EX PARTE SACERDOTIS *ad hanc Indulgentiam* VALIDE *impertiendam?*

[1] *Acta S. Sed.* vol. VIII. 486. — [2] Cf. H. A. XVI. 72; L. VI. 535. *Resp.* 2. — [3] L. VI. 534, ubi plura; cf. *Raccolta delle pregh.* etc. — [4] *Decr. auth.* n. 286.

Digitized by Google

Resp. 1° Ut sit *delegatus*. Haec delegatio fit a Romano Pontifice omnibus Episcopis eam postulantibus, simul cum potestate *subdelegandi* sacerdotes, tum saeculares, tum regulares; et ita quidem, ut neque Indultum Episcopis concessum per mortem S. Pontificis, neque subdelegatio per Episcopi subdelegantis cessum aut decessum expiret (Ita Bened. XIV, Const. *Pia Mater*, 5 apr. 1747)[1]. — 2° Ut adhibeat *formulam* a Benedicto XIV praescriptam: quae si omittatur, etiam ob libri deficientiam, indulgentia non confertur, quia non est tantum directiva, sed praeceptiva. S. C. Indulg. 5 febr. 1841 *in Valentinen.* ad 8m[2].

NB. Haec formula, juxta Breve SS. D. N. Leonis XIII. *Quo universi* (7 julii 1882), ab omnibus adhibenda est, etsi alio titulo, v. g. ex privilegio alicui Ordini vel Confraternitati concesso, Absolutio generalis tribuatur. Quare, in editione *typica* Ritualis Romani (Ratisb. 1884), expunctae sunt aliae omnes formulae, quae in appendice prius legebantur.

Quaer. 3° *Quid requiratur* ex parte infirmi?

Resp. 1° Intentio lucrandi indulgentiam, saltem interpretativa, ut patet ex verbis Rubricae. Dicitur enim eam impertiendam esse illis, « qui vel etiam petierint... vel verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis. » — 2° Ut infirmus sit « confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, et nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit. » — 3° Actus contritionis et charitatis; et 4° Actus, quo aegrotus mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiat, ut constat ex Bulla. — Et hae quidem conditiones, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, tanquam conditiones *sine qua non*, ad indulgentiam lucrandam requiruntur, ut communiter docent AA. et de invocatione SS. Nominis Jesu expresse declaravit S. C. Ind. 23 sept. 1775[3].

Quapropter monet Rituale: « Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum (Confessarius) et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda atque dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque se paratum offerat ad ultro acceptandum, quiquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. » — Res *prudentiae* est, hanc adhortationem (quae jam in confessione fieri potest) ita moderari, ut aegroti perturbatio, vel adstantium indignatio evitetur.

Quaer. 4° *An haec Apostolica Benedictio* iterari *possit?*

Resp. 1° *Affirmative*, in diverso mortis periculo; 2° *negative*, in

[1] Cf. *Decr. auth.* append. §. XV. — [2] *Decr. auth.* n. 286. — [3] *Decr. auth.* n. 237; cf. de Herdt, tom. 3. p. 6. n. 25.

Digitized by Google

eodem mortis articulo. — Etenim, ex Decreto S. C. Indulg. 12 martii 1855[1], prohibitum est, « infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri *pluries* ab eodem, vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus, Indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo *benedictio papalis* dicitur. » — Item, ibi prohibitum est « impertiri *pluries* infirmo, in iisdem circumstantiis, Indulgentiam plenariam ex alia ratione, v. g. aggregationis Confraternitati SS. Rosarii, S. Scapularis, etc. » — Nec licet eam iterare, eo quod aegrotus eam acceperit in statu peccati mortalis, vel relapsus fuerit in peccatum, vel Extremam-Unctionem aut absolutionem denuo receperit[2]. Ratio est quia aegrotus indulgentiam in vero articulo mortis lucratur, si tunc sit in statu gratiae, et alias conditiones jam impleverit.

§. 4. *De Altari privilegiato pro defunctis.*

En queis verbis S. C. Indulg., 28 julii 1840[3], hujus privilegii efficaciam declarat:

1743. — « Per Indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet. » — Quod si celebretur pro pluribus defunctis, indulgentia altaris ad unum ex iis limitatur, excepto die Commemorationis OO. Defunctorum, ex decisione S. C. Indulg., 19 junii 1880 in *Romana* ad 2[m] [4], et 29 febr. 1864, in *Andegaven* [5].

Privilegium potest esse locale seu *reale*, quando nempe ipsi altari adnectitur; vel personale, quando ipsi sacerdoti, ubicumque celebraturus est, conceditur.

I. Privilegium locale his generatim subjicitur regulis:

1° Altare debet esse *fixum*, nisi in Indulto permittatur portatile. Fixum autem hic intelligitur non in senso liturgico, sed quod sit stabile et inamovibile, licet non consecratum, et in cujus medio lapis consecratus, etiam amovibilis, positus sit. Ita S. C. Indulg., 20 martii 1846, in *Mechlinien* [6].

2° Privilegium inhaeret *altari* in honorem alicujus Sancti vel Mysterii *erecto*, non vero lapidi. — Hinc, privilegium manet: si, in altari fixo, lapidi consecrato alius pariter consecratus substituatur (S. C. Indulg., 15 dec. 1841, in *Mechlinien.* ad 3[m] [7]); item, si altare

[1] *Decr. auth.* n. 362. — [2] Ibid. n. 257. — [3] Ibid. 283; *Collect. S. Sed.* n. 659. — [4] *Decr. auth.* n. 451. — [5] Ib. n. 402. — [6] Ib. n. 334. — [7] Ib. n. 295.

Digitized by Google

privilegiatum sub eodem titulo iterum aedificetur in alio ecclesiae loco, vel in ecclesia destructa, sed in eodem loco reaedificata (S. C. Indulg., 16 sept. 1723, in *Murana* [1]).

3° Nequeunt recipi *onera perpetua* ac fundationes, ad altaria privilegiata. S. C. Indulg., 16 nov. 1711, in *Panormitana* [2].

Nota. Die Commemorationis omnium defunctorum, *omnia altaria* sunt privilegiata. (S. C. Indulg., 19 maji 1761 [3]). Idem dicendum de die expositionis SS. Sacramenti per 40 Horas. (Ita Pius VII, per speciale Rescriptum datum 12 maji 1807 [4]). Hoc tamen intelligendum est de Oratione 40 horarum proprie dicta, et instituta in omnibus secundum Instructionem Clementis XI, die 21 jan. 1705, et secundum Benedicti XIV Constitutionem *Accepimus*, die 16 apr. 1746.

II. Privilegium PERSONALE conceditur ad tempus, vel in perpetuum; pro omnibus diebus, vel pro aliquibus diebus in hebdomada. — Tale Indultum Ordinario non debet necessario exhiberi, nisi aliter disponatur in concessione (S. C. Ind. 5 febr. 1851) [5].

Tempus autem Privilegii currere incipit, non a die publicationis vel usus, sed a die concessionis (18 maji 1711) [6] « Tempus (tamen) positum pro *confirmatione* privilegii, *in regionibus remotis*, non a die Datae, sed a die praesentationis Brevis Ordinario (est) computandum. » (4 febr. 1736 [7]). — Sacerdos, qui gaudet privilegio personali altaris, si aggregatus sit alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudet, potest frui hoc alio privilegio, dummodo in Indulto aliter expresse non disponatur [8]. — Notandum etiam, quod privilegio personali quotidie gaudet sacerdos, qui *actum heroicum* i. e. cessionem omnium satisfactionum pro defunctis fecit (Pius IX, 3 sept. 1852 [9]).

QUAERITUR. *Quaenam sint in celebratione Missae* OBSERVANDA, *ut quis privilegio, sive* LOCALI, *sive* PERSONALI, *gaudeat?*

Resp. 1° Dicenda est missa de *Requie* (et quidem in paramentis nigris vel ex rationabili causa violaceis), quoties a Rubricis permittitur; secus, indulgentia non conceditur. — Excipe, si Missa alia, v. g. de Feria, de Festo semiduplici, vel etiam votiva, celebretur *ratione* expositionis SS. Sacramenti, Stationis ecclesiae, vel alicujus *solemnitatis*. Ita S. C. Indulg., 11 apr. 1864 [10]. — Diebus vero impeditis, sufficit celebrare Missam de Festo currenti.

2° Qui habet privilegium PERSONALE *pro tribus vel quatuor Missis* in singulis hebdomadibus, debet celebrare diebus non impeditis, seu differre ad dies non impeditos, quatenus in eadem hebdomade occurrant (S. C. Indulg. 11 apr. 1840, et 22 febr. 1847 [11]).

3° Missa celebrata ad ALTARE PRIVILEGIATUM est privilegiata, etsi nec offerens eleemosynam, nec sacerdos celebrans privilegium

[1] Ib. n. 84. — [2] Ib. n. 41. — [3] Ibid. n. 228. — [4] Cf. Gardellini, *Instr. Clementina*, §. 33. n. 9. — [5] *Decr. auth.* n. 286. — [6] *Decr. auth.* n. 37. — [7] Ibid. n. 116. — [8] Ibid. n. 272. — [9] *Raccolta* (edit. 1878) p. 390. I. — [10] *Decr. auth.* n. 404. — [11] Ib. n. 281 et 339.

Digitized by Google

applicare intenderint. S. C. Indulg., 12 martii 1855 in *Veronen.* [1]. — Nec videtur requiri in celebrante status gratiae, quia privilegii efficacia non innititur personalibus sacerdotis dispositionibus, sed enascitur ex suffragio Ecclesiae [2].

4° Qui, diebus permissis, *non celebravit in paramentis nigri coloris*, in altari privilegiato, ad acquirendam Indulgentiam plenariam, idque fecit *bona fide*, ad quid tenetur? — *Resp.* « Si pacto obligabatur, ut Missam celebraret in altari privilegiato, debet lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus Missae fructum applicuit, toties quoties diebus non impeditis usus non est indumentis nigri coloris [3] » S. C. IND., 22 febr. 1847 (cf. n. 1616).

Nota. Sacrificium et indulgentia altaris privilegiati DIVIDI non possunt, sed utrumque *pro eodem defuncto* est applicandum: 1° quando in Indulto legitur: « qui *pro defuncto* Missam in tali altari dixerit, liberat animam ejus » (vel *pro defunctis*); 2° quando fundator, aut stipendium erogans, *imponit* onus celebrandi in altari privilegiato. — Secus, in aliis casibus [4].

DISSERTATIO III.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

In hac dissertatione agemus: 1° de potestate ministri ad valide ministrandum; — 2° de ejus dotibus ad ministrandum licite et fructuose; — 3° de ejus officio seu obligatione inter ipsam confessionem; — 4° de ejusdem obligationibus post exceptam confessionem.

CAPUT I.

DE POTESTATE MINISTRI

1744. — Minister Sacramenti Poenitentiae est solus SACERDOS pollens JURISDICTIONE in poenitentem. — Hinc duplex in eo requiritur potestas:

1° Potestas ORDINIS, seu illa, quae in ipsa Ordinatione confertur, et quae essentialiter sacerdotali characteri inhaeret. Cur autem haec potestas requiratur, ratio est, quia solis sacerdotibus dictum est: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis » (Joan. 20, 22. 23). — Plura videsis apud Dogmaticos.

2° Potestas JURISDICTIONIS, seu illa, quae potestati Ordinis superaddita, ejusque completiva, reddit sacerdotem expeditum, ut

[1] Ib. n. 366. — [2] Cf. Scavini, lib. 3. n. 272. — [3] *Decr. auth.* n. 339. — [4] Ib. n. 348 (31 jan. 1848).

Digitized by Google

possit, tanquam judex, legitimam in poenitentem, qua subditum, ferre sententiam. — Insuper, ad obtinendam vel libere exercendam jurisdictionem praerequiritur, ex hodierna Ecclesiae disciplina, *approbatio.* — Ipsa autem jurisdictio, sicut non omnibus competit eodem titulo, ita nec omnibus in eadem plenitudine, cum diversis limitationibus circumscribi possit.

Ut igitur omnia, quae ad praesentem materiam spectant, pertractentur, agemus: 1° de approbatione et jurisdictione; — 2° de jurisdictionis acquisitione et amissione; — 3° de jurisdictionis limitatione, quoad personas; et 4° de jurisdictionis limitatione, quoad peccata.

ARTICULUS I.

DE APPROBATIONE ET JURISDICTIONE

1745. — APPROBATIO et JURISDICTIO solent promiscue usurpari, quia Episcopi, hodiernis temporibus, uno eodemque actu utramque concedunt. Approbatio tamen non est jurisdictionis collatio, potestque una sine altera existere, et revera aliquando existit, prout ex dicendis patebit. — Unde, *natura* et *necessitas* utriusque, separatim, edocendae sunt.

§. 1. *De Approbationis natura et necessitate.*

1746. — I. APPROBATIO est juridicum Episcopi judicium de idoneitate alicujus sacerdotis ad audiendas confessiones.

Dicitur 1° *juridicum judicium;* est enim actus intellectûs, et non tantum voluntatis, ut est collatio jurisdictionis. Unde, ordinarie non fertur, nisi post praevie institutum EXAMEN. Hoc tamen non essentialiter requiritur, quia prudens judicium etiam sine examine haberi potest, quoties aliunde de idoneitate sacerdotis constet. — 2° *Episcopi*, etsi nondum consecrati; vel Vicarii generalis, vel Vicarii capitularis, vel Abbatis jurisdictionem episcopalem habentis. — 3° *de idoneitate,* i. e. de completa sacerdotis habilitate, tum quoad scientiam et prudentiam necessariam, tum quoad morum sanctitatem vicario Christi, in hoc ministerio, convenientem [1]. — Judicium tamen comitatur voluntatis actus, quo approbans vult, ut idoneus judicatus sua jurisdictione (habita vel habenda) libere uti possit.

II. Ad absolutionis liceitatem, imo ad ejus validitatem, REQUIRITUR approbatio. — Constat ex Tridentino, dicente, sess. 23. *de*

[1] Cf. L. VI. 542; H. A XVI. 74; Lugo, Disp. 21. sect. 1.

Digitized by Google

reform. cap. 14: « Quamvis presbyteri in sua Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus: nullum, etiam Regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut habeat parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et *approbationem*, quae gratis detur, obtineat. » — Excipiuntur quidam casus, in quibus Ecclesia *supplet* jurisdictionem (cf. n. 1753 et sqq.).

Haec approbatio necessaria est ad audiendas *etiam venialium* confessiones, ut constat ex decreto Innocentii XI, 12 febr. 1679, de Communione quotidiana, atque ex communi recentiorum AA. interpretatione, ac praxi [1].

1747. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Quo modo detur approbatio?*

Resp. 1° Implicite, per collationem parochialis Beneficii. Ille enim, cui committitur cura animarum, eo ipso declaratur idoneus ad excipiendas sibi commissorum confessiones, quamdiu suum officium retinet. — Si vero illud dimittat, cessat approbatio, nisi forsan (quod fieri assolet) Ordinarius eum, etiam independenter a beneficio parochiali, approbatum voluerit.

2° Explicite, per expressum judicium. Hic approbationis modus, spectans ad solam jurisdictionem delegatam, a Concilio Tridentino introductus est. Nam antea penes parochos erat jurisdictionem suam aliis sacerdotibus ab Episcopo non approbatis, censura tamen nulla irretitis, delegare. — Regulares autem Mendicantes non indigebant approbatione Episcoporum, quandoquidem jurisdictione a S. Sede sibi directe collata libere utebantur [2].

QUAER. 2° *A* QUONAM *Episcopo seu* ORDINARIO *approbatio obtineri debeat?*

Resp. Ex sententia hodie omnino tenenda, obtineri debet ab Episcopo vel Ordinario loci, *ubi confessiones excipiendae sunt;* nec sufficit approbatio sive Episcopi poenitentis, sive Episcopi confessarii. Constat ex Bulla Innocentii XII *Cum sicut* 19 apr. 1700), et ex Bulla *Apostolica Indulta* Benedicti XIV (5 aug. 1744) [3].

Hinc: 1° Sacerdos in una dioecesi approbatus non potest, ne proprios quidem poenitentes, absolvere in alia, nisi et hujus Episcopi approbationem praevie obtinuerit. Attamen, ad eam obtinendam non requiritur in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium. — 2° Parochus in sua dioecesi, sed extra suam parochiam, debet, sicut caeteri sacerdotes, approbari ad excipiendas confessiones eo-

[1] L. VI. 543. — [2] Cf. L. VI. 541. 544. — [3] Ib. 548; H. A. XVI. 79; *1 Elench. qq. ref.* n. 76.

Digitized by Google

rum, qui non sunt de sua parochia[1]. Ita colligitur ex S. C. C. in *Leodien.*, augusti 1600[2].

QUAER. 3° *An sufficiat approbatio* PETITA *et injuste denegata?*

Resp. Neg. nam Concilium Tridentinum (loc. cit.) requirit, ut sacerdos *obtineat approbationem;* sed injusta denegatio non est concessio. — Idem constat ex 13ª propos. ab Alexandro VII damnata: « Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato. » Sed « quamvis Episcopus interne reprobet, valet externa approbatio ad jurisdictionem conferendam[3]. »

QUAER. 4° *An sufficiat approbatio* PRAESUMPTA?

Resp. 1° Non sufficit approbatio praesumpta *de futuro*, i. e. quae censetur concedenda, si peteretur. Sed necessaria est approbatio actualiter existens, et aliquo signo declarata. Unde, non licet incipere confessiones, antequam consensus ille per litteras petitus vere datus fuerit, quamvis certo obtinendus videatur. Ita communiter. — 2° Sufficit approbatio praesumpta *de praesenti* seu *tacita* (cf. n. 239, Req. 2°). Hinc, valide absolvit is, qui audit confessiones, praesente, vel sciente et non contradicente Ordinario, cui constat eum aliunde non habere approbationem; quia tunc praesumitur de praesenti eam dare; talis autem praesumptio, cum fundetur in signis evidentibus, certe sufficit[4].

QUAER. 5° *An possit Episcopus sacerdotes jam approbatos* ITERUM *examini subjicere, eorumque approbationem* LIMITARE, *aut* REVOCARE?

Resp. 1° Episcopus potest, ex justa causa, *ad examen revocare* omnes confessarios a se vel a praedecessore approbatos, etiam parochos et Regulares, modo *vehemens de eorum imperitia adsit suspicio.* Constat ex decreto S. C. Conc., 15 jan. 1667[5] et ex Constitutione *Romani Pontificis* S. Pii V. — Potest similiter jam datam approbationem, pro libitu, *revocare* aut *restringere* ad locum, ad tempus, ad personas, quin de tali revocatione vel restrictione rationem reddere teneatur. Id expresse deducitur ex Bulla Innocentii XIII *Apostolici ministerii*, vi cujus tota res Episcopo commissa est[6].

Resp. 2° Si revocatio, vel restrictio, fiat sine justa causa, est quidem *illicita*, sed tamen *valida.* Constat ex 13ª propos. damnata ab Alexandro VII (ut supra Quaer. 3°). — Non desunt quidem AA., qui negant approbationem semel absolute concessam posse valide, absque rationabili causa, revocari; « ast, inquit *S. Alphonsus*[7], hanc

[1] L. VI. 544. dub. 2. — [2] Ap. *Thom. de Villanova*, Collect. manuscr. p. 2. fol. 274. — [3] L. VI. 545. — [4] L. VI. 570. — [5] Cf. Bened. XIV. *Instit.* 9. n. 16. — [6] L. VI. 549-552; H. A. XVI. 75. — [7] L. VI. 551.

Digitized by Google

opinionem, vix in praxi probabilem censeo, quia injustitia revocationis deberet esse luce clarior, et abesse quodcumque hallucinationis periculum; sed hoc vix accidere potest, cum innumerae possint esse causae justae apud Episcopum revocandi approbationem, quae ignorentur a confessario. » In dubio autem, an ex justa causa revocatio facta sit, praesumptio est pro Superiore.

§ 2. *De Jurisdictionis natura et necessitate.*

1748. — I. JURISDICTIO, in genere, est potestas regendi subditos (cf. n. 138). — Jurisdictio *sacramentalis*, de qua hic agitur, est potestas absolvendi vel ligandi subditos, in Tribunali poenitentiae.

Jurisdictio est alia ordinaria, alia delegata. — ORDINARIA est, quae alicui obvenit, ratione ipsius officii, cui annectitur jure ordinario; DELEGATA, quae alicui legitime conceditur ab illo, penes quem est ordinaria.

II. Ad confessiones VALIDE excipiendas, non sufficit potestas Ordinis, sed REQUIRITUR potestas JURISDICTIONIS, sive ordinariae, sive delegatae. — Constat ex Tridentino, sess. 14. cap. 7: « Quoniam igitur natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. »

ARTICULUS II.

DE ACQUISITIONE ET AMISSIONE JURISDICTIONIS

Tria sunt in hoc articulo inquirenda: 1° quibus competat jurisdictio ordinaria; 2° quomodo acquiratur jurisdictio delegata; 3° An et quando Ecclesia suppleat jurisdictionis defectum.

§ 1. *De Jurisdictione ordinaria.*

1749. — I. Jurisdictio ordinaria competit iis omnibus, qui habent OFFICIUM, cui annectitur JURE ORDINARIO. — Constat ex ipsa definitione jurisdictionis ordinariae.

Hinc, jurisdictio ORDINARIA competit: 1° Summo Pontifici, pro toto orbe terrarum, et in utroque foro; item Poenitentiario Majori, sed solum in foro interno. — 2° Episcopis, pro suis respectivis dioecesibus, in utroque pariter foro; item Archiepiscopis visitantibus Suffraganeorum subditos; Vicariis capitularibus; Vicariis

Digitized by Google

generalibus, his vero, juxta communissimam et veriorem sententiam, etiam pro utroque foro; sicut et Canonico Poenitentiario Ecclesiae cathedralis pro foro interno, ubi Poenitentiaria est in Officium erecta. — 3° Parochis, item vicariis perpetuis aut vicerectoribus, pro suis subditis, sed in solo foro interno. — 4° Abbatibus, pro toto proprio Conventu, vel territorio. — 5° Praepositis generalibus, Provincialibus et Superioribus localibus, pro suis subditis. — Vide Canonistas [1].

Notetur: 1° Qui pollent jurisdictione *ordinaria* possunt eam, utpote personalem, exercere UBIQUE LOCORUM, in suos subditos. — Hinc, Episcopi et parochi absolvunt valide fideles sibi commissos, extra dioecesim, etiam a reservatis in loco confessionis. — Ita S. C. C., 3 dec. 1707, in *Posnanien* [2].

2° Possunt suam jurisdictionem DELEGARE, seu per alium exercere, etiam contradicente Superiore inferioris ordinis, penes quem est jurisdictio ordinaria. Sic potest Papa, invito Episcopo, et Episcopus, invito parocho, deputare confessarios. — Quod si delegans non habeat jus approbandi in loco confessionis, tenetur approbatos ab Ordinario loci eligere. Unde, delegandi facultas, qua gaudent parochi, propemodum inutilis evasit, quandoquidem Episcopi jurisdictionem simul cum approbatione conferre solent, ut dictum est n. 1745.

1750. — II. Poenitentes possunt SUBDITI FIERI habentis jurisdictionem ordinariam, triplici ratione: ratione DOMICILII, ratione PRIVILEGII STATUS, et ratione CONSUETUDINIS (cf. n. 138, Div. 3°).

1° Ratione DOMICILII vel QUASI-DOMICILII; nempe si in habentis jurisdictionem ordinariam territorio habitare intendant in perpetuum, vel per notabilem anni partem (cf. n. 203). — Hinc, mercatores, scholastici in academiis, aulici in curiis, subduntur jurisdictioni ordinariae parochorum illorum locorum, ubi degunt.

2° Ratione PRIVILEGII STATUS, seu cooptationis in certas familias. Sic *Cardinales*, Romae degentes, qui aliunde jurisdictione carent, habent eam, et quasi ordinariam, in suam familiam, pro foro Poenitentiae. Unde « valent eligere in confessarium, tam pro se quam pro sua familia, *quemlibet* sacerdotem, » quem etiam (si fuerit approbatus in Urbe) possunt extra Urbem secum ducere [3]. — Sic etiam *Superioribus Religionis* subjacent Novitii, et ii omnes, qui sunt vere de familia domus, seu domestici, ac continuo commensales. Ita ex Constitutione *Superna* Clementis X, et ex decisione S. C. Episc. et Regular. 21 julii 1848, in una *Parmen.* [4] (cf. n. 2186).

3° Ratione CONSUETUDINIS LEGITIMAE, quatenus haec est indicium consensus a Superiore praestiti. — Hinc, ex consuetudine

[1] Craisson, *Man. jur. can.* n. 1515. sqq. — [2] Cf. Resolutiones S. C. C. anno 1704-1707. pag. 548. — [3] H. A. XX. 65. *de Priv.*; L. VI. 565. dub. 2; cf. Ferraris, V. *Cardinales*, art. 4. n. 3. — [4] Cf. Bizzarri, *Collectanea S. C. Ep. et Reg.* pag. 616.

Digitized by Google

universali, Episcopus loci, unde naves solvunt, habet ordinariam facultatem sacerdotes *navigaturos* approbandi et delegandi, pro toto navigationis tempore; id est « usque dum perveniant ad locum, ubi alius Superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit [1]. » — Item, capellani exercituum milites in *itinere* et in *castris* versantes ubique valide absolvunt, etiam jurisdictione ab Episcopo loci non obtenta. Sed nequeunt absolvere milites degentes in *praesidiis*, sine speciali facultate Sedis Apostolicae, aut licentia Ordinarii [2]. Constat ex variis S. C. Conc. declarationibus [3].

QUAERITUR. *Quomodo jurisdictio ordinaria* AMITTATUR?

Resp. Amittitur 1° per *Officii cessationem*, v. g. per mortem, demissionem, destitutionem, translationem. Parochus vero, translatus de una parochia in aliam non amittit jurisdictionem in priorem parochiam, nisi novae parochiae possessionem assumpserit. Ita ex jure communi [4]. — Amittitur 2° per *excommunicationem* publicam et nominatim denuntiatam; item per *suspensionem a jurisdictione*, vel ab omni officio; secus, si suspensio sit ab Ordine tantum (cf. n. 1303).

§. 2. *De Jurisdictione delegata.*

1751. — Jurisdictio DELEGATA, ut jam supra dictum est, obvenit sacerdotibus ex legitima commissione Superioris habentis ordinariam. — Ad hujusmodi delegationem REQUIRITUR, ex parte *delegantis*, ut eam non extendat extra propriae jurisdictionis territorium aut limites; ex parte autem *delegandi*, ut non sit excommunicatus vitandus, ac praeterea, si de saecularium excipiendis confessionibus agatur, ut sit praevie approbatus (cf. n. 1746).

Jurisdictio DELEGATUR directe, vel indirecte [5]:

I. Delegatur DIRECTE, quando alicui potestas committitur, ut ipse per se poenitentes absolvat. — Quod fit triplici modo, ab homine scilicet, a jure, et a consuetudine.

1° AB HOMINE dicitur jurisdictio delegari, quando quis delegare valens, expresse, verbo vel scripto, aut saltem tacite, per signa, quae consensum praesentem declarant, alicui capaci jurisdictionem committit (vide dicta n. 1747. qu. 4°).

2° A JURE delegatur jurisdictio, quando per legem, per Bullam, per Constitutionem papalem, conceditur certis personis absol-

[1] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 465; et Craisson. n. 1549. — [2] L. VI. 577. fin. — [3] Cf. Zacharia, *Theol. mor.* L. 6. p. 2. n. 1518; et *Acta S. Sed.* vol. I. p. 681. — [4] Cf. Schmalzgrueber, *Jus. eccl.* L. 3. Tit. 5. n. 122. — [5] L. VI. 558. 559.

Digitized by Google

vendi facultas. — Sic Regularibus concessum est, dummodo ab Episcopo loci sint approbati, ut omnes ad se venientes valide ac licite absolvant. — Ita ex Const. *Superna* Clementis X.

3° A CONSUETUDINE habetur jurisdictio delegata, quando consuetudo absolvendi est indicium certum consensus ab Episcopo praestiti, si illam nempe cognoscat et non reclamet: veluti cum finitimi pastores diversarum dioecesium, in audiendis confessionibus, se juvant mutuis subsidiis [1].

II. Delegatur INDIRECTE jurisdictio, quando poenitenti facultas conceditur eligendi sibi unum ex approbatis sacerdotibus in confessarium. — Qua facta electione, jurisdictio ab Ecclesia confessario collata censetur [2].

Porro, PRIVILEGIUM confessarium sibi ELIGENDI competit: — 1° ex *jure communi* [3], Episcopis confirmatis, quamvis nondum consecratis; item Praelatis inferioribus exemptis, Auditoribus Rotae, aliisque Praelatis Curiae Romanae, et Superioribus regularium, etiam localibus, salvis privilegiis et statutis Ordinum; — 2° ex *consuetudine*, regibus et principibus gaudentibus supremo dominio; item domesticis Romani Pontificis; — 3° ex *concessione speciali* S. Pontificis, v. g. tempore Jubilaei, omnibus saecularibus ac Regularibus, ut dictum est supra (n. 1736) [4].

Nota. Episcopi et Praelati poterant *olim* apud quemcumque sacerdotem suas confessiones instituere; sed *hodie* tenentur confiteri vel apud subditum quem ipsi approbant, vel apud extraneum, quem approbavit proprius Episcopus. — Possunt autem hunc approbatum, vel electum secum ducere, ejusque ministerio, etiam in aliena dioecesi, uti. Ita declaratum est a S. C. C., et Gregorius XIII hoc confirmavit die 1 dec. 1582 [5].

1752. — Quaesita. QUAER. 1° *An sacerdos legitime delegatus possit excipere confessiones fidelium* SINE VENIA *parochi?*

Resp. 1° *Neg.* quoad LICEITATEM, si eas excipiat in ecclesia parocho subjecta. Debitus enim ordo requirit, ut a rectore ecclesiae, in qua sacrum ministerium exercendum est, licentia petatur. — Si autem eas excipiat in ecclesia Regularium vel Monialium, venia Superioris vel Superiorissae certo sufficit.

Resp. 2° *Affirm.* quoad VALIDITATEM; nihil enim obstare potest parochus, dum Episcopus generaliter approbavit seu delegavit confessarium. Quod si in approbatione hae essent clausulae: *De consensu parochi...*, *excepto tempore paschali*, aut similes, intelligendae sunt de sola liceitate. Sic enim fert consuetudo universalis, cui merito praesumitur sese conformasse Superior delegans [6].

[1] Bened. XIV. *Instit.* 86. n. 3. — [2] L. VI. 565. — [3] Cap. fin. *De poenit. et remiss.* — [4] H. A. XVI. 85 et XX. 65; L. VI. 565. — [5] Ibid. — [6] L. VI. 564.

Digitized by Google

QUAER. 2° *An sacerdos in aliquo loco jurisdictione legitima instructus, excipere valeat confessiones* PEREGRINORUM *eo advenientium?*

Resp. Affirmat *S. Alphonsus*, scribens [1]: « Certum et commune esse hodie apud DD., peregrinos, ratione conniventiae Episcoporum, sive melius *ex consuetudine universali*, posse confiteri cuicumque confessario approbato pro loco ubi reperiuntur; et talis consuetudo currit, etiamsi peregrinus proficiscatur a patria, fine alibi confitendi; » modo id non faciat in fraudem reservationis, ut suo loco explicabitur (n. 1771. q. 3° et 4°). — Praeterea, quoad confessarios regulares id expresse declaravit Clemens X in Const. *Superna* [2].

QUAER. 3° *Quomodo cesset jurisdictio delegata?*

Resp. Cessat: 1° per revocationem Superioris, hancque notificatam; — 2° per expirationem temporis praefixi; — 3° per mortem delegantis, vel per ejus ab officio amotionem, si jurisdictio data fuerit pro aliqua persona particulari, et confessio nondum incepta fuerit; aut etiam si data fuerit generaliter, sed cum hac vel simili clausula: « ad arbitrium nostrae voluntatis; usque ad beneplacitum nostrum [3]. »

§. 3. *De Jurisdictione per Ecclesiam suppleta.*

1753. — Tres potissimum casus recensentur, in quibus Ecclesia jurisdictionem SUPPLET, illamque sacerdoti, qui alias illa caret, ad singulos actus, impertit. Primus est casus *periculi mortis;* alter est casus *erroris communis;* tertius est casus *jurisdictionis probabilis.* — Quocirca statuenda sunt sequentia

Principia. I. Si immineat PERICULUM MORTIS, ac desit confessarius approbatus, OMNIS SACERDOS potest moribundum, a QUIBUSCUMQUE censuris et peccatis, absolvere. — Ita expresse Rituale Romanum, *de Sacram. Poenit.* Consonat Tridentinum sess. 14 cap. 7. his verbis: « Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio *in articulo mortis:* atque ideo omnes sacerdotes, quoslibet poenitentes, a quibusvis peccatis et censuris, absolvere possunt. »

Dicitur 1° *Si immineat periculum mortis;* quia mortis articulus et periculum in jure aequiparantur. — Tale autem periculum censetur adesse in praelio, in longa navigatione, in partu difficili, et in omni gravi ac mortifero morbo. — Atque hoc idem dicunt DD. de eo, qui esset in probabili periculo incidendi in amentiam, vel

[1] H. A. XVI. 87; L. VI. 569. — [2] H. A. XVI. 135; L. VI. 589; Vide textum Constit. apud Croix. — [3] L. VI. 558. 559.

Digitized by Google

esset captivus apud Turcas et timeret, ne ullum amplius habiturus sit sacerdotem, cui postea possit confiteri [1].

Dicitur 2° *ac desit confessarius approbatus.* Ecclesia enim non concedit facultatem, nisi ratione extremae necessitatis, *ne* scilicet *aliquis pereat.* Haec autem ratio cessat, vel cessare censetur, cum adest approbatus. Ita sententia communissima et in praxi tenenda, contra aliam, quam tamen Lugo *probabilem* vocat [2]. — Excipe cum communi: 1° Si approbatus *nollet* vel *non posset* audire confessionem, quia tunc idem foret ac si deesset. 2° Si moribundus ita horreret manifestare sua crimina approbato (quia v. g. ejus inimicus est, aut consanguineus, aut objectum peccati manifestandi), ut esset in periculo confitendi sacrilege. 3° Si infirmus non posset confiteri approbato sine magna difficultate aut incommodo (ita Sporer a S. Alphonso allegatus et non reprobatus). 4° Si approbatus veniat post inceptam jam confessionem apud simplicem sacerdotem (cf. n. 1780). — Excipe a fortiori: 1° Si approbatus sit nominatim excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, degradatus, schismaticus, notorie haereticus, apostata: quia talis amisit jurisdictionem, ipsique praeferendus est simplex sacerdos; 2° si esset alienae dioecesis, quia in hoc casu minime dici posset approbatus respectu ad aegrotantem; 3° si esset complex infirmi in peccato turpi [3] (cf. n. 1780).

Dicitur 3° *omnis sacerdos;* ergo etiam sacerdos, qui nunquam fuit approbatus; etiam irregularis vel suspensus; etiam excommunicatus aut degradatus; imo etiam vitandus schismaticus, haereticus, apostata [4]. — Valide quidem hi omnes deficiente approbato periclitantem absolvunt; non licite tamen, nisi *servato ordine:* i. e. sacerdos ab omni censura et poena immunis, potius absolvat quam irregularis, aut suspensus; potius iste, quam excommunicatus, etc. [5].

Dicitur 4° *a quibuscumque censuris et peccatis;* quia in mortis articulo vel periculo, nulla est reservatio. — Vide tamen dicta n. 1282 et alia dicenda n. 1777.

1754. — II. Si adsit ERROR COMMUNIS cum titulo COLORATO, certum est, Ecclesiam supplere jurisdictionem, quae deest confessario. Ita omnes, et probatur ex lege *Barbarius* ff. *de Officio Praetorum*, et ex can. *Infamis*, Caus. 3. qu. 7. — Ratio est, quia alias multae animae perirent, ideoque rationabiliter Ecclesia supplere praesumitur [6].

[1] Ib. 561. — [2] Ib. 562; H. A. XVI. 93. — [3] L. VI. 563; H. A. ib. 94. — [4] Cf. *2 Elench. qq. ref.* n. 19. — [5] L. VI. 560; cf. *1. Elench. qq. ref.* n. 82. — [6] H. A. XVI. 90; L. VI. 572.

Digitized by Google

Dictum est 1° *Si adsit error communis*, i. e. si omnes vel fere omnes illius loci fideles existimant, confessarium jurisdictione, sive ordinaria, sive delegata, reipsa instructum. — Secus vero, si error sit *privatus*, unius nempe vel paucorum. Ratio est, quia Ecclesia non censetur supplere nisi ratione boni communis, ad instar provisoris seu gubernatoris generalis, qui ad solum bonum commune attendit, et bonum privatorum curae provisorum particularium relinquit. Ita communissime Theologi, contra paucos.

Dictum est 2° *cum titulo colorato*, seu putativo, qui nempe a legitimo Superiore concessus fuit, ac de se aptus esset ad conferendam jurisdictionem, nisi per defectum *occultum* irritaretur. — Porro, ille defectus potest contingere: — 1° in *concedente*, v. g. si non fuisset liber in concedendo, vel si Episcopus esset mortuus, et, morte communiter ignorata, Vicarius ejus pergeret confessiones audire; — 2° in *recipiente*, sive aliquod vitium praecesserit, v. g. irregularitas occulta, vel excommunicatio, sive titulo suo sit spoliatus, et id ignoretur; — 3° *in actu*, ut si intercesserit simonia occulta, ratione cujus actus sit irritus. — In his igitur casibus confessarius, stante errore communi, valide absolvit; quamvis peccet mortaliter, si sui defectus sit conscius [1].

« Magis dubium est, ait S. Doctor [2], *an Ecclesia suppleat jurisdictionem, cum solus intervenit error communis,* SINE TITULO COLORATO. — Negant Busenbaum, Concina, Roncaglia, Sporer, Holzmann, etc., dum dicunt, quod secus sacerdotes impii hinc occasionem sumerent se simulandi confessarios esse, et errores disseminandi. — Sed haec ratio non convincit; quia, quamvis Ecclesia his negaret jurisdictionem, damnum tamen non impediret. — Quare, *probabiliter affirmant* Lugo, Lessius, Pontius, Castropalaus, Sanchez, etc., et dicunt probabile esse iidem Roncaglia, Sporer et Holzmann, cum Cardenas etc., dum eadem ratio boni communis, quae pro titulo colorato affertur, currit etiam pro errore [3]. » — Cum autem haec sententia sit saltem probabilis, poterit aliquando, cum justa causa, licite in praxim deduci, ut liquet ex principio sequenti.

1755. — III. Sacerdos VALIDE et LICITE absolvit, CUM JURISDICTIONE PROBABILI probabilitate juris, si concurrit aliqua CAUSA graviter rationabilis. — Ratio est, quia in Ecclesia viget universaliter consuetudo, hancque fere omnes confessarii sequuntur, absolvendi, justa accedente causa, cum jurisdictione probabili. — Jam vero, talis con-

[1] Craisson, *Man. jur. can.* n. 293. 301. 306. — [2] H. A. XVI. 90; L. VI. 572. — [3] *NB.* Aliqui Episcopi tollunt omne dubium, *exprimendo voluntatem*, quam habent tribuendi jurisdictionem omni sacerdoti ex errore (etiam privato), in bona tamen fide, absolventi.

Digitized by Google

suetudo confert certo jurisdictionem, ac proin confessarius jam non absolvit cum opinione probabili, sed cum vera certitudine, cum certitudine nempe reflexa (cf. n. 82. Excipe 2°).

Diximus 1° *cum jurisdictione probabili probabilitate juris*, quae scilicet opinione gravium Theologorum innititur. Non igitur qualiscumque probabilitas sufficit, sed, ut communiter tenent AA., illa requiritur, quae vere seria ratione auctoritateque fulciatur.

Diximus 2° *si concurrit causa graviter rationabilis* (saltem, ut absolutio detur licite); quia, licet Ecclesia, eo casu, jurisdictionem ob bonum animarum supplere recte censeri possit, non praesumitur tamen, deficiente omni justa causa, velle merae libertati sacerdotum connivere [1].

Porro, CAUSA RATIONABILIS haberetur: 1° Si poenitens hujus praecipue confessarii auxilio consiliove indigeret. — 2° Si complex peccati sit notus confessario, qui pollet jurisdictione certa. — 3° Si confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem, prudenter timeat, ne poenitens peragat confessionem sacrilegam, apud eum qui habet jurisdictionem certam. — 4° Si ipse poenitens timeat, ne in aliquam aversionem damnosamve suspicionem confessarii approbati incidat. — 5° Si alias diutius a confessione abstinere debeat. — 6° Si urgeat praeceptum annuae confessionis, aut detur occasio peculiares lucrandi Indulgentias. — 7° Si poenitens confessario jam aliquod grave peccatum declarasset, et hic dubitaret an illud sit, necne, reservatum [2] (cf. n. 1769).

1756. — QUAERITUR. *An liceat absolvere cum jurisdictione dubia* DUBIO FACTI, *v. g. cum dubitatur an jurisdictio revera a Superiore concessa fuerit, an perduret, etc.?*

Resp. Neg., nisi cogat aliqua necessitas, et tunc *sub conditione* tantum. — NECESSITAS autem *cogere* censetur, quando melius est aliquem dubie absolvi quam absolvi nullatenus, id est: 1° Si urgeat praeceptum annuae confessionis; 2° si poenitens debeat Missam celebrare vel communicare, et notam infamiae alias incurreret; 3° si sacerdos debeat ex obligatione eo die celebrare. — Dubie tamen absolutus *non potest communicare*, nisi actum contritionis perfectae eliciat, et tenetur peccata iterum subjicere clavibus, nisi resciat confessarium veram habuisse jurisdictionem [3] (cf. n. 1663. qu. 5, et ibi in fine *Not.*)

[1] L. VI. 573. H. A. XVI. 91; cf. *Vindic. Alph.* p. 5. q. 9. — [2] L. VI. 573. — [3] H. A. XVI. 84; XV. 34; L. VI. 432.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE LIMITATIONE JURISDICTIONIS QUOAD PERSONAS

1757. — *Praenotandum.* Jurisdictio, quae necessario ad validam absolutionem requiritur, id sibi habet proprium, ut *quasi gradatim* a Superioribus ad inferiores descendat. Proinde, potestas inferior radicatur unice in potestate superiore, ab hacque sola dependet. Ex quo sequitur penes Superiores esse limitare seu restringere inferiorum jurisdictionem, imo eam penitus tollere, juxta hanc juris regulam: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » — Atque hinc optimo jure factum est, ut hujusmodi limitationes seu restrictiones semper in Ecclesia fieri consueverint, sive quoad LOCUM ET TEMPUS, sive quoad PERSONAS ET PECCATA. — Solus Romanus Pontifex, penes quem est potestatis plenitudo, gaudet omnimoda atque illimitata jurisdictione.

De limitatione jurisdictionis quoad *locum* et *tempus* satis diximus, tractando de jurisdictione ordinaria et delegata. Reliquum est, ut in praesenti et in sequenti articulo, loquamur de ejus limitatione quoad personas, et quoad peccata.

Limitatio jurisdictionis quoad PERSONAS, ipso jure stabilita, attingit potissimum *Regulares* et *Moniales*. Quare separatim agemus de concessione jurisdictionis, tum respectu Regularium, tum respectu Monialium.

§. 1. *De concessione jurisdictionis respectu Regularium.*

1758. — Regulares possunt sub duplici respectu considerari: quatenus sunt *confessarii*, et quatenus sunt *poenitentes*. — Hinc, ut omnia quae ad eos, sub utroque respectu, spectant, pertractentur, dividemus praesentem materiam in duas partes, ita ut ex ordine agamus: 1° de Confessario Regulari; 2° de Confessario Regularium.

I. De Confessario regulari.

Cur quaestionem *de Confessario regulari* hoc loco tractandam esse censeamus, ratio duplex est: altera, ut ita omnia, quae Regularibus circa jurisdictionem sunt propria, sub uno contuitu inspiciantur; altera, ut doctrina de eorum jurisdictione magis innotescat. Quamvis enim jurisdictio confessarii regularis nullam *specialem* limitationem a Jure accipiat, ita tamen ab eo ligatur, ut nisi Episcopi approbatio accedat, in Christifideles valide exerceri nequeat. — Quibus praemissis, sint sequentia

Digitized by Google

1759. — Principia. I. REGULARES proprie dicti, qui vota solemnia nuncupant et qui exemptionis privilegio gaudent (item, qui privilegiorum communicationem habent cum Religiosis Mendicantibus), accipiunt immediate a SANCTA SEDE jurisdictionem, ad excipiendas confessiones tum SUORUM, tum SAECULARIUM. — Constat ex Constitutionibus SS. Pontificum in Corpore Juris [1]; item ex aliis Constitutionibus, quae, licet postea modificatae fuerint, praesertim per Tridentinum quoad privilegia, remanserunt tamen, quoad jurisdictionem, irrevocatae. Ita communiter. — Hinc, cuilibet Regulari conceditur jurisdictio, eo ipso quod Superior ei delegationem, seu jurisdictionis communicationem, nomine S. Pontificis concedit [2].

II. Regulares, ad excipiendas confessiones SAECULARIUM, indigent APPROBATIONE Episcoporum, in quorum dioecesibus sunt confessiones excepturi. — Constat ex decreto Innocentii XII (anno 1700), quo sancitum est, non posse confessarios, quicumque illi sint tam saeculares, quam regulares, audire poenitentes saeculares, sine approbatione Episcopi loci (cf. n. 1747. qu. 2°).

1760. — *Ex his infertur:* 1° Episcopus potest approbationem Regularibus concedere *ad libitum*, sine restrictione, vel cum aliqua restrictione quoad tempus, loca, et personas. Confirmatur ex variis decretis S. Sedis [3]. — Vide dicta n. 1749 et sqq.

2° Si Episcopus expresse approbationem pro aliquo tantum actu *transitorio*, v. g. pro aliqua Missione, concesserit, concessa facultas pro illo solo actu, et pro omni tunc incepto judicio valere censetur.

3° Si Episcopus, vel Superior tuus, ex ejus delegatione, tibi concedat approbationem *pro determinata poenitentium classe*, facultas ad alios extendi nequit, ut patet. — Si autem postulatio facultatis sit *generalis*, nec fuerit restricta concessio, non limitatur facultas obtenta ad operam, quae fuit occasio petitionis: sic. v. g. si facultatem quaeris, occasione tradendi exercitia spiritualia Monialibus in tali conventu, ex eadem accepta facultate potes audire confessiones etiam aliorum fidelium. Ratio est, quia « continetur in concessione, quidquid non excipitur. » — Excipe tamen *casus reservatos*, qui, ipso jure, in facultate generali audiendi confessiones nunquam intelliguntur comprehensi [4].

1761. — Quaesita. QUAER. 1° *An Episcopus possit*, SINE CAUSA, *approbationem* DENEGARE *Regularibus?*

Resp. Neg. « Nam, inquit Pignatelli [5], confessarii Regulares non

[1] Extrav. *Super cathedram*, de sepult.; Clem. *Dudum*, eod. tit. — [2] Cf *Acta S. Sed.* vol. I. p. 678. sqq. — [3] Cf. H. A. XX. 103. fin. — [4] Gury, II. 558. — [5] *Consult. canon.* tom. IV. cons. 163. n. 12.

Digitized by Google

recipiunt jurisdictionem ab Episcopo, sed a Summo Pontifice, et approbatio requiritur solum tanquam conditio, ut jurisdictio exerceri possit. Ergo, non possunt Episcopi prohibere, ne Regulares aliquo tempore absolvant. » Deficiente tamen approbatione, utut injuste negata, deficiet quoque libera jurisdictio (cf. n. 1747. qu. 3°).

QUAER. 2° *An Episcopus* REVOCARE *possit approbationem Regularibus concessam?*

Resp. 1° Non potest revocare approbationem concessam *omnibus* Regularibus ejusdem communitatis, inconsulta S. C. Episc. et Regul. Ita ex Bulla *Superna.* — Excipe, si agatur de regionibus ab Urbe valde dissitis, et gravissima subsit causa; super quod S. Congregatio conscientias Episcoporum graviter voluit oneratas [1].

Resp. 2° Potest autem Episcopus revocare approbationem singulorum Regularium *in individuo*, si justa adsit causa. — Porro, si Regularis, praevio examine, ab ipso Episcopo, sine ulla restrictione, quoad personas, vel quoad tempus, approbatus fuerit, causa non censetur justa, nisi *confessionem concernat.* Contra, si a suo Vicario vel antecessore, vel cum limitatione approbatus fuerit, Episcopus potest, ob quamcumque justam causam, approbationem revocare eumque novo examini subjicere. Ita ex eadem Bulla *Superna* [2]. — In praxi, confessarius regularis debet semper Episcopi judicio acquiescere.

QUAER. 3° *An Regularis semel approbatus in aliqua dioecesi, indigeat* NOVA APPROBATIONE, *si, mutata habitatione, eodem redeat vel transeat?*

Resp. Neg., nisi Statuta dioecesana, vel Episcopus, aliter decernant. Ratio est, quia approbatus indefinite et illimitate remanet approbatus, saltem usque ad implicitam revocationem; jam vero in casu praesenti nulla, ne implicita quidem, revocatio intervenit. Ergo. Ita Croix [3], Lugo [4], cum sententia communi.

QUAER. 4° *An valide absolvat Religiosus,* INVITO SUPERIORE, *sed ex delegatione expressa Episcopi?*

Resp. 1° *Neg.*, si Episcopus intenderit dare tantum approbationem; et aliunde Superior, qui habet ex Regula potestatem constituendi confessarios, ita sit invitus, ut jurisdictionem a suo subdito auferre censeatur. Ratio patet; tunc enim Religiosus a nemine jurisdictionem habet.

Resp. 2° *Affirm.*, si Episcopus intenderit etiam conferre jurisdictionem; ut in hodierna praxi fieri solet. Ratio est, quia Episcopus

[1] Const. Innoc. X. *Cum sicut accepimus.* — [2] Cf. H. XX. 103. — [3] *De Poenit.* n. 1521. — [4] Lugo, Disp. 21. n. 44.

Digitized by Google

bene potest jurisdictionem Religioso, non secus ac sacerdoti saeculari, in proprias oves conferre. Quisquis enim jurisdictione ordinaria gaudet, potest eam cuilibet sacerdoti delegare [1].

Verum, Religiosus ille graviter contra obedientiam peccaret, quia in re gravi praeceptum Superioris sui transgrederetur, nec posset in hujusmodi casu uti privilegiis proprii Ordinis, eo quod haec per solos Superiores communicantur.

Haec confirmantur declaratione S. C. Episc. et Regul. — Propositis enim dubiis: — I. An Religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito cum sola facultate Ordinarii, valide excipiat confessiones saecularium. — II. An Superiores Regulares, jurisdictionem habentes, possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium, etiam ex informata conscientia. — Et quatenus *affirmative*, III. An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enuntiata? — IV. An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus, sit valida? — Et quatenus *negative*, V. An qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat.

Sacra Congreg. Episc. et Reg. re discussa, die 2 martii 1866, respondere censuit: — Ad I. *Affirmative.* — Ad II. *Affirmative; ita tamen ut Religiosus suspensus illicite, non vero invalide confessiones excipiat.* — Ad III. *Affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis.* — Ad IV. *Affirmative.* — Ad V. *Provisum in praecedentibus* [2].

Alia vide in Tract. *de Statu religioso* (n. 2187).

II. — De Confessario regularium.

1762. — Principium. Jurisdictio, ad excipiendas confessiones exemptorum, non potest concedi ab Episcopo, sed ab eorum Praelato vel a Papa, sive directe, sive indirecte. — Praelatus autem eam concedere valet etiam non approbato; dummodo (ut licita sit delegatio) hic judicetur *idoneus*. Constat ex supra dictis de origine et natura jurisdictionis Regularium (n. 1757 et 1759).

Hinc: 1° Regulares domi degentes *tenentur* confiteri Praelato, vel confessariis ab eo deputatis, et nullus Regularis valide confitetur, nisi apud Superiorem, vel apud eum qui deputatus est a Superiore. — Quocirca Clemens VIII (Decreto 26 maij 1593) praecipit: « Superiores, in singulis domibus, deputent duos aut tres confessarios, pro subditorum numero majori vel minori. » — Excipe tempus Jubilaei, ut dictum est n. 1736.

2° Famuli, et alii saeculares, qui sunt *de familia* et quasi continui *commensales*, possunt absolvi a confessario, *sive* per Praelatum regularem, *sive* per Episcopum approbato. Constat ex Trid. sess. 24. cap. 11. *de ref.*, et ex Const. *Superna* Clementis X [3] (cf. n. 2186).

[1] Gury, II. n. 563. — [2] *Acta S. Sed.* I. 678. — [3] Cf. L. VI. 583; et H. A. XX. 74.

Digitized by Google

1763. — Quaesita. QUAER. 1° *Cuinam Regulares* EXTRA CONVENTUM *degentes confiteri* POSSINT *vel* DEBEANT ?

Resp. Regulares cum licentia suorum Superiorum itinerantes, vel extra Conventum commorantes, *debent*, si habeant copiam confessarii sui Ordinis, huic confiteri ; hic enim, ipso jure, deputatur. « Si vero desit socius, vel alius confessarius idoneus sui Ordinis, bene *possunt*, ex praesumpta licentia Praelati, confiteri alteri sacerdoti IDONEO, regulari, vel saeculari (excepto casu, quo agatur de peccatis reservatis); et in hoc omnes conveniunt [1]. »

« Sed dubium est, *utrum hic sacerdos debeat esse ad confessiones* APPROBATUS. — Affirmant Wigandt et Antoine, et Concina cum Vasquez, etc. — Alii vero communissime et verius *negant* [2]; » quia pro confessariis Regularium sufficit deputatio etiam implicita Superioris, juxta Ordinis constitutiones vel consuetudines, neque ullo jure requiritur approbatio Ordinarii loci. Constat insuper ex declarationibus Sixti IV, in Bulla *Supplicari* [3], edita die 2 aug. 1479, et Innocentii VII in Bulla *Provenit* [4], edita die 17 oct. 1405, quae concedunt Regularibus, eo in casu, « ut quemcumque alium presbyterum idoneum et discretum, Religiosum aut Saecularem, eligere valeant. » Nec revocatum est hoc privilegium a Concilio Tridentino, quod requirit approbationem ad confessiones saecularium, non vero Regularium [5].

Nec obstat *declaratio* S. C. C. de die 18 nov. 1769, in *Hildesimen.* [6]: illicitas scilicet et invalidas esse confessiones Religiosorum, qui ibi solebant sibi eligere presbyterum saecularem ab Episcopo non approbatum; ipsis enim non deerat copia confessarii proprii Ordinis, ut patet ex ipsa Dubii expositione.

Nec magis obstat *Breve* Benedicti XIV, de die 30 martii 1742, in quo exigitur ut Cappucini eligant approbatum; nec *declaratio* S. C. Episc. et Reg. de die 3 junii 1861, qua eadem conditio apponitur pro Ordine Eremitarum S. Augustini. Minime enim constat, ad omnes Regulares extendenda esse, quae ita pro Cappucinis et Eremitis statuta ac decreta sunt. Unaquaeque enim Religio proprias constitutiones habet. — De caetero, ad *Cappucinos* quod attinet, « Pius IX, Brevi 27 sept. 1852, modificavit praedictam dispositionem Benedicti XIV, concedendo Fratribus Cappucinis, sive laicis, sive sacerdotibus in quocumque loco degentibus, causa concionum, Missionum, itineris, vel propter quamcumque aliam legitimam causam, cum non sit ibi coenobium vel hospitium, et copiam *unius sacerdotis confratris tantum* habeant, facultatem fatendi peccata sua sacerdoti SAECULARI ab Ordinario approbato, vel alteri sacerdoti REGULARI approbato a Superiore Ordinis ad quem ille pertinet: — pariter ab iis possunt absolvi a casibus et censuris reservatis in Ordine, firma tamen remanente obligatione sese postea praesentandi proprio Superiori, etc., ut iterum absolvantur a dictis casibus et censuris [7]. »

[1] L. VI. 575. — [2] Ibid. — [3] Apud Rodriguez, *Bullar.* pag. 365 (edit. Salmanticae 1605). — [4] Ibid. p. 157. — [5] L. VI. 575. — [6] *Thesaur. Resol.* t. 38. p. 111; cf. et *Acta S. Sed.* vol. I. p. 677. — [7] G. a Varceno, *Compend.* tom. 2. p. 156.

Digitized by Google

QUAER. 2° *An Regulares absolvere possint alumnos convictores, sine Episcopi approbatione, utpote de familia?*

Resp. Aliqui negant, quia convictores non sunt de familia, sicut famuli. Alii tamen, communius, *affirmant.* Nec dissentit S. Alphonsus; loquens enim de eo privilegio, quo fruuntur religiosorum familiares, subjungit absque ulla reprehensionis nota: « Id extendit Bordonus ad alumnos Monasteriorum [1]. » — « In praxi, ait Gury [2], tuta est posterior haec sententia; » et ratio est, quia pluribus Ordinibus Regularibus id expresse concessum est, v. g. Benedictinis, Theatinis, Somaschis, Clericis Ministris infirmorum, etc., in quo privilegio caeteri Ordines, ipso facto, communicant [3].

§. 2. *De concessione jurisdictionis respectu Monialium.*

1764. — I. Moniales, quae solemnia vota nuncupant, et sunt CLAUSTRALES, non possunt confiteri nisi apud sacerdotem SPECIALITER pro ipsis approbatum. — Neque ab hac lege excipiuntur quae, ab Episcopi jurisdictione exemptae, jurisdictioni proprii Ordinis subjacent. Hoc tamen in casu, deputatio confessarii, hujusque electio pertinent, ex jure, ad earum Praelatum regularem. Ita ex Bulla Gregorii XV *Inscrutabili*, quam confirmavit Benedictus XIII per Bullam *Pastoralis*, die 27 martii 1726. — Confessarius, autem approbatus *pro uno monasterio*, non potest eo ipso, confessiones etiam in aliis monasteriis excipere, nisi fuerit universaliter pro omnibus Monialibus ab Episcopo approbatus. Ita ex Bulla Clementis X *Superna*, die 21 junii 1670[4].

Plura *notatu digna* hic adjicienda sunt:

1° Ex decreto S. C. Episc. et Reg. de die 20 sept. 1642 [5], confessarii ordinarii Monialium non possunt approbari nisi *ad triennium:* quo elapso, ut confirmari possint, requiritur Indultum S. C. Episc. et Reg., quae illud, justis stantibus causis, sub certis conditionibus concedere solet[6]. — Atque hoc ipsum valet pro confessariis Conservatoriorum, sicut constat ex alio Decreto edito die 18 martii 1649 [7] — Non desunt tamen AA., qui putent Episcopum posse permittere, ut confessarius ultra triennium in suo munere persistat, *si desint* alii idonei sacerdotes [8].

2° Salvo Indulto apostolico, confessarius Monialium debet esse *annorum 40;* nec ad istud officium deputandi sunt Vicarius Episcopi, Canonicus, aut alius Beneficiatus ad chorum obligatus, parochus, vel, si agitur de Mo-

[1] L. VI. 583. *Hic not.* — [2] L. II. n. 564 (edit. Dumas 1874). — [3] Cf. S. A. *De Privil.* n. 9. — [4] Cf. Lucidi, vol. II. cap. V. n. 227. sqq. — [5] Cf. Thom. de Villanova, manuscr. vol. I. p. 304, ubi: *Salutiarum* 20 sept. 1642 ad 5um; Lib. Decretor. 17. 103. — [6] *Analecta J. P.* ser. 14. col. 244. — [7] Cf. De Alexandris. cap. 6. §. 6. qu. 3; et cf. Lib. VI. 577. Not. 2. — [8] Cf. Craisson, n. 1534.

Digitized by Google

nialibus Episcopo subjectis et de Confessario ordinario, sacerdos Regularis [1]. — Praeterea, *unus* tantum confessarius pro quolibet monasterio deputari debet, ut expresse declaravit Benedictus XIV [2].

3° Tenetur confessarius ordinarius accedere ad audiendas Monialium confessiones, *quoties* accersitur. — Caveat autem, ne se *tanquam Superiorem* monasterii gerat, cum ipsi talis auctoritas nullo modo competat. Ita S. C. Ep. et Reg. 7 sept. 1797 [3].

1765. — II. Monialibus, et ipsis novitiis, concedendus est, BIS TERVE, quotannis, confessarius EXTRAORDINARIUS. — Constat ex Tridentino, sess. 25. cap. 10: « Praeter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius, ab Episcopo et aliis Superioribus, bis aut ter in anno, offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. »

Confirmatum est hoc statutum a Benedicto XIV, in Bulla *Pastoralis* edita 5 augusti 1748. In qua eadem Bulla praescriptum legitur: « quod Moniales, etsi non teneantur extraordinario confiteri, tenentur tamen ei se sistere, ad audienda monita salutaria. — Item, quod Episcopi hoc idem observent (i. e. eamdem legem statuant) cum Conservatoriis. — Item, quod in articulo mortis cuilibet Moniali postulanti concedatur ab Episcopo confessarius particularis: et si monasterium sit exemptum, non concedente Praelato regulari, assignetur ab Episcopo, vel recusante etiam Episcopo, a Poenitentiario majori, si tempus suppetat. — Item, quod si aliqua Monialis *renuat* confiteri confessario ordinario, deputetur ei alius ab Episcopo, pro certis vicibus; et si monasterium sit exemptum, a Praelato regulari, et ipso recusante, concedatur ab Episcopo vel Poenitentiario majori. — Hortatur autem Pontifex Episcopos, *ne sint difficiles* ad peculiaribus monialibus extraordinarium confessarium aliquando petentibus concedendum. — Demum statuit, quod Praelati Monialium regulares *teneantur* bis vel ter in anno assignare extraordinarium ex probatis ab Episcopo ad confessiones Monialium, qui, saltem semel in anno, sit vel saecularis vel alterius Ordinis; alias deputet illum Episcopus; et eo tempore ordinarius *nullius*, neque abbatissae, neque novitiarum, audiat confessiones [4]. »

Ipse extraordinarius, expleto suo officio, non debet ulterius ad monasterium accedere, nec sub ullo praetextu ullius generis commercium continuare, sub poenis latis in accedentes ad Monasteria Monialium et cum ipsis conversantes [5] (cf. n. 2164).

QUAERITUR. *An Moniales viventes* EXTRA CLAUSTRA *vel* COMMUNITATEM, *plena libertate gaudeant circa electionem confessarii?*

Resp. Dubio his verbis proposito S. Congregationi Episc. et Reg.: « Conceditur subinde Monialibus, vel ex motivo sanitatis, vel ex alia causa, ut, habitu retento, ad breve tempus, extra monasterium commorentur. Hinc quaeritur, an possint, in talibus, rerum adjunctis, confiteri confessariis approbatis ab Episcopo pro utroque sexu, licet non approbatis pro Monialibus. » — *Respon-*

[1] *Analecta J. P.* ser. 4. col. 1289. sqq. — [2] Const. *Pastoralis curae.* — [3] *Analecta J. P.* ser. 4. col. 1322-1324. — [4] L. VI. 576. — [5] Cf. Bulla *Pastoralis* in fine; cf. *Collect. S. Sed.* n. 525.

Digitized by Google

sum est: « SSmus, in Audientia habita die 27 aug. 1852, mandavit rescribi: *Affirmative*, durante mora extra monasterium [1]. »

Pro tempore Jubilaei, vide n. 1736.

ARTICULUS IV.

DE LIMITATIONE JURISDICTIONIS QUOAD PECCATA

1766. — Jurisdictio restringitur aut *generaliter*, ita ut soli Superiores, exclusis omnibus inferioribus, absolvere possint; aut *specialiter*, ita ut absolvendi potestas uni tantum, non vero caeteris confessariis adimatur. — Peccata prioris generis sunt plurima, et appellantur CASUS RESERVATI; alterius generis peccatum est duntaxat unum, peccatum videlicet turpe cum ipso COMPLICE absolvendo commissum. Hinc duplex paragraphus: 1° De casibus reservatis. — 2° De vetita absolutione complicis.

§. 1. *De casibus reservatis.*

RESERVATIO CASUUM est negatio jurisdictionis circa aliqua peccata. Ita S. Alphonsus [2]. — Ex qua definitione liquet, casum reservatum esse illum, a quo confessarius absolvere nequit, ob defectum jurisdictionis a Superiore in illum denegatae, concessa potestate absolvendi a caeteris peccatis.

Finis reservationis est DUPLEX: 1° ut fideles efficacius absterreantur a delictis, quorum remissionem viderint difficiliorem; 2° ut in istiusmodi peccata prolapsi accipiant congruas poenitentias, admonitiones et remedia, quae non conveniunt ab aliis dari quam a Superioribus, qui semper aestimantur prudentiores, et magis idonei [3].

His praenotatis, ut omnia hac de re scitu necessaria exponantur, tractandum est: 1° de potestate reservandi peccata; — 2° de conditionibus reservationis; — 3° de distinctione casuum reservatorum; — 4° de absolutione a reservatis.

I. — DE POTESTATE RESERVANDI.

1767. — Principia. I. Existit in Ecclesia POTESTAS RESERVANDI quaedam peccata, a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate, extra mortis articulum, absolvere non possunt. — Constat: 1° ex Trid. sess. 14. *de Poenit.* can. 11. sic definiente: « Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad exter-

[1] Cf. Bizzarri, pag. 141; Del Vecchio. II. n. 745, ubi et aliud Resp. — [2] H. A. XVI. 128; L. VI. 578. — [3] H. A. ibid.; L. VI. 581.

Digitized by Google

nam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit ». — 2° ex perpetua praxi Ecclesiae, quam innumera documenta attestantur. — 3° Ex ipsa natura Sacramenti Poenitentiae, habentis characterem judicii. Etenim, in judiciis, omnes causae majores ad judices altioris ordinis remittuntur [1].

1768. — II. Potestas reservationis est penes omnes Superiores, qui gaudent potestate jurisdictionis ORDINARIAE, in foro EXTERNO (cf. n. 1749). Ratio est, quia hi soli, qui possunt jurisdictionem conferre, possunt eam etiam limitare. — Hinc: 1° Papa potest reservare casus in tota Ecclesia; 2° Episcopi in suis dioecesibus; 3° Praelati Religionum, et alii qui potestate quasi-episcopali pollent, in ambitu propriae jurisdictionis, sub certis tamen limitibus a Romano Pontifice determinatis. — Parochis vero abrogata est talis facultas, saltem ex consuetudine [2].

Notetur: — Peccant quidem graviter Superiores, si casus *sine rationabili causa* reservant; valida tamen est hujusmodi reservatio, juxta communiorem et veriorem sententiam, quia tota jurisdictio descendit a Superiore; « in omni autem dubio, standum pro potestate Superioris, qui eam possidet [3]. »

At vero, S. C. EPISC. ET REG. (26 nov. 1602 [4]) monendos censuit Ordinarios, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono *expedire*, atrociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat, et in aedificationem, non autem in destructionem cedat. — Prohibet etiam, ne casus Sedi Apostolicae specialiter reservatos sibi *superflue* reservent.

II. — DE CONDITIONIBUS RESERVATIONIS.

1769. — I. Ex consuetudine Ecclesiae, peccatum non censetur reservatum, nisi sit INTERNE et EXTERNE grave, in sua specie CONSUMMATUM et CERTUM. — Ratio est, 1° quia licet peccata quaecumque, per se, reservationi obnoxia sint, ex Tridentina tamen norma non reservantur nisi atrociora et graviora; atque hinc est, cur delictum, cadens sub reservationem, debeat esse interne et externe grave; 2° quia reservatio, utpote odiosa, strictae est interpretationis, et propterea requiritur, ut delictum sit, in sua specie, consummatum, et certum, certeque reservatum [5] (cf. n. 1263.)

Confessarius igitur, cum casum reservatum *suspicatur*, probe inquirat: 1° An peccatum sit INTERNE GRAVE cum perfecta advertentia et pleno consensu, in materia gravi. — An sit etiam GRAVE QUOAD ACTUM EXTERNUM; nam,

[1] Cf. Bened. XIV. *De Synodo*, lib. 5. c. 5. — [2] H. A. XVI. 130; L. VI. 578. — [3] H. A. ib. 131; L. VI. 579. — [4] Bizzarri, *Collectanea* p. 14. — [5] L. VI. 582. 600; H. A. XVI. 132.

Digitized by Google

si esset externe leve, non esset reservatum, etsi interne grave. — 3° An sit CONSUMMATUM et perfectum in sua specie: v. g. in homicidio, an mors realiter secuta sit; in adulterio vel incestu, an copula fuerit consummata in vase debito, etc. — 4° An sit ita CERTUM, ut non remaneat prudens dubium; sive dubium *facti;* (requiritur enim ab omnibus, ut peccatum sit certe commissum cum omnibus requisitis conditionibus): sive dubium *juris;* quia, dum controvertitur inter DD. utrum aliquod peccatum sit necne reservatum, confessarius est in possessione facultatis absolvendi, ut probabilissime communiterque docetur. Et casu, quo haec sententia esset falsa, Ecclesia certe suppleret [1] (cf. n. 1755). — In hac tamen materia, consulenda sunt statuta dioecesana.

1770. — II. Reservatio afficit immediate CONFESSARIUM, et mediate poenitentem. — Constat ex natura reservationis, « quae non est poena respiciens poenitentes, sed negatio seu restrictio jurisdictionis, respiciens confessarios. Et de hoc non videtur dubitandum; nam Tridentinum (sess. 14. cap. 7), ad ostendendum quod sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, haec verba praemittit: *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam* (nota) *non habet jurisdictionem* [2]. »

Hinc infertur: 1° Simplex confessarius NON POTEST absolvere a reservatis, etsi commissa fuerint loco vel tempore, quo non existebat reservatio, quia caret *hic et nunc* jurisdictione; — 2° POTEST absolvere a peccatis tempore et loco reservationis commissis, si reservatio tempore et loco absolutionis non existit.

1771. — Quaesita. QUAER. 1° *Quotuplici* MODO *reservari possit casus?*

Resp. Duplici modo: 1° Ratione *sui* tantum, cum ei non adnectitur censura, vel adnectitur solum accessorie: et hic casus dicitur reservatus principaliter propter peccatum; unde, quamvis censura non incurratur, remanet tamen reservatio. — 2° Ratione *censurae*, cum nempe peccatum, principaliter propter censuram, reservatur, ita ut reservetur immediate censura, et mediate ipsum peccatum; unde, sublata censura, v. g. quia quis, gravi metu ductus, peccavit, peccatum non remanet reservatum.

QUAER. 2° *An* IGNORANTIA RESERVATIONIS *ab ea incurrenda excuset?*

Resp. S. Alphonsus [3], cum sententia communissima, sic distinguit: 1° Si casus principaliter OB CENSURAM sint reservati, ut fere omnes casus papales, ignorantia utique excusat, quia in reservatione hujusmodi spectatur praecipue ratio poenae, quae solis contumacibus infligitur. — In his igitur casibus, reservata censura, etiam peccatum remanet reservatum: sublata autem censura, v. g. eo quod ignorata fuit, non est reservatum peccatum, ut patet ex quaestione praecedenti. — Attamen, si quis censuram cognoscit, et ignorat solum illam esse reservatam, ab ea incurrenda non

[1] H. A. XVI. 142. — [2] L. VI. 581; H. A. ib. 128. — [3] L. VI. 581.

Digitized by Google

excusatur; quia is jam consentit in poenam censurae; atque ideo implicite in ejus reservationem et in omnes alios effectus, licet ignoratos (cf. n. 220).

2° Si casus principaliter RATIONE PECCATI sint reservati, quales sunt duo casus papales (cf. n. 1772), et fere omnes casus, quos non jus commune Episcopis, sed ipsi Episcopi *sibi reservant;* ignorantia, juxta veriorem sententiam non excusat a reservatione. Ratio est, quia reservatio privat ipsum confessarium omni jurisdictione, quoad illud peccatum [1]. — Et idem valet quoad casus, quos Episcopi sibi reservant *cum censura*, quia dum in casibus papalibus censura principaliter reservatur et secundario peccatum, e contrario, in casibus episcopalibus, principaliter et per se reservatur ipse casus, seu peccatum, etiam quando accessorie, ad fortius ligandum, annexa est censura [2]. — Id confirmat praxis universalis; unde non videtur in usum deduci posse sententia eorum, qui contrarium docent (cf. n. 1767). — Excipe tamen, si *positive* constaret de contrario ex verbis Episcopi, i. e. si reservaret casum principaliter propter censuram, atque id exprimeret [3]; vel si aperte diceret se noluisse in lege casum ignorantiae comprehendere.

QUAER. 3° *An et quomodo reservationi subjaceant* PEREGRINI?

Praenot. Duo sunt prae oculis habenda: 1° Confessarius, quem afficit reservatio, non potest absolvere peregrinos, nisi juxta limites jurisdictionis, quam habet a suo Ordinario. — 2° Poenitentes peregrini, i. e. alterius dioecesis, subjiciuntur, quoad forum sacramentale, legibus loci, ubi versantur actu et confitentur [4]. Et ita quidem ex voluntate Ecclesiae, seu ex consuetudine universali legitime introducta (cf. n. 1752, qu. 2°). — Hinc,

Resp. 1° Poenitens, discedens in aliam dioecesim cum peccato *in utraque dioecesi* reservato, reservationi subjacere perseverat, et in neutra dioecesi absolvi potest, nisi ab habente facultatem.

2° Qui confitetur peccatum, non reservatum quidem in sua patria, vel in loco ubi commissum est, sed *in dioecesi ubi confitetur*, subjacet pariter reservationi, nec absolvi potest nisi ab habente facultatem [5]. — Hic tamen non ligatur censura, quae jure illius dioecesis reservatur, quia non est subditus illius dioecesis in foro externo, nec est contumax.

3° Qui confitetur peccatum, *in sua patria* reservatum, sed non in loco ubi confitetur, potest a simplici confessario absolvi, *dummodo eo non migraverit in fraudem reservationis.* Ita ex Const.

[1] Cf. *1 El. qq. ref.* 83. — [2] L. VI. 581. dub. 2. — [3] Cf. *Rev. des sc. eccl.* tom. XLIII. p. 352. — [4] L. VI. 591. et 587; *De Priv.* n. 32, 35. — [5] *1 Elench. qq. ref.* n. 86.

Digitized by Google

Superna Clementis X pro Regularibus, et ex consuetudine universaliter introducta, pro confessariis saecularibus [1] (cf. n. 1752. qu. 2). — Nec obstat, si peccato annexa sit censura jure patriae reservata; quia receptum est, ut Episcopi (et eorum delegati) etiam a censuris in aliena dioecesi reservatis absolvant, nisi sint publicae, aut latae per sententiam particularem [2].

QUAER. 4° *Quid sit* MIGRARE IN FRAUDEM RESERVATIONIS?

Resp. Alii aliter rem interpretantur; sed communior et probabilior sententia tenet, poenitentem tunc migrare in fraudem reservationis, « quando alienam petit dioecesim, ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique judicium proprii pastoris »; etiamsi id ageret bona fide, credens id non esse vetitum. « Ratio, quia fraus dicitur intervenire, ubi lex redditur elusoria... Eluderetur autem reservationis lex, si poenitens alio migraret ex principali motivo petendi absolutionem. — Unde, bene ipse absolvi poterit, si abscesserit ad aliquam dioecesim, ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel Indulgentiae lucrandae; vel ut confiteatur cum minori incommodo, aut citius confessionem expediat; vel ut confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat, etc. » — Nec vero in fraudem reservationis pro absolutione obtinenda migrat, qui ex dioecesi discedit ad peccatum patrandum, quod in ea reservatum est; nam id facit ut reservationem ipsam non incurrat [3].

III. — DE DISTINCTIONE CASUUM RESERVATORUM.

Distinguuntur casus papales, episcopales et regulares.

1772. — I. Casus PAPALES sunt duplicis generis. Alii enim reservantur *per se*, seu ratione peccati; alii propter *censuram* reservatam.

1° Casus Papae reservati per se, SINE CENSURA, duo sunt: 1) *Falsa denuntiatio confessarii:* cum quis nempe sacerdotem innocentem false de crimine sollicitationis apud *judices* ecclesiasticos accusat, sive calumniando per seipsum, sive efficiendo ut calumnia per alios inferatur. Ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV [4]. Iste casus est specialissime reservatus, ita scilicet, ut ipse Poenitentiarius Major, inconsulto S. Pontifice, etiam tempore Jubilaei, ab eo absolvere non possit. — 2) *Retentio donorum a Religiosis acceptorum.* Ille scilicet, qui dona graviter illicita, etsi non magni pretii,

[1] L. VI. 588-591; sed cf. *De Privil.* n. 35 (ab edit. 8ª), et adnotatio S. Alph. in *Istruzione e pratica*, cap. XVI. ad n. 135 (cf. et Craisson, n. 1612). — [2] *De Privil.* n. 35 (ubi ult. reform.); item L. VI. 594 (in edit. 7ª). — [3] L. VI. 589. — [4] Ibid. 693. *An autem* (vid. Bullam in fine operis S. Alph.).

Digitized by Google

accepit a Religiosis alterutrius sexus solemnibus votis obstrictis, non potest a simplici confessario absolvi, nisi prius restituerint (quantumvis ad restituendum fuerit dispositus); vel nisi, impotens ad restituendum, promiserit se, quamprimum potuerit, esse restituturum [1].

Ante restitutionem realiter factam (casu quo non sit impossibilis), Poenitentiarius Major (vel Confessarius ab eo deputatus) potest quidem istiusmodi detentorem absolvere: dummodo accepta dona *non excedant* valorem decem scutorum romanorum (54 francos), *nec fuerint de bonis Religionis*, et dummodo injungatur obligatio eleemosynae (ad sui vel delegati confessarii arbitrium determinandae), quae in beneficium Religionis seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur [2]. — Quod si dona accepta *excedant* valorem decem scutorum, vel *sint de bonis Religionis*, nec M. Poenitentiarius (facultate ordinaria) nec alius potest, nondum facta restitutione, absolvere, sed solus R. Pontifex. — Ex Bulla *Religiosae* Clementis VIII; *Nuper* Urbani VIII; *Pastor bonus* Benedicti XIV.

2° Casus Papae reservati PROPTER CENSURAM, ex Constitutione *Apostolicae Sedis*, edita a Pio IX, subdividuntur in duas classes. Alii enim sunt *speciali modo*, alii *simpliciter* reservati, ut vidimus in Tractatu *de Censuris* (cf. n. 1313 et sqq.).

1773. — II. Casus EPISCOPALES duplicis etiam sunt generis: alii dicuntur reservati A JURE, alii reservati AB HOMINE.

1° Casus Episcopis seu Ordinariis reservati A JURE COMMUNI sunt sequentes: 1) Excommunicationes tres. quibus feriuntur matrimonium attentantes voto solemni ligati — procurantes abortum, — et utentes falsis Litteris apostolicis (cf. n. 1348-1350). 2) Percussio clerici, in certis circumstantiis (n. 1310). 3) Suspensiones a Tridentino inflictae (n. 1368-1374). — Notum est praeterea, casus papales, jure, *fieri episcopales*, sive in casu occulto, si sint simpliciter reservati, sive saltem in casu perpetui impedimenti, juxta dicta n. 1280 et 1283.

2° Casus Episcopo reservati AB HOMINE sunt illi, quos quilibet Episcopus, sive in Synodo, sive extra Synodum, per sententiam generalem, sibi reservat, et *ordinarie* quidem sine censura. — Sunt varii, pro locorum diversitate, et proin addiscendi ex statutis cujusque dioecesis. Hic vero

QUAERITUR *Quinam* EXIMUNTUR *a reservatione episcopali?*

Resp. 1° Religiosi EXEMPTI, eorum Novitii, familiares et domestici, modo sint continui commensales; unde, « si Novitius in casum reservatum inciderit ante ingressum, non poterit quidem absolvi a quolibet confessario saeculari, sed, ex privilegio poterit a confessario Religionis [3]. — Si vero Religiosus in iis delinqueret,

[1] Ib. 580; H. A. XIII. 8. 9. — [2] Cf. L. VII. 470. 11°, et Folium S. POENIT. n. VI. — [3] L. VI. 583. *Hic.*

Digitized by Google

in quibus non est exemptus sed Episcopo subditus, posset utique censuram et reservationem incurrere [1] — 2° Moniales EXEMPTAE [2]. — Excipiendi tamen sunt casus reservati, in materia spectante ad Episcopum tanquam a S. Sede delegatum (v. g. respiciente ad clausuram), ut constat ex decisione S. C. Episc. et Regularium (sept. 1746 in *Nicoteren.*) [3].

Nota. Casus reservati Emo Cardinali Urbis Vicario sunt tantum DUO, nempe: 1° Peccatum quod committunt illi, qui non satisfaciunt praecepto Communionis paschalis, intra tempus quod intercedit intra Dominicam Palmarum et Dominicam in Albis inclusive. — 2° Excommunicatio ipso facto incurrenda ab iis, qui vel mutuo dant, vel recipiunt schedulam (vulgo *bollettino*) Communionis paschalis [4].

1774. — III. Praelati Religionum POSSUNT, si volunt, sibi reservare casus, sed, prout decrevit Clemens VIII die 26 maji 1593, solummodo UNDECIM, nec plures sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, aut Capituli provincialis pro tota provincia.

UNDECIM casus sunt: 1° Apostasia a Religione, etiam retento habitu. — 2° Nocturna ac furtiva e monasterio egressio. — 3° Veneficia, incantationes, et sortilegia. — 4° Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. — 5° Furtum mortale de rebus monasterii. — 6° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. — 7° Juramentum falsum in judicio legitimo. — 8° Procuratio, consilium, vel auxilium ad abortum foetus animati, etiam effectu non secuto. — 9° Occisio vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae. — 10° Falsificatio manus vel sigilli Officialium monasterii. — 11° Malitiosum impedimentum, retardatio aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel contra [5]. » — Isti casus sunt omnes reservati in Religione Capucinorum [6].

Notetur: 1° Praelati NON POSSUNT super alios casus censuras imponere; quia hoc esset indirecte reservare et Clementis VIII eludere prohibitionem. Ita S. Congr. Episc. et Reg. 7 julii 1617. — 2° Confessarius Regularium, si Superior ei denegat absolvendi facultatem, quam ipse concedendam prudenter judicat, potest absolvere pro illa vice (Ita Clemens VIII [7]); i. e. toties quoties Superior facultatem injuste denegat. Probabile est etiam, idem fieri posse, si urgeat tempus celebrationis, vel Communionis, et Superior adiri nequeat. Excipe, si scandalum, aut aliud grave damnum, esset prius reparandum [8].

IV. — De absolutione a reservatis.

1775. — *Praenotanda.* 1° Absolutio a reservatis potest dari directe vel indirecte: *directe*, quando peccatum reservatum apud con-

[1] Cf. H. A. XX. 79. — [2] L. VI. 602. q. 6°; H. A. XX. 67. — [3] Cf. Bizzarri, pag. 405. — [4] Cf. G. a Varceno, *de Poenit.* c. 6. art. 3. §. 2. — [5] L. VI. 583. — [6] G. a. Varceno, l. c. §. 3. — [7] Cf. Bullar. *Cherub.* tom. IV. p. 274, post Bullam 28 Urbani VIII. — [8] L. VI. 586. 5°; H. A. XVI. 134.

Digitized by Google

fessarium debita facultate pollentem, expresse declaratur; *indirecte*, quando ex justa causa, vel non declaratur, vel declaratur apud simplicem confessarium, qui solum a peccatis non reservatis absolvere potest. — 2° Absolutio *directa* conceditur, vel regulariter a Superiore reservante ejusve delegato; vel exceptionaliter a simplici confessario, in certis circumstantiis. — Quocirca statuuntur sequentia

Principia. — I. Superior RESERVANS, vel ejus SUCCESSOR vel etiam RESERVANTIS SUPERIOR absolvit a casibus reservatis, ex potestate propria atque ordinaria. — Ratio, quia hujus est absolvere, cujus est ligare (cf. n. 1278 sqq.).

1776. — II. INFERIOR non potest absolvere a reservatis, nisi ei facultas delegata sit vel AB HOMINE, i. e. a Superiore, vel a JURE, vel a CONSUETUDINE, vel a PRIVILEGIO (cf. n. 1282). — Principium autem generale est, quod *delegatus delegantem repraesentat*, ejusque potestate in beneficium subditi potitur. Unde, subditus potest delegatum adire, quoties Superiorem adire impeditur: nullo tamen jure videtur ad hoc adstringi (cf. n. 1284. qu. 2).

Porro: 1° Quoad casus a Papa reservatos, EPISCOPI habent a JURE triplicem potestatem, quam *subdelegare* possunt. Etenim: — 1° Potestate ordinaria (cujus participes sunt etiam Vicarii generales) absolvunt a casibus per Pontificem Episcopo seu Ordinario reservatis, ut supra diximus (n. 1280. 3°, 1773. 1°). — 2° Ubi Tridentinum receptum est, habent ex cap. *Liceat* facultatem absolvendi suos subditos, in foro conscientiae[1], ab omnibus casibus *occultis* Papae simpliciter reservatis (cf. n. 1280. 2°). — Ampliores etiam facultates specialibus Indultis obtinent. — Vide post n. 2333, Append. I.

2° Omnes INFERIORES indigent delegatione reservantis (vel ejusdem Superioris), ut in ipsius territorio absolvere possint. — Unde, tametsi Vicarius generalis jurisdictionem ordinariam habeat et alios approbare ac delegare possit (ut constat ex Const. *Superna* Clementis X), non potest tamen, sine *speciali* commissione, sive ipse personaliter absolvere, sive aliis tribuere facultatem absolvendi a casibus, quos Episcopus *sibi soli reservavit*. — Apposite ad rem *S. Alphonsus*[2]: 1° Peccat quidem graviter Episcopus, si injuste denegat absolvendi facultatem, cum animarum damno, praecipue si poenitens adduci non possit ut ipsum adeat; confessarius tamen ejus denegatione tenetur (cf. n. 1768. 1). 2° Ast Superior « juste semper denegare potest facultatem, donec poenitens notitiam ne-

[1] Cf. *1 El. qq. ref.* n. 95. — [2] H. A. XVI. 134; L. VI. 586. 4°.

Digitized by Google

cessariam ei non affert ad reparandum *publicum* scandalum aut damnum; nam alias a nemine tanquam indispositus absolvi potest[1]. »

3° Facultas, quam concedit *Episcopus*, absolvendi *a* CASIBUS *sibi reservatis*, se extendit, per se, ad sola PECCATA reservata, non autem ad reservatas censuras. — Excipe tamen *excommunicationes* eisdem peccatis, ipso facto, annexas. Excommunicatio enim (secus dicendum de suspensione atque interdicto) obstat absolutioni peccatorum. Hinc, eo ipso, quod conceditur facultas absolvendi a peccato, quod sibi annexam habet excommunicationem, conceditur etiam facultas absolvendi ab illa excommunicatione. — Concessa vero potestate absolvendi *a casibus Papae reservatis*, conceditur semper potestas absolvendi ab annexis censuris; quia Papa non solet reservare casus, nisi ratione censurae adjunctae[2] (cf. n. 1772).

4° Privilegium, vel Indultum, pro absolutione reservatorum potest esse: vel ipsius *absolventis*, uti est v. g. illorum qui obtinent pagellam S. Poenitentiariae, facultates quinquennales etc.; vel ipsius *poenitentis*, cum scilicet ei conceditur privilegium, vi cujus possit absolvi a reservatis per simplicem confessarium, ut v. g. ex Bulla Jubilaei, *Cruciatae*, etc.

NB. Antiqua privilegia, quoad censuras reservatas Papae, sunt impraesentiarum per abrogationem extincta, prout dictum est in Tractatu *de Censuris* (n. 1280. 1°); novae autem concessiones *limitantur* semper ad tempus, vel ad personas, ideoque earum inter Regulares communicatio fieri non potest. Atque hinc est, cur a confessario diligenter perpendenda sint ipsa verba, quibus sibi absolvendi facultas concessa est.

1777. — III. Nulla est reservatio in ARTICULO vel in periculo MORTIS. — Simplex igitur confessarius (et in hujus defectu simplex sacerdos) potest absolvere a quibuscumque censuris et peccatis[3]. Constat ex dictis n. 1753.

Notetur autem: 1° Moribundus, ut rite absolvatur, debet, si sui compos sit: 1) absolutionem petere; 2) scandalum, si quod publice dederit, meliori, quo tunc poterit modo, reparare; 3) parti laesae (nisi haec injuriae reparationem valide remittat), v. g. ecclesiae cujus bona usurpavit, prius satisfacere, vel si id tunc praestare non possit, jurare se quamprimum satisfacturum; 4) si crimen sit valde enorme, jurare de eo non amplius perpetrando[4] (cf. n. 1287).

2° Si peccatum fuerit reservatum ratione sui, *absque censura*, « nulla remanet obligatio se praesentandi ad Superiorem; quia

[1] H. A. l. c. — [2] L. VII. 115; cf. Craisson, n. 6480 et 6481. — [3] L. VI. 561; VII. 92. — [4] L. VI. 537. qu. 7; VII. 120-127, 127-130.

Digitized by Google

tunc vere directe peccatum fuit absolutum » ut recte docent Suarez et alii [1].

3° Si peccato reservato *annexa sit censura*, Episcopo vel speciali modo Papae *reservata*, poenitens debet promittere, fore ut, si convaluerit, se sistat Superiori, non quidem ut iterum absolvatur, sed ut debitam admonitionem ac poenitentiam accipiat, juxta dicta n. 1274 et 1282.

4° Praesente *Episcopo*, simplex confessarius non potest licite absolvere a casibus ab eodem Episcopo *cum censura* reservatis. Ratio est, quia confessarius deberet, ratione censurae, moribundo injungere, ut si convalescat, se praesentet *quamprimum* Superiori. Cum igitur ipse Superior praesens sit, ab eo petenda atque obtinenda est (nisi periculum infamiae vel aliud obstet) censurae relaxatio [2]. — Secus est de censuris reservatis Papae; quia, etsi detur aliquando onus sese illi praesentandi, in praxi tamen Papa nunquam est *personaliter* praesens.

1778. — Quaesita. QUAER. 1° *Quomodo praeterea* CESSAT *reservatio?*

Cessat: 1° Excepto Jubilaeo (cf. n. 1739. qu. 10°), per confessionem licet *invalidam*, aut etiam *sacrilegam*, factam Superiori vel habenti facultatem, et *in qua reservatum accusatur;* sic enim finis reservationis satis obtinetur, cum Superior de accusato peccato jam judicare valeat, et poenitens jam accipiat ab ipso remedia et poenitentiam, « quam semper tenetur adimplere, licet postea percipiat confessionem fuisse invalidam. » Ita communior et probabilior sententia [3]. — 2° Per confessionem VALIDAM factam Superiori vel habenti facultatem, licet poenitens casum reservatum, *inculpabiliter* tamen, *obliviscatur*. Et hanc quidem sententiam, quae communiter docetur, *ut probabilem* habet S. Alphonsus [4]; excepto tantum casu, quo positive ex adjunctis praesumitur Superior absolutionem dilaturus fuisse, si peccatum audivisset; secus enim censetur voluisse ab omni vinculo liberare poenitentem rite dispositum, utendo nempe his verbis: « In quantum possum, et tu indiges [5]. — 3° Per confessionem peccati DUBIE RESERVATI (dubio facti vel etiam juris), factam *non habenti specialem facultatem*, etiamsi poenitens casum postea ut certe reservatum cognoscat. Ita communis ac probabilissima sententia; et ratio est, quia in dubio odiosa sunt restringenda, nec facultas absolvendi tollitur nisi per reservationem certam, ut dictum est n. 1769. — Et praeterea « cum

[1] L. VII. 91. — [2] H. A. XVI. 96. 97; L. VI. 563. VII. 92. — [3] H. A. XVI. 141; L. VI. 598. q. 3 et 4. — [4] L. VI. 597; cf. *Vind. Alph.* P. 5. Q. 18. — [5] Cf. *1 El. qq. ref.* n. 87 et *2 El. qq. ref.* n. 20.

Digitized by Google

haec sententia sit communis et probabilissima, in casu quo forte esset falsa, supplet Ecclesia [1]. »

In tribus igitur his casibus potest (saltem accedente rationabili causa) confessio apud simplicem confessarium iterari, vel compleri (cf. n. 1755).

QUAER. 2° *An possit absolvi a reservatis qui peccavit* IN CONFIDENTIAM *licentiae obtinendae?*

Resp. « Aliqui dubitarunt; sed communior sententia affirmat, quia, esto concedens licentiam nolit ut peccatores propter ipsam facilius peccent, non tamen excludit, quominus ii, qui occasione ejus peccaverint, possint absolvi, si vere proponant peccatum vitare [2]. » Et id valet etiam pro *Jubilaeo*, quia eadem currit ratio, et facultas generaliter concessa non est ex arbitrio limitanda [3] (cf. n. 1736, B. I).

QUAER. 3° *An licentia, data pro reservatis,* EXTENDI *possit ad peccata post impertitam licentiam commissa?*

Resp. Non extenditur, « si licentia data sit pro solis peccatis *speciatim nominatis*, vel pro numero determinatis. — Secus vero, si *indefinite* concessa sit, ut communissime docetur. » Excipe tamen, « si poenitens, cui specialiter licentia concessa est, aliud peccatum committeret post notabile tempus, v. g. post mensem, aut si licentia concessa fuisset intuitu alicujus festivitatis particularis [4]. »

QUAER. 4° *An nunquam possit simplex confessarius,* EXTRA MORTIS PERICULUM, *absolvere a reservatis?*

Respondit *S. Alphonsus* [5]: « Cum non adiri potest Superior, potest inferior *indirecte* absolvere a reservatis, urgente aliqua causa: v. g. ut vitetur scandalum, aut infamiae nota; aut ut satisfiat praecepto paschali; aut si poenitens alias diutius perseverare deberet in mortali, *ex eo quia Superior longe abest.* Ita communiter. » Et ratio est, quia, stante necessitate, confessio est formaliter integra, et confessarius pollet jurisdictione in non reservata; unde valide et licite absolvit [6].

Dictum est *indirecte*, quia simplices confessarii, ut declaravit Tridentinum, sess. 14. cap. 7, extra mortis articulum, nihil possunt in reservatis. Quare, cessante impedimento (licet natura sua perpetuum esset), tenetur poenitens adire Superiorem vel ejus delegatum, ut directe absolvatur a reservatis.

[1] H. A. XVI. 142; L. VI. 600; *Conf. dir.* XV. 44. — [2] H. A. ib. 144; L. VI. 601. — [3] Ib. 537. q. 6. — [4] H. A. ib. 145; L. VI. 601. qu. 4. — [5] H. A. XVI. 133 (cf. et *Istruz.* eod. loco). — [6] L. VI. 585; VII. 91 et 92. *Si quis* (cf. *Vindic. Alph.* p. 5. qu. 15).

Digitized by Google

QUAER. 5° *An* VALIDE *absolvatur poenitens, qui,* BONA FIDE, *confitetur simplici confessario peccatum reservatum, aut apud eumdem illius* OBLIVISCITUR ?

Resp. Affirm., si simul confiteatur peccatum non reservatum sive mortale sive veniale ; quia, in tali casu, ut satis constat ex dictis, peccatum non reservatum directe absolvitur, et reservatum *indirecte* [1]. — Peccat autem confessarius, et graviter quidem, si scienter, sine justa causa, hoc modo absolvat, et poenitens semper tenetur iterare confessionem peccati indirecte tantum remissi.

Nota. Quoad PEREGRINOS, vide n. 1771. qu. 3°. — Quoad necessitatem *communicandi* vel *celebrandi* in casu, quo quis habet peccatum reservatum, cf. n. 1551.

1779. — REGULAE PRACTICAE. Confessarius, audito peccato reservato, a quo absolvere non potest, debet, casu non urgente, remittere statim poenitentem ad Superiorem, vel ad alium facultate donatum. — Non expedit, ordinarie loquendo, ut ipse se ad petendam licentiam *offerat*, ne scilicet finis reservationis destruatur (cf. n. 1766). — Quod si charitas tamen suadeat, ut ipse veniam petat, audiat reliqua peccata, tum ut congrua remedia praescribat, tum ut videat an alia adsint reservata. — Obtenta autem facultate non utatur, nisi prius ostenderit poenitenti patrati sceleris gravitatem, eidemque salutarem satisfactionem imposuerit [2] (cf. n. 1289. Nota).

§. 2. *De vetita absolutione complicis.*

1780. — **Principia.** I. Interdicitur omni sacerdoti ne, extra casum extremae necessitatis, confessionem sacramentalem PERSONAE COMPLICIS in peccato turpi contra sextum praeceptum excipere audeat. — Ita ex Constitutionibus Benedicti XIV *Sacramentum* (1 junii 1741), et *Apostolici muneris* (8 februar. 1745), ad tuendam nempe sacri Tribunalis sanctitatem, et removenda animarum pericula.

Dictum est 1° *extra casum extremae necessitatis*, i. e. extra articulum vel periculum mortis ; quia tunc licet absolvere complicem, modo desit alius sacerdos, etiam simplex, qui absolvere valeat ; aut modo ille sacerdos non possit infirmi confessionem excipere sine gravi scandalo, vel approbati infamia. — Tenetur tamen sacerdos complex talia scandali vel infamiae pericula praecavere, si possit, v. g. sub aliquo praetextu discedendo, etc. ; secus, gravis delicti reatum et poenas non effugiet, licet absolutio sit *valida* « ne hac ipsa occasione, ait Pontifex, aliquis pereat [3]. »

Dictum est 2° *personae complicis :* quo nomine, ex communi interpretatione, veniunt non solum feminae, sed etiam viri, nec ex-

[1] L. VI. 596. q. 1 ; H. A. XVI. 139 ; cf. Sporer, *Theol. Sacram.* p. 3. n. 858. — [2] Cf. L. VI. 584-585 ; *Praxis.* n. 80. — [3] L. VI. 553.

Digitized by Google

ceptis ipsis impuberibus. — Imo, non excluduntur personae, quibuscum confessarius jam ante susceptum sacerdotium peccavit; ut constat ex Resp. S. Poenit. de die 22 jan. 1879 [1].

Dictum est 3° *in peccato turpi...:* in qua appellatione comprehenditur omne peccatum ex utraque parte *certum*, *grave*, *externum* et *mutuum*, contra sextum praeceptum, etiamsi non sit copulâ consummatum; imo, licet sit solus tactus turpis, aut aspectus, aut colloquium inhonestum, ut communius docetur [2], et constat ex Resp. S. Officii 28 maji 1873 (cf. n. 1324). — Non vero comprehenduntur *culpae veniales*, sive tales sint ob parvitatem materiae, sive ob defectum advertentiae aut consensus; nec peccata *mere interna*, vel non plene exterius manifestata; nec peccata *dubia*, dubio facti vel juris; nec demum cum dubium vertitur, an poenitens ipse quoque graviter peccaverit; quia Bulla intelligenda est de complice formali, in peccato mortali contra Sextum [3].

1781. — II. Confessarius, extra mortis periculum, CARET omni JURISDICTIONE ad absolvendum complicem, quoad peccatum cujus fuit particeps. — Constat ex verbis Bullae dicentis: « Sublata propterea illi, ipso jure, quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam. » — Quamdiu igitur peccatum complicitatis, per absolutionem ab alio sacerdote rite impertitam, non fuerit directe remissum, confessarius complicem suum, nec licite, nec valide, absolvit. — Quin imo, probabile est, peccatum illud, etiam postquam ab alio directe remissum fuit, nunquam et nullo modo confessario complici tanquam materiam sufficientem absolutionis declarari et subjici posse; quippe qui in perpetuum jurisdictione in illud carere videtur [4].

1782. — III. EXCOMMUNICATIO, Romano Pontifici modo specialissimo reservata, INCURRITUR a sacerdote, qui extra necessitatem extremam, absolvit complicem in peccato turpi. — Constat tum ex Bulla *Sacramentum* Benedicti XIV, tum ex Constitutione *Apostolicae Sedis* edita a Pio IX (cf. n. 1324).

Hic tamen advertendum est, censurâ non ligari: 1° qui complicem tantum *audit* in confessione, sed non absolvit; secus, si absolutionem simulet, ut constat ex Responsione S. Poenitentiariae data die 1 martii 1878, et confirmata ex alia Responsione C. S. Off. ad Episcopum Petrocoren. facta die 10 decembris 1883 [5] (cf. n. 1324); — 2° qui absolvit quidem, sed *cum ignorantia*, etsi crassa, censurae;

[1] Cf. M. Haringer (in edit. 2ª Ratisbon. Op. Mor. S. A.) Adnot. ad lib. VI. 556. — [2] Ib. 554. — [3] Cf. H. A. XVI. 95. — [4] C. P. Rota, *Enchiridion confess. et judicis* (Taurin. 1884) n. 144. — [5] *Nouv. Revue théol.* tom. XVI pag. 366.

Digitized by Google

vel sine advertentia ad complicitatem poenitentis; nam Constitutio Benedicti XIV, ex qua censura desumpta est, requirit *ausum*, ut excommunicatio incurratur.

1783. — Quaesita. QUAER. 1° *An censura et privatio jurisdictionis locum habeant, si complicitatis peccatum non subjiciatur clavibus?*

Resp. Neg. Etenim quaesitum fuit: « An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complicem, qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit? Ratio dubitandi esse videtur, quia talis sacerdos, etiamsi complex sacrilege hujus peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, non tamen absolvit ab hujusmodi complicitatis culpa, utpote non declarata, nec subjecta clavibus. »

Et S. POENITENTIARIA die 16 maji 1877 respondit: « Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit. — Tenetur nihilominus confessarius sacerdoti, qui, hac ratione, complicem, non tamen a peccato complicitatis, absolvit, omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui, et abominabilem abusum Sacramenti Poenitentiae; nec aliter ei beneficium absolutionis impertiri, quam praemissa gravissima adhortatione, ut officium confessarii dimittere studeat, necnon imposita obligatione, ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat; monita eadem persona complice, si denuo compareat, ut de peccato complicitatis, et caeteris invalide confessis, apud alium confessarium se accuset[1]. »

QUAER. 2° *An vitet* EXCOMMUNICATIONEM, *qui, urgente* CONFESSIONIS *praecepto, complicem, absque gravis infamiae vel scandali periculo, alteri confiteri non valentem,* INDIRECTE *tantum absolvit?*

Resp. Negant nonnulli; affirmant vero Salmanticenses[2]; et haec sententia (si sciat vel moneatur poenitens se debere postea adire alium confessarium) videtur probabilior tutaque in praxi, ex eo quod in hujusmodi casu non adest temerarius *ausus*, quem Constitutio Benedicti XIV requirit[3]. Videtur etiam conformior Responso S. Poenitentiariae, mox relato.

[1] Cf. Planchard, *Practica. Dissert.* pag. 9 (cf. et *Collectan S. Sed.* n. 520). — [2] Append. ad Tract. VI. de Bulla *Cruciatae*, cap. 6. n. 262; Rota, l. c. n. 148. — [3] Cf. Pennacchi, *Comment. in Const.* APOST. SEDIS. tom. I. Additio ad *Append. IX* (pag. 37).

Digitized by Google

1784. — *Ex dictis resolves*[1]: 1° Confessarius INVALIDE absolvit: 1° Poenitentem, cum quo convenit de seducenda muliere, licet hanc postea non seduxerit; quia verificatur, hunc poenitentem esse socium conventionis iniquae contra castitatem. — 2° Poenitentem, a quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere; quia *exterius* sibi complacendo, de illis participavit, ideoque est complex peccati turpis. — 3° Poenitentem complicem, qui instituit generalem confessionem, si certum sit vel probabile praeteritas confessiones fuisse invalidas.

2° VALIDE absolvit: 1° Feminam, quam dormientem vel reluctantem impudice attrectavit, vel a qua ipse dormiens reluctansve attrectatus est; quia non absolvit a peccato complicitatis. — 2° Feminam, quacum intercessit osculum obiter datum, aut tactus momentaneus manuum vel honestarum partium, ex joco vel levitate. Atque idem dicendum esset, si sacerdos feminam manu prehendisset, tametsi ipse, sed ipse solus, veneream delectationem expertus esset. In his enim casibus vel non adest peccatum *certo* mortale, vel non adest ex *utraque* parte. — 3° Idem resolve, si delectatio quantumvis carnalis, et utrinque orta, utrique sit personalis, absque ullo signo externo et respective incognita. — 4° Nec invalida est absolutio super aliis peccatis complici directe impertita, si hic complicitatis peccatum *inculpabiliter* in confessione omiserit; ex praefato enim Responso S. Poenitentiariae 16 maji 1877, constat sacerdotem jurisdictione sua non privari.

Nota. Ipse poenitens complex nullam censuram aliamve poenam incurrit, neque ejus peccatum subjacet reservationi (nisi forsan episcopali, ex Statutis dioecesanis). — Benigne igitur a legitimo confessario excipiatur persona hujusmodi ut propriam miseriam confiteri non erubescat; et repetitis confessionibus apud complicem invalide peractis, amotaque peccandi occasione, absoluta dimittatur. Sed ab ulteriori reditu ad confessarium complicem, quantum fieri potest, avertatur, etiamsi lex de fugienda occasione proxima, id non absolute requirere videatur (cf. Resp. S. POENIT. in fine).

Quod si insuper, occasione confessionis, ad peccatum sollicitata fuisset, vide n. 1795.

CAPUT II.

DE DOTIBUS MINISTRI PŒNITENTIÆ

1785. — « Jam praeter Ordinis et jurisdictionis potestatem, quae prorsus necessaria sunt, in primis opus est, ait Catechismus Romanus[2], ut hujus Sacramenti minister tum scientia et eruditione, tum prudentia praeditus sit; JUDICIS enim et MEDICI simul personam gerit. » Gerit etiam personam PATRIS, et quidem patris optimi, videlicet Christi Domini conferentis poenitenti vitam gratiae. Neque hoc solum, sed gerit insuper personam DOCTORIS, propterea quod ipsius est admonere poenitentem, eumque, quantum opus est, scitu

[1] Konings, n. 1406; cf. Pennacchi, loc. cit. *Append. IX.* p. 305. sqq. — [2] *De Poenit.* n. 56.

Digitized by Google

utilia vel necessaria edocere. — Et quoniam tam multa et tam gravia officia impleri nequeunt, nisi bonitate seu integritate vitae assidue fulciatur: hinc, ut omnes, quibus quisque Poenitentiae minister praestare debet, dotes commemorentur, tractandum occurrit: 1° de scientia confessarii; 2° de ejus prudentia; et 3° de ejus bonitate seu vitae integritate.

ARTICULUS I.

DE SCIENTIA CONFESSARII

1786. — Principia. I. Confessarius tenetur, et quidem SUB GRAVI, habere SCIENTIAM eorum omnium, quae ad sui muneris functionem requiruntur. — Ad rem graviter *S. Alphonsus*[1]: « Et ut brevius me expediam, inquit, affirmo in statu damnationis esse eum confessarium, qui, sine sufficienti scientia, ad confessiones excipiendas se exponit. » Ratio est, quia, deficiente hac scientia, confessarius certo periculo se committit sacrosanctum suum munus male explendi, cum injuria Sacramenti et cum poenitentium damno.

Nec dicatur, scientiam suppleri *experientia;* haec enim, tametsi scientiam juvet, nunquam tamen ejus partes implet. — Hinc « nullus confessarius intermittere debet *theologiae moralis studium*, quia, ex tot rebus tam diversis, et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt: qua de re oportet semper, frequenti studio, eas in memoriam revocare[2]. » (cf. n. 4).

Hinc infertur: 1° Peccat graviter *sacerdos*, qui in re morali ignarus confessiones excipit. Nec Superioris approbatio eum excusat; haec enim supponit scientiam debitam, eam vero minime infundit. — 2° Peccat graviter *Superior*, qui concedit facultatem excipiendi confessiones sacerdoti indocto; hujus enim peccato consentit ac cooperatur. — 3° Peccat graviter ipse *poenitens*, qui, in gravi spirituali necessitate constitutus, accedit ad confessarium, cujus scientiam suo statui non idoneam esse cognoscit; quia, praeter spirituale damnum, quod patitur, est causa cur Sacramentum Poenitentiae indebito modo administretur[3].

1787. — II. Quod ad scientiae QUALITATEM attinet, « optandum sane esset (ait Benedictus XIV[4]), ut quilibet confessarius ea pol-

[1] H. A. XVI. 100. — [2] Ibid. 100. — [3] L. VI. 626 et 628. 1°. 2°. — [4] Bulla *Apostolica*, §. 21 (26 junii 1749).

Digitized by Google

leret scientia, quam *eminentem* appellant; verum cum haec dos paucorum sit, necesse omnino est, ut *competenti* saltem scientia sit instructus. » — Competens autem haec erit scientia, si ipse prudens semper judicium in hoc foro ferre possit; judiciaria enim potestas hoc exigit, ut quae judicanda sunt, bene discernantur.

Debet ergo confessarius scire: 1° Quae peccata sint mortalia, quae venialia, saltem ex genere suo; — 2° species et circumstantias necessario explicandas; — 3° spectantia ad restitutionem bonorum et famae; — 4° casus reservatos, ut noscat ad quos sua jurisdictio se non extendit; item excommunicationes, censuras et irregularitates, saltem communiores; — 5° matrimonii impedimenta, et communes statuum obligationes; — 6° requisita in poenitente ad bonam dispositionem; — 7° opportuna remedia opponenda peccatis [1].

Caeterum, PRO PRAXI, animadvertere juvat: 1° Satis, est, si confessarius illa saltem calleat, quae frequentius occurrunt et de rebus difficilioribus sciat saltem dubitare, ut ita libros, vel cum debita venia (si eo opus habeat) doctos consulere possit. — 2° Non eadem in omnibus scientia requiritur; sed major vel minor pro diversitate locorum et poenitentium: sic major requiritur ad audiendas confessiones in urbe, quam in pagis; major ad excipiendas confessiones Episcoporum, sacerdotum et clericorum, quam saecularium atque agricolarum. — 3° In dubiis magis implicatis, praesertim si casus sit publicus, aut de facili publicandus, non solum consulendi sunt viri docti et majoris experientiae, sed saepe expedit ut, si per tempus liceat, ad ipsum Episcopum recurratur.

QUAERITUR. *Utrum teneatur sacerdos se* HABILEM *reddere ad confessiones excipiendas?*

Resp. Quoniam Christus Dominus sacerdotes eo fine instituit, ut animae salvarentur, et quoniam animarum salus praecipue per Sacramentum Poenitentiae obtinetur: sequitur, munus excipiendi confessiones esse unum ex praecipuis sacerdotii officiis; ac proinde sacerdotes TENERI, saltem in *gravi* populorum necessitate, eo fungi, et consequenter ad illud se reddere habiles.

Hinc *S. Alphonsus* [2]: « Non video, inquit, quomodo sacerdotes illi, qui, ob desidiam, ab hoc onere se subtrahunt, possint esse tuti in conscientia, et excusari ab exprobratione Domini, atque a supplicio damnationis inflicto servo illi otioso, qui suum talentum abscondit.... Nec dicant hujusmodi sacerdotes, se satis suam obligationem explere, si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando, quin Sacramentum confessionis ministrent; nam illis tenentur subvenire in eo quo indigent ad propriam salutem. Si enim proximus indiget cibo, in cibo debes ei subvenire, non in vestibus. — Nec valeat dicere, officium audiendi confessiones esse opus charitatis, et charitatem non obligare cum tanto incommodo: respondetur enim, quod hoc munus ortum non habet a simplici charitatis motivo, sed ex officio proprio sacerdotali, ut dictum est [3]. »

[1] L. VI. 627; H. A. ib. 100. — [2] L. VI. 625. — [3] H. A. XVI. 127.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE PRUDENTIA CONFESSARII.

1788. — Magna requiritur in confessario PRUDENTIA, quia *ars artium est regimen animarum*, et quia ejus munus multis difficultatibus et periculis abundat. — Haec prudentia maxime se prodere debet: 1° in deligendis probatis opinionibus; 2° in largienda libertate confessionis; 3° in excipiendis confessionibus mulierum; 4° in interrogandis ed admonendis poenitentibus; 5° in danda vel differenda absolutione; 6° in corrigendis propriis erroribus; 7° in custodiendo sacramentali sigillo. — De tribus prioribus tantum hic agemus, de caeteris infra dicturi.

1789. – I. Confessarius debet, in DELECTU OPINIONUM, uti summa prudentia. — Huc spectant sequentes REGULAE a nostro S. Doctore assignatae.

Regula 1ª « Si poenitens se ostendat *paratum* ad sequendum id quod est TUTIUS, tenetur confessarius, per se loquendo, eum dirigere secundum sententias tutiores; quia cum hoc sit majoris perfectionis, tenetur quidem confessarius incumbere majori profectui sui poenitentis. — Spectat autem ad prudentiam confessarii deinde perpendere, utrum tutioris vel minus tutae sententiae usus suo poenitenti sit profuturus. Ideo dixi *per se loquendo;* quia licet id, per se, sit tutius et perfectius, tamen periculosius erit pluribus imponere obligationem operandi semper secundum rigidiores sententias. — Idcirco, in praxi, confessarius potius, quoad fieri potest, debet esse benignus quam rigidus cum poenitentibus [1]. »

Regula 2ª « Confessarius, in delectu opinionum, tunc debet BENIGNIORES sententias sequi, quando illae potius inducunt poenitentem *ad vitandum peccatum.* — Secus vero, si illae potius conducant *ad legis transgressionem:* prout sunt opiniones illae, quae licet speculative videantur probabiles, tamen, in praxi, sunt valde periculosae: sicut in materia sexti praecepti sunt aliquae de tactibus, osculis, choreis, comoediis, de reprimendis motibus sensualibus et similibus. Item, in materia simoniae et usurae, ubi plura videntur excusari ratione liberalis gratitudinis, sed in praxi magnum periculum involvunt. Item, quando agitur de compensatione facienda, vel de accusatione prosequenda contra offensores, ubi facile est periculum injustitiae aut vindictae [2]. » (cf. n. 83. 2°).

[1] L. VI. 605. — [2] L. VI. v. *Sapienter.*

Digitized by Google

Praeterea notandum est, quod S. Doctor speciali severitate utendum esse censet, quando agitur de procurando bono communi, ut infra declarabitur [1] (n. 1810. Reg. 3ª).

Regula 3ª Absolutio non potest denegari poenitenti, caeteroquin disposito, si velit *uti aliqua opinione probabili* contraria ei, quam tenet confessarius [2]. — Ratio est, quia poenitens, vere dispositus, facta confessione, habet jus certum et strictum ad absolutionem. — Nec valet dicere, quod poenitens ideo non est dispositus, quia sequi renuit confessarii judicium; nam respondetur, quod confessarius non est judex opinionum et controversiarum prout est S. Pontifex, sed tantum judex est dispositionis sui poenitentis, et poenitentiae quam peccata merentur, ut patet ex Tridentino, sess. 14. cap. 5. « Dispositio autem poenitentis consistit tantum in habendo verum dolorem de peccatis confessis, et firmam voluntatem non peccandi in posterum. »

Requiritur tamen: 1° Ut poenitens *non sit rudis et indoctus*, sed capax formandi sibi conscientiam rectam ex opinione seu probabilitate, quam reputat solidam, saltem extrinsece, v. g. ex responsione alterius docti et prudentis; nam si vellet imprudenter agere non esset dispositus. — 2° Ut non agatur de judicio, sive *circa dispositionem* poenitentis, sive *circa administrationem* Sacramenti, v. g. si confessarius judicaret se jurisdictione carere super tali casu, poenitens debet ejus stare judicio; « nam alias absolvendo sine debita jurisdictione, vel quem ipse judicat indispositum, peccat (confessarius) agendo contra propriam conscientiam. » — 3° Ut opinio poenitentis sit non solum speculative, sed etiam *practice probabilis*, i. e. ut careat omni certe probabili periculo peccati formalis; quia poenitens tale periculum vitare tenetur. — 4° Ut confessarius, etsi non reputet poenitentis opinionem ut solide probabilem, eam tamen non habeat *ceu omnino falsam*, seu falso fundamento innixam; in tali enim casu negat S. Alphonsus [3] cum Navarro et S. Antonino, poenitentem posse ac debere absolvi, nisi de sua opinione desciscat (Vide tamen dicenda n. 1810).

1790. — II. Confessarius maxime caveat a tollenda suis poenitentibus CONFESSIONIS LIBERTATE. — Ad rem sic *S. Thomas* [4]: « Peccaret sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur: unde illi,

[1] Cf. *Vindic. Alp. Append.* I. §. 2. II. 6. — [2] Cf. *Conf. diretto,* XV. 39; et L. VI. 604; L. III. 609. — [3] H. A. XVI. 119. — [4] In 4. dist. 17 qu. 3. art. 3. ad qu. 4. ad 6um.

Digitized by Google

qui nimis solliciti sunt, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis. » — Et *S. Alphonsus* [1]: « Caveat confessarius, ne suis poenitentibus spiritualibus, praesertim feminis, prohibeat accedere ad alium confessarium; et cum advertat accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse: imo, ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur; praeterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat, ne si ad alium accedat, qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. » — Exoptandum est etiam, ut parochi confessarios *ignotos* subinde arcessant; et quo facilior ac liberior sit ad eos accessus, ipsi parochi, hoc tempore, ab excipiendis confessionibus abstineant. — Matribusfamilias quoque caute suadendum est ut, hac in re, plenam suis filiis et maxime filiabus libertatem concedant.

1791. — III. Excipiendo confessiones personarum ALTERIUS SEXUS, earum praesertim, quae pietatem profitentur, confessarius debet esse CAUTISSIMUS. — Quamobrem diligenter servet has *praescriptiones*, easque violare nefas ducat [2]:

1° Ex decreto S. C. Episc. 21 jan. 1610: « Confessarii sine necessitate, non debent audire mulierum confessiones *post crepusculum* vespertinum, et *ante auroram*. » — Si autem adsit necessitas, id non fiat sine *lumine* accenso et sine *teste*. — Viris *ante mulieres* semper accessus concedatur, ubi hoc commode fieri potest.

2° Excipiendo earum confessionem, praesertim si sint juniores, sit *austerus* potius quam affabilis et familiaris; nulla in re innuat illas sibi esse notas; *oculorum* etiam sit retinentissimus, ita ut eas nunquam, dum in confessionali morantur, in faciem aspiciat, nec, dum recedant, eas oculis insequatur. — Abstineat praesertim ab omnibus *blandis* ac tenerioribus *verbis*, ne tribunal Agni immaculati immutetur in speluncam latronum.

3° Extra confessionem, omnem cum eis *familiaritatem* fugiat, nec eas domi *invisat*, excepto casu gravis infirmitatis; sed nec tunc earum confessionem excipiat, nisi *aperta* cubiculi *janua*. — Munuscula, adulationes, elogia, et quidquid *amicitiam* conciliare solet, ex utraque parte plane vitentur. Nec minus cavendae sunt feminae, quia sunt sanctiores; nam, teste S. Thoma, quo sanctiores ac puriores sunt, eo magis mentem alliciunt. — Vide alia n. 833. 1841. sqq. 1847. sqq.

4° « Nunquam, absque necessitate, de *aliorum* confessario-

[1] H. A. tr. ult. n. 43; vel *Praxis*, n. 100. — [2] Cf. *Praxis*, n. 119-120. ubi plura.

Digitized by Google

rum defectibus loquatur; sed potius sedulo quaerat eos ab aliquo errore commisso excusare [1]. »

5° « Directionem non suscipiat alicujus, qui vult directorem suum *relinquere*, nisi adsit urgens causa... Advertatque, ad mutandum confessarium, non satis esse quod poenitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius fidem non amplius habere: ut enim ait S. Theresia, saepe haec est daemonis tentatio. — Unde *S. Franciscus Salesius* sic docet: « Confessarius non est variandus sine gravi ratione. Sed contra, neque expedit in hoc esse invariabile, si legitimae causae mutationis superveniant [2]. »

6° « Evitet confessarius *partialem* sese ostendere cum aliquo poenitente. Quidam ad animam aliquam animi benevolentiam nimis adjiciunt; cum illam omnem curam, tempus et laborem in se sumunt. — Non negandum, quod aliqua anima quandoque majori indigebit assistentia, quam alia; sed alia est assistentia, alia est adhaesio, quae efficit, ut paucior cura de aliis poenitentibus habeatur. — Ideo expediet, quod confessarius personae illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum recipiant [3]. »

7° « In excipiendis confessionibus harum personarum spiritualium confessarius cavere debet *ne nimis attollat vocem*, quamvis de peccatis non loquatur: quia, ex hoc, accidere potest, quod alii expavescant suas culpas confiteri, ob hunc timorem quod confessarius alta voce loquatur [4]. »

Vide etiam Rit. Romanum: *Ordo ministrandi Sacram. Poenitentiae.*

ARTICULUS III.

DE CONFESSARII BONITATE SEU INTEGRITATE VITÆ

1792. — « *Habeantur idonei confessarii* (dixit S. Pius V), *ecce omnium christianorum omnimoda reformatio.* Non enim est dubitandum, quin, si omnes confessarii ea pollerent scientia, et morum bonitate, quas tantum ministerium exigit, nec mundus ita peccatorum coeno deturpatus esset, nec infernus tot baptizatorum animabus repleretur. — Et cum *bonitatem* dico, non hic intelligo solam habitualem id est simplicem gratiae statum, sed *positivam* bonitatem, quae ministrum Poenitentiae decet. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet: cum mulieribus et

[1] *Praxis*, n. 100. 2°. — [2] Ibid. 3°. — [3] Ibid. 4°. — [4] Ib. n. 101.

Digitized by Google

adolescentibus saepe versari, eorum confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat: cum personis praeclaris, abscisso omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari: et, ut omnia unico verbo complectar, debet esse in charitate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. — Qua de re ut hae omnes partes, uti par est, adimpleantur, non vulgari opus est bonitate, quam certe nunquam assequetur ille, cui *oratio* non est perfamiliaris, nec *meditatio* est quotidiana: etenim alia via lucem et gratias huic tanto muneri (etiam ipsis angelicis humeris, ut dici solet, formidando) necessarias obtinere nemo potest [1]. »

In primis autem abundare debet confessarius magna ac sincera *charitate*, quâ ita ducatur, ut se totum pro animabus impendat ac superimpendat, utque nihil aliud quam earum *salutem* et spiritualem *profectum* sibi proponat. — Manifestum est autem, huic charitati nihil magis adversari quam execrabilis ac vere diabolica malitia sacerdotis, qui sacrosancto hoc ministerio ad perniciem poenitentium, *sollicitando* scilicet eos *ad turpia*, impie ac sacrilege abutitur. — Summi Pontifices, ut tam nefarium abusum, ac tam impiam praevaricationem a sacro Tribunali efficaciter excluderent, per varia Decreta sanxerunt, ut perditissimi isti confessarii, qui ad turpia sollicitant, apud competentes ecclesiasticos Judices DENUNTIENTUR.

Unde nobis hic agendum est: 1° de confessarii zelo et charitate; 2° de sollicitationis crimine denuntiando.

§. 1. *De Confessarii zelo et charitate.*

1793. — Requiritur in confessario, ut suo munere fructuose fungi possit, eximia CHARITAS. — Cum enim confessio actus sit omnino voluntarius, per quem confessario summa fiducia exhibetur: manifestum est, talem *fiduciam* non posse provocari, nisi confessarius vicissim summam benignitatem exhibeat poenitenti, qui suae conscientiae arcana aperturus ad eum accedit [2]. — Quocirca traduntur a nostro S. Doctore sequentia

Monita. — 1° Confessarius magnam charitatem ac zelum ostendat in omnes BENIGNE EXCIPIENDO, sive pauperes sive divites; siquidem nulla est apud Deum acceptio personarum. — Imo, ad imitationem Christi, dicentis: « Non veni vocare justos, sed peccatores, » bonus confessarius, charitatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperit, eo majori, ut Deo ipsas lucrifaciat, charitate eas amplectitur,

[1] *Praxis*, n. 1. — [2] Cf. *Praxis*, n. 3-5, ubi plura perutilia legi possunt.

Digitized by Google

eisque animum praebet, his aut similibus verbis. « Eia frater! bono animo esto! Noli timere, peccata tua impavide confitere! etc... »

2° Majorem ostendat charitatem in poenitentem AUDIENDO. « Caveat, ne se exhibeat impatientem, aut appareat admiratione percelli de peccatis, quae narrantur... In actu confessionis abstineat a *correctione* facienda, ne forte, exterriti, poenitentes peccata reticeant. Nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo; nam, multoties, expedit ad ulteriora non procedere, et statim poenitentem corripere, praecipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. — Advertat tamen confessarius, ne eum exasperet, nec *perterreat.* Quapropter, postquam eum, quantum opus fuerit, corripuerit, statim ei animum faciat, ad reliqua peccata confitenda [1]. » Poenitenti non appareat tarditatis impatiens, nec obliviscatur id semper fieri sat cito, quod sat bene. — Erga male dispositos multa patientia utatur, et refrenata omni animi excandescentis commotione, suaviter simul ac fortiter ad bonam frugem eos revocare conetur.

3° Maximam autem charitatem ac zelum ostendat in BENE DISPONENDO poenitentem, eumque, quoad fieri potest, adjuvando, ut ita omnia bona, quae ex Sacramento emanant, ipsi adipisci faciat, nempe justificationem, profectum in gratia, et donum perseverantiae. — « Quapropter, vehementiori ardore ac studio, incumbat, ut poenitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum, in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum charitate fiat... ut poenitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non *ab animo irato,* sed ex singulari amore, et commiseratione erga suam animam procedere... Postea, adjuvabit eum ad doloris actum efformandum, et, si dispositus est, eum absolvat [2]. »

« Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur *differendam* esse absolutionem, assignet ei diem, in quo regredi debeat, dicendo ei sic: « Eia frater! tali die te expecto, ne praetermittas ad me redire, animo forti magnoque sis, ut tibi dixi. Commenda te quotidie Beatae Virgini, et veni ad me. Si, forte, tunc invenies me aliorum confessiones excipientem, accede; te enim ante alios audiam. Si alibi ero, fac ut me arcessant; omnia deseram, ut tu confitearis. » Et sic dulcibus verbis a se dimittat. « Haec est via, qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxime fieri potest charitate; alioquin, si ipsi in confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent, et effrenate ad perditionem ibunt [3]. »

Monet etiam RITUALE: « Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut *saepe,* puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, et si expediat, communicent. »

§. 2. *De sollicitationis crimine denuntiando* [4].

1794. — In primis referre juvat verba BENEDICTI XIV, qui, confirmando Bullam GREGORII XV, ita in Constitutione *Sacramentum*

[1] Ib. n. 4. — [2] Ib. n. 5. — [3] Ibid. — [4] Cf. Berardi, *Praxis Conf.* n. 549. sqq.; et Benger, *Compend* n. 404; et Rota, *Enchiridion,* n. 164-402.

Digitized by Google

loquitur: « Mandamus omnibus locorum Ordinariis... ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes, tam saeculares, quam regulares, quomodolibet exemptos... et cujuscumque dignitatis... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona ille sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare; sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus, temerario ausu habuerint. »

« Meminerint praeterea singuli et omnes sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi locorum Ordinariis praedictis, personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. »

Super his veniunt tria expendenda: 1° Quandonam adsit sollicitationis crimen; 2° quaenam sit obligatio denuntiandi; 3° quomodo in praxi confessarius procedere debeat.

I. — Quandonam adsit sollicitationis crimen?

1795. — Sollicitationis vocabulo, in Sacramento Poenitentiae, intelligitur invitatio, incitatio vel provocatio ad res venereas, facta a confessario, sub certis clausulis. — Est peccatum gravissimum, tum quia gravem injuriam irrogat Sacramento, tum quia lethale damnum infert poenitenti, porrigendo ei, pro medicina, venenum. — Si sollicitans est ipse *parochus*, sollicitatio continet specialem malitiam, seu speciale peccatum contra justitiam, quia, ex justitia, oves suas verbo et exemplo pascere tenetur (cf. n. 786. not. 2°).

Dicitur 1° *Invitatio,* quae nempe fit verbis aut signis ad actus libidinosos inductivis. — Hinc, sollicitatio ut completa habenda est (sive poenitens in peccatum reapse consentiat, sive resistat), quoties-

Digitized by Google

cumque ponitur actus aptus ad alliciendum ad res venereas [1]. — Nec refert, utrum actus sit, in se, malus an indifferens, dummodo ex circumstantiis postea cognoscatur, eum positum fuisse ad sollicitandum, puta, si confessarius imponeret mulieri, ut ipsum domi expectet, vel si interrogaret ubi habitet [2].

Dicitur 2° *ad res venereas;* non enim denuntiatio facienda est, si sollicitatio fuit ad alia crimina. Nec urget denuntiandi obligatio nisi sollicitatio fuerit *graviter* culpabilis; quocirca notandum est, aliquos actus per se ut veniales haberi posse, qui tamen, si fiunt a sacerdote in actu administrandi Sacramentum Poenitentiae versante, graviter culpabiliter evadunt. [3]. — Denuntiatio autem facienda est, sive marem sollicitaverit sive feminam, sive sollicitaverit ad peccandum secum sive cum alio, sive demum poenitentem immediate sollicitaverit, sive, mediante poenitente, aliam quampiam personam [4].

Dicitur 3° *sub certis clausulis*, quibus nempe lex definit sollicitationem habere sufficientem connexionem cum Sacramento, et tanquam ipsius abusum esse denuntiandum.

Clausula 1ª *In actu sacramentalis confessionis.* Ad hoc sufficit, si confessio fuerit incepta, licet non perfecta. Nota hic propos. 6ªm damnatam ab Alexandro VII, quae dicebat: « Confessarius, qui, in sacramentali confessione, tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione [5]. »

Clausula 2ª *Immediate ante vel post.* Haec vox *immediate*, juxta communiorem sententiam, ita stricte intelligenda est, ut inter sollicitationem et *Sacramentalem* confessionem nullum intervallum vel actio intercedat [6]. — Hinc, denuntiandus est confessarius: 1° si mulierem ante confessionale, confessionis causa, expectantem, non casu, sed ex proposito, manibus aut pedibus inhoneste tangat. — 2° Si immediate post confessionem, dum ea ad manum deosculandam accedit, ipse eam turpiter tangat. Item, si eam statim ducat in cubiculum ibique eam sollicitet; vel si immediate dicat: *Expecta paulisper*, et post aliquod intervallum (non autem die sequenti) sollicitare incipiat: in utroque enim casu ponit, immediate, sollicitationis medium. — Secus vero, si, nullo hujusmodi medio posito, eam, e confessionali jam egressam, adit et sollicitat [7]. Attendatur tamen

[1] Viva, *Theses damnatae Alex. VIII.* Prop. 6ª. n. 7. — [2] L. VI. 676. — [3] Berardi, *De sollicitatione*, n. 23. 24. — [4] L. VI. 691; H. A. XVI. 171. — [5] H. A. XVI. 166; L. VI. 676. — [6] Ib. XVI. 167. — [7] L. VI. 677.

Digitized by Google

Clausula 3ª *Occasione vel praetextu confessionis.* Dicitur *occasione* confessionis: quando confessarius sumit ansam ad sollicitandum ex confessione vere petita, vel vere facta; *praetextu* vero, quando eamdem ansam sumit ex confessione ficta, id est ex confessione, quae unice eo fine proposita est, ut sollicitationi inserviret.

Hinc: 1° ex primo capite, denuntiandus est confessarius, qui, rogatus ad confessionem, sermonem alio divertit et sollicitat, etsi nondum sederit, nec mulier fuerit genuflexa. Atque hoc idem dicendum est, licet rogetur ut die tantum insequenti confessionem excipiat; dummodo sollicitatio tunc fiat in confessionali, seu in loco confessionis, vel praetextu confessionis. — Item, denuntiandus est, si, ob fragilitatem mulieris, ex ejus confessione cognitam, eam postea domi sollicitat; dummodo, ex indiciis, sufficienter constet, eum ex illa scientia, non autem ex aliis causis, ad sollicitationem fuisse inductum.

2° Ex secundo capite denuntiandus est, si, ob pravum finem, invitat ficte mulierem ad confessionem, et deinde sollicitat; item, si, vocatus a matre ad audiendam confessionem filiae, ad hanc pravo fine accedit, eamque sollicitat; aut si, vocatus ad absolvendam mulierem sensibus destitutam, sub tali praetextu seu occasione venit, et inhoneste eam tangit. Item, si mulieri, jam extra confessionem sollicitatae et renuenti ob timorem diffamationis, suadet, ut fingens se aegrotam, eum ad peccandum arcessat. — Secus vero, si tali praetextu utitur, non ad sollicitandam mulierem, sed solum ad illudendum Superiori, domesticis, etc.; vel si ipsa mulier, nulla conventione praemissa, utitur praetextu confessionis ad confessarium advocandum et sollicitandum; « quamvis deinde rem habeant [1]. »

Clausula 4ª *In confessionali, — sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, — cum simulatione audiendi confessionem.* Ut igitur denuntiandi obligatio *ex hac clausula* exoriatur, necesse est ut intervenerit confessionis simulatio. Debet scilicet sacerdos ita se gerere, ut merito credi possit, se actu confessionem excipere, v. g. applicando aures. — Hinc, denuntiandus non est, qui sedens in confessionali, nec simulans ullo modo confessionem, sollicitat mulierem stantem vel sedentem ante confessionale. Ita ex Decl. S. Officii, 11 febr. 1661, sub. n. 15. Secus vero, si eam in confessionali, vel in loco confessionis, genuflexam sollicitat. Secus etiam, juxta plures, *si ambo* in confessionali, *de rebus inhonestis tractent, quin simulent confessionem*; nam, ex Decreto Pauli V (10 julii 1614),

[1] L. VI. 678. 679; H. A. XVI. 168. 169.

Digitized by Google

omnes illi denuntiandi sunt, qui abusi sunt Sacramento Poenitentiae, confessionem, aut confessionarium, adhibentes ad fines inhonestos[1]. Alii tamen non improbabiliter contradicunt: quia citata S. Officii Declaratio, quam approbavit Benedictus XIV, videtur derogasse Decreto Pauli V, per authenticam interpretationem[2].

1796. — QUAERITUR. *Utrum denuntiatio facienda sit, si sollicitatio fuerit* DUBIA?

Resp. Dist. 1° Si ex aliquo facto vel dicto certa quidem est sollicitatio, sed non constat quinam fuerit sollicitans, facienda est denuntiatio, ut Superior de persona sollicitantis inquirere possit, casu quo talis inquisitio facilis sit, absque periculo infamandi innocentem. — 2° Si suspectus de sollicitatione est certus, et dubitetur an factum vel dictum fuerit vera sollicitatio, non est imponenda poenitenti denuntiatio; tum quia in poenis benignior interpretatio facienda est, tum quia, in dubio, nemo privandus est fama, quam possidet. — Excipe: 1° Si accedant indicia vehementia de sollicitatione, v. g. ob pravam vitam, malamve confessarii famam, quae moralem fundarent certitudinem. — 2° Si verba de se sollicitationem prae se ferant, et solum dubitetur an confessarius ad malum finem ea protulerit; quia, nisi aliud obstet, praesumptio intentionis accipienda est juxta verborum proprietatem[3].

Huc faciunt duo Responsa S. OFFICII ex declaratione 11 februarii 1661 desumpta[4]: *Ad* 12^m «An confessarius, si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus? — *Censuerunt, si illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem.* — *Ad* 16^m An denuntiandus confessarius, qui, audiens confessionem, dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitare? — *dem responderunt quod ad duodecimum.*»

II. — De obligatione denuntiandi.

1797. — *Praenotamus:* 1° «Finis legis denuntiationis, ut scite advertit Eusebius Amort[5], non est emendatio personae particularis, sed *securitas publica Sacramenti* et animarum *ex castigatione certa* tam abominabilis sceleris, et *ex metu indeclinabili* omnium confessariorum incurrendi gravissima supplicia, etiam actu unico, aut semel tantum iterato; imo etiam *indemnitas Ecclesiae*, ne scilicet ejusmodi pestes ad officia publica subrepant, quo nihil est nocentius communi Ecclesiae bono[6].»

2° Finis autem *uniuscujusque denuntiationis* est: 1) Ut, si persona denuntians sit persona aliunde valde honesta et fide digna, nec ullius malitiae,

[1] L. VI. 680; H. A. 170. — [2] Del Vecchio, n. 770. V°. — [3] Cf. L. VI. 702-704; H. A. ib. 180-182. — [4] Cf. Card. Albitius, *De inconstantia in fide*, cap. 35. n. 66. pag. 413; P. Rota, op. cit. n. 205. — [5] *De Poenit.* disp. 10. §. 1. qu. 19. Cf. L. VI. 686.

Digitized by Google

vindictae aut inimicitiae, vel subornationis suspecta; et denuntiatus sit alioquin vir parum timoratus, faciat ejusmodi denuntiatum *suspectum*, ut ab Ordinario *observetur*. — 2) Ut, si concurrant aliunde majora indicia ex parte denuntiati, v. g. suspecta aliunde conversatio, praebeant Ordinario motivum, prima vice adhibendi *monitionem paternam*, qua non imputet quidem crimen, sed hortetur ad cautelam, ita tamen ut personam denuntiantem non reddat suspectam denuntiato. Ut plurimum enim, nonnisi a tertia denuntiatione ad judicium procedi solet (Instructio S. Officii, 20 febr. 1867, sub n. 11) [1]. — Ex his intelliges responsionem ad sequentia

1798. — Quaesita. Quaer. 1° *Quinam* debeant *denuntiari?*

Resp. 1° Ex Bullis Pontificiis et S. Officii decretis, denuntiandus est: 1) Sacerdos cujuscumque dignitatis, qui sollicitationis criminis certe reus est, ex regulis et clausulis supra enucleatis. Nec refert quod jurisdictione caruerit, si sollicitavit *in confessione* [2] (Ex Resp. S. Officii, 11 febr. 1661, ad dub. 5, et Instr. anni 1867 sub n. 2). — 2) Confessarius *consentiens* sollicitationi; nec excipitur ille, qui statim desistens de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus distulit, et non praebuit absolutionem poenitenti; item si consenserit *metu inductus;* et a fortiori, si sollicitatio inter ipsum et poenitentem fuerit *mutua*. Ex Resp. S. Off. 1661 ad 2° et 9° [3]. — 3) Denuntiandus est, etsi *longum tempus* a sollicitatione effluxerit, et crimen remanserit *omnino occultum*. Nec, probabilius, cessat lex denuntiationis, si sollicitans sit *emendatus*, aut propter aliam denuntiationem jam coram Inquisitore abjuraverit, i. e. a suspicione haeresis sese purgaverit, aut punitus fuerit, aut etiam sese sponte denuntiaverit. A fortiori si *iterum* deliquerit, iterum denuntiandus est [4]. — 4) Item denuntiandus est qui sollicitavit puellam, quae ob suam simplicitatem animique candorem nihil de impudicitiae malitia suspicabatur. Haec, ubi primum pravae sollicitationis conscia effecta fuerit, ad denuntiandum tenetur.

Resp. 2° Denuntiandus non est: 1) Sollicitans jam *defunctus* quia cessat totalis finis legis, scilicet tam emendatio quam punitio rei. Excipe, si de reparando damno aliis forte illato, agatur [5]. — 2) Poenitens, qui confessarium, et interpres qui poenitentem sollicitarunt; item, mandans confessario ut sollicitet; laicus et simplex clericus, qui se simularunt confessarios. Hi tamen, si confessionem exceperint, denuntiandi sunt, ex Constitutione Gregorii XIII *Officii nostri partes* (6 aug. 1574) et Edicto S. Officii, tanquam su-

[1] *Acta S. Sed.* vol. 3. pag. 499; vel *Collectanea S. Sed.* n. 518. — [2] L. VI. 685; H. A. XVI. 171. — [3] Cf. Albitius, cap. 35. n. 66. pag. 414. — [4] L. VI. 686. 687; H. A. ibid. 171-175. — [5] L. VI. 692; cf. *Nouv. Revue théol.* tom. XVI. pag. 451.

Digitized by Google

specti de haeresi [1]. — 3) Demum, non est denuntiandus sacerdos, qui inter aliorum Sacramentorum administrationem in sollicitationis crimen prolapsus est [2]. — Excipe, si rerum adjuncta sint talia, ut detur obligatio ex jure naturali. Omnes enim, viso lupo in ovili, debent vociferari.

QUAER. 2° *Quinam* TENEANTUR *ad denuntiandum?*

Resp. 1° Tenentur omnes et singuli poenitentes *sollicitati*, etsi in sollicitationem consenserint; nec possunt absolvi, nisi prius denuntient, vel, si adsit justa differendi causa, v. g. necessitas communicandi, denuntiare saltem promittant [3]. — Ex decreto autem S. Officii, 27 sept. 1624 [4]: « Si mulier consentit confessario sollicitanti, non tenetur suum consensum manifestare, nec potest super hoc ab Episcopo interrogari. »

2° Praeter ipsos sollicitatos, tenetur omnis hujus delicti *testis*, sive de visu, sive de auditu, et quaevis alia persona (etiam impubes) quae sollicitationem, immediate, vel mediate ex dictis ipsius sollicitantis, aut personae sollicitatae (dummodo haec fide digna sit), extra confessionem intellexerit [5]. — Nec obligatio urgere cessat, etsi de ipsis consanguineis denuntiandis agatur; imo, etsi crimen sciatur sub secreto naturali, aut cum juramento promisso. Excipe, si sollicitatio fuerit manifestata ad petendum consilium; quia bonum commune exigit, ut tale secretum servetur [6].

3° Persona sollicitata *non eximitur* a lege denuntiationis, quia alia jam denuntiavit; nam unaquaeque persona sollicitata denuntiare tenetur [7]. — Neque ullus ab hac lege eximitur ob difficultates intrinsecas et communes, quales sunt: verecundia personae sollicitatae; timor commovendi in se suspicionem judicis; periculum levis subeundi incommodi, vel damni Ecclesiae animabusque inferendi; imo, periculum gravis, sed vix probabilis damni: hujusmodi enim difficultates non sunt tanti ponderis, ut locum dent epikeiae [8]. — Attamen, fundatus timor poterit esse motivum, vel differendi denuntiationem, vel impetrandi dispensationem, ut infra dicetur.

4° Nemo tenetur *seipsum* denuntiare; unde, nullus confessarius tenetur monere poenitentem quem sollicitavit, ut se denuntiet. — Si tamen sollicitator *sponte* compareat, gaudebit beneficio sponte comparentium, id est salutaribus tantum monitis ac poenitentiis

[1] L. VI. 688-690. — [2] Ib. 684. — [3] Ib. 693; H. A. 176. — [4] L. VI. 700; cf. Donatus, *Praxis*, tom. 4. tract. 13. qu. 51 (p. 163), ubi habetur textus decreti. — [5] L. VI. 695. fin.; cf. Amort, *de Poenit.* disp. 10 §. 1. qu. 11. — [6] L. VI. 698. — [7] Cf. L. VI. 687. fin. — [8] Amort, loc. cit. qu. 21.

Digitized by Google

punietur, nisi forte jam fuerit ab aliis denuntiatus; quo casu, poena solum imminuetur[1].

QUAER. 3° *Quaenam* POENAE *fuerint, in praesenti lege, statutae vel comminatae?*

Resp. 1° Poenitens sollicitatus (et iste solus) incurrit excommunicationem nemini reservatam, si reum *denuntiare* per mensem culpabiliter *omiserit*, juxta dicta n. 1354. — 2° *False denuntians*, vel denuntiare mandans, consulens, etc. incidit in casum R. Pontifici reservatum, ut dictum est n. 1772. Et tenetur, ut patet, ad retractationem. — 3° *Sollicitator*, ex Decreto Benedicti XIV 5 augusti 1745, incurrit perpetuam *inhabilitatem* ad Missae celebrationem. Episcopus, re bene perspecta, jubetur illi interdicere in perpetuum, ne confessiones excipiat, privando eum omnibus facultatibus, ne illis quidem exceptis, quae a S. Sede ei concessae fuerant. — Sed omnes istae poenae, sicut aliae a Gregorio XV comminatae, privatio nempe beneficii, vocis activae et passivae, etc. sunt *ferendae sententiae*, et supponunt reum, ad defensionem, prout jura exposcunt, fuisse admissum (ex Instr. S. Officii, anno 1867. n. 12)[2].

Nota. Inquirendum insuper: 1° An casus sollicitationis, ut moris est, sit in dioecesi reservatus. — 2° An sollicitator complicem absolvere tentaverit: quo casu, incurruntur poenae, quas commemoravimus n. 1781 et 1782.

III. — REGULÆ PRACTICÆ PRO CONFESSARIO.

1799. — 1° Confessarius, audiens in confessione personam fuisse sollicitatam, ante omnia EXAMINARE debet: 1) an haec persona sit fide digna, an odio vel malitia vel etiam levitate ducta sacerdotem calumniare velit; 2) an adsint omnes circumstantiae, quae certam faciant denuntiandi obligationem. — Caveat autem ab inquirendo sollicitantis nomine, et moneat poenitentem, casum falsae denuntiationis esse S. Pontifici reservatum.

2° Si de sollicitatione plane constet, tenetur personam sollicitatam, licet in bona fide existentem, sedulo *admonere* de obligatione, quae eam, sub poena excommunicationis, ad denuntiationem adstringit. — Et ad hoc quidem tenetur, etiamsi futurum esse praevideat, ut persona denuntiare renuat[3]. « Qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri » (ex Instr. S. OFFICII, 20 febr. 1867. n. 4).

3° Excusationes, quas persona sollicitata afferre solet, sedulo *perpendat*. Si justae videantur, examinet, utrum causa detur diffe-

[1] Cf. *Instr S. Off.* anno 1867. n. 13. — [2] Cf. *Acta S. Sed.* vol. 3. p. 503; 2 *Elench qq. ref. n. 21.* — [3] L. VI. 694; et H. A. 178.

Digitized by Google

rendi denuntiationem, vel etiam petendi legis relaxationem. — Si *primum*, v. g. si Episcopus sit absens, vel si urgeat communicandi necessitas, poenitens absolvi poterit, modo serio promittat se, quamprimum, suae obligationi satisfacturum [1]. — Si *secundum*, v. g. si probabiliter sit periculum gravis damni subeundi in bonis famae, fortunae aut corporis, poenitens per se, vel per alium, v. g. per confessarium, ad Superiorem recurrat, exponendo naturam impedimenti, quo a denuntiatione facienda detinetur, quidque sibi agendum sit, exquirat. Si urgeat necessitas, spondeatque stare decisioni Superioris, potest absolvi [2].

4° Si *vanae* sint excusationes, v. g. si poenitens, propter accepta vel accipienda munera, dicat se gratitudine aut necessitate a denuntiando impediri, etc.: opponat confessarius gravitatem sacrilegii, necessitatem obediendi legibus Ecclesiae, et poenam excommunicationis incurrendae. — Ostendat etiam, non adesse infamiae periculum, quia sollicitata non tenetur manifestare suum consensum; imo, si eum sponte manifestaret, vel si complex eum revelaret, non esse futurum, ut judex unquam ad talem lapsum alludat. Si consentiat, non statim ei concedatur absolutio, sed prudenter differatur, donec reapse denuntiaverit [3].

5° Si nullo impedimento detenta, denuntiationem omnino renuat, « laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit. » — In hoc igitur casu, personam non quidem absolvat, sed alio commodo tempore ad se redire faciat. Interea vel Ordinarium, vel S. Sedem per S. Poenitentiariam aut S. Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, pro opportuno remedio consulat suppresso tamen poenitentis nomine [4].

1800. — QUAERITUR. *Quomodo denuntiatio facienda sit?*

Resp. Denuntiationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum [5], idque in forma judiciaria. — Hinc, vel ipsa competentem judicem adeat, vel curet ut judex per se, vel per alium, ipsam conveniat. — Impedita igitur Ordinarium personaliter adire, vel illum edoceat, per internuncium aut per epistolam, se habere denunciationem faciendam pertinentem ad tribunal ecclesiasticum, et rogare ut mittatur persona delegata ad eam excipiendam; vel litteris delinquentem manifestet.

Hoc memoriale confici etiam potest a confessario, salvo semper sigillo sacramentali, si persona scribere nequeat, vel difficulter id praestet. — Quodsi, ob nimium pudorem aut infamiae timorem, ipsa apud alium delegatum deponere recuset, moneatur ea de re Episcopus, qui ipsum confessarium delegare poterit, ad denuntiationem in forma judiciaria recipiendam [6]. — Generatim quidem *non expedit*, ut confessarius istud onus in se suscipiat, quia non paucis

[1] *Instr.* S. OFF. (1867) n. 5. — [2] Ibid. n. 7. — [3] *Praxis*, n. 83. — [4] *Instr.* S. OFF. n. 7. — [5] Ibid. — [6] Ibid; cf. Rota, op. cit. n. 440. sqq.

Digitized by Google

detractionibus et periculis exponeretur. Aliquando tamen id facere lege charitatis teneri potest [1].

Substantialia, quae in denuntiatione *judicialiter* acceptanda omnino servari debent, haec sunt [2]: — 1° Adnotetur dies denuntiationis. — 2° Recipiatur juramentum a denuntiante de veritate dicenda. — 3° Exprimatur locus criminis, tempus ejus, qualitates et circumstantiae, et testes. — 4° Exprimantur nomen tum sollicitantis; tum etiam sollicitati; quod si nomen ignoretur, debet exprimi in aequivalenti, i. e. a statura, aetate, lineamentis, etc. — 5° Denuntians et testes emittant juramentum de silentio servando, atque actis confectis subscribant.

Nota. Plura de modo procedendi in his causis, vide in citata Instructione S. Officii edita anno 1867. In hac etiam annotatum reperitur sub n. 15, quid agendum sit in regionibus dissitis, ubi forma judicii ordinaria servari non potest. — Vide etiam Canonistas [3].

CAPUT III.

DE OFFICIO CONFESSARII IN EXCIPIENDA CONFESSIONE

1801. — In hoc capite agemus: 1° de obligatione confessarii in genere, seu de ejus obligatione erga omnes et singulos poenitentes; 2° de obligatione confessarii in specie, seu de varia ejus obligatione erga varios poenitentes.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARII IN GENERE

Multae sunt confessarii in sacro tribunali obligationes, nimirum: 1° obligatio audiendi confessiones; 2° interrogandi poenitentem; 3° docendi poenitentem ignarum; 4° disponendi indispositum; 5° imponendi satisfactionem; 6° ferendi justam sententiam, sive in dando, sive in negando, sive in differendo absolutionem. — De his omnibus nunc singillatim agendum, excepta tamen quaestione de imponenda satisfactione, de qua jam supra (n. 1715-1720) tractavimus.

§. 1. *De obligatione audiendi confessiones.*

Haec obligatio potest ex gemino enasci capite, ex justitia scilicet, et ex charitate.

1802. — I. Pastores, seu curam animarum habentes, tenentur, EX JUSTITIA, et quidem SUB GRAVI, audire, sive per se, sive per alios, confessiones poenitentium sibi commissorum, quoties hi audiri

[1] L. VI. 699. — [2] Rota, n. 442; et Fol. *Instr.* S. Off. adnex. apud *Acta S. Sed.* vol. III. p. 505. — [3] Cf. Pignatelli, tom. I. *Consult.* 104; Rota, op. cit. pars. 2ª per totum; Berardi, *Prax. Conf.* n. 568. sqq.

Digitized by Google

RATIONABILITER petunt. — Ratio est, quia ad hoc se obligarunt, suscipiendo curam animarum, ex tacito contractu inito cum suis subditis, a quibus accipiunt sustentationem vel honorem [1]. « Pastores autem dicuntur: Superiores, respectu Religiosorum; et respectu saecularium, Episcopi et parochi, vel qui curam subsidiariam cum obligatione habent [2]. »

Hinc, docent AA. «peccare illum parochum, qui sese praebet morosum et difficilem ad audiendas confessiones; praesertim si fuerit accitus ab *infirmis*, quibus, ut praecipit S. Carolus Borromaeus, statim, et qualibet hora, accurrere debet. — Si tamen Curatus semel aut bis, extra necessitatem, renueret alicujus confessionem audire, probabiliter, dicunt Suarez et alii, eum non peccare graviter, nisi adesset urgens quaedam occasio, v. g. Jubilaei, festivitatis solemnis... Si autem parochus haberet *oeconomum* (seu coadjutorem) ab Episcopo approbatum, non tenetur cum tanto rigore confessionibus audiendis vacare; sed advertat omnino requiri, ut sibi constet, oeconomum idoneum esse, tam quoad scientiam, quam quoad mores; alias rationem Deo ipse redditurus est de omnibus damnis, quae ob ejus ignorantiam, et pravos mores evenient [3]. »

1803. — II. Sacerdotes, non habentes curam animarum, non tenentur audire confessiones ex justitia; sed ALIQUANDO ad hoc tenentur ex CHARITATE. Charitas enim obligat nos ad subveniendum proximo in necessitate spirituali constituto, ut est v. g. peccator in periculo mortis proprio pastore destitutus. — Quocirca

QUAERITUR. *An confessarius non Curatus teneatur*, CUM PERICULO VITAE, *absolvere* MORIBUNDUM *existentem in mortali?*

Resp. 1° Prima sententia *negat;* ratio est, quia cum moribundus possit absolute a damnationis periculo se liberare, eliciendo actum contritionis, non est constitutus in tanta necessitate, ut alter, cum periculo vitae, ei succurrere teneatur. Excipitur, si tanta laboret ignorantia, ut nesciat actum contritionis elicere.

Resp. 2° « Sententia verior *affirmat;* quia licet possit moribundus per contritionem supplere, tamen, cum haec sit difficilis, negari non potest quin, si inabsolutus relinquitur, in magno suae damnationis periculo maneat. — Unde fit, quod, sicut in casu quo proximus sine tua absolutione certe peribit, teneris ad mortem certam subeundam, ut eum absolvas; ita in casu, quo ille in probabili damnationis periculo manet, teneris te exponere *probabili* periculo mortis; nam, in aequali periculo, quisque tenetur post-

[1] L. VI. 58; cf. Billuart. *de Poenit.* disp. 5. art. 10. §. 1. — [2] L. VI. 58. — [3] H. A. VII. 24 (cf. *Istruz.* eod. loco).

Digitized by Google

ponere vitam temporalem suam vitae aeternae proximi [1]. « Si tamen sacerdos *nesciat* eum esse in mortali, non tenetur absolvere cum periculo vitae [2]. » — Recole dicta n. 1786 et 1787.

§. 2. *De obligatione interrogandi poenitentem.*

1804. — « Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, et judex causam. » Ita *S. Thomas* [3]. — Quocirca haec teneto

Principia. I. Confessarius tenetur, quandoque sub gravi, INTERROGARE poenitentem. — Ita omnes Theologi; et probatur:

1° Auctoritate Ecclesiae, praesertim ex cap. *Omnis utriusque, de Poenit.*, in quo legitur: « Sacerdos autem sit discretus et prudens... diligenter inquirens, et peccatoris circumstantias, et peccati. » Et ex RITUALI ROMANO: « Si poenitens numerum, species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.

2° Ratione multiplici. — Prima est, quod praetermissio opportunarum interrogationum redundat IN DAMNUM ANIMARUM: nam, 1) potest praebere occasionem *multis confessionibus sacrilegis*, quia sunt multi poenitentes, qui, nisi interrogentur, graviora peccata silentio praetereunt. « Frequenter, ait *S. Thomas* [4], quae prae confusione confitens taceret, interrogatus revelat. » — 2) Multi poenitentes *opportunis remediis* carebunt; confessarius enim, non interrogans de consuetudine, de occasionibus, de causis peccatorum, de diligentia adhibita vel non adhibita ad emendationem (quae omnia plerumque sileri solent), non potest indicare remedia, quibus novi lapsus praecaventur. — 3) Damnum *et aliis* facillime inferetur; nam, quae in detrimentum aliorum vergunt, plerumque in accusatione praetermittuntur: qualia sunt scandala, incuria in explendis gravissimis proprii status muneribus, v. g. in educatione et custodia filiorum. Unde, nisi poenitentes interrogentur et congrue admoneantur, nulla sequi poterit emendatio.

Altera ratio est, quia interrogationum omissio redundat IN PRAEJUDICIUM SACRAMENTI; nam, — 1) praejudicat frequenter ejus *integritati:* omissis enim interrogationibus, accusatio hoc similive modo fiet: « Pater, blasphemavi, commisi turpia, habui rixas, etc. » specie et numero non explicatis; — 2) praejudicat etiam frequenter

[1] H. A. XVI. 125. — [2] L. VI. 624. fin. (a 3ª edit.) — [3] In 4. dist. 19. qu. 2. a. 3. in Exposit. textus. — [4] Ibid.; cf. *Monit. eccles.* vol. 2, 3 et 4. Dissert: *Sulle confessioni sacrileghe.*

Digitized by Google

ejus *validitati:* nisi enim poenitens interrogetur, v. g. an aliquam curam adhibuerit ad non relabendum, an praescriptis remediis usus sit, etc., prudenter judicari non poterit, an sit dispositus, vel an indigeat ardentiore exhortatione, ut rite disponatur. Unde facillime evenire potest, ut absolutiones dentur prorsus invalidae [1].

Diximus 1° *sub gravi;* agitur enim de re gravi, quae spectat ad poenitentis salutem, et ad Sacramenti reverentiam. — Potest tamen dari negligentia leviter culpabilis, ut patet.

Diximus 2° *tenetur quandoque;* nam, si poenitens peccata sua suumque statum, quantum opus est, exponit, liquet confessarium ad nullas ulteriores interrogationes teneri [2].

1805. — II. Confessarius tenetur interrogare, QUANTUM hoc NECESSARIUM est ad procurandam validitatem Sacramenti, integritatem confessionis, et curationem poenitentis. — Ratio est, quia *haec tria* ipsi curanda sunt, quatenus est minister Sacramenti. — Unde, quoties rationabiliter praesumit, vel prudenter opinatur aliquid eorum, quae ad praedicta requiruntur, non fuisse sufficienter declaratum, toties inquirere tenetur [3] (Vide etiam n. 1809).

Propterea: 1° Ad procurandam VALIDITATEM Sacramenti, necessarium esse poterit, interrogando investigare: an adsit *materia sufficiens*, v. g. si agatur de imperfectionibus, vel de levibus culpis, quae saepe committuntur sine advertentia; — an poenitens *aliquid reticeat* ex verecundia, prout speciatim accidit in pueris et puellis; — an adsit *dispositio sufficiens:* ad quam cognoscendam, saepe necessarium erit interrogare poenitentem, v. g. an et quomodo, post confessionem, a culpis se abstinuerit; an et quomodo media praescripta adimpleverit.

2° Ad INTEGRITATEM CONFESSIONIS necessarium esse poterit interrogare poenitentem — de numero peccatorum; — de eorum specie; — de circumstantiis speciem (sive objectivam sive theologicam) mutantibus; — de aliquibus peccatis, quae solet ex inconsiderantia omnino reticere, v. g. peccata cogitationis, et peccata omissionis circa obligationes proprii status (cf. n. 1810. Reg. 3ª).

3° Ad CURATIONEM POENITENTIS necessariae esse possunt interrogationes, quibus innotescat, v. g. quales sint *causae peccatorum* ejus, an scilicet proveniant ab aliqua occasione, vel consuetudine, a defectu custodiae sensuum, a cogitationibus impuris, etc.

Hinc, maxime improbanda est PRAXIS aliquorum confessariorum, qui non modo non interrogant poenitentes, sed *ne sinunt quidem* ut ipsi suam confessionem ad exitum perducant, et qui, audito uno vel altero peccato, accusationem *interrumpunt*, dicentes: « Eia age, satis est, ego te absolvo ab omnibus pec-

[1] Berardi, *Prax.* n. 199. sqq. — [2] Cf. L. VI. 607. 2°. — [3] Ib. 607 et 615. fin.

Digitized by Google

catis tuis. » — Nec cum illo poenitente, qui solum venialia declarat (nisi sit scrupulosus), potest talis praxis adhiberi; saepe enim poenitentes exordiuntur a venialibus, confessuri duntaxat sub finem mortalia, quae proinde, ob injectum a confessario timorem, facile reticentur. — De caetero, confessio, ita praepropere ac cursim facta, solet eos maxime perturbare, nedum eorum mentem tranquillet [1].

1806. — III. Interrogationes, ubi faciendae sunt, sint MODERATAE, DISCRETAE, et TEMPESTIVAE, tales nempe quibus non obstet majus incommodum, quam foret ipse integritatis confessionis defectus.

1° MODERATAE; confessarius igitur: 1) nunquam res confessioni extraneas inquirat, nec sibi narrari patiatur. — 2) memor sit, se non teneri interrogare poenitentem, nisi cum diligentia ordinaria. — 3) Meminerit, praeterea, minus distinctam notitiam requiri ab eo, qui, vel propter incapacitatem, vel propter morbum, vel propter peccatorum multitudinem, vel aliam ob causam, difficilius posset exactam notitiam reddere (cf. n. 1703 et 1705). — Hinc, non interrogandus est poenitens de peccatis, quae verosimiliter non commisit; quia, in hoc casu, deficit rationabilis praesumptio, ac prudens dubium, non sufficienter declarari, quae declaranda sunt. — Ob contrariam vero praesumptionem, interrogetur de peccatis, quae solent in hominibus talis conditionis abundare [2].

2° DISCRETAE, maxime in his quae spectant ad sextum praeceptum. Theologi enim, sine ulla exceptione, affirmant, potius permittendum esse, ut integritas materialis confessioni deficiat, quam ut scandalum praebeatur poenitenti. Et de eodem admonet Rituale Romanum. — Quamobrem: « Interrogationes, in materia castitatis, debent esse *paucae* et *cautae*, ne (confessarius) vel occasionem det investigandi, aut traducendi confessionem, aut ignorantem doceat, aut offendat, aut se vel illum periculo exponat. Ac si haec timeat, potius pati debet aliquid deesse integritati materiali. Et quidem, si in hac materia negantur cogitationes, non opus est progredi ad opera. — Rudiores tamen cogitationes negant, verba et opera rogati fatentur, quod illas non aeque agnoscant, aut advertant [3] » (cf. n. 1694).

3° TEMPESTIVAE, i. e. factae tempore et modo, quo convenit. — Hinc: 1) Quaedam interrogationes faciendae sunt *ante confessionem*, sed paucae, ne poenitens offendatur: v. g. a quo tempore non sit confessus? an absolutus fuerit? an poenitentiam impleverit? — 2) Quaestiones vero circa vitae conditionem, statum, aetatem, etc..., si haec ex ipsa confessione non patefiunt, convenientius, data *in decursu confessionis* occasione, fient: sic enim, ex una

[1] Cf. V. Jaugey, *de Sacram. Poenit.* n. 406. 3. — [2] L. VI. 607. 3°; *Prax.* n. 19. 20. — [3] L. VI. 632; cf. plura ap. Konings, n. 1425.

Digitized by Google

parte, omnis suspicio curiositatis et levitatis vitabitur, ex altera vero facilius respondebit poenitens, cum ipsius fiducia in confessarium magis increverit[1]. — 3) Sinatur poenitens *prius se explicare* quantum potest, uti decet; dein interrogationibus subinde juvetur[2]. — 4) Sub finem, nisi melior occasio sese prius dederit, benigne quaeratur ex poenitente ignoto, *an sit quidpiam quod adhuc conscientiam angat*, an nihil omiserit *in prioribus confessionibus*. « Per has interrogationes solent liberari plures animae a sacrilegiis[3]. »

Notat etiam *S. Alphonsus*[4]: « 1) Melius esse, si confessarius singillatim examinet peccata, *statim ac exponit* poenitens, quam ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum, quae audivit, aut obligandus esset poenitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa. » 2) « Regulariter loquendo, non expedit, ut confessarius *reprehendat* poenitentem in confessionis cursu, ne ille, exterrefactus, omittat aliquod peccatum; nihilominus, expedit aliquando intra confessionem ei proponere malitiam alicujus gravioris peccati, modo statim ei praebeatur animus, » juxta dicta n. 1793. 2.

1807. — QUAER. *Quid agere debeat confessarius cum poenitente, de quo* SCIAT *vel* SUSPICETUR *aliquod peccatum, quod ille non confitetur?*

Resp. Dist. 1° « Si sciat extra confessionem, et noverit *ex propria scientia*, puta furantem aspiciendo, vel audiendo blasphemantem, sine dubio non debet absolvere, si ille negat: modo non adsit prudens dubium an alteri fuerit confessus; vel justam habeat causam tacendi. Ita communiter[5]. »

2° « Si vero confessarius id habeat *ex suspicione* vel *ex aliorum relatione*, dicunt etiam communiter DD., quod post diligentem interrogationem, regulariter, debet absolvere negantem; tunc enim putare debet, quod ille aut fuerit peccati oblitus, aut alteri confessus, vel quod habeat justam causam illud reticendi, aut relatores deceptos fuisse; quia, in hoc foro, ut docent omnes cum D. Thoma, omnino *poenitenti credendum est tam pro se, quam contra se*. — Sed non alienum a ratione mihi videtur id quod dicit Elbel, nempe quod si confessarius notitiam habeat alicujus peccati ex certa relatione aliorum, tunc non posset absolvere poenitentem illud negantem; revera enim, si istius crimen mihi referrent testes tam graves, qui de eo me redderent moraliter certum; et ex alia parte certus essem, quod poenitens non potuerit oblivisci, nec ullam causam reticendi habeat: tunc non auderem huic absolutionem impertiri; nam regulam illam, quod credendum sit poenitenti, dico procedere quidem in re dubia, non vero in re moraliter certa; moralis etenim certitudo vera certitudo est[6]. »

[1] Gury, II. 617. — [2] L. VI. 629. — [3] *Praxis*, n. 178. — [4] H. A. XVI. 103. II. et V. — [5] L. VI. 631; H. A. XVI. 120. — [6] Ibid. 631; ib. 120.

Digitized by Google

3° Si demum confessarius, noverit peccatum *ex confessione complicis*, non poterit utique, citra sacramentalis sigilli violationem, poenitentem modo speciali de illo peccato interrogare, nisi expressam ad id licentiam obtinuerit (haec autem licentia non est ordinarie petenda); sed modo tantum generali, id est, eo modo quo alios similes poenitentes interrogare solet. — *Utrum autem negantem absolvere debeat* controvertitur. Sed *S. Alphonsus*, adductis aliorum sententiis, hunc in modum concludit: « Melius, meo judicio, sentit Croix, etc., quod, eo casu, nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret, ad occultandam negationem absolutionis. » Nec parvi momenti ratione fulcitur B. Doctoris conclusio: Confessarius enim, utendo scientia confessionis modo praedicto minime violat sigillum sacramentale, quare id facere tenetur ad Sacramentum denegandum indigno occulte petenti, juxta ea quae supra diximus, n. 1426 et 1430[1].

§. 3. *De obligatione docendi et monendi poenitentem.*

Poenitens indiget quandoque speciali instructione circa res, quas scire, vel facere debet. — Unde statuuntur sequentia

1808. — Principia. I. Confessarius tenetur INSTRUERE poenitentem, cum observat, aut prudenter judicat, illum necessaria fidei et salutis ignorare. — Ratio est, quia qui tali laborat ignorantia, non est capax absolutionis (cf. n. 427).

Nec raro hodiernis temporibus evenit, ut in tanta rerum divinarum incuria homines, caeteroquin liberaliter educati, in istiusmodi ignorantia versentur — Non tamen longa instructio requiritur. Sufficit ut absolvendus principalia mysteria edoceatur, et illa, quae ad Sacramentum, hic et nunc rite suscipiendum, spectant. Ad caetera, de praecepto scitu necessaria quod attinet, satis est, si promittat se ea ab aliis addisciturum, saltem quoad substantiam. Confessarii autem, qui vero spiritu charitatis ducuntur, non recusant eos docere per seipsos[2].

1809. — II. Confessarius tenetur MONERE poenitentem de variis ejus obligationibus, et de gravitate peccatorum, quibus obnoxius est; attamen CUM PRUDENTIA. — Ratio est, quia tenetur, ex proprio officio, dirigere poenitentem in viam salutis. — Hujusmodi obligationes, de quibus eum admonere tenetur, sunt: obligatio restituendi famam, honorem, aut bona; obligatio vitandi periculosas occasiones; obligatio deponendi odium, reparandi scandalum, faciendi correctionem fraternam, erogandi eleemosynam juxta suam conditionem, etc.; item obligationes proprii status[3]. — Diximus *cum prudentia*, ne videlicet poenitenti magis noceat, quam prosit.

[1] Cf. *Vind. Alph.* tom. 2. pag. 209. — [2] H. A. XVI. 105. — [3] L. VI. 608. 609.

Digitized by Google

Quatuor autem has adhibeat CAUTELAS [1]:

1° Ne ut mortale traducat id, de quo inter DD. *utrinque probabiliter* disputatur, utrum tale sit (cf. n. 337).

2° Antequam poenitenti faciat conscientiam de mortali, satis certus sit, quod *rite intellexerit* sensum ejus verborum; non raro enim poenitentes talibus utuntur expressionibus quae prima fronte videntur indicare mortalia, dum revera de mortali nullo modo agatur. — Sic v. g. dum poenitens dicit: *habeo odium contra meum vicinum*, agitur aliquando de sola displicentia et antipathia inevitabili, propter aliquam injuriam acceptam. — Idem quandoque accidit in puellis, quae dicunt: *habui malas cogitationes; feci malos sermones cum aliis puellis; commisi immodestias*, etc.; vel in pueris, qui dicunt: *feci res turpes, foedas*, etc. (cf. n. 1806).

3° Attendat, an peccatum a poenitente vere commissum, *vere* etiam sit *mortale*. Sic imprudenter ageret confessarius, si, audiens poenitentem se accusantem de aliquo peccato contra sextum Praeceptum, statim, et in omni casu, eum argueret de mortali. Quamvis enim verissimum sit principium, in materia venerea non dari parvitatem materiae, id tamen intelligendum est sensu, quo diximus n. 768 et 769.

4° Attendat, ne forte poenitens sit *in bona fide*, quatenus scilicet id, quod facit, sit quidem, in se, peccatum mortale, sed ille putet se, vel nihil mali facere, vel peccare tantummodo venialiter. — Id vero quaeret a naturali poenitentis ingenio, ab ejus instructione, a modo sese exprimendi, et similibus probabilibus conjecturis; cavendo tamen, ne det ei occasionem dubitandi, et inferat malam fidem, qua antea carebat.

1810. — Quaesita. QUAER. 1° *An sit* SEMPER ADMONENDUS *poenitens, qui laborat ignorantia circa aliquam obligationem?*

Resp. Negative; nam attendendae sunt REGULAE correctionis, quae ad TRES reduci possunt [2].

Regula 1ª — Admonendus est poenitens, etiamsi nullus emendationis fructus speretur, *quoties laborat ignorantia* VINCIBILI. — Qui enim tali laborat ignorantia, versatur jam in statu peccati, vel saltem in proximo periculo peccandi formaliter, propterea quod operatur cum dubio practico, vel ex ignorantia culpabili. Proinde, admonitio non potest nocere; et potest prodesse, quandoquidem contingere potest, ut postea optatos suos fructus gignat.

Unde sequitur: 1° Quoties poenitens, non mero quidem scrupulo, sed gravi dubio pressus, confessarium *interrogat*, confessarius tenetur veritatem patefacere, nec potest dissimulare; quia quod poenitens antea ex ignorantia faciebat, hoc idem faciet post interrogationem, innixus confessarii testimonio. Nec tamen confessarius plus respondere debet quam interrogatur: v. g. si quis, obstrictus voto castitatis, interroget, an matrimonium, propter votum, fuerit invalidum, respondeat negative, tacendo de debito; si quaerat, an debeat conjugi debitum reddere, respondeat affirmative, tacendo

[1] Cf. Berardi, *Prax. Conf.* n. 226-229. — [2] L. VI. 615; H. A. XVI. 116.

Digitized by Google

de petitione [1]. — 2° Admonendus est similiter poenitens, quoties ejus ignorantia versatur circa ea, *quae diu ignorare non potest*, maxime si vitium, progressu temporis, crescat ac difficilius exstirpetur. Sic impuberes, qui habitum pollutionis contrahere incipiunt, fortiter admonendi sunt, etsi in aliqua bona fide reperiantur. Et idem dicendum de illis, qui forsan in bona fide matrimonium mere *civile* contraxissent. — 3° Tandem admonendus est, quoties, praetermissa admonitione, remansurus esset *in occasione proxima* peccati formalis.

Regula 2ª — Admonendus est poenitens, licet INVINCIBILI ignorantia laboret, *quoties emendationis fructus speratur.* — Unde quamvis non statim obtemperaturus praevideatur, admonitio tamen non omittenda est, si spes sit fore, ut brevi obtemperet; fieri enim quandoque solet, ut poenitens initio conturbatus animo, correctionem respuat; postea vero, mente sedata, eamdem cum fructu recogitet [2].

Diximus *quoties speratur fructus.* Si enim ex monitione nullus fructus speratur, communis ac vera sententia docet, confessarium, per se loquendo (i. e. nisi urgeat alia ratio, v. g. boni publici), *teneri monitionem omittere*, et poenitentem in sua bona fide relinquere. Unde, v. g. « si confessarius noverit, poenitentem invalide contraxisse matrimonium, ob aliquod impedimentum *occultum*, et periculum sit infamiae, scandali aut incontinentiae, si nullitatem manifestet, debet illum relinquere in bona fide, donec obtineatur dispensatio [3] (cf. n. 2081). » Item, omittenda est monitio de facienda restitutione, de reparanda fama, etc., si confessarius futurum esse praevideat, ut poenitens, qui est in bona fide, monitioni non obtemperet. — Ratio validissima est, quia ex duobus malis minus permittendum est. Quare, in hoc casu, debet confessarius tacere et, veritatem rei non aperiendo, permittere in poenitente peccatum materiale, « eo quod unum peccatum formale omnibus praeponderat materialibus peccatis [4]. »

IN DUBIO, an monitio sit profutura vel obfutura, *omittenda est;* ob jam allatam rationem, quia nempe peccata formalia sunt potius cavenda quam materialia. — Diximus *in dubio;* quia si *probabilius* profutura sit monitio, adhuc, facienda est [5]. Et « bene advertunt Viva et Roncaglia, *non facile* judicandum, quod poenitens, cognita veritate, monitioni non obtemperabit [6]. »

Regula 3ª — Admonendus est poenitens, etiam indispositus, quoties, admonitione omissa, *damnum redundaret in bonum* COMMUNE

[1] L. VI. 616. — [2] H. A. XVI. 115. — [3] L. VI. 611; H. A. 113. — [4] L. VI. 610. 614; cf. L. III. 682. q. 2. — [5] Ib. 616. fin. — [6] L. VI. 614. *Inf.* 2°.

Digitized by Google

spirituale. — Ratio est « quia tunc confessarius, cum ipse constitutus sit minister in bonum reipublicae christianae, tenetur praeferre bonum publicum bono privato poenitentis [1]. » Nec obstat, quod admonitio hic et nunc inutiliter fieri videatur, vel etiam cum scandalo poenitentis; nam talis poenitens, cum videbit postea se a nemine absolvi, facilius emendabitur; et interim cessabit aliorum scandalum, cum videbunt illum ad Sacramenta non admitti.

Hinc: 1° Omnino admonendi sunt Principes, Gubernatores, Episcopi, Praelati, parochi, heri, qui proprio officio, quoad sibi subditos, desunt. Ratio est, tum quia horum ignorantia non facile supponenda est invincibilis (cum quisque teneatur scire obvias sui muneris obligationes), tum « quia horum ignorantia, etiam invincibilis, semper damno erit communitati, dum facili negotio alii putare possunt sibi licere, quod vident a Superioribus factitari. » Atque, ob hanc eamdem rationem, admonendi sunt, ut docet Benedictus XIV, qui crebro Sacramenta suscipiunt, ne scilicet licitum judicetur ab aliis, quod ab his impune exerceri animadvertitur [2]. — « Praeterea, bene addit Lugo, quod si confessarius *rationabiliter dubitet*, an hujusmodi poenitentes suo debito satisfaciant, tenetur eos de illo interrogare [3]. »

2° Admonendi sunt similiter poenitentes, quoties silentium confessariorum foret causa, cur aliquid falsum dogma, sive contra fidem, sive contra legem Dei vel Ecclesiae, sensim in populum spargeretur: ut si crederetur aut diceretur, quaedam illicita, v. g. lectionem pravorum librorum, frequentationem modernarum chorearum, ingressionem in sectam massonicam, non esse illicita, eo quod confessarii parum eis adversari videantur.

Nota. — Si qua admonitio facienda est, et valde timetur ne poenitens eam in malam partem accipiat, sunt plures AA., qui poenitentem, nonnisi *post datam absolutionem*, obscurioribus verbis admonendum esse opinantur. Nec rejicienda videtur haec opinio, modo intelligatur de solo casu, quo, una ex parte, poenitens desperatur clarae admonitioni obsecuturus, et altera ex parte, nullus bonus effectus, ex denegata absolutione, emanaturus praevidetur.

§. 4. *De obligatione rite disponendi poenitentem.*

1811. — Principia. I. Confessarius tenetur quantum potest, RITE DISPONERE poenitentem qui accedit indispositus. — Ita communiter. — Ad rem sic *S. Alphonsus* [4]: « Nescio, inquit, quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint poenitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde mo-

[1] *Praxis*, n. 9. — [2] Ibid. n. 9. — [3] L. VI. 615. fin. — [4] Ibid. 608. *Hic.*

Digitized by Google

dica praemissa diligentia ad eum curandum. Dico enim, quod confessarius tenetur, *ex rigorosa obligatione charitatis*, eum disponere, quantum valet, exponendo ipsi deformitatem peccati, valorem divinae gratiae, periculum damnationis et similia, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat. — Nec ei curae esse debet, quod *alii poenitentes expectent:* nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum sui poenitentis, pro quo tantum ille tunc, non vero pro aliis, rationem est Deo redditurus. »

Quod si poenitens convenienter *dispositus* accedat, sufficit ut confessarius eum ad renovandum actum doloris ac firmi propositi adhortetur.

1812. — II. Confessarius, adhortando poenitentem, debet potissimum TRIA attendere: nimirum, eum CORRIPERE, movere ad CONTRITIONEM, eique INDICARE MEDIA, quibus sancta perseverantia obtinetur. — Qua super re sic *S. Alphonsus* [1].

1° « Cognita, inquit, morbi origine ac gravitate, confessarius ad debitas *animadversiones* faciendas procedat. — Et quamvis ipse, tamquam pater, debeat in charitate poenitentes auscultare, tamen *ut medicus* tenetur, quantum opus est, eos monere et corrigere, eos praesertim qui, multis mortalibus gravati, ad Poenitentiae Sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si poenitens aliqua illustri fulgeat qualitate (nimirum, si fuerit magistratus, Princeps, sacerdos, parochus, aut Praelatus), si de aliqua sui muneris omissione, sine nimio animi sensu, se accusaret. » — Imo, reprehendendi sunt *et ipsi ferventes*, cum in negligentiam incidunt, ut copiosiorem ex Sacramento fructum reportent. « Ait Benedictus XIV [2], confessarii admonitiones concionibus ipsis esse efficaciores; et jure merito, quia concionatorem latent circumstantiae particulares, quae confessario aperte innotescunt, ideoque melius poterit debitas adhibere animadversiones et remedia, quae morbis expediunt, applicare [3]. »

2° « Post debitas correctiones, sive monitiones, praestat, ut laboretur ad disponendum poenitentem ad absolutionem per actus *veri doloris* et *propositi*. — Quocirca monitos esse volo confessarios, *perpaucos* esse illos poenitentes, praesertim rudes, qui, praeposito actu doloris, ad confitendum accedunt. Nonnulli confessarii putant se satis suo muneri fecisse, si duntaxat hujusmodi poenitentes sequenti modo interrogent: *Eia postulasne a Deo veniam de omnibus his?* (Quod revera non est verus actus doloris) *An te poenitet ex corde omnium peccatorum?* Et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. — Totum ab hoc aliud est bonorum con-

[1] H. A. XVI. 107. — [2] Bulla *Apostolica*, 26 junii 1749. §. 22. — [3] H. A. l. c.

Digitized by Google

fessariorum institutum; hi enim in primis elaborant, ut poenitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant [1]. » — Hunc in finem, confessarius exponat in primis motiva *attritionis:* qualia sunt deformitas peccati, valor divinae gratiae, periculum damnationis per mortem improvisam incurrendae, etc.; dein motiva *contritionis*, infinitam scilicet Dei bonitatem per peccatum laesam, Spiritum Sanctum contristatum, amabile cor Jesu moerore confectum, et similia.

Quod si poenitens solum venialibus inquinatus sit, recole dicta n. 1648. qu. 2° et 3°.

3° Ad consulendum poenitentis perseverantiae, eamque tutandam, debet confessarius, qua medicus ipsi assignare REMEDIA tum *generalia* tum *particularia*, quae periculum relapsus propulsant, eumque in sanctis propositis confirmant.

A) « Remedia GENERALIA omnibus insinuanda, sunt: 1° *Amor* erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creaverit. Et curetur pariter, ut poenitens cognoscat pacem interiorem, qua donantur qui Dei amicitia fruuntur, et infernum quem ante tempus experiuntur qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam frequenter secum trahit peccatum. — 2° *Oratio*, i. e. saepe se commendare Beatae Virgini, rosarium recitando; se commendare Angelo custodi, et alicui Sancto peculiari protectori. — 3° *Frequentia Sacramentorum*, et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. — 4° *Veritatum aeternarum consideratio*, et prae caeteris consideratio *mortis:* et patribusfamilias insinuanda est quotidiana mentalis oratio (vel pia lectio) in communi cum familia, aut saltem rosarium cum filiis. — 5° *Dei praesentia*, cum urget tentatio, dicendo *Deus me videt.* — 6° Quolibet vesperi conscientiam scrutari, cum animi dolore, et proposito. — 7° Saecularibus, ut in aliqua Congregatione se adscribant; et sacerdotibus oratio mentalis, et gratiarum actiones post Missam, et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem, ante et post Missam [2].

B) « Remedia autem PARTICULARIA assignabuntur pro vitiorum diversitate: v. g. illi, qui aliquo odio tenetur, insinuetur, ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso Orationem Dominicalem et Salutationem Angelicam; et cum se turbari sentit memoria injuriae sibi illatae, reminiscatur contumeliarum quibus ipse Deum affecit. — Illi, qui in peccata turpia prolapsus est, injungatur, ut otium vitet, malos socios et pravas occasiones aufugiat. — Illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, praescribatur, ut non solum vitet occasiones proximas, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili ad resistendum factae sunt tamquam proximae. » Potissimum autem, curet confessarius, ut frequenter communicet; quia Eucharistia dicitur *Vinum germinans virgines* [3]. Et sic de aliis (cf. n. 1831. q. 3°).

§. 5. *De obligatione dandi, vel negandi, vel differendi absolutionem* [4].

1813. — Poenitentes, post auditas admonitiones atque exhortationes, possunt in triplicem classem dividi: alii enim sunt *certo*

[1] *Prax.* n. 10. — [2] Ib. n. 15. — [3] Ib. n. 16. — [4] Cf. RIT. ROM., *De Poenit.* c. 1. n. 22.

Digitized by Google

dispositi, alii *dubie dispositi*, alii denique *positive indispositi*. — Confessarius igitur, ut rite ac fructuose erga singulos gemino suo officio, i. e. officio JUDICIS ac MEDICI, fungatur, debet attendere ad sequentia

Principia. I. Absolutio DANDA EST poenitentibus capacibus et dignis, seu RITE DISPOSITIS, nisi poenitentis bonum dilationem suadeat, ut dicetur n. 1816. — « Ratio est, quia poenitens, facta confessione, cum sit dispositus, habet strictum jus ad absolutionem; quam denegando confessarius, gravem illi injuriam irrogaret, tum quia privaret eum gratia Sacramenti, tum quia obligaret ad magnum onus subeundum, nempe ad repetenda apud alterum sua gravia peccata[1]. »

1814. — II. Absolutio omnino DENEGANDA est hominibus incapacibus et indignis. — Ratio est, quia Sacramentum administrare, ubi desunt conditiones essentiales, grande est sacrilegium; et saepe etiam gravissima poenitentis deceptio, cum nempe ex recepta absolutione invalida majus aeternae damnationis periculum incurrit.

Diximus 1° *incapacibus*, illis scilicet qui aut numquam habuerunt usum rationis, aut ignorant necessaria necessitate medii (cf. n. 1808), aut non sunt moraliter praesentes, aut nullam Sacramento materiam afferunt.

Diximus 2° *indignis*, i. e. certe indispositis (cf. n. 1817. q. 4°). — Quocirca graviter monet *S. Alphonsus*[2], dicens: 1) Sit inflexibilis confessarius in differenda vel deneganda absolutione, quoties oportet; praesertim cum sacerdotibus et Ordinandis. — 2) Sit charitate plenus, tum efficiendo pro viribus, ut poenitens indispositus *fiat dispositus*, tum dimittendo dulcibus verbis, quem absolvere nequit, ut iste redire non pigeat (cf. n. 1793. 3°).

1815. — III. Absolutio DIFFERENDA est poenitenti DUBIE DISPOSITO; nisi adsit GRAVIS CAUSA, ob quam absolutio *sub conditione* impertiri possit. — Ratio *primae* partis est, quia alias confessarius Sacramentum exponeret periculo nullitatis, et sic grave sacrilegium committeret. — Ratio *secundae* partis est, quia Sacramenta propter homines sunt, ideoque in casu, quo hominis salus periclitatur, omni meliori quo fieri potest modo, administranda sunt; irreverentia autem Sacramenti tollitur per justam causam et conditionem. — Singulos casus vide sub. n. 1663. q. 4°, ubi de forma conditionata. — Hic autem

Notetur: 1° Dilatio absolutionis, quando adhiberi potest, efficacissimum REMEDIUM est; somnolentos enim excutit, ne in somnum

[1] L. VI. 604. *Ratio.* — [2] Cf. *Praxis*, cap. 10. n. 173. 131 sqq. et cap. 1. n. 5.

Digitized by Google

incidant mortis, illusos a fallacia peccati quasi carbunculus excitat, ut aperiant oculos et periculosum suum statum cognoscant. — Etiamsi non ad eumdem confessarium redirent, non inutilis est *justa* et *prudens* dilatio ; quia, sicut monitio fortis, erit germen reflexionis et conversionis, quod faciet fructum tempore suo [1]. — Dictum est : *quando adhiberi potest ;* nam inter poenitentes dubie dispositos quidam reperiuntur qui dimissi non redirent, et in peccatis suis tabescerent, quamvis non sit ipsis impossibile, ut melius se disponant. Isti debent potius absolvi sub conditione [2].

2° Dilatio debet esse *brevis*, i. e. per octo vel decem dies, si peccatum procedit ex fragilitate *intrinseca ;* imo aliquando ad tempus brevius, v. g. ad diem, vel horam, vel etiam ad horae quadrantem. — Si vero ex causa *extrinseca*, v. g. ex occasione proxima procedit, dilatio longior esse potest, v. g. unius mensis, si ex circumstantiis requiritur (cf. n. 1831).

Et haec quidem principia urgent Confessarium, in quantum unice ut *judex* consideratur. — Sed quoniam et *medici* partes ei peragendae sunt, statuendum est :

1816. — IV. Confessarius, quatenus MEDICI officio fungitur, POTEST, imo DEBET poenitenti, etiam RITE DISPOSITO, absolutionem quandoque DIFFERRE, cum talem nempe dilationem ejus emendationi ac saluti profuturam esse prudenter judicat. — Ad rem sic *S. Alphonsus* [3] : « Certum est et commune apud omnes, quod possit confessarius differre absolutionem poenitenti *etiam disposito*, et etiam sine ejus consensu, semper ac prudenter judicet dilationem esse utilem ejus emendationi. Ratio est, quia poenitens, quamvis habeat jus ad absolutionem ratione confessionis peractae, non tamen habet jus, ut statim absolvatur : confessarius enim, cui non solum judicis sed etiam medici competit munus, bene *potest*, imo, meo judicio, *tenetur* differre absolutionem, quando judicat tale remedium esse necessario utile saluti sui poenitentis. » Quod autem B. Doctor, hac in re, minime ab antiquorum (saeculi XVI) Theologorum sententia deflectat, luculenter in *Vindiciis Alphonsianis* [4] demonstratum reperitur.

Diximus 1° *quando dilationem profuturam esse judicat :* ut v. g. quando datur *probabile periculum*, ne poenitens, post acceptam absolutionem, infrangat suum propositum : ut saepe accidit iis, qui debent restituere, denuntiationem facere, amovere occasionem peccati, cum inimicis se reconciliare, res scitu necessarias addiscere,

[1] Cf. *Vind. Alph.* P. 6. c. 2. §. 1. a. 4. (II. p. 422). — [2] Cf. Lib. VI. 432; *Prax.* n. 72. — [3] Ibid. 462 — [4] P. 6. cap. 2. §. 1. art. 1.

Digitized by Google

excutere culpabilem negligentiam, etc. — Sed dilatio, in his casibus, poterit esse brevissimi temporis, donec scilicet obligationem impleverint. — Ipsa autem obligatio differendi absolutionem *gravis* vel *levis* erit, prout ipsa dilatio necessaria, vel solum utilis, esse judicabitur [1].

Diximus 2° *quando judicat* PRUDENTER; eo quod considerate procedendum est. Nunquam enim procrastinanda est absolutio sufficienter disposito, si dilatio magis *obfutura* quam profutura praevideatur, vel si poenitenti inde nota aut periculum infamiae enasceretur. — Atque idem dicendum, si, omnibus perpensis, dilatio videretur *inutilis*, aut si tale remedium *parum commode* adhiberi posset [2].

Nota. — Pro diversitate locorum et temporum *frequentius* vel *rarius expedit* differre absolutionem. Sic, in magnis urbibus vel in regionibus impiis, ubi fides collapsa est, vix unquam expedire videtur, ut differatur absolutio; secus alibi, ubi fides viva est.

1817. — Quaesita. QUAER. 1° *An et qualis requiratur* CERTITUDO *de dispositione poenitentis, ut absolvi possit?*

Resp. Missis extremis opinionibus Rigoristarum, qui volunt neminem, extra periculum mortis, absolvendum esse, antequam ediderit certissima conversionis argumenta; et Laxistarum, qui sentiunt nemini denegandam esse absolutionem, nisi evidentia retineat indispositionis signa, dicimus cum S. Alphonso:

1° In hoc Sacramento, cum materia sit moralis, prout sunt actus poenitentis, sufficit CERTITUDO MORALIS sive respectiva... « Unde, quod ad nostrum propositum spectat, sufficit, ut confessarius habeat *prudentem probabilitatem* de dispositione poenitentis, et non obstet, ex alia parte, prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus posset absolvi, dum quaecumque signa poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis... Et hoc videtur satis exprimi in Catechismo Romano, ubi dicitur: *Si, audita confessione, sacerdos judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit* [3] » (cf. n. 1424).

2° Dispositiones poenitentis debent confessario *innotescere* per quaedam *signa*, sive ordinaria, sive extraordinaria. — Sufficiunt quidem SIGNA ORDINARIA, si nullum appareat indispositionis indicium, in contrarium. — Si vero aliqua positiva praesumptione impugnentur, seu aliis verbis, si adsit fundata suspicio de poenitentis indispositione, v. g. propter ejus novos et continuos lapsus in

[1] Cf. Berardi, *De recidivis*, n. 134. sqq.; Gaume, *Man. des confesseurs*, n. 367. — [2] Cf. L. VI. 464. *Quidam;* cf. Berardi, loc. cit. n. 155. sqq. — [3] L. VI. 461; *Prax.* n. 75.

Digitized by Google

peccatum, jam non sufficiunt; sed requiritur ALIQUOD SIGNUM EXTRAORDINARIUM. — Ratio est, quia praesumptio, quam signa ordinaria de poenitentis dispositione ingerunt, destruitur per praesumptionem, quam fundatae rationes de ejus indispositione praebent. Hinc, confessarius fit necessario anceps et *dubius* (in quo casu vide dicta n. 1815). Ubi vero aliquod signum extraordinarium (quod peccatorum accusationem vel *praecedit*, vel, admonente atque exhortante confessario, *subsequitur)* supervenit, suspicio de indispositione (plerumque) tollitur, et confessarius suum poenitentem jam sufficienter dispositum esse judicat [1].

QUAER. 2° *Quaenam sint* SIGNA ORDINARIA *sufficientis dispositionis?*

Resp. Juxta *S. Alphonsum* [2], sunt ipsa confessio rite facta, et protestatio poenitentis asserentis se dolere ac proponere. — Praesumptio enim est in favorem poenitentis, et ipsi credendum est, quando nihil obstat in contrarium.

QUAER. 3° *Quaenam sint* SIGNA EXTRAORDINARIA *seu specialia?* [3]

Resp. S. Alphonsus *novem* enumerat hujusmodi *signa*, quae ad duo capita revocari possunt, nempe aliquod emendationis studium, et specialis manifestatio doloris.

1° Aliquod EMENDATIONIS STUDIUM, puta: — 1. Adhibitio mediorum, v. g. si poenitens diligenter occasionem vitaverit, media a confessario praescripta executioni mandaverit, preces, eleemosynas, etc. adhibuerit, ad vitium extirpandum. — 2. Perseverantia per aliquod tempus, v. g. absolute loquendo, per tres fere hebdomadas, vel relative ad tentationes, per unam alteramve hebdomadam, cum antea solebat pluries in hebdomada prolabi. Ea continentia contigere potest post confessionem, quod melius signum est, vel etiam antequam ad confessionem accedat, ut se ad eam disponeret. — 3. Difficilior aut rarior lapsus: *difficilior*, i. e. post notabilem resistentiam; *rarior*, nempe in iisdem occasionibus et tentationibus. — 4. Impletio alicujus difficilis obligationis, ut v. g. restitutionis, reparationis famae proximi, etc.

2° Aliqua SPECIALIS MANIFESTATIO DOLORIS, v. g. — 1. Lacrymae et suspiria, saltem ut plurimum, sed praesertim cordialia verba. — 2. *Spontanea confessio* facta, non ex usu, sed ex impulsu interno gratiae, ut divina amicitia recipiatur, maxime si accedit longum iter, jactura lucri notabilis, grave incommodum, magnus conflictus internus, vel externus. — 3. Impulsus externus gratiae,

[1] L. VI. 459; *Prax.* n. 73. — [2] *Praxis*, n. 71; ubi adverte *signa ordinaria* proprie ad UNUM reduci scil. ad confessionem more solito institutam. Non ita vero apud plures AA. praesertim modernos. — [3] Aertnys, *de occas.* n. 16. qu. 2.

Digitized by Google

in aliquo extraordinario eventu, puta ob concionem auditam, ob mortem amici, ob metum imminentis flagelli. — 4. Confessio peccatorum prius celatorum. — 5. Significatio novae cognitionis sui peccati, aut periculi damnationis. — 6. Postulatio mediorum emendationis, et similia: puta « si poenitens dicat se poenituisse statim post peccatum, si cupiat satisfacere, si magnam poenitentiam bono animo acceptet, si protestetur ex seipso malle mori quam relabi. » — Ex ejusmodi signis recte colligitur poenitentem non ore tantum, sed ex animo asserere dolorem et propositum [1].

« *Notanda circa haec sunt:* 1° Studium emendationis nonnunquam stare potest cum modica emendatione, *ob speciales emendationis difficultates*, quae provenire possunt: 1) ex habitu valde radicato, quippe qui magnos conatus exigit: 2) ex tentationibus assiduis et vehementibus, quia hominem irretiunt; 3) ex indole valde levi et volubili, quae adolescentium maxime propria est, et qua fit ut pari facilitate ad bonum ac ad malum transeant; 4) ex facilitate, qua aliqua peccata committuntur, puta peccata cordis et oris [2].

« 2° Spontaneitas confessionis, in iis praesertim regionibus praesumenda est, in quibus fides elanguit; ibi enim respectus humanus ad suscipienda Sacramenta non impellit, sicut in aliis, in quibus viget religio; sed potius ab iisdem retrahit. — Caeterum, in hujusmodi etiam regionibus, non desunt qui, ex sola consuetudine, vel ex aliis naturalibus motivis, ad sacrum Tribunal accedunt [3].

« 3° Tempore Missionis, quae prospere cedit, recidivi ut plurimum solent esse rite dispositi, si concionibus diligenter intervenerint, et hoc tempore a peccato abstinuerint [4]. »

QUAER. 4° *Quaenam sint signa* INDISPOSITIONIS?

Resp. 1° ABSOLUTE *indispositi*, et ideo beneficii absolutionis incapaces, ex Rit. Rom. [5] judicandi sunt: « Qui nulla dant signa doloris; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo *peccata derelinquere*, et vitam in melius emendare NOLUNT: aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant; » et generatim, quicumque gravem obligationem cognitam implere renuunt.

Resp. 2° DUBIE *dispositi*, censendi sunt: 1) Qui accedunt ad sacrum tribunal coacti, vel ex humana tantum consideratione, vel sine ulla praeparatione; — 2) qui confitentur sine ullo humilitatis sensu, sua peccata historice et quasi jocose narrando, vel sine ulla submissione ad confessarium, suam scilicet excusando pravam agendi rationem, alios accusando, etc.; — 3) qui vocibus utuntur astutis, quaerentes magis obtegere quam exponere peccata, aut ea

[1] L. VI. 460. 505; *Praxis*, n. 74. — [2] Berardi, *Prax. Conf.* n. 67. — [3] *Vind. Alph.* tom. 2. p. 402. 4; p. 444. — [4] Berardi, *Prax. Conf.* n. 81. — [5] *De Sacr. Poenit.* c. 1. n. 22.

Digitized by Google

non confitentes, nisi cum fuerint per industriam confessarii detecta; — 4) qui valde sunt difficiles in acceptandis poenitentiis et remediis peccatorum necessariis; — 5) qui demum, remediis neglectis, in pravum habitum relapsi sunt, postquam a confessario admoniti jam fuerint [1].

Notetur autem PRO PRAXI: — 1° In Confessario necessaria est ardentis charitatis industria, qua scilicet, pro viribus, « non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, » (ut dicit Leo XII) [2], ex imparatis paratos facere studeat: quod vero zelo saepissime succedit.

2° « In poenitente non est necessaria dispositio *interpretativa*, nempe quod si ille in tali aut tali rerum conflictu reperiretur, non peccaret, quando ad id omnino non reflectit; quia aliter, si confessarii praesumere vellent interpretativas poenitentium indispositiones, paucos possent absolvere, dum possent judicare quod multi eorum, quibus filii interfecti fuissent, certe odio moverentur in interfectores; si a tyrannis essent tormentis tentati, a Fide deficerent, etc. — Sufficit ergo in poenitente eam dispositionem *actualem* invenire, ut absolvat; nempe ut hic et nunc statuat amplius non peccare in quocumque casu in genere. Nec obstat quod esset indispositus per voluntatem interpretativam, nempe si monitus esset [3]. »

ARTICULUS II.

DE VARIA OBLIGATIONE CONFESSARII ERGA VARIOS PŒNITENTES

Inter poenitentes duplex varietas deprehendi potest: altera nimirum, quae ex *interno* eorum animi statu oritur; et altera, quae provenit ex eorum *externa* vitae conditione. — Hinc duplex paragraphus.

§. 1. *De obligatione Confessarii erga poenitentes diversos ex statu animi.*

1818. — Poenitentes, qui ex ipso sui animi statu ab aliis distinguuntur, possunt commode ad SEPTEM CLASSES reduci, nimirum: 1° ad occasionarios; — 2° ad habituatos et recidivos; — 3° ad conversos ab haeresi; — 4° ad scrupulosos; — 5° ad vexatos a daemone; — 6° ad poenitentes pios et devotos; — et 7° denique ad ditatos dono contemplationis.

Hinc, ex ordine tractandum est de obligatione, qua confessarius erga hos varios poenitentes tenetur, et praesertim de obligatione qua tenetur erga eos, quos in duabus primis speciebus recensuimus. Nam, ut zelantissimus noster Doctor loquitur [4]: « Maxima confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis, qui sunt in *proxima*

[1] Benger, *Compend.* n. 455. — [2] Encycl. *de extens. Jubilaei*, 1825. — [3] H. A. XVI. 112. — [4] *Praxis*, n. 63.

Digitized by Google

occasione peccandi, aut in vitiis *consuetudinarii*, *aut recidivi*. Hi sunt duo magni scopuli, in quos major confessariorum pars impetunt et deficiunt.

I. — De Occasionariis.

1819. — Definitio. Occasio peccati est vel persona vel qualibet res externa, alliciens ad peccandum. — Constituitur igitur ex duobus: objecto externo atque illecebroso, et propensione interna ad peccatum (cf. n. 373).

Divisio. Multiplex occasio distinguitur, scilicet: remota et proxima; haecque est continua vel interrupta; voluntaria vel necessaria.

1° Occasio remota est illa, quae habet quidem aliquam vim alliciendi ad peccatum, sed in qua peccandi periculum minus probabile est, et in qua homines plerumque non peccant. — Hanc non tenemur vitare, nisi forte *sub levi*, in quantum nempe leve inde peccandi periculum nobis immineret. — Per accidens, tamen, sub gravi obligaremur, casu scilicet quo grave aliis scandalum praeberetur (cf. n. 376).

Occasio proxima est illa, quae inducit probabile seu grave periculum peccandi. — Est talis per se, vel per accidens. — Dicitur occasio *per se*, seu *absolute proxima*, quando objectum externum est tale, ut plerique homines, per illud, ut plurimum in peccatum inducantur, v. g. aspectus fixus rei valde turpis, habitatio cum concubina. — « Occasio proxima *per accidens*, seu *relativa*, est ea, quae, licet respectu aliorum non sit proxima, tamen respectu alicujus, proxima est: vel quia hic, in tali occasione, frequenter est lapsus, vel quia prudenter timeri potest quod labatur, propter experientiam cognitam suae fragilitatis[1]. » — Quare, sicut occasio, per se proxima, respectu ad aliquem valde pium et cautum potest esse remota; ita contra, occasio, per se remota, erit proxima respectu ad aliquem, qui factus est valde debilis et promptus ad labendum.

2° Occasio *continua*, seu *in esse*, est illa, quae semper praesens est, quin quaeratur: v. g. concubina vel ancilla, quacum quis commoratur et peccare solet; obscoenus liber, quem quis tenet in sua bibliotheca. — Occasio *interrupta*, seu *non in esse*, est illa, quae non semper quidem praesens est, sed facile reperitur: ut est lupanar, caupona, pravus amicus, amasius vel amasia.

3° Occasio *voluntaria* est illa, quae facile vitari potest; occasio autem *necessaria* illa, quae physice vel moraliter removeri

[1] *Praxis*, n. 63.

Digitized by Google

nequit: *physice*, puta, si quis esset in carcere aut triremi, vel in mortis articulo, non habens amplius tempus vel modum expellendi concubinam; *moraliter*, si occasio dimitti nequeat, sine gravi scandalo aut sine periculo incidendi in pejus, aut sine magno detrimento in bonis vitae, famae vel fortunae [1].

Hinc ADVERTE, occasionem *non aestimari necessariam:* si scandalum vel periculum incidendi in pejus sit leve, vel fictum et imaginarium, ut saepe accidit in hujusmodi casibus; item si damnum vel incommodum subeundum sit parvi momenti. — Unde S. Alphonsus cum Sporer et Palao non excusat mediocriter divitem, qui, ne patiatur damnum centum ducatorum (hodie dicerem mille franc.), occasionem deserere nollet [2].

1820. — Principia. I. Confessarius, ut PRUDENS ferat JUDICIUM de iis, qui in occasione peccati versantur, debet ATTENDERE, tum ad praeteritos lapsus, tum ad peculiares poenitentis circumstantias, tum denique ad communiter contingentia. — Ita ex mente S. Alphonsi et aliorum. Et re sane vera

1° Ex lapsibus *praeteritis* maxime arguenda est periculi gravitas seu probabilitas, casu quo poenitens jam ab aliquo tempore in occasione versatur, in eaque jam peccavit. Porro, « quidam AA. volunt non esse occasionem proximam, nisi eam in qua homo fere semper, vel ut plurimum ceciderit; sed communior et verior sententia docet, occasionem proximam esse illam, in qua *frequenter* quis peccavit [3]. » — Frequentia autem lapsuum vel relativa est vel absoluta. — *Relativa* computatur juxta numerum vicium, quibus quis occasioni fuit expositus, et aderit v. g. si quis in duodecim visitationibus soleat peccare quinquies vel sexies; item, si solum ter aut quater in anno feminam inviseret, et cum ea ut plurimum peccaret; imo si semel tantum in anno visitaret, et nihilominus semper peccaret. — *Absoluta* vero erit, dum numerus lapsuum, in se consideratus, notabilis est, ut si duae personae, quae singulis Dominicis conveniunt, decies vel duodecies per annum labantur. — Alterutra frequentia sufficit ad constituendam occasionem proximam [4].

2° Ex circumstantiis *poenitentis*, maxime ex nota ejus fragilitate, item judicanda est periculi gravitas, casu quo ipse nondum vel raro in occasione versatus fuerit, vel in ea nondum peccaverit; inconsultum enim esset expectare lapsuum experientiam ad judicium de periculo ferendum. Unde *S. Alphonsus* [5]: « Cum occasio externa, inquit, conjungitur cum passione vehementi vel habitu vitioso, vel forti tentatione, peccat qui eam non relinquit, etsi nondum cesserit tentationi; quia raro accidet quod talis se conti-

[1] *Praxis*, 68; L. VI. 455. — [2] Ib. 455. — [3] *Praxis*, n. 63. — [4] L. VI. 452. *Ex praemissis;* cf. Berardi, *de Occas.* n. 13-14. — [5] L. VI. 452.

Digitized by Google

nebit, si ab occasione non separetur. » — Atque hinc est, cur ancilla, obnixe ab hero sollicitata, generatim, teneatur ab illius domo discedere. Dicimus *generatim;* nam si esset pietati valde dedita, multum cauta, et opportuna semper remedia adhiberet, non esset absolute ad discessum adstringenda [1].

3° Ex *communiter contingentibus*, et ex his quidem solis dijudicanda est periculi gravitas, cum alia specialia indicia ex ipsa poenitentis persona haberi nequeunt. — Hinc sequens teneri debet REGULA: Si qua occasio alios, in iisdem rerum adjunctis versantes, in peccandi periculum induxit, praesumendum est, eamdem et hunc similiter poenitentem inducturam esse.

Ne vero Confessarius falsis ducatur conjecturis, memor sit, *alios*, propter differentiam aetatis, status, sexus, indolis, educationis, instructionis, etc., *aliter* affici, tametsi in iisdem occasionibus versentur. — Advertendum est etiam, *assuetudinem* efficere, ut non omnes, aequaliter, peccati illecebris excitentur. Et sic quidem evenit, ut multa sint magis pericula assuefactis quam insuetis, propterea quia consuetudo reddit faciliorem tam consensum quam lapsum; et *vice versa*, ut aliqua sint magis pericula insuetis quam assuefactis, quandoquidem, ob diuturnum usum, jam hebetiores facti sunt, vel ob usum rerum pejorum validioribus incitamentis indigent ad acuendam libidinem. Unde *S. Alphonsus* [2], loquens de pessima quarumdam feminarum consuetudine: « Assuefactio efficit, inquit, ut viri, ex tali visu (feminarum ubera ostendentium) minus moveantur ad concupiscentiam, prout experientia constat. »

1821. — II. Nunquam absolvendus est poenitens, qui NON VULT removere, in quantum in se est, occasionem PROXIMAM peccati. — Probatur: 1° Ex Scriptura (Eccli. 3, 27): « *Qui amat periculum, in illo peribit;* » (Matth. 5, 29): « *Si oculus tuus scandalizat te*, etc. » — 2° Ex pluribus propositionibus damnatis ab Innocentio XI: N. 61: « Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quaerit, aut se ei ingerit. » N. 62: « Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. » N. 63: « Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi. » — 3° Ex ratione: qui libere vult occasionem, in qua probabiliter peccabit, eo ipso et implicite vult peccatum; ideoque jam peccat, estque absolutionis indignus [3].

Diximus *in quantum in se est:* auferendo scilicet periculum peccati: sive *physice*, i. e. removendo objectum illecebrosum externum, quando occasio est voluntaria; sive saltem *moraliter*, i. e. sanando fragilitatem, seu proclivitatem ad malum, opportunis ac congruis remediis, quando occasio est necessaria (cf. n. 1825).

[1] Cf. Konings, n. 1430. — [2] L. II. 55; cf. Berardi, loc. cit. — [3] L. VI. 452-454.

Digitized by Google

1822. — Ex dictis oriuntur, pro praxi, REGULAE sequentes:

Regula 1ª. — Qui versatur in occasione PROXIMA VOLUNTARIA IN ESSE, ut v. g. concubinarius, vel famula frequenter peccans cum hero, quascumque promissiones faciat, non potest, ordinarie loquendo, absolvi, etiam prima vice, nisi occasionem actu removerit. — Ratio est proximum periculum infringendi propositum ; eo quod ablatio ejusmodi occasionis, propter magnam animi adhaesionem, exigat arduam sui ipsius victoriam ; et ideo, si occasio non aufertur ante absolutionem, poenitens de facili post absolutionem se decipiet, falso sibi suadendo quod tentationibus resistet, et sic, occasione non dimissa, profecto redibit ad vomitum. — Quare POENITENS, qui hoc advertens, vellet huic periculo temere se exponere, esset indispositus; CONFESSARIUS, qui tali periculo poenitentem exponeret, graviter peccaret, tam contra officium *judicis*, absolvendo indispositum, quam contra officium *medici*, non applicando remedium necessarium [1].

Dictum est *ordinarie loquendo;* quia dantur exceptiones, dummodo poenitens firmiter promittat se, quamprimum, occasionem esse sublaturum. — Excipitur nempe: 1° Si occasio talis sit, ut *ex facili* possit dimitti, v. g. liber pravus. — 2° Si poenitens compunctionem firmitatemque propositi *per signa extraordinaria* doloris manifestet; quia prudenter, in hoc casu ob signum uberioris gratiae acceptae, sperari potest propositi executio « Nihilominus, ait Roncaglia, quod ipse, etiam in hoc casu, absolutionem differret usquedum occasio auferatur, si absolutio commode differri posset; et ita etiam (subdit S. Alphonsus) ego agerem. » — 3° Si *gravis causa* cogat, ut statim absolutio concedatur; quia, ex gravi causa, et cum debitis cautelis, licet se et alterum exponere periculo, quod tunc remotum redditur ; proinde, cum poenitens est in quadam necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem tollat, censetur ac si esset in occasione necessaria, adeoque habet jus, ut statim absolvatur [2].

Graves hujusmodi CAUSAE recensentur QUATUOR, videlicet: — 1° *Periculum mortis*, si nempe poenitens mortifere aegrotet, et occasio statim removeri nequeat: sive quia non adest tempus, sive quia gravis infamia, vel grave scandalum, ex tali dimissione, suboritura sunt, prout saepe contingit [3]. — 2° *Difficultas redeundi:* si nempe nequeat ad eumdem confessarium reverti, vel nonnisi post longum tempus, et magnum incommodum inveniret in iteranda confessione apud alium. Ratio est magnum onus aut repetendi confessionem apud alium, aut diu manendi in statu peccati [4]. Idem valet, si poenitens

[1] Cf. L. VI. 454; *Prax.* n. 66. — [2] Ibid. 454; *Praxis*, 67. — [3] Ibid. 455; ib. 68. — [4] Ib. 454; ib. 67.

Digitized by Google

confiteatur in loco a proprio domicilio valde dissito, ita ut magnum onus esset redeundi [1]. — 3° *Periculum infamiae*, si nempe necessitatem habeat eadem vel postera die matrimonium ineundi aut Communionem recipiendi, quatenus absque gravi infamia abstinere nequeat [2]. — Similiter, si confiteatur tempore Missionis, et nequeat, absque nota infamiae, occasionem statim amovere. Quo in casu, remittenda est occasionis amotio ad aliquas hebdomadas post Missionem, sub ea tamen conditione, ut statim, si fieri possit, aliqua cautio adhibeatur, v. g. renuntiatio conductionis, utque praescribantur remedia ad praecavendum relapsum. Ita S. Leonardus a Portu Mauritio [3]. — 4° *Periculum damni spiritualis*, si videlicet prudenter timendum sit, ne poenitens, ob dilationem absolutionis, cum necdum inconstans fuerit, a confessione alienetur et in peccatis tabescat; quia tunc dilatio periculum infringendi propositum potius augeret [4].

In memoratis autem casibus, Confessarius poenitentem ADMONERE deberet, ne confidat se in posterum obtenturum esse absolutionem, nisi promissis steterit [5]. — Quod si poenitens jam alias ab alio confessario de removenda occasione *admonitus fuerit*, nec admonitioni obtemperavit: ut *recidivus* habendus est, nec proinde absolvi potest, nisi afferat extraordinaria doloris signa, prout infra (n. 1830) dicemus [6].

1823. — *Regula 2ª*. Qui versatur in occasione PROXIMA VOLUNTARIA, sed *non in esse*, v. g. frequentando ludos, popinas, pravas societates, potest prima, secunda, imo et tertia vice absolvi, dummodo ab ea se cavere firmiter proponat. — Quodsi postmodum emendatio non appareat, differenda est absolutio, donec occasionem reapse dereliquerit. — Ita *S. Alphonsus* [7], cum *S. Carolo Borromaeo* et aliis. — Porro, ratio, cur cum hujusmodi poenitente mitius agendum sit, in eo esse videtur, quod, quando occasio non est praesens (maxime si periculum non sit incidendi in actus turpes, sed in blasphemias, rixas, ebrietates, verba obscoena, cogitationes impuras, et alia hujusmodi, ut in casibus a S. Carolo propositis), non allicit aeque fortiter ad peccatum, ac occasio semper praesens, vel in materia turpi; ideoque poenitens, qui firmiter proponit se ab occasione cavere, potest, absque temeritate, sperare, fore ut peccatum devitet, sive non adeundo occasionem, nisi detur aliqua ratio; sive alias adhibendo cautiones ac remedia.

Dictum est 1° *potest absolvi*, id est a confessario *tanquam judice*, quia censetur satis dispositus. — Sed potest etiam a confessario *tanquam medico* ad aliud tempus remitti, ut promptius ac firmius occasionem e medio tollat. Et consultum est id fieri, etiam prima vice, quando consuetudo peccandi in occasione jam inveterata est, ut experimentum capiatur, an reipsa occasionem removeat, aut saltem sese emendare incipiat [8] (cf. n. 1827).

[1] Berardi, *de Occas.* n. 45. III. — [2] L. III. 436. — [3] *Disc. mist.* n. 22. — [4] Berardi, l. c. n. 49-50. — [5] Aertnys, *de Occas.* n. 8. III. — [6] H. A. tr. ult. n. 5. fin. — [7] L. VI. 451; *Prax.* n. 66. — [8] *Conf. diretto*, XV. 10.

Digitized by Google

Dictum est 2° *potest absolvi secunda, imo tertia vice*, i. e. quando cum occasione non conjungitur pravus habitus. Nam, quando poenitens, in occasione peccandi, est formaliter recidivus in habitum pravum, ut recidivus tractandus est (cf. n. 1829).

1824. — *Regula 3ª*. Qui versatur in occasione PROXIMA NECESSARIA absolvi potest, quin occasionem deserat, modo sit aliunde dispositus, et *remediis* praescriptis *uti velit*. — « Ratio est, ait *S. Alphonsus* [1], quia occasio peccandi non est proprie peccatum in se ipsa, neque inducit peccandi necessitatem; unde, bene consistere potest cum occasione verus dolor, et propositum non recidendi; et licet quisque teneatur auferre proximum peccandi periculum, id intelligitur, cum ipse, sponte, vult tale periculum; sed cum occasio est moraliter necessaria, tunc periculum per remedia opportuna remotum evadit, et Deus tunc non se retrahit ab assistendo sua gratia illi, qui vere deliberavit ipsum non offendere. »

Diximus, ut supra: *potest absolvi*, a confessario nempe tanquam judice, si aliunde dispositus appareat. — Ast, audiamus iterum S. Alphonsum:

« Verum, IN PRAXI, inquit, omnes conveniunt *expedire*, ut iis qui versantur in occasione proxima etiam necessaria, *differatur absolutio*. Imo, ut ego quid sentiam in hac re, ingenue dicam, nunquam absolverem eum qui est in occasione proxima extrinseca (nam de intrinseca aliter loquar), praesertim si occasio sit de materia turpi, *semper ac absolutio commode differri posset*. Censeo enim quod confessarius tanquam MEDICUS tenetur aptare suo poenitenti remedia opportuniora, ut ille suam faciat salutem; reorque nullum aliud aptius *antidotum* ministrari posse ei, qui est in occasione proxima, quam dilationem absolutionis; dum experientia docet quod poenitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media praescripta adhibere, et sic facillime recidunt. Cum e converso, quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exequi et tentationibus obsistere, impulsi quidem a timore, ne cum ad confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur.

« Et casu quo poenitens *prius admonitus* ab alio confessario media praescripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat. — Et *etiam huic* extraordinaria compunctione donato, ordinarie loquendo, absolutionem denegarem, quando *commode* absolutio posset differri.

« Fortasse alicui haec tradens *nimis rigidus* videbor; sed ego, cum poenitentes offendissem hujusmodi occasionum laqueis irretitos, sic semper egi et semper agam; hac enim via incedens non me rigidum, sed maxime erga eos benignum esse puto: quandoquidem nullus isto aptior modus mihi videtur, ut ipsi a peccatis et ab aeterna damnatione eripiantur; et e contrario crederem quod, si benigne agendo absolutionem quam petunt eis praestarem, causa essem ut misere in vitiis marcescerent. Quisque suo sensu abundet. — Utinam vero omnes confessarii cum hujusmodi poenitentibus ita se gererent! multo quidem minora crimina committerentur, et longe plures animae perditionem vitarent [2]. »

[1] H. A. tr. ult. n. 6. — [2] L. VI. 456.

Digitized by Google

1825. — Quaesita. QUAER. 1° *Quaenam* REMEDIA *confessarius assignare debeat poenitenti, qui in occasione* NECESSARIA *versatur?*

Respondet S. Alphonsus: « Remedia sunt: magna oratio, — frequentior usus Sacramentorum, — quotidie ante imaginem Crucifixi renovare promissionem non amplius peccandi, — vitare ne versetur solus cum sola, — fugere ab aspectu complicis, et similia [1]. » — Atque haec remedia TENETUR poenitens, in quantum potest, adhibere; secus enim occasio erit quidem necessaria, sed periculum voluntarium: quemadmodum, in casu naufragii, tabulam non arripere est certo mortis periculo se committere [2].

QUAER. 2° *An possit absolvi, qui, existens in occasione* NECESSARIA EODEM SEMPER MODO, *non obstantibus remediis, relabitur?*

Resp. Negative, si post multa experimenta, nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat. Ita *S. Alphonsus*, ut verius; et ratio est, quia, si quis eodem semper modo relabitur, est vere indispositus; nam, ex tali relapsu, deprehenditur, vel remedia non debite fuisse adhibita, vel occasionem non esse vere necessariam; necessitas enim peccandi non datur, et nemo tentatur supra id quod potest. Urget igitur praeceptum Christi, dicentis: « *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te.* » (Matth. 5, 29). — Dictum est *si nulla spes emendationis* appareat; haec autem censetur affulgere, si poenitens, in praesenti, extraordinaria signa doloris afferat [3].

Ex dictis resolves [4]: 1° Mulier debet malle prae penuria perire, quam frequentare domum, ubi donatur muneribus, quae jam transierunt, vel probabiliter, mox transitura sunt in stipendium meretricium. — 2° Poenitens debet deserere confessarium, licet utilem, si soleat ex ejus alloquio consentire in delectationem impuram. — 3° Homo, a multo tempore furax, debet dimittere officium, quod eum ad furandum impellit. — 4° Gulosus debet vitare convivia; ebriosus tabernas; libidinosus familiaria et privata colloquia cum feminis, etc., etsi justam ita colloquendi causam sibi habere videatur. — 5° Adolescens et puella, intuitu matrimonii sese frequentantes, non sunt absolvendi nisi occasio ex proxima fiat remota, per media a confessario praescribenda (cf. n. 826). — 6° Non est absolvendus filius-familias peccans cum ancilla, quae secum, in domo paterna, habitat, nisi praescriptis a confessario remediis diligenter utatur atque ita occasionem vere removeat. Verum, hujusmodi occasio non potest, generatim, removeri, nisi per alterutrius (filii nempe vel ancillae) emigrationem.

De occasionibus in particulari vide dicta n. 824 et sqq. [5]

[1] L. VI. 455; *Prax.* n. 68. — [2] Cf. Berardi, *de Occas.* n. 79-83. — [3] Cf. L. VI. 457-458; cf. *Vindic. Alph.* p. 5. q. 22. — [4] Cf. Scavini, lib. III. n. 342. fin. — [5] Cf. Berardi, *de Occas.* p. 2ª; Konings, n. 1438-1469; Ciolli, *Dirett.* n. 70.

Digitized by Google

II. — De consuetudinariis et recidivis.

Ex doctrina *S. Alphonsi* probe distinguendum est inter consuetudinarios et recidivos, de quibus non pauci AA. satis confuse loquuntur. — Unde, ut hujusmodi confusio vitetur, agemus separatim: 1° de consuetudinariis; 2° de recidivis.

A. — De consuetudinariis.

1826. — Definitio. Consuetudinarius seu *habituatus*, prout a recidivo distinguitur, est ille, qui, per repetitionem peccatorum ejusdem generis, pravum habitum contraxit, et illum *prima vice* confitetur [1].

Quot actus *ad pravum habitum contrahendum* sufficiant, pendet ab ipsius repetiti peccati natura, et a modo quo commissum fuit, cogitatione scilicet, verbo, aut opere; a longiori vel breviori tempore, quod inter peccaminosos ejusdem generis actus intercessit; a peccantis indole seu temperamento, a majori minorive intensitate, quacum voluntas actus posuit, etc. — Sic, « quinque vices in mense, ait *S. Alphonsus* [2], jam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat; » secus enim videtur esse unius peccati continuatio. — In peccatis autem luxuriae consummatae, quae complicem habent, v. g. fornicationis, sodomiae, multo minor numerus habitum costituere potest: sic, v. g. qui, per annum integrum, semel in mense fornicaretur, bene *habituatus* dici posset. — In peccatis demum cordis et oris multo major numerus requiritur, ut habitus adesse censeatur.

Divisio. Inter habituatos, distinguendi sunt: 1° qui peccant et habitum contraxerunt cum perfecta voluntatis electione; 2° qui peccant, et habitum contraxerunt ex incontinentia, seu ex voluntatis infirmitate. — Priores delinquunt: 1) ob habitualem voluntatis perversitatem, 2) sine praevio vehementis passionis impulsu, ideoque 3) non facile peccatum commissum detestantur. — Contra, posteriores delinquunt: 1) ob impellentis passionis impetum, ita ut 2) eorum voluntas sit habitualiter bona ac contraria peccato; quod ideo 3) extincto passionis ardore, quam maxime abhorrent [3].

1827. — **Principium.** Consuetudinarius, etiamsi nulla emendatio praecesserit, potest absolvi, dummodo sibi serio proponat adhibere media, quae ad emendandam vitam ei praescribuntur. — Ita communissime, contra quosdam rigidiores. — Ratio est, « quia talis poenitens, ex una parte, non est praesumendus malus, ita ut velit indispositus ad Sacramentum accedere; et ex altera, bene praesumitur dispositus, dum peccata sua confitetur, cum ipsa spontanea confessio sit signum contritionis, nisi obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium. — Nec valet dicere, quod eadem prava

[1] L. VI. 459. — [2] *Praxis*, n. 70. — [3] Cf. Berardi, *de Recidiv.* n. 76. ex D. Thoma.

Digitized by Google

consuetudo est signum indispositionis: nam, licet habitus pravus reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat praesumptionem suae infirmae voluntatis [1]. »

Excipe: — 1° Si habitus sit *valde radicatus*, qualis esse solet in eo, qui est habituatus ex mala voluntate, vel per longum tempus alicui vitio, carnis praesertim, deditus fuit; tunc enim poterit confessarius differre (ad breve tempus) absolutionem, si aliud non obstet: tum ut experiatur quomodo poenitens remedia exequatur, tum ut ipse poenitens de suo vitio majorem horrorem concipiat [2]. — 2° Si habituatus in peccato gravi sit *clericus*, qui brevi vult ad sacros Ordines promoveri; nam positiva bonitas in ipso necessaria est, ut suo loco dicetur (n. 1916. qu. 2°).

QUAERITUR. *An absolutio negari possit consuetudinario, qui* RECUSAT *confiteri* PLURIES *in anno.*

Resp. Negative, per se, si aliunde videatur sufficienter dispositus; quia nullum praeceptum est confitendi pluries in anno, et sunt alia media, quae injungi possunt ad extirpandam consuetudinem. — Secus tamen dicendum est, si alia media non judicentur sufficienter efficacia. Multi enim poenitentes in sola confessione aptum remedium invenire possunt. Unde rectissime ait Toletus [3], loquens de habituatis in crimine pollutionis: « Vix puto esse aliud efficax remedium, quam frequentissimam confessionem adhibere: est enim hoc Sacramentum maximum fraenum; et qui hoc non utitur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum [4]. » (cf. n. 1812. 3°).

B. — De Recidivis.

1828. — DEFINITIO. *Recidivus* generatim dicitur, qui post confessionem in eadem peccata relapsus est.

Ex relapsis post confessionem, alii sunt recidivi formaliter, alii solum materialiter. — FORMALITER, seu verus RECIDIVUS, juxta mentem S. Alphonsi, ille est, qui: 1° habitum peccati contraxit; 2° in alia confessione rite admonitus fuit; et 3° eodem vel fere eodem modo in peccata consueta relapsus est, nullo adhibito emendationis studio, nec ullo ex mediis praescriptis impleto. — MATERIALITER recidivus ille censetur, in quo una alterave deest ex tribus praefatis conditionibus. Et ipse tractandus est vel ut peccator simplex vel ut consuetudinarius (cf. n. 1826) [5].

1829. — **Principia.** I. Poenitens FORMALITER RECIDIVUS non potest

[1] L. VI. 459. — [2] H. A. tr. ult. n. 8. — [3] *Instr. sacerd.* L. 5. c. 13. n. 6. — [4] L. VI. 464. in med. — [5] H. A. tr. ult. n. 9; cf. *Vind. Alph.* p. 6. c. 1. (tom. 2. pag. 276).

Digitized by Google

absolvi, si solum signum ORDINARIUM dispositionis afferat, nempe si solum asserat se dolere de suis peccatis, seque nolle amplius in posterum Deum graviter offendere. — Constat: 1° Ex propos. 60ª damnata ab Innocentio XI: « Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem. » — 2° Ex ratione: « Nam habitus contractus, et relapsus praeteriti sine ulla emendatione, magnam praestant suspicionem, quod dolor et propositum, quae poenitens asserit habere, *nequaquam sint vera.* Unde, isti differenda est absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis. — Et in hoc puncto lugenda est animarum ruina, cujus causa sunt tot mali confessarii, indistincte absolvendo tot recidivos, qui cum repererint confessarios, qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem in peccando, et pergunt ad putrescendum in coeno vitiorum, usque ad mortem. » Ita S. Alphonsus [1].

« Quidam DD. admittunt, recidivum cum solis signis *ordinariis* absolvi posse usque ad tertiam et quartam vicem. — Sed huic opinioni (scribit S. Doctor) nunquam potui acquiescere, dum habituatus, qui post unam confessionem recidit sine emendatione (saltem inchoata), jam est *verus recidivus*, et fundatam praebet suspicionem suae indispositionis [2]. »

« Et notetur hic, quod haec regula procedit etiam *respectu culparum venialium;* quamvis enim communiter admittitur, facilius absolvi posse eos, qui prolabuntur in peccata levia, eo quod occasiones eorum frequentiores sint; attamen, cum sit communis sententia, grave esse peccatum et sacrilegium, absolutionem recipere super levibus confessis sine vero dolore et proposito; nec sufficere dolere de multitudine seu de numero excessivo talium culparum, quin dolor habeatur de aliqua in particulari: » facile accidere potest, ut poenitentes, recidivi in culpas *veniales,* sacrilegas aut saltem invalidas confessiones peragant. « Hinc, diligenter satagat confessarius ad non absolvendos indistincte tales poenitentes; tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, ipse tamen non poterit a sacrilegio excusari, absolutionem impertiendo eis, qui ad absolutionem non satis dispositi judicari possunt [3]. » Sed vide n. 1842.

1830. — II. Poenitens, etsi formaliter recidivus, potest absolvi, quotiescumque praebet ALIQUOD SIGNUM dispositionis EXTRAORDINARIUM. — Ita S. Doctor, contra Merbesium et alios, qui cum intolerabili rigore dicunt, numquam absolvi posse consuetudinarium, nisi per longam experientiam constet de ipsius emendatione. Ratio nostrae sententiae est, quia signum extraordinarium, *modo solidum*

[1] *Praxis,* n. 71. — [2] Ibid.; cf. Berardi, *de Recidivis,* n. 82. sqq.; Ciolli, *Dirett.,* n. 71. — [3] *Praxis,* n. 71; H. A. tr. ult. n. 9; cf. Berardi, n. 193. sqq.

Digitized by Google

sit et fundatum, aufert indispositionis suspicionem, quam ingerunt iterati lapsus[1] (cf. n. 1817. qu. 1°).

« Nec verum est quod adversarii *opponunt*, nempe quod sola temporis probatio, unicum sit signum mutatae voluntatis: nam voluntatis mutatio pendet a divina gratia, quae tempore non indiget, sed in instanti operatur; et ideo non solum per experimentum temporis, sed per alia quaedam signa patefieri potest. — Imo, aliquando alia signa praesentis dispositionis multo melius manifestant mutationem voluntatis, quam experientia temporis; nam signa illa indicant directe dispositionem poenitentis; experientia vero tantum indirecte, adeo ut non raro evenire possit, quod aliquis, etiam longo tempore, a vitiis pro mundi hujus honestate contineat, ut ait S. Gregorius, et nihilominus non sit rite dispositus. Propterea, quoties poenitens affert *vera* signa doloris et propositi (seu aliis verbis: quoties prudenter judicatur, illum mutasse voluntatem), toties bene absolvi poterit[2]. »

Dicimus *absolvi poterit;* non enim necessario, et semper, absolvendus est, quia confessarius potest, imo aliquando debet, qua MEDICUS, differre absolutionem poenitenti etiam satis disposito, ut pluries jam affirmavimus (cf. n. 1816).

Notetur insuper: — 1° Recidivus *prima vice rediens* facilius absolvi poterit, quam secunda aut tertia vice. Extraordinaria enim signa eo facilius obtinentur, quo promptius confessarius falcem ad radicem mittit, et praeterea eo minora exiguntur specialia signa dispositionis, quo nondum tam multiplicata sunt indispositionis indicia [3].

2° Facilius absolvi possunt recidivi *incontinentes* (ex passione) quam *intemperati* (ex habitu); quia in illis confessarius persaepe inveniet, vel inducere poterit signum aliquod extraordinarium, in hisce vero paucies [4]. Unde, facilius absolvi possunt recidivi in blasphemias, quam in alia peccata odii, furti, aut libidinis, quibus habitus fortius inhaeret, ob majorem passionem, quae in illis invenitur [5].

3° Recidivus formaliter talis, nisi certe indispositus sit *sub conditione* absolvi potest, vel debet, in iis casibus, in quibus potest vel debet absolvi dubie dispositus (cf. n. 1663 qu. 5°. Reg. 1). — Adverte quoque, ob collapsam ubique fidem, hac nostra aetate saepius lugendum occurrere casum, quo jure timendum est ne poenitens dubie dispositus, et sine absolutione dimissus, Sacramentis valedicat, atque in peccatis suis tabescat [6].

1831. — Quaesita. QUAER. 1° *Utrum utendum sit remedio dilationis absolutionis erga recidivum* SATIS DISPOSITUM?

Resp. 1° Negative, quando dilatio magis obfutura quam profutura censetur, vel allatura poenitenti aliquam infamiae notam aut periculum (cf. n. 1816).

[1] L. VI. 459. *Secunda.* — [2] Ibid. — [3] *Vind. Alph.* tom. 2. p. 402. n. 4. — [4] S. Th. 2. 2. q. 156. a. 3. — [5] Aertnys, *de Recid.* n. 15 fin; *Praxis*, n. 75 fin. — [6] *Vind. Alph.* loc. cit.

Digitized by Google

2° Extra hos casus, res committenda est prudentiae confessarii. — *S. Alphonsus* sic distinguit: 1) Si poenitens relapsus est ob causam seu *fragilitatem intrinsecam*, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae, et similium, raro expedit dilatio; quia major fructus sperandus est ex gratia Sacramenti, quam ex dilatione absolutionis (praesertim recidivis in peccatum pollutionis non est frequenti confessione efficacius remedium, imo sine ea vix sperari potest emendatio, cum hoc Sacramentum sit maximum fraenum): semper tamen proderit opportuna dilationis comminatio... — Dictum est *rare expedit;* nam aliquando prodest, vel etiam necessaria est ad terrorem incutiendum, v. g. si remedia a longo tempore fuerint frustra adhibita, si vitii principiis, maxime in adolescente, obstandum sit, etc. — 2) Si relapsus est *ob occasionem*, ordinarie expedit dilatio; tum quia occasio est fortius incentivum ad peccandum: fortiori autem illecebrae fortior opponenda est coercitio; tum quia remotio occasionis, magis quam extirpatio habitûs, pendet a voluntate: quod autem magis pendet a voluntate, rigidius est exigendum [1]. — Idem dicendum de poenitente obligato ad restitutionem, reconciliationem, denuntiationem, gravis scandali reparationem [2] (cf. n. 1793. 3° et 1816).

QUAER. 2° *Cur cum majori severitate tractandus sit* RECIDIVUS *formaliter talis, quam* RELAPSUS *simpliciter ex occasione voluntaria non praesenti?*

Resp. Ratio est, quia supponitur, occasionarium non esse simul *habituatum* in peccato; quapropter occasionarius, seu recidivus *ex occasione*, qua talis, bis terve absolvi potest, non relicta occasione; secus vero, si simul sit recidivus *in habitum peccati,* absque emendatione [3].

QUAER. 3° *Quaenam* ASSIGNANDA SINT REMEDIA *recidivis* IN POLLUTIONEM *vel in alios actus libidinosos* [4].

Resp. Aptissima erunt: 1° Excitare in eis *ardens desiderium* recuperandi mentis et corporis puritatem, eorumque animum erigere ad luctam; alioquin caetera erunt plane inutilia. — Ad excitandum desiderium, confessarius ostendat infirmo damnationis periculum, nisi se corrigat; quia, quanto magis accumulantur peccata, tanto difficilior redditur consecutio salutis; et quanto intensior evadit habitus, tanto debilior fit voluntas. — Ad erigendum autem animum ad luctam, inserat poenitenti sensum dignitatis suae, qua homo et christianus est, quamque vili suo habitu deprimit, imo tandem nec sentit amplius; inspiret ei fiduciam in Deum, in B. M. V., ac spem victoriae, si remedia fideliter et constanter adhibiturus sit, etiamsi eveniat ut ex fragilitate relabatur [5].

[1] L. VI. 463 464; *Prax.* n. .76-77. — [2] L. VI. 693; *Prax.* 184-185; Aertnys, n. 16. qu. 4°. — [3] Aertnys, ib. qu. 6. — [4] Ib. qu. 8°. — [5] Cf. Segneri, *Instruct. conf.* cap. 12.

Digitized by Google

2° Procul *ab omni occasione* periculosa abscedere, fugere otium et solitudinem, vitare inhonestas conversationes, non legere libros amatorios, non frequentare choreas et theatra, quippe quae menti injiciunt impura phantasmata animumque emolliunt [1].

3° Frequens *oratio*, praecipue recitare singulis diebus ter Salutationem Angelicam in honorem puritatis Beatissimae Virginis, mane et vespere, addendo semper coram ejus imagine propositum non peccandi et supplicationem, pro dono perseverantiae. — Permultum etiam inserviet crebra *meditatio* veritatum aeternarum, juxta divinum effatum: « Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis; » et juxta hoc S. Alphonsi consilium: « Oratio mentalis insinuanda est, non tantum timoratis, sed etiam peccatoribus, qui saepe, ob defectum considerationis, redeunt ad vomitum [2].

4° Irruente aliqua tentatione, statim *mentem alio avertere*, et, si tentatio persistat, invocare piuries et confidenter *SS. Nomina* Jesu et Mariae; juvat etiam *cogitatio* de Passione Christi, de igne aeterno, de morte, de praesentia Dei, de remorsu conscientiae post peccatum etc.; item fervens *actus amoris* erga Deum, cum proposito mortem subeundi potius quam peccandi [3].

5° Frequentatio *Sacramentorum*, quae miris modis aestum libidinis reprimit; imo, sine ea vix aliud suppetit efficax remedium; speciatim autem curandum est, ut poenitens redeat ad confessarium *statim* post lapsum, necnon ut sibi eligat confessarium *stabilem*, doctum et pium [4].

6° Matrimonium, *si fieri possit*, juxta monitum Apostoli (1. Cor. 7, 2. 9.): « Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum... Si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri. » Imo, incontinentes, qui nollent adhibere alia media opportuna, ad matrimonium tenerentur [5].

Hisce addimus aliqua REMEDIA NATURALIA, quae supernaturalia coadjuvare possunt; sunt nempe: 1° temperantia in cibo et potu, praesertim vespere; vespere non uti vino, nec alimentis calidis; — 2° temperantia in somno; non cubare situ immodesto, nec in molli lecto; mane mature surgere; — 3° exercitia quae corpus fatigant, ut deambulationes, venatio, etc. [6]

De recidivis in blasphemias, recole dicta n. 599 [7].

III. — De Conversis ab hæresi.

1832. — I. Haereticus, ad catholicam fidem conversus, cum se primum confessario sistit, benigne excipiatur et in conscientiae examine, a quo nimius rigor excludendus est, multum adjuvetur. — Interrogetur, quot annis in sua secta vixerit, dubitans de ejus veritate, et utrum de vera religione inquirere contempserit, vel neglexerit, et quamdiu.

Si fuit haereticus tantum *materialis*, potest eum quilibet confessarius, sine speciali facultate, absolvere; item, si fuit haereticus formaliter, sed *nescius* excommunicationis formali haeresi adnexae; excommunicatio enim a nesciente non incurritur. — Quod si *vel*

[1] *Praxis*, n. 16. — [2] Ib. n. 16 et 124. — [3] L. V. 8. — [4] Cf. L. VI. 464. — [5] L. III. 209; L. VI 75. — [6] Cf. Berardi, *Examen. confess.* n. 157. — [7] Cf. M. Haringer, adnot. ad L. VI. 464.

Digitized by Google

leve dubium de incursa excommunicatione exsurgat, absolvendus est sub conditione, et praemissa fidei professione. Quare, inconsiderate ageret confessarius, si, reconciliaturus haereticum, specialem facultatem, qua facile indigere posset, sibi antea non compararet (cf. n. 443).

Adhortationes ad illa praesertim dogmata alludant, de quibus neo-conversus prius non recte sentiebat. — Poenitentia, quae eum non deterreat, ei imponatur. — Recole dicta n. 1479 quoad Baptismum, et n. 1655 quoad obligationem confessionis.

1833. — II. In reconciliandis haereticis, TRIPLEX, pro diversitate casuum, distinguitur PROCEDENDI MODUS: — 1° Si prior Baptismus certo validus judicatus fuerit, « *sola* recipitur *abjuratio*, seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur. » Ita S. C. S. Officii, die 20 julii 1859[1]. — 2° Si de prioris Baptismi nullitate constet, Baptismus *absolute* confertur, nec ulla sequitur abjuratio, aut absolutio, eo quod Sacramentum regenerationis omnia abluit. — 3° Si Baptismus sit *sub conditione* iterandus, hoc ordine procedendum est: 1) Fiat abjuratio, seu professio fidei coram duobus testibus, juxta formam a Pio IV, et recentius a Pio IX, cum aliquo additamento, praescriptam[2]. 2) Subsequatur Baptismus conditionatus. 3) Impertiatur conditionata censurae absolutio. 4) Peragatur sacramentalis confessio cum absolutione peccatorum pariter conditionata.

Nota. — Qui debent sub conditione baptizari, « *poterunt*, ad majorem functionis ecclesiasticae facilitatem, prius audiri sacramentaliter quoad eorum *culparum accusationem*. Deinde, post collationem baptismatis sub conditione, confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum poenitente iis, de quibus jam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter pariter sub conditione. » (S. OFFIC. 1 Nov. 1875)[3].

1834. — III. Si acatholicus in *articulo mortis* ad fidem catholicam redire voluerit, debet coram duobus testibus professionem Fidei emittere, saltem quoad ea, quae sunt explicite credenda de necessitate medii et praecepti. Atque hic conversionis actus in publico statim instrumento describendus est, ut ita omnes adversariorum cavillationes praecaveantur. — Posthaec rite disponendus est moribundus per actus fidei, spei, charitatis, doloris ac propositi; deinde, peracta confessione, absolvatur ab excommunicatione et a peccatis, ac postremo SS. Viatico et Extrema-Unctione reficiatur[4].

[1] In *Collect. Lacens.* tom. 3. p. 550. — [2] Cf. PONTIF. ROM.; *Acta S. Sed.* Vol. X. p. 72; Schneider, S. J. *Manuale Sacerd.* (ed. 10ª) p. 436. — [3] Haine, III. p. 134. — [4] E. Müller, lib. 3. §. 160; cf. Voit, I. n. 383; Konings, n. 1264. IV.

Digitized by Google

IV. — De scrupulosis. [1]

1835. — Scrupulosi dicuntur, qui, ex inani causa, suspicantur et cum animi perturbatione metuunt peccatum, ubi non est (cf. n. 27). Multa his impendenda est cura. Scrupuli enim mentis tranquillitatem praepediunt, discruciant animum, corpus debilitant, labefactant sanitatem, disturbant agendi alacritatem; quin etiam in desperationem aliquando conjiciunt, vel in ipsam amentiam, innumeraque alia mala important.

Ut igitur confessarius scrupulosis opportunum atque utile moderamen praebere possit, debet attendere ad quatuor: 1° ad *signa*, quibus scrupuli dignoscuntur; — 2° ad *causas*, ex quibus enascuntur; — 3° ad *materiam*, circa quam versantur; — 4° ad certas quasdam *prudentiae regulas*, quarum applicatio in omnes indiscriminatim scrupulosos quadrat.

1836. — I. « Signa conscientiae scrupulosae haec sunt [2]: — 1° Pertinacia judicii, qua scrupulosus sapientum consiliis parere renuit, varios consulit, sed nullius judicio acquiescit; imo, quanto magis plures audit, eo plus perplexus evadit. — 2° Frequens judicii mutatio ex levibus motivis; unde oritur inconstantia in agendo, mentisque perturbatio, praesertim in operationibus externis, puta in celebratione Missae, in Horarum recitatione, aut Sacramentorum administratione, vel perceptione. — 3° Habere reflexiones impertinentes plurium circumstantiarum, quae in actione adfuerint, vel adesse potuerunt. — 4° In omnibus formidare de peccato, et mente haerere contra sapientum, ac etiam proprium judicium; et ideo numquam contentum esse una confessarii assertione, sed saepius eodem actu eumdem exquirere an, in agendo juxta consilium datum, conscientia esse possit immunis a culpa. »

Scrupulosis autem minime accensendus est, qui semper attentissime sibi advigilat, ne in aliqua re, utut parva, Deo displiceat; — nec ille, qui post peccata commissa et cum modica detestatione ac dolore confessa, angitur ideoque confessionem iterare desiderat; — nec ille, qui, subinde, modo fugaci, inani aliqua conscientiae anxietate turbatur.

1837. — II. Causae scrupulorum, aliae sunt intrinsecae, aliae extrinsecae [3]. — Intrinsecae sunt: indoles multum ad anxietatem et timores proclivis, qualis est melancholicorum; infirma capitis valetudo, praesertim in feminis; nimia abstinentia atque immoderatae vigiliae, ex quibus, capite debilitato, mens facile perturbatur; ingenii tarditas, quae de praeceptis Dei et Ecclesiae insulse judicat; occulta superbia, inclinans ad nimiam in proprii judicii fiduciam, etc.

[1] Cf. Ciolli, *Dirett.* n. 80. — [2] L. I. 11. — [3] Ib. 12-13.

Digitized by Google

— Causae vero EXTRINSECAE sunt: 1° Deus, qui permittit, ut anima per transitoriam luminis amissionem scrupulorum tempestate jactetur; et haec quidem eo fine permittit, ut homo commissa peccata vehementius detestetur, et a via mala longius recedat; dein ut in humilitate, in fiducia, in patientia, in obedientia aliisque virtutibus vere progrediatur, atque ita in divino servitio fidelis inveniatur. — 2° Daemon, qui falsis imaginationibus peccatorum, sive commissorum, sive committendorum, animam terret, mentem et corpus perturbat, atque ita in turbido piscatur. Neque istiusmodi piscatio fit inaniter. Nisi enim ejus insidiae declinentur, anima, brevi, incidit in teporem, in acediam, in varias culpas, ac demum in scelera, imo in desperationem [1]. — 3° Consortium cum scrupulosis; directio confessarii scrupulosi; lectio librorum, qui in doctrina morum severitate redundant; et similia.

His autem causis congrua opponenda sunt REMEDIA, qualia sunt: fuga otii, occupationes modicae, recreationes honestae, humilis ac fiduciae plena ad Deum oratio, scrupulosorum devitatio; sed in primis *obedientia* prompta et caeca, sine qua impossibile est ab hoc morbo sanari (cf. n. 28).

1838. — III. MATERIA, circa quam scrupuli versantur, sunt, ut plurimum, ponendae actiones, repellendae pravae cogitationes, et peractae confessiones [2].

1° Scrupulosis, qui *in omni actione se peccare formidant*, injungendum est, ut libere agant, videlicet scrupulos contemnendo, imo et contra eos agendo, quoties peccatum evidens non appareat; ut opera semel facta nunquam iterent, utque in omni dubio semper eligant partem sibi magis benignam. — Quamvis autem, ita agendo, interdum materialiter peccent, non peccabunt tamen formaliter, ratione obedientiae, quam confessario praestare debent, juxta hanc regulam *S. Ignatii:* « Obediendum in omnibus, in quibus peccatum non cernitur » (Recole dicta n. 28 et 693).

2° Scrupulosis, qui *cogitationibus pravis* (contra castitatem, fidem, charitatem) anguntur, et quibus consentire se putant, injungat confessarius, ut istiusmodi cogitationes non curent, eo quod non cogitationes peccata sint, sed consensus; eisque praescribat, ut in confessione ab hujusmodi cogitationibus declarandis prorsus abstineant, nisi jurare possint se certe illis consensum praebuisse (cf. n. 1696). — De caetero, ne ipsum quidem eorum juramentum semper indubitabile foret de praestito consensu argumentum. Etenim, homo valde scrupulosus, potest in tantam mentis perturbationem devenire, ut se paratum exhibeat ad jurandum, quamvis

[1] Cf. *Vera Sposa*, cap. 18. §. 2. — [2] L. I. 15-19.

Digitized by Google

reapse non peccaverit. Sed « a fructibus eorum cognoscetis eos, » i. e. ab operibus, et ab ordinaria eorum agendi ratione.

3° Scrupulosis, qui semper anguntur *de confessionibus peractis*, si confessarius sciat eos sincere omnia exposuisse (vel si confessionem generalem apud prudentem confessarium jam instituerint), absolute imponat, ne amplius de culpis praeteritis cogitent, neque ullam de iis mentionem faciant; nisi illico jurare possint, se certe peccata mortalia commisisse, eaque nunquam in confessione declarasse. — Expedit hujusmodi angustiatis dicere: « Esto omnino quietus, ego omnia in me suscipio; » vel repetere haec verba, quibus *S. Bernardus* scrupulosum quemdam sacerdotem tranquillavit: « Vade, et in fide mea celebres. » — Quod si poenitens post confessionem redeat, dimittatur inauditus, ut vanos timores contemnere discat.

Super his adhuc NOTANDUM est: 1° Scrupulosus, et de praeteritis confessionibus anxius, *interrogari* debet, an sciens aliquod grave peccatum celaverit, an habuerit in animo eadem peccata iterum committere. Si negative respondeat, valida judicanda est confessio. — 2° Scrupulosus potest quandoque ab integritate materiali *excusari*, quoties nempe, ex confessione vel examine conscientiae, ipsi immineret grave corporis aut animae damnum. Et idem dicendum de Horis recitandis, de correctione fraterna facienda, de inquirenda veritate circa restitutiones dubias, et similibus, in quibus novae semper dubitationes ei oriuntur; quia lex non obligat cum tanto incommodo.

1839. — IV. MODUS AGENDI cum scrupulosis, quem prudentia universim suadet, sequentibus exprimitur REGULIS [1]:

1° Confessarius sit plenus charitate ac patientia, et eorum enarrationem, utut fastidiosam, benigne, praesertim primis vicibus, auscultet. Nisi enim angustiati fiduciam sibi conciliaverit, nihil proficiet.

2° In responsis sit promptus absque haesitantia et mutatione; scrupulosi enim trepidatio non aliter excludi poterit.

3° Sit brevis et dictatorius. Scrupoli enim non discursu pelluntur, sed contemptu et obedientia. — Nec facile responsis rationes adjiciat, quia rationes parant hujusmodi poenitentibus laqueum.

4° Doceat tamen veram doctrinam et opiniones benignas, v. g. de attentione in precibus, de integritate confessionis, de Communione in bona fide recepta, etc. — Quae viri sancti de obedientiae securitate ac merito tradiderunt, haec in primis frequenter eis commemoret, scilicet: « Quod omnino tutus incedit, qui sui directoris consiliis acquiescit et obtemperat in omnibus, in quibus peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo, dicenti: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* [2]. »

5° Regulas agendi eis praescribat, non peculiares, sed generales; quia novi casus videntur eis semper a praecedentibus casibus diversi. — Eadem

[1] L. I. 15-19; H. A. I. 8-11; *Prax.* n. 95-98. — [2] L. I. 13.

Digitized by Google

vero *repetere* ipsum non pigeat. Mens enim aegrota non repente, sed paulatim sanatur.

6° Lapsos, haud secus ac caeteros poenitentes, excitet ad contritionem, sed simul ad omnimodam fiduciam; hac enim maxime indigent scrupulosi [1].

V. — De personis a dæmone vexatis.

1840. — Quoniam raro evenit, ut homines a daemone, modo sensibili, vexentur, non est cur in praesenti argumento multum immoremur.

Ante omnia, confessarius praemonendus est, ut in hac materia, aeque a nimia incredulitate et a nimia credulitate recedat. « Confessarius non sit ita incredulus, ait *S. Alphonsus* [2], ut judicet omnes invasiones aut infestationes daemonum esse phantasias, aut corporales infirmitates; quia non negandum, veros obsessos etiam inter christianos reperiri. » Omnia igitur probet juxta ea, quae de divinatione (n. 558 et n. 622. et seqq.) diximus.

Quibus praemissis, satis erit notasse ex *S. Alphonso* sequentia: 1° Aliqui obsessi a malis spiritibus vexantur spectris horribilibus, aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura: insinuetur eis oratio, patientia, et super omnia perfecta cum divina voluntate conformitas. — 2° Qui magis solent confessarios angere, sunt ii qui turpibus visionibus, motibus, ac etiam tactibus, vexantur a daemone... etc. — Curet autem confessarius, ut poenitens subjiciat clavibus Sacramenti tales actus, si forsan in aliquo deficiat, vel propter advertentiam imperfectam, vel propter aliquam deficientiam resistentiae [3].

Remedia sunt: Ut poenitens in tam horribili conflictu perseveranter atque instanter oret, commendando se centies milliesque Deo, gemendo, et misericordiam petendo ad Crucifixi et Deiparae pedes; ut multum ac constanter se applicet ad mortificationem, avertendo diligenter mentem a sensuum voluptatibus et protestando frequenter, se nolle consentire daemonis operationibus. — Orationi deinde ac mortificationi adjungenda est humilitas cum inconcussa fiducia; usus Sacramentorum, sacratissimi signi Crucis, aquae benedictae, privati exorcismi, sanctarum Reliquiarum et libri Evangeliorum [4].

Si quis autem in his tentationibus misere cadit, hujus curatio est valde difficilis. Praescribat ei confessarius modo recensita remedia, et praesertim adhibeat exorcismum, saltem privatum. — Differat eum absolvere et hortetur, ut saepe redeat, nec eum absolvat nisi post longum experimentum; tales enim conversiones raro sunt verae, et rarissime perseverantes [5]. — Plura vide, si lubet, apud S. Alphonsum.

Nota. Advertit Scaramelli [6], exorcismum nihil aut parum prodesse cum personis, quae sunt in statu contemplationis; quia ipse Deus vult earum purgationem per infestationem daemonum.

[1] Cf. Reuter, *Neo-confess.* p. 3. cap. 13. — [2] H. A. tr. ult. n. 50; *Praxis*, n. 110. — [3] H. A. ib. 50, 51; *Prax.* 110-111. — [4] H. A. ibid. 52; *Prax.* 112. — [5] *Praxis*, 53; ib. 113. — [6] *Dir. mystic.* tr. 5. c. 11.

Digitized by Google

VI. — De poenitentibus piis. [1]

1841. — « Opus est multum Deo acceptum, sponsas illi adornare, animas scilicet spirituales excolere, ut in totum se illi donent, tradantque. Acceptior est ejus oculis anima UNA perfecta, quam MILLE imperfectae. — Unde, cum videt confessarius poenitentem vivere immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis et divini amoris introducat [2]. »

Jam vero, ut confessarius spirituali harum animarum utilitati vere consulat, en quas REGIMINIS REGULAS *S. Alphonsus* ipsi praescribit:

1° Ante omnia curet, ut eis grande christianae perfectionis DESIDERIUM injiciat, et firmissimum hanc attingendi perfectionem PROPOSITUM, « illis repraesentando meritum, quod habet Deus ut ametur, et gratitudinem quam debemus Jesu Christo, qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; nec non periculum in quo versantur omnes animae, quae, vocatae a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt [3]. »

2° Curet, ut ORDINATE ac GRADATIM in perfectione progrediantur [4]. — Hinc doceantur: 1° Cavere a minimo defectu deliberato, sive apertis oculis admisso, ita tamen ut, post admissam aliquam levem culpam, non cadant animo, sed actibus humilitatis, doloris et propositi a lapsu resurgant, idque, etiamsi centies in die caderent. — 2° Actiones ordinarias, seu orationes, officia status sui, etc. bene peragere, et rectam in omnibus habere intentionem. — 3° Primum conari ad patientiam, deinde tantum, ad gaudium in adversis. — 4° Ferre levia discant, priusquam appetant gravia. — Neque interea confessarius immemor sit effati Domini, dicentis: « Spiritus, ubi vult spirat, » neque obliviscatur, illud solere accidere, ut etiam animae, magnis Dei donis ditatae solidarumque virtutum fructu abundantes, variis defectibus atque imperfectionibus, Deo ita permittente, infectae conspiciantur.

3° Curet, ut eas in ORATIONIS MENTALIS consuetudinem inducat. — Hinc, tempus sacrosancto huic exercitio impendendum eis constituat, ipse eis meditandas veritates assignet, methodum fructuose meditandi eas edoceat, hujusque methodi rationem subinde, v. g. singulis mensibus, reposcat. — Praeterea, oculatus invigilet, ut nullam diem absque aliqua veritatum consideratione transigant; ut frequenter de Deo nobis semper praesente cogitent; ut crebras, hasque fervidas orationes jaculatorias fundant; utque, quoad ejus fieri possit, singulis diebus aliquid, ex libro spirituali prudenter electo, attente ac pie legant (cf. n. 535).

4° Curet, ut eas christianae MORTIFICATIONIS exercitium efficaciter doceat. « Absolute asserere, ait *S. Alphonsus* [5], mortificationes externas nihil aut parum prodesse, maximus error est. » Director tamen curet, ut non sit nimius in illis concedendis, maxime in primo devotionis aestu; nec generatim concedat nisi requisitus, et concedat minus quam postulatur. — Advigilet autem, ut in negativa potius mortificatione constanter se exerceant: v. g. ut abstineant a curiosis aspiciendis, ut parce loquantur, ut ingratis etiam dapibus contenti sint, ut hyemis tempore ad ignem non accedant, ut imperent suis passioni-

[1] Cf. Mach, *Tesoro del sacerd.* Tr. 13. c. 7. §. 2; Berardi, *Prax. conf.* n. 1136; Meynard, *Traité de la vie int.* I. chap. prélim. n. 9. sqq. — [2] *Praxis*, n. 121. — [3] Ibid. — [4] Cf, Konings, n. 1486. — [5] *Praxis*, n. 145.

Digitized by Google

bus, etc. [1] — Huic porro exercitio, tanquam singulare adminiculum, egregie inserviet *Examen particulare.*

5° Ad SACRAMENTORUM susceptionem quod attinet: 1° Suadeat confessionem generalem iis, qui non sunt scrupulosi, et qui eam nondum peregerunt (cf. n. 1711). — 2° Semel, aut ad summum bis, in hebdomada *confiteantur.* Qui vero in veniale lapsus est et opportuna confitendi occasione caret, non ideo a Communione abstineat, cum venialia aliis etiam remediis remittantur. Imo quidam timorati saepe utilius, propriis actibus, utpote qui tunc ferventiores esse solent, quam confessione, ad Communionem sese disponent. — De *frequenti Communione* recole dicta n. 1575-1582.

1842. — QUAERITUR. *Quomodo confessarius sese gerere debeat cum poenitentibus, qui* IMPERFECTIONES *aut* VENIALIA *tantum afferunt?* [2]

Resp. 1° « Si de *imperfectionibus* confitentur, quae non pertingunt ad culpas certe veniales, dicit Bonacina, eos absolvi posse sub conditione; sed hoc non admittendum censeo, nisi perraro, et cum ipsi non possent materiam certam praeteritae vitae assignare, vel non sine magna molestia. — Caeterum dico, quod si poenitens certam non exhibeat materiam, non debet confessarius in eam perquirere, ut illum absolvat; et casu quo perquisisset, nec invenisset, non tenetur ei conditionatam absolutionem impertire » (cf. n. 1658 et 1663. qu. 5. Reg. 2ª).

2° « Si poenitens de *certis venialibus* confitetur, sed usualibus, sive quotidianis, puta de impatientiis, intemperantiis, distractionibus in Officio, in oratione et similibus, ut absolutio illi praeberi possit, spectandum est, an ipse aliquando sibi, quantum potuit, vim intulerit, ut passionem superaret; quia tunc judicari poterit, ejus culpas potius ex humana fragilitate processisse, quam ex defectu doloris aut propositi. — E converso, si ille frequenter, et sine resistentia, in hujusmodi culpas relapsus sit, tunc cum eo agendum tanquam cum recidivo, » juxta dicta n. 1829; ideoque obtinendum est, vel ut vere doleat de aliquo saltem ex illis peccatis, vel ut exhibeat pro materia aliquod gravius peccatum vitae praeteritae [3], — Recole dicta n. 340 et sqq. [4].

VII. — DE PERSONIS QUAE CONTEMPLATIONIS DONO FRUUNTUR.

1843. — *Praenotanda.* « Quando anima aliqua a Deo contemplationis gratia donatur, oportet ut confessarius optime sciat modum, quo eam dirigere debeat, et ab omnibus illusionibus liberet; alias maximum ille afferet damnum, et quemadmodum ait S. Joan-

[1] *Praxis*, n. 146. — [2] Cf. Ib. n. 99. — [3] H. A. Append. IV. n. 17. *Monita ad confessar.* — [4] Speciatim, quoad directionem *monialium*, cf. Scavini, tom. IV. n. 519; Berardi, *Prax. conf.* n. 1137. sqq.

Digitized by Google

nes a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem. » Haec *S. Alphonsus* [1].

Quamobrem, si quis poenitens ad talem statum sublimatur, necesse est, ut confessarius, rerum mysticarum ignarus, eum ad idoneum moderatorem mittat; vel, si non mittendum esse censeat, ut ipse saltem ad doctos libros ac peritos viros, a quibus edoceri possit, docilis recurrat [2].

Interim, hujusmodi confessario non parum proderit hic adumbratam saltem de supernaturalibus illis statibus NOTIONEM percipere: tali enim notione imbutus, facilius ac securius in studio tam sublimium rerum versabitur.

DEFINITIO. — Contemplatio definitur a Guigone Carthusiano [3]: « Mentis in Deum suspensae elevatio, aeternae dulcedinis gaudia degustans. » — Multum differt a *meditatione:* in hac enim quaeritur Deus labore discursus, et anima operatur actibus suarum potentiarum; in illa autem, sine hujusmodi labore, contemplatur Deum jam inventum: ipse enim Deus tunc operatur, et anima patitur tantum, quoniam ipsa lux et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei sui bonitatem [4].

DIVISIO. — « Contemplatio est vel affirmativa vel negativa. — 1° Est *affirmativa*, quando anima, beneficio lucis divinae sine ulla sua opera cernit aliquam veritatem aut creatam, ut esset infelicitas inferni, felicitas paradisi, etc., aut increatam, ut divinam misericordiam, amorem, potentiam, bonitatem. — 2° Est *negativa*, quando dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere, cum confusa quadam notitia, sed quae ingerit conceptum longe majorem magnitudinis divinae [5]. » Haec est altera perfectior et vocatur a Mysticis *oratio caliginis, clara caligo, sublimis cognitio Dei per ignorantiam, pura contemplatio,* etc.; in ea suspenduntur omnes interiores potentiae animae, et quandoque *sensus* etiam exteriores [6].

1844. — Principia. I. Contemplationem infusam praecedere solent, IN STATU ACTIVO, tum oratio recollectionis naturalis, vel otii contemplativi, tum purgatio animi per ariditatem sensus. — Dicimus *praecedere solent:* « Spiritus enim ubi vult spirat » (Joan. 3, 8); nec desunt exempla animarum, quae ad ultimum contemplationis gradum immediate evectae sunt, quin per gradus anteriores transierint

Porro: 1° ORATIO RECOLLECTIONIS NATURALIS tunc concedi dicitur animae, « quando intellectui opus non est, cum labore, quasi extra animam exire, ad considerandum mysterium aliquod, aut aeternam veritatem; sed avulsus a rebus externis et collectus quasi intra animam ipsam, absque labore, imo cum magna suavitate, attendit illi veritati, aut mysterio, quodcumque sit — *Otium contemplativum* est fere idem, nisi quod in collectione anima attendit alicui devotae cogitationi particulari; in otio vero cum generali quadam notitia Dei sentit se in seipsa collectam, et suaviter Deo attractam [7]. »

2° PURGATIO SPIRITUALIS consistit non solum in ariditate *naturali,* qua animae etiam per viam ordinariam incedentes, multoties laborant, sed in ariditate *supernaturali,* quae est tractus gratiae et lux quaedam afferens poenam et obscuritatem. — Haec duplex est: ariditas scilicet sensûs et ariditas spiritûs:

[1] *Praxis*, n. 126. (item H. A. App. I. §. 2). — [2] Ib. n. 194; *Mon. ad confess.* n. 23. — [3] *Scala Claustralium,* cap. 1. fin. (ap. Migne, *Patrolog.* tom. 184. col. 476). — [4] *Prax.* 126. — [5] Ib. n. 132. — [6] Ib. n. 135. — [7] Ib. n. 127.

Digitized by Google

1) *Ariditas sensus* est molestissima devotionis sensibilis subtractio, per quam anima ducitur ad alienationem quamdam ab omnibus voluptatibus sensibilibus, tam terrenis, quam spiritualibus. Perdurat quousque, purificatis sensibus, anima, ad primos contemplationis gradus apta reddatur [1]. 2) « *Ariditas spiritus*, seu *substantialis*, est quaedam lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihilum agnoscat. » In hoc statu, etsi magis attenta ad Deo placendum, se cernit in quadam terribiliori agonia, credit omnia a se peracta suppliciis digna, seque ipsam Deo odibilem; imo, experitur quandoque mille tentationes, damnatorum poenas, et divinam derelictionem. — Solet Deus per hanc purgationem praeparare animam ad ultimum gradum contemplationis, i. e. ad unionem passivam, n qua habentur extases, raptus, etc. [2].

1845. — II. Gradus contemplationis varii quidem sunt ac multi; inter eos tamen numerantur tres principales, videlicet recollectio supernaturalis, quies, et unio. — Jam vero,

1° Recollectio supernaturalis habetur, « quando collectio potentiarum non evenit operâ ipsius animae, sed beneficio lucis, quam infundit Deus, et per quam excitatur in ea magnus et sensibilis amor divinus. » Ponitur anima, per hanc infusam recollectionem, in statu passivo, in quo « non debet curiosius investigare, quidnam sit interior ea spiritûs recollectio; sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit [3]. »

2° Quies a praecedenti gradu differt in hoc, quod « in recollectione vis amoris divini communicatur immediate *sensibus* externis, quos Deus ipse intra animam facit colligere; sed in quiete amor communicatur immediate spiritui, in ipso animae centro: et amor ipse est ardentior, » et aliquando diffunditur ad ipsos sensus. — Dein, in quiete, « suspenditur quidem voluntas, quae remanet quasi ligata, quia tunc non aliud objectum praeter Deum valet amare, qui eam sibi trahit; sed intellectus et memoria aut phantasia, quandoque remanent liberae, et huc illucque excurrunt. » Nec vero de hoc tristetur anima, sed nec enitatur, ut suas cogitationes colligat; hoc enim frustra tentaret et quietem amitteret: sed eos tantum actus eliciat, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli [4]. — Sequi solet

3° Unio, scilicet *passiva*, qua Deus praebet se videndum animae non modo ut vicinum (sicut in praecedentibus gradibus), sed tanquam *praesentem:* et anima experitur Eum sibi conjunctum per suavem quemdam contactum; unde de veritate illius praesentiae jam nequit dubitare. — Vide S. Alphonsum [5].

1846. — III. Saepe conceduntur cum dono contemplationis quaedam gratiae, ut visiones, locutiones et revelationes, quas a falsis distinguere magni interest. — Jam vero,

1° Visiones (sive externae, sive imaginariae, sive etiam intellectuales) possunt a diabolo causari. — Signa autem probabilia, ex quibus divina earum origo dignoscitur, haec sunt: 1) si sint rarae, subitaneae, transeuntes ad instar fulguris, immobiliter tamen menti infixae; — 2) si ab initio afferant confusionem et terrorem, sed in fine relinquant animam in summa pace et vivida cognitione suae miseriae, cum ingenti desiderio perfectionis. Talia enim, ordinarie, neque a diabolo, neque a natura proveniunt; etsi a diabolo, qui « se

[1] *Praxis*, n. 128. 131. — [2] Ib. n. 129. — [3] Ib. n. 133. — [4] Ib. n. 134-135. — [5] Ib. n. 136-138.

Digitized by Google

transfigurat in angelum lucis, » etiam provenire possint; sed « a fructibus eorum cognoscetis eos, » i. e. daemones et falsos prophetas [1].

2° LOCUTIONES, v. g. ad imponenda opera, ad instruendum, sunt: vel *successivae*, quando quis, meditando, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veluti ac esset persona extranea; vel *formales*, quando anima audit (auribus, imaginativa vel intellectu) aliqua verba formata, sed extra se: vel *substantiales*, quando cito operantur id quod exprimunt: ut v. g. si audiret anima: *Noli timere*, et statim fiat intrepida. — Hae posteriores sunt caeteris omnibus securiores; priores autem sunt valde incertae, et secundae multum suspectae. — Unde, director, si observat ea, quae jubentur, esse christianae prudentiae contraria, debet ea omnino prohibere. Si vero non sint contraria, expedit, ut suspendat executionem, donec major certitudo acquiratur [2].

3° REVELATIONES rerum occultarum aut futurarum, v. g. mysteriorum fidei, status conscientiarum, etc., possunt tripliciter haberi, nempe per *visiones*, per *locutiones* (ut supra), et per *intelligentias nudarum veritatum*. — In his cautissime procedendum est, praesertim quando agitur de certiorando aliquem ob notitiam in revelatione acceptam [3].

Nota. « Quando Deus *loquitur* et *operatur*, oportet ut anima taceat et cesset a suis operationibus; sed quando non loquitur, necesse est ut anima se adjuvet eo modo, quo potest, ad conjungendum se Deo, nempe meditationibus (quando hae sunt necessariae), affectibus, precibus, » etc., sicut in statu activo [4].

1847. — Quaesita. QUAER. 1° *Quale sit* OFFICIUM CONFESSARII *erga animam, quae per vias contemplationis incedit?*

Resp. Duo sunt, in hoc ejus officio, praecipua: 1° Debet eam SERVARE IN HUMILITATE, dum gratiis donatur. Nullus enim contemplationis gradus confert impeccabilitatem; « et propterea, quo magis se videt a Deo hujusmodi gratiis donatam, eo magis debet esse humilis, et ab omnibus alienata, unice diligendo crucem, et vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata, cum assiduo timore, quod suae infidelitates ex eo tempore acerbius punientur, ob majorem, qua committentur, ingratitudinem [5]. » — Ei igitur imponat, « ut fideliter *enarret* omnes communicationes, quas habet in oratione. Nullam tamen eas sciendi gulam demonstret (nec scribere faciat, nisi hoc sit necessarium); nec unquam alii manifestet gratias supernaturales suae poenitenti concessas. » Nec ei ostendat « signum aestimationis, et multo minus mittat alias poenitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem. Potius ostendat minoris eam facere, quam alias animas, quae ambulant per viam fidei; » culpis ejus et defectibus non parcat, etc.; « quoniam animae his favoribus ornatae, regulariter loquendo, semper et multum sunt humiliandae. » — Speciatim, « *quando agitur de gratiis externis*, ut sunt visiones, locutiones et revelationes, regulariter loquendo, tutius est, ut director ostendat se parvi eas

[1] *Praxis*, n. 139-140. — [2] Ib. n. 141. — [3] Ib. n. 142. — [4] Ib. n. 127. v. fin. — [5] Ib. n. 136.

Digitized by Google

facere (quia plures sunt visiones falsae quam verae) [1]; et quo avidius expetuntur et in pretio habebuntur, eo magis persona aberrabit a fide et humilitate, quae est via tutior, quam posuerit Deus. — Quare, det ei consilium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scilicet totalem a rebus terrenis et a semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem nunquam valebit pervenire [2]. »

2° Debet animam CONFORTARE et ADJUVARE, quando haec versatur in dubiis, ariditatibus, et tentationibus, quae in his viis abundare solent. — Ad hunc finem non se ostendat timidum, aut ullo modo haesitantem, sed viriliter eam confortet ad nihil timendum. Dicat ei, omnes illas suggestiones blasphemiarum, incredulitatis, impuritatis et desperationis non esse consensus, sed poenas, quae, si cum resignatione tolerentur, mentem magis magisque Deo conjungunt. « Hortetur eam, ut forti animo sit, et viriliter expectet res magnas a Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis. — Moneat etiam, ut primo humiliet se, utpote dignam ita a Deo tractari, ob anteactae vitae defectus; secundo, ut divinae voluntati se totam resignet, paratissimam se praebendo ad ea omnia perferenda, imo et majora pro omni tempore, quo Deo placuerit; tertio, projiciat se tanquam mortuam in brachia divinae misericordiae, et committat protectioni Mariae SSmae, quae Mater misericordiae et afflictorum consolatrix jure appellatur [3]. »

QUAER. 2° *An debeant* EXPETI *favores divinae contemplationis?*

Resp. Dist. 1° Si agatur de animabus, *quae nondum his favoribus donatae sunt*, tutius est desiderare et expetere tantummodo unionem activam, i. e. perfectam uniformitatem cum divina voluntate: in ipsa enim certe consistit tota perfectio divini amoris; et anima fidelis potest absque dono contemplationis, sed cum solo beneficio gratiae ordinariae pervenire ad annihilationem propriae voluntatis et ad illam trasformandam in Deum [4].

2° Si agatur de illis, *quae jam gratiis extraordinariis* in statu passivo *gavisae sunt*, iterum distinguendum est: 1) Gratiae, quae dicuntur *uniformes fidei*, ut sunt notitiae confusae et generales, et tactus divini, qui uniunt animam Deo, non sunt rejiciendae; ideoque possunt humiliter expeti et desiderari, ut ita unio cum Deo perficiatur divinusque amor nova incrementa capiat. — 2) Gratiae autem, quae *elongant a fide*, quia consistunt in quibusdam notitiis distinctis (ut sunt visiones, locutiones et revelationes) sunt constantissime rejiciendae, « semper tamen in spiritu humilitatis, et sine ullo con-

[1] Cf. ed. XIV. *De Beatif.* L. III. c. 53, n. 17, ubi de falsis revelationibus etiam apud Sanctos. — [2] *Praxis*, n. 144. — [3] Ib. n. 130. — [4] Ib. n. 136.

Digitized by Google

temptu, ut esset expuere, irridere in faciem, etc. (quod non licet, ut plures asserunt); et protestando coram Deo, se velle Ei in pura fide servire [1]. » — Plura vide apud AA. mysticos [2].

§. 2. *De obligatione confessarii erga poenitentes diversos ex conditione externa.*

Poenitentes, qui ob externam conditionem, specialem sibique propriam curam exposcunt, sunt praesertim : — 1° Pueri et adolescentes ; — 2° Sponsi et coniuges ; — 3° Personae spectatae conditionis ; — et 4° denique, aegrotantes et moribundi. — Ad *Moniales* quod attinet, vide dicta n. 1764, 1765, 1736 [3].

I. — De pueris et adolescentibus.

1848. — I. Est optima consuetudo, hancque tenuit S. Carolus Borromaeus, pueros, etiam *sexennes*, ad confessionem accersere, ut ita necessario mox implendae obligationi praeludentes Sacramenti susceptioni paulatim assuefiant. — *Septennes* communi de annua confessione legi subjacent, haud secus ac natu grandiores (cf. n. 194); et optandum est, ut ab hoc deinceps tempore *ter* saltem aut *quater*, unoquoque anno, confessionis beneficio recreentur.

Ut autem confessarius eorum spirituali utilitati vere consulat, sequentibus attendat monitis [4]:

1° Ante confessionem, eos diligenter *edoceat* tum res ad salutem scitu necessarias, tum illa omnia, quae spectant ad hoc Sacramentum digne suscipiendum, scilicet necessitatem et modum examinis conscientiae, necessitatem et motiva contritionis, sinceritatem in confitendo cum exemplis opportunis, necnon gravissimam sigilli sacramentalis obligationem, non confessario tantum, sed omnibus etiam, quibus, per accidens, aliquid ex confessione innotuisset, incumbentem.

2° Huic instructioni subjungat *exercitium practicum* eorum omnium, quae ante confessionem, in ipsa, et post ipsam peragenda sunt. — Parvuli publice in ecclesia ad confessionem admittantur, sed singulis diebus, aut diei partibus, is tantum eorum numerus, qui commode audiri possit; ita nimirum ut nec ipsi, expectando, taedii, nec confessarius, audiendo, properationis periculo exponantur.

3° In ipsa parvulorum confessione confessarius [5] utatur omni, qua potest, charitate ac benignitate, *ne scilicet ex timore aliquid reticeant.* Sinat, imo eos adhortetur ut ipsi primum sua peccata explicent; in quo si deficiant, maxime si videantur timore vel verecundia angi, eos brevibus quaestionibus adjuvet, v. g. an mane et vespere oraverint, an diebus festis Missam audiverint; an fuerint obedientes parentibus et praepositis, etc. — Dein, an

[1] *Praxis*, n. 143. — [2] Cf. Scaramelli, *Direct. mystic.;* Meynard, *Traité de la vie inter.* tom. 2. — [3] Cf. Berardi, *Examen*, n. 347 sqq. — [4] Cf. Konings, n. 1482; Furniss, *Le Missionaire des enfants* (Tournai, 188). — [5] *Prax.* n. 90.

Digitized by Google

tacuerint aliquid peccatum? an turpe quid egerint? Sed hac in materia confessarius debet esse maxime cautus. — Ab interrogationibus generalibus tunc solum deflectat, cum necessitas id revera postulaverit. Quo in casu, *interrogare* poterit parvulum, v. g. an audierit verba mala? an talia dixerit? an male cum aliis pueris jocatus sit? Si fateatur, interrogari poterit, quid fecerit. Interrogari etiam poterit, an nocte sit pavidus, ut ita deprehendatur utrum solus aut cum aliis dormiat, et utrum aliqua interrogatio hac super re addenda sit. — Prodest etiam ut subinde interrogationibus suggestivis, v. g. *Et nunc dic mihi quoties haec fecisti? quinquies, decies?* — Et a responsis ad ulteriora procedatur, sed semper cum maxima prudentia, juxta dicta n. 1806. — Caveat etiam confessarius, ne nimius sit in examinando, ne pueri concipiant horrorem confessionis.

4° Ingerenda sunt parvulis pia *documenta* et *monita;* sunt enim semina, quae si non illico, postea tamen fructum afferent. — Unde, sicut *laudandi* sunt, si laudabiliter se gesserunt, ut in recta vivendi ratione confirmentur; ita, e contrario, si male se gesserint, debet confessarius eos suaviter *a peccato deterrere:* v. g. dicendo, peccatum reddere animam foedam ad instar diaboli, recte autem gesta efficere, ut parvuli fiant Angelis similes; Deum esse ubique praesentem et contueri omnia; eumdem velle aeterno praemio coronare bonos, malos vero castigaturum esse suppliciis aeternis; Deum mandare, ut peccata angue pejus horreamus, ut obedientia praestetur parentibus, ut mali socii vitentur, etc. — Quod si pueri conscientia deprehensa fuerit erronea, corrigatur, ne ipse in posterum ex tali conscientia peccet.

5° Parvulis multum subveniendum est *in eliciendo actu doloris.* Ad hunc finem confessarius sequentibus verbis uti poterit: « Diligisne Deum, qui est Dominus tuus tam magnus et bonus, qui te creavit, pro te mortuus est, etc.? Hunc Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult, et tu spera quod, propter sanguinem Jesu Christi Filii sui, tibi ignoscat. Sed oportet poenitere. Quid dicis? Poenitet te nunc eum offendisse, etc. Istis injuriis, quas Deo irrogasti, scis quod infernum meruisti? Displicet tibi quod ipsas commisisti?.. Deus meus, nolo amplius te offendere, etc. [1]. »

6° Poenitentiam parvulis nonnisi *levem* imponat. — Ipsis devotionem erga Virginem Deiparam magnopere commendet, et sacrosanctam atque utilissimam consuetudinem recitandi ter *Ave Maria* mane et vespere, cum illa vel simili invocatione: *Mater mea, libera me a peccato mortali* [2] — Utrum concedenda sit, necne, absolutio pueris; utrum absolute, an conditionate, v. n. 1663. qu. 5. Reg. 2ª.

7° Post confessionem demum curandum est, ut ipsi, per aliquod breve tempus, *gratiis Deo agendis* vacent, ac *poenitentiam* persolvant, separate tamen a sociis, qui confessionem necdum absolverunt.

NB. Quoad PRIMAM COMMUNIONEM, vide dicta n. 1573-1574.

1849. — II. ADOLESCENTES utriusque sexus, qui jam ad S. Communionem sunt admissi, specialem sibi pariter curam exposcunt. His confessarius oculatissimus advigilare debet, ut a saeculi corruptela carnisque illecebris immunes praeserventur. — Ad hunc autem finem nihil efficacius excogitari potest, quam *frequens* Sacramentorum susceptio.

[1] *Praxis*, n. 91. — [2] Ibid. fin; cf. Mach, *Tesoro del Sacerd.* tr. XII. c. 1. art. 3. §. 3.

Digitized by Google

1° In audiendis eorum confessionibus videat, — *an et quibus periculis* fides et mores eorum exponantur; — quibuscum sociis consuetudinem foveant; quibus quasi illiciis peccato exponantur aut expositi fuerint, an cogitationibus, an sermonibus, an cantilenis, an aspectibus, an libris pravis, an consuetudine cum aliis; — qualia fuerint prima eorum peccata mortalia, malitiae an infirmitatis.

2° Hortetur ad *sinceritatem*, eosque inducat ad tentationes fideliter aperiendas, ne opportunis destituti mediis succumbant. — Eos maxime doceat necessitatem orandi, et fugiendi pericula peccati. — Generatim, sit potior in *docendo* et *monendo*, quam in interrogando. Abstineat vero a quocumque etiam verbulo, quod ab aliis audiri nollet [1].

3° « Circa STATUM ab aliquo adolescente *eligendum*, non audeat confessarius illum ei determinare; sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum, ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari [2] » (cf. n. 2142. q. 2). « Quoad *puellas* vero, quae virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitae spiritualis regulis, et praecipue in oratione exercitatas. Sub initio eis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius [3]. » Quod ad statum *matrimonii* attinet vide n. 1851. 1951.

4° Circa STATUM RELIGIOSUM in particulari, caute se gerat director: 1) ne quem facile ad eum suscipiendum inducat, nisi verae vocationis indicia sese manifestent; timendum enim foret (et maxime in puellis) periculum inconstantiae, si vividiores adhortationes aut blanditiae ad capiendum tale vitae genus induxissent; 2) ne longam moram atque impedimenta inferat illis adolescentibus, qui statum religiosum cum recto fine amplecti cupiunt; minor enim requiritur probatio pro vocatione ad Religionem, quam pro vocatione ad munus sacerdotale exercendum in saeculo, ut advertit S. Alphonsus [4]. — Vide dicenda n. 2142, *de vocatione*.

II. — De sponsis et conjugibus.

1850. — I. Sponsi generatim monendi sunt, ut matrimonium quantocius celebrent; sic enim plurima impediuntur peccata. — Recole dicta n. 826 et sqq., quibus adde sequentia [5]:

1° Videat in primis confessarius, an aliquod adsit impedimentum, sive prohibens, sive dirimens, ecclesiasticum aut civile, ut opportune removeatur. Vide n. 1984 sqq. et n. 2041 sqq.

2° Omni zelo atque industria utatur, ut sponsi hoc magnum Sacramentum, purificati per sanctam confessionem, fructuose recipiant. — Re incassum peracta, dimittat indispositos sine absolutione, quin tamen petentibus, si revera confessi sint, schedulam peractae confessionis abneget. Dubie dispositos absolvat sub conditione, ut supra n. 1663. q. 4° et 5° dictum est. — Porro in utroque casu, eos graviter admoneat, ut se, per contritionem perfectam, ad matrimonium digne ineundum praeparent, utque brevi ad confitendum revertantur, omissa ad praecavendum majus peccatum omni mentione de sacrilegio, quo se coin-

[1] Cf. Konings, n. 1483. — [2] *Praxis*, n. 92. — [3] Ib. 93. — [4] Ib.; cf. Ciolli, *Direttorio*, n. 89-91; Mach, op. cit. tr. XIII. c. 7. app. — [5] De Sponsis optime disserit Ciolli, loc. cit. n. 94-96.

Digitized by Google

quinant indigne contrahentes, nisi forte ex hujusmodi monitione certus fructus sperari posset [1].

3° Eos moneat de gravissimo matrimonii fine, et de conjugum parentumque obligationibus (cf. n. 699 sqq. et n. 703). — Loquens vero de iis, quae ad *matrimonii usum* spectant, maxima utatur prudentia. « Sponsae enim innocentes, quae copulam forte ignorant, non ante matrimonium a sacerdote instruendae sunt; sed si quid interrogent, ad matres suas prius remittendae. Id praesertim valet pro sponsis honestioris conditionis, quae a matribus pridie matrimonii edoceri solent. Si matrem non habeant, aliquam prudentem et piam matronam illis indicet parochus vel confessarius, a qua ea omnia ediscant quae conjuges rescire convenit [2]. » — Quod si sponsi jam corrupti fuerint, vel rem turpem nequaquam ignoraverint, eos confessarius edoceat, breviter tamen et castissimis verbis, ut exponitur in regula sequenti.

1851. — II. « Conjuges edoceantur non omnia licere conjugatis, sed sanctitatem matrimonii posse gravibus peccatis foedari. — Quocirca tradantur *utrique* sequentes generales regulae: 1° Ea omnia licita esse conjugibus, quae ad prolis generationem, seu ad legitimum conjugii usum, ordinantur. — 2° A lethali culpa eos esse immunes, si consulto nihil agant, quo magno periculo sese exponunt vel semen perdendi ex parte alterutrius, vel concepto foetui nocendi. — 3° De caetero, si deinceps de aliqua re dubitent, a confessario petendum esse consilium.

« Praeterea, *singuli* edoceantur: 1° Maritus, ut debitum non petat iis temporibus, quibus copula uxori graviter noxia esse potest, v. g. tempore purgationis, vel gravis morbi. — 2° Uxor, se sub gravi peccato teneri viro obedire in reddendo debito, nisi ex justa causa excusetur, v. g. ob infirmitatem [3]. »

1852. — *Notetur:* « 1° Praemissa instructio, quae, *per se*, parocho incumbit, tradatur vel *pridie* matrimonii contrahendi, vel *paulo post* contractum, prout expedire visum fuerit; vel quoties juniores conjuges hac de re doceri a confessario petunt, aut advertuntur ejusmodi instructione indigere.

2° « Instructio conjugum de servandis *in casu abortus*, quantum ad Baptismum foetûs abortivi, omnino spectat ad parochum; attamen, data occasione, nempe quando confessarius advertit conjuges ea ignorare, vel officio suo hac in re defuisse, ipse eos docere non negligat. — Idem dicendum de iis, quae conjuges vitare debent, ut caveant ab abortu.

3° « Non omittat confessarius uxores juniores, quibus conveniat, *monere*, ut secum in lecto non sumant infantem nondum anniculum, neque pueros aut puellas jam sexennes; ac multo magis, ut ejusmodi pueros utriusque sexus condormire non sinant in eodem lecto [4]. »

Quaeritur. *Quomodo procedendum cum conjugibus, qui versantur in* occasione proxima *peccati propter abusum matrimonii contra na-*

[1] Cf. Müller, lib. III. §. 163. — [2] Aertnys, *Fascicul. Theol. mor.* n. 40. q. 2. — [3] Ibid. — [4] Ibid.

Digitized by Google

turam, v. g. si alter alterum directe polluit, si consentire solet onanismo, sodomiae, propriae pollutioni, etc.?

Resp. Tractandi sunt sicut habituati vel recidivi in occasione *necessaria*. Quod si, remediis adhibitis, semper eodem modo relabantur, absque probabili spe emendationis, nullomodo absolvendi sunt, nisi occasionem removerint, juxta dicta n. 1825. qu. 2°. — Quin etiam, hoc in casu, conjux, qui versatur in proximo peccandi periculo ob sollicitationem consortis, tenetur facere *divortium*, si aliud remedium non supersit [1], ut in Tractatu *de Matrimonio* videbitur (n. 2124. 2°).

III. — De personis spectatæ conditionis.

1853. — Monet S. Alphonsus [2]: « Cum personis hujusmodi (*i. e. cum principibus, magistratibus, praelatis, parochis, sacerdotibus*, etc.), licet adhiberi debeant correctiones verbis lenioribus et discretioribus; majori tamen animi fortitudine et calore fiat, cum ex istorum peccatis, propter gravius damnum, quod suo malo exemplo aliis afferri potest, perniciosior flagitiorum consequens esse soleat licentia. » (cf. n. 1810, Reg. 3ª).

Vide *Praxim Confessarii* n. 48 et sqq., quoad interrogationes faciendas illis, qui sunt conscientiae parum meticulosae. — Vide etiam quae exponuntur in 4ª Parte *De statibus particularibus* [3].

IV. De infirmis et moribundis.

1854. — « Non adest charitatis opus magis Deo acceptum, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitae periculo positos ad sancte moriendum adjuvare; nam tempore mortis, a qua uniuscujusque aeterna vita pendet, inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores [4]. »

Duplicis autem generis sunt infirmi periculose decumbentes: alii usu rationis et sensibus fruuntur, alii sunt sensibus destituti. — Quoad *reos capite damnatos*, videsis apud S. Alphonsum [5] (cf. n. 2300 et 2311. 2°).

I. Quod attinet ad infirmos ratione et sensibus utentes, monet Rituale: « Accedat (confessarius) ad aegrotum ita paratus ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac praesertim Sanctorum exempla, quae plurimum valent; quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. »

[1] Aertnys, ibid. n. 40. qu. 3. — [2] H. A. XXI. 4; cf. S. Thom. 1. 2. q. 73. a. 10. — [3] Cf. Ciolli, n. 100-104; Berardi, *Prax. Conf.* n. 1138, quoad sacerdotes. — [4] *Praxis*, n. 227; cf. Mach, op. cit. Tr. XII. cap. 2. — [5] Ib. 108-109.

Digitized by Google

Porro, multis aliis, quae Rituale *de visitatione et cura infirmorum* tradit, et quae fideliter observanda sunt, juvat nonnulla ex S. Alphonsi scriptis [1], excerpta addere, nempe sequentia:

1° Infirmi cubiculum ingressus, confessarius amice decumbentem alloquatur, inquirendo, quomodo se habeat; et adhortatus, ut Dei voluntati se conformet, sermonem sensim ad instituendam confessionem transferat. — In prima tamen visitatione, nisi necessitas urgeat, de ea, generatim, sileat; sed posteaquam, in secunda vel tertia visitatione, de ea loqui coeperit, ipsique instituendae diem horamque assignaverit, solerter curet, ut aegrotus eam sine procrastinatione peragat, praesertim si morbus sit talis naturae, ut delirium facile supervenire posset. — Vide etiam n. 2332.

2° Si aegrotus sit homo *scandalosus*, v. g. vivens in concubinatu vel in matrimonio mere civili, pravorum librorum auctor, notorie excommunicatus, etc., communiter audiri non debet, nisi prius emendationem et debitam satisfactionem promiserit; nam timendum est ne, incepta jam confessione, obedire detrectet; ex quo facile evenire posset, ut confessarius, sigillo sacramentali obstrictus, ultima Sacramenta ei indigno ministrare cogeretur. — Circumstantiae tamen aliud suadere possunt, v. g. si mors immineat, et immediata confessio jam significet scandali reparationem.

3° Ad ipsam *confessionem* quod attinet, eam ita diligenter peragendam curet, ut nihil eorum, quae ad integritatem et ad contritionem requiruntur, praetermittatur, et ita moderate, ut poenitens nec molestia afficiatur nec nimia mentis applicatione defatigetur. — Quod si imminens mortis periculum, aut ipsius morbi gravitas, aut aliae graves rationes id suadeant, confessarius minus integritatem materialem urgeat, sed praemissa admonitione, ut poenitens suam confessionem postea, si convaluerit, compleat, multum et quasi unice ejus animi dispositionibus advigilet [2].

4° Si aegroto inservientes *non possunt recedere*, confessarius hunc admoneat, ut unum saltem peccatum, hocque leve, declaret; quo declarato, paucis eum incitet ad dolorem de omnibus, quae commisit, peccatis, ac dein absolutionem ei impertiatur. — Si quis demum nullum speciale peccatum confiteri posset, v. g. quia loquela est destitutus, sed dat poenitentiae signa, et ostendit se velle absolutionem, etiam absolvendus est; absolute, si nulla de ejus dispositione prudens dubitatio subest; secus, conditionate (cf. n. 1663. q. 5).

5° Poenitentiam *levem*, imo quandoque *levissimam* imponat, ut invocationem SS. Nominum Jesu et Mariae Virginis; sed adjiciat, ut vult Rituale, huic poenitentiae aliam magis proportionatam pro tempore, quo infirmus convaluerit. Satis autem erit, ait *S. Alphonsus*, ei injungere, ut redeat tempore sanitatis; vel, ut satisfaciat per eleemosynas, si possit (cf. n. 1720. 2).

6° Si occasio commoda videatur, « hortetur infirmum, ut de suis domesticis rebus *opportune disponat:* id enim expedit pro familiae pace, et eo magis, si opus sit pro suae conscientiae levamine. — In hoc tamen sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam lucri notam (aut in propinquorum odium) incidat [3]. »

7° Praemuniendus est infirmus *contra tentationes* [4]. Si tentatur contra FIDEM, adhortandus est, ut actus fidei absque ullo examine eliciat; ut statim ac tentatio irruerit, ad preces recurrat cogitationemque ad alia divertat; pauois

[1] *Praxis*, 231 et sqq. (cf. Scavini lib. IV. app. VII). — [2] Ib. n. 105. — [3] Ib. n. 233. — [4] Ib. n. 237. sqq.

Digitized by Google

etiam, si tentatio multum urgere perseverat, credibilitatis motiva ipsi exponat, et curet, ut tentatus, propriis suis atque aliorum precibus, gratiam resistendi et perseverandi consequatur. — Si contra SPEM tentatur (et haec quidem tentatio est frequentissima), exponat ei confessarius rationes, cur sperare debeamus; oret pro eo, et raro, ipso audiente, de rebus, quae terrorem injiciunt, sermonem habeat. — Advigilet etiam, ut ab eo arceantur tentationes vanae gloriae, impatientiae, nimiae aversionis a morte, nimii amoris erga parentes et bona temporalia, sicut et tentationes odii et vindictae.

8° Suggerat confessarius aegroto, sed paucis verbis et tantum per intervalla, *actus virtutum*, quibus christiani ad sanctam mortem sese disponere debent, actus scilicet fidei, spei, charitatis, contritionis, conformitatis cum voluntate divina, et acceptationis mortis. — Nec omittat ei subinde porrigere imaginem Crucifixi, aliasque sanctas imagines, ut illas exosculetur.

9° Curet demum sacerdos, ut aegrotus omnes, quas potest, *Indulgentias* lucretur; praesertim autem Indulgentiam plenariam in articulo mortis, quam sibi annexam habet benedictio Apostolica. — Hinc eum admoneat, ut contritus SS. Nomina Jesu et Mariae, semel vel saepius (ore, si potuerit; sin autem, corde) imploret [1] (cf. n. 1741).

10° Cum aegrotus jam *in ultimis versatur*, curandum est, ut personae, quarum praesentia aliquid periculi moribundo afferri possit, ab ejus cubiculo removeantur [2]. — Sacerdos vero frequenter eum aqua benedicta aspergat, frequenter eum signo crucis muniat, et frequenter res sacras ei osculando porrigat. — Multas preces fundat simul cum adstantibus, nec consuetas Ecclesiae orationes recitare omittat.

11° Candelam benedictam ei tradat, ut ipsam tenens se in Fide mori profiteatur. — Illum autem nullo corporis attactu turbet, nec aliquid faciat, quo mors accelerari possit. — Quamdiu cum morte colluctatio perdurat, iteret sanctos actus, hosque multiplicet et alta voce proferat, ut ita a moribundo audiri possint [3].

12° SIGNA mortis imminentis vide apud *S. Alphonsum* [4].

1855. — II. Cum moribundis SENSU DESTITUTIS observentur sequentia:

1° Absolvendi sunt, tutius tamen sub conditione, omnes moribundi sensibus destituti, qui ante sensuum privationem expresse *confessionis desiderium* ostenderunt, v. g. jubendo advocari sacerdotem. — Ratio est, quia confessio, in casu, satis sensibiliter innotescit confessario per testimonium alterius, et est veluti confessio per interpretem. Constat ex Rituali Romano *de Sacr. Poenit.*

2° Absolvendi sunt sub conditione moribundi omnes, sensibus omnino destituti, qui *christiane vixerunt*, etsi nullo signo, nec dolorem de suis peccatis, nec desiderium confessionis manifestaverint. Ratio est, quia in istis praesumi potest dolor et desiderium absolutionis per signa sensibilia, v. g. per suspiria, motus corporis, anxiam respirationem manifestata, licet haec a confessario non percipiantur [5].

[1] *Praxis*, n. 276. — [2] Ib. 236. — [3] Ib. 276. — [4] Ib. 280-283; cf. etiam Capellmann, *Medicina past. De Agonia* — [5] L. VI. 482.

Digitized by Google

3° Ob eamdem rationem, absolvendi sunt sub conditione, alii moribundi sensibus destituti, qui *parum christiane* vixerunt. Imo, satis probabiliter, conditionate absolvendus est moribundus *catholicus*, qui in ipso actu peccati sensibus destitutus est, v. g. in duello, adulterio, furto; item, liberi cogitatores, massonici, apostatae, etc. — Nec obstat, quod attritio et confessio in istis valde dubiae sint; quia, in casu extremae necessitatis, etiam in Sacramentorum administratione licet uti probabilitate tenui, et parum fundata [1].

4° Sub conditione, similiter, absolvi possunt illi, qui licet catholicam fidem nunquam professi sint, *proclivem* tamen in eam voluntatem ostenderunt; dummodo in suis sectis fuerint jam baptizati (at in dubio de valore hujus Baptismi, post Baptismum sub conditione iteratum); est enim ratio quaedam conjiciendi eos velle in Ecclesiae communione vita fungi [2]. — Si vero *haeretici* hujus voluntatis *nullum dederint indicium*, non sunt absolvendi etiamsi dent doloris signa; quia tales numquam prudenter praesumi valent ea signa praebere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent [3].

Resolves pro praxi: 1° Moribundus catholicus, vel non certe haereticus (etsi forsan ignotus), in omni casu, quo non *evidenter* constat, eum esse jam mortuum, vel actu esse prorsus indispositum, vel recusare Sacramenta, sive absolute, sive conditionate (pro ejusdem conditione) absolvendus est.

2° Actus tamen contritionis, breviter et alta voce, ipsi suggeratur, si nulla vel dubia poenitentiae signa dederit. Medicis enim testantibus, « auditus plerumque usque ad extremum tempus persistit, nec raro, reliquis sensibus jam plane extinctis, adhuc remanet [4]. »

QUAERITUR. *Quoties moribundo renovanda sit* ABSOLUTIO?

Resp. 1° Si rite jam confessus *sensibus adhuc viget*, pluries ei renovanda est absolutio; ita tamen ut, antequam de novo impertiatur, novum doloris et confessionis aliquale signum manifestetur. Sic enim redditur infirmus de statu gratia securior, vel certe gratia sanctificans augetur, et Purgatorii poenae minuuntur.

Resp. 2° Si moribundus (item confessus) jam *sensibus sit destitutus*, nullumque doloris signum manifestet, non expedit ipsi frequenter intra eumdem diem, i. e. non saepius quam singulis ternis vel quaternis horis absolutionem impertire; gravis enim et urgens causa, (ob quam solam Sacramentum sub conditione administrari potest) hic, per se, non adest, cur absolutionis verba frequentius iteranda sint. — Diximus *per se;* nam, in moribundum pravis cogitationibus assuefactum, aut aliqua odii, impurive amoris passione

[1] L. VI. 483. — [2] Konings, n. 1371. — [3] L. VI. 483. fin. — [4] Capellmann, loc. cit.

Digitized by Google

irretitum, aut morbi molestiarum multum impatientem, vel etiam jam moriturum, saepius iterari poterunt. « Non abs re erit, addit *S. Alphonsus*, aegrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quaerit, aut dum sacerdos ipsi conferre vult, v. g. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet, et similia[1]. »

Resp. 3° Si demum moribundus ita fuerit sensibus destitutus, ut nec *confiteri*, nec *contritionem* unquam exprimere potuerit; multo saepius absolvendus est, saltem sub conditione; quia fieri potest, ut ipse occultis tentationibus succumbat, et maxime, quia fieri potest, ut infinita Dei misericordia ei gratiam compunctionis, qua antea carebat, in lucido intervallo, clementer concedat[2].

NB. Recole dicta, n. 929. II. 1282 et 1777.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARII POST CONFESSIONEM EXCEPTAM

Obligatio confessarii post exceptas confessiones est duplex: — altera, haecque per accidens, versatur in corrigendis commissis erroribus; — altera, in servando sacramentali sigillo.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE CORRIGENDI ERRORES COMMISSOS

Errores qui confessario exciderunt, possunt versari: 1° circa *valorem Sacramenti*, v. g. si non absolverit, vel si absolverit sine jurisdictione; — 2° circa *integritatem confessionis*, v. g. si dubitet an faciendas interrogationes omiserit; — 3° circa *obligationes poenitentis*, puta si eum reliquerit in occasione peccati, si eum ad debitam restitutionem non obligaverit, vel obligaverit ad indebitam. — Quocirca statuuntur sequentia

1856. — Principia. I. Error circa VALOREM SACRAMENTI, commissus cum gravi confessarii CULPA, et cum gravi poenitentis DAMNO, reparandus est a confessario, etiam cum GRAVI suo incommodo. — Ratio est, quia licet confessarius ex sola charitate onus audiendi poenitentis confessionem in se susceperit, attamen, postquam eam

[1] *Praxis*, n. 276. 11°. — [2] De infirmis et moribundis; cf. Van Egeren (fascic. 13), *Confessar. moribundorum;* Berardi, *Prax. Conf.* n. 762 sqq.

Digitized by Google

audivit, tenetur ex officio, et ex quasi-contractu, Sacramentum ipsi rite ministrare. Unde si invalide ministret, est injustus damnificator [1].

Dictum est 1° *cum gravi culpa;* quia ex levi culpa non oritur gravis obligatio reparandi damnum (cf. n. 950. qu. 1° et 3°. — Excipe: 1° Si confessarius sit parochus; hic enim ex alio titulo, i. e. ratione accepti stipendii, tenetur avertere spirituale subditorum damnum; — 2° si poenitens esset in gravi periculo moriendi in statu peccati mortalis, i. e. si versaretur in articulo mortis, vel in probabili periculo non amplius confitendi; tunc enim urget obligatio charitatis.

Dictum est 2° *cum gravi damno* scilicet perseverante, quod reparatione indigeat. — Unde, si poenitens apud alium sacerdotem postea confessus est, vel si Eucharistiam aut Extremam Unctionem suscepit, non est necessario monendus de errore, cum jam moraliter certo justificatus supponatur.

1857. — II. Error circa INTEGRITATEM CONFESSIONIS est diverso modo reparandus, prout nempe confessarius NEGATIVE vel POSITIVE se habuit. — Etenim:

1° Si NEGATIVE se habuit, sive ex oblivione, sive etiam ex culpabili negligentia, v. g. non interrogando (cum debuisset) de specie et numero peccatorum: non tenetur errorem reparare extra confessionem. — Et idem dicendum, si *poenitentiam* imponere vel salutaria *monita* et *remedia* tradere omisit. — Ratio est, quia obligatio procurandi integritatem Sacramenti directe afficit poenitentem, non confessarium, qui proinde non censetur causa efficax omissionis, nec eam reparare tenetur, nisi *per accidens*, in alia confessione, ut medicus spiritualis et minister Sacramenti [2].

2° Si POSITIVE, et cum culpa gravi, erravit, v. g. inducendo poenitentem, ne explicaret aliter numerum aut species peccatorum: tenetur, cum praevia poenitentis licentia, errorem reparare, etiam extra confessionem; nam, ex jure naturali, quisque debet tollere causam mali, quam positive ac voluntarie posuit (cf. n. 513). — Hoc tamen intellige, modo sine gravi suo damno et scandalo id possit; sicut enim grave damnum poenitentem, ita et confessarium ab integritate confessionis excusat [3].

1858. — III. Error circa OBLIGATIONES POENITENTIS, vergens in ipsius vel in tertii damnum, a confessario, etiam cum gravi suo incommodo, reparandus est, si poenitentem POSITIVE et cum GRAVI culpa in errorem induxit. Secus vero, si eum induxit cum nulla

[1] L. VI. 619; H. A. XVI. 121; *1 Elench. qq. ref.* n. 85. — [2] L. VI. 620. — [3] Ibid.

Digitized by Google

culpa, vel cum culpa tantum levi, aut si negative sese habuit. — Ratio prioris asserti, quia suo consilio vel doctrina, revera, exstitit injusta et efficax causa damni (cf. n. 980 et 981). — Quoad posterius, si poenitentem, *positive* quidem, sed *inculpabiliter*, vel cum *levi* culpa, in errorem damnosum traxit: tenetur (ut ille qui ignem domui alienae inculpabiliter admovit) impedire damnum cum aliquo suo incommodo, sed non cum incommodo gravi. — Atque idem dicendum, si confessarius, non interrogatus, se *negative* habuit; in hoc enim casu, non potest dici causa efficax damni, et ideo non tenetur ex justitia, et cum gravi incommodo, ad reparandum damnum; tenetur tamen ex charitate, et cum *aliquo* suo incommodo, quod sit nempe gravitati illati damni, et suae negligentiae seu culpae proportionatum, ut constat ex dictis n. 989 [1].

Ex his infertur: Confessarius quandoque tenetur ad faciendam RESTITUTIONEM loco poenitentis, videlicet in duobus sequentibus casibus;

1° Si eum *positive*, et cum *gravi* sua culpa, ab obligatione restitutionis exemit, et postea errorem a se commissum vel nunquam, vel serius revocavit, tempore nempe quo poenitenti, quia antea restituere potuisset ac voluisset, jam deerat restituendi facultas aut voluntas.

2° Si eum inculpabiliter quidem, vel sine gravi culpa, *positive* a restitutione exemit, et postea, cum eum de errore monere potuisset et commode potuisset, *ex gravi negligentia* non admonuit. — Atque idem tenendum, si confessarius *culpabiliter* poenitentem obligavit ad solvendum quod non debebat, isque jam solvit; tunc enim, ob easdem rationes, ejus damnum resarcire tenetur [2].

1859. — Quaesita. QUAER. 1° *An confessarius possit, sine poenitentis licentia,* EXTRA CONFESSIONEM, *cum eo loqui de defectu commisso in confessione?*

Resp. Dist. 1° Si judicium completum sit per *absolutionis collationem*, non potest, sine ejus licentia, de errore loqui; quia talis admonitio esset exprobratio peccati, quae confessionem odiosam redderet. — 2° Si confessarius *non absolverit*, vel quia oblitus fuerit absolutionem dare, vel quia eam male protulerit, potest poenitentem *de hoc defectu*, etiam extra confessionem, admonere, quia nulla tunc intervenit peccati exprobratio [3].

QUAER. 2° *An debeat confessarius, si idem poenitens ad confessionem* REDEAT, *eum* ADMONERE *de defectu commisso in praecedenti confessione?*

Resp. Affirm. cum incommodo levi vel gravi, juxta supra stabilita principia; tunc enim confessarius debet iterum, ex officio, poenitentem interrogare et docere, et proinde errores a se commissos corrigere.

[1] L. VI. 621; H. A. XVI. 122. — [2] Cf. L. III. 564 et 994. — [3] L. VI. 622; H. A. Ib. 124.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE SERVANDI SIGILLUM SACRAMENTALE

1860. — SIGILLUM SACRAMENTALE, seu confessionis, inducit obligationem tacendi, etiam coram ipso poenitente, tum peccata, tum alia omnia in confessione manifestata, in ordine ad absolutionem. [1].

Principia. I. Datur strictissima OBLIGATIO inviolabiliter servandi sigillum confessionis. — Constat 1° Ex *jure naturali*, quod illud servandum jubet tum titulo fidelitatis, tum titulo justitiae, tum titulo religionis: quo fit, ut illius violatio, triplex peccatum in se includat; peccatum scilicet *sacrilegii* contra Sacramentum, peccatum *infidelitatis* contra onerosam, licet tacitam, promissionem secreti servandi, et peccatum *detractionis*, si poenitentis delicta non fuerunt publica. — 2° Ex *jure divino positivo* saltem implicito; nam ex institutione Christi confessio debet esse secreta: ergo eo ipso a Christo imposita est confessariis obligatio sigilli servandi. — 3° Ex *jure ecclesiastico*, ut patet ex pluribus Juris canonici locis, praesertim ex Concilio Lateranensi IV c. 31. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur: « Caveat autem omnino (confessarius), ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed, si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat. » — Non omnem tamen inanem suspicionem tenetur confessarius hac in re evitare, sed tantum probabilem [2].

Diximus *strictissima obligatio;* et re quidem vera: 1° Est strictissima, quia non admittit *parvitatem materiae*, propterea quod materia, etiam levissima, totam praecepti rationem includit. Excipe, si revelationis periculum sit parum probabile; quo in casu, si revelatio sequeretur, censenda esset sequi ex casu fortuito — 2° Est strictissima, quia nullam unquam admittit *exceptionem;* nam, si ullam unquam admitteret, semper poenitentibus timendum esset, ne tale peccatum foret illa causa frangendi licite sigillum: proinde Sacramentum redderetur odiosum. Unde sigilli obligatio urget, licet, eo remanente inviolato, majus damnum poenitenti sequatur (ita ex decreto S. Officii edito die 18 nov. 1682, de mandato Innocentii XI); licet manifestatio ad gubernationem exteriorem deserviret, quin ullo modo poenitens advertat (ita ex decreto Clementis VIII, edito 26 maji 1593); licet agatur de unius venialis

[1] H. A. XVI. 147. — [2] L. VI. 635. 661; Gury, II. n. 647.

Digitized by Google

revelatione; licet aliter confessio fieri non possit integra (v. g. si nequeat poenitens interrogari, quin vox attollatur); licet agatur de vitanda morte propria vel aliorum, imo licet periclitaretur totius regni salus [1]. — 3° Est strictissima, quia vetat uti, in hac materia, *opinione probabili:* hoc enim esset in praejudicium juris certi, quod alter possidet, etc. Quare, confessarius ad sigillum tenetur, etiam in dubio an aliquid dictum sit a poenitente in ordine ad confessionem [2]. — 4° Est strictissima, quia vigere perseverat etiam *post mortem poenitentis;* nam quilibet, etiam post mortem, vult bonus haberi [3]. Si quis vero *doceret* vel *crederet* hoc sigillum non graviter obligare, esset DENUNTIANDUS, ut de haeresi suspectus [4].

1861. — II. Obligatio sigilli oritur ex OMNI et SOLA confessione SACRAMENTALI, quae nempe fiat cum animo se accusandi et absolutionem obtinendi; quia haec, atque haec sola, includit rationem praecepti. — Dicitur 1° ex *omni* confessione sacramentali; sive jam completa, sive inchoata, valida aut invalida et sacrilega; sive detur absolutio, sive non. — 2° *Ex sola* confessione sacramentali; quare non datur obligatio sigilli, si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, ab eo aliquid extorquendi. — Si quis vero ad eum accedat non eo fine, ut confessionem instituat, sed ut faciat querimonias, vel ut petat consilium: sacerdos debet quidem audita tacere, non tamen ex obligatione sacramentalis sigilli, sed ex sola obligatione secreti naturalis. — Similiter, si quis extra confessionem rem secretam sacerdoti committeret, adjecta hac formula « *sub sigillo confessionis,* » obligatio non excederet obligationem secreti commissi [5].

His in genere praemissis, perpendenda sunt sequentia: 1° Quinam teneantur ad sigillum; 2° quae cadant sub sigillo; 3° quandonam non laedatur sigillum; quandonam laedatur.

§. 1. *Quinam teneantur ad sigillum.*

1862. — **Principium.** Ad sigillum tenentur omnes, ad quos NOTITIA confessionis sacramentalis quocumque modo PERVENIT, sive ex ipsa confessione, sive ex mediis ad illam ordinatis. — Ratio est quia, si Christus obligationem sigilli non alligasset confessioni, quomodocumque auditae, non satis poenitentibus prospexisset; valde enim odiosa esset confessio, si scirent poenitentes, peccata sua in

[1] L. VI. 634. 656. 657; Scavini, III. n. 382. — [2] L. VI. 633. 637; H. A. XVI. 164. — [3] L. VI. 634. — [4] Cf. Albitius, cap. 35. n. 86. sqq. — [5] L. VI. 636; cf. Müller, lib. III. §. 169.

Digitized by Google

confessione revelata posse unquam ab aliquo revelari. Caeterum, res transit cum suo onere; ergo etiam illa notitia cum sigilli obligatione.

TENETUR ergo: 1° Confessarius, ut palam est. — 2° Sacerdos simplex, qui fingit se confessarium esse; imo et laicus, qui pro sacerdote est habitus. — 3° Superior, cui de jure se sistit absolutus a reservato, vel a quo petitur licentia absolvendi a reservato. — 4° Interpres, vel qui rogatus ab alio, puta a rude, etc., confessionem ejus scripsit. — 5° Qui furtive, vel casu, licet inculpate, aliquid audit. Sic ad sigillum tenentur adstantes, in quorum praesentia confessio fit ex necessitate, ut in naufragio, conflictu. Secus vero, si poenitens ad suam confusionem publice confiteri velit. — 6° Omnes quibus aliquid ex auditis in confessione sacrilege vel imprudenter revelatum est; unde, de hoc nec inter se colloqui possunt. — 7° Doctor vel alius, qui cum venia poenitentis consulitur; licet enim directe ei manifestetur notitia peccati ad confessarii instructionem, indirecte tamen manifestatur etiam in ordine ad absolutionem impertiendam, et perficiendum Sacramentum [1].

1863. — Quaesita. QUAER. 1° *An teneatur ad sigillum qui* LEGIT CHARTAM, *in qua poenitens* SCRIPSIT *confessionem?*

Resp. 1° *Per se* non tenetur; ratio, quia illud scriptum non est confessio, sed praeparatio ad confessionem; inducit tamen obligationem secreti naturalis, et quidem sub gravi, nisi de levissimis culpis agatur.

Resp. 2° *Per accidens* tenetur ad sigillum, si talis charta necessario ad confessionem pertinet: v. g. 1) si mutus confitetur per scripturam confessario praesenti, et casualiter alius eam legit; quia tunc legens revera haurit notitiam peccatorum ex actuali ipsius confessione. — 2) Si quis per epistolam peteret a Superiore licentiam pro casu reservato, et alius illam legeret. — 3) Atque idem dicendum, si quis legeret chartam relictam in confessionali post *peractam* confessionem, vel porrectam pro confessione facienda sacerdoti; quia porrectio illa est quaedam inchoata confessio [2].

QUAER. 2° *An teneatur ad sigillum doctor* CONSULTUS *ab ipso poenitente?*

Resp. 1° *Affirm.*, si consulatur circa confessionem apud ipsummet faciendam, et si poenitens ei suas culpas manifestet; quia haec consultatio velut inchoata confessio habenda est.

Resp. 2° *Neg.* (quamvis sit obligatio secreti naturalis), si agatur de confessione facienda apud alium. Ratio, quia obligatio sigilli

[1] L. VI. 647-648; et *1 Elench. qq. ref.* n. 77. — [2] L. VI. 650.

Digitized by Google

oritur ex sola confessione sacramentali, in qua poenitens sua peccata ad absolutionem obtinendam actu manifestat. Ita probabilius contra aliquos, qui hanc sententiam ideo rejiciunt, quia talis revelatio, inquiunt, redderet confessionem odiosam; sed haec ratio non est magni momenti; nam, ut optime observat *S. Alphonsus*, non ipsa confessio, per hujusmodi revelationem, redderetur odiosa, sed consultatio [1].

QUAER. 3° *An* POENITENS *teneatur ad sigillum sacramentale respectu confessarii?*

Resp. Neg., « quia sigillum institutum est tantum in favorem poenitentium, non confessariorum. » — Verumtamen poenitens tenetur *ad secretum naturale* circa illa, quorum propalatio posset vel confessario damnum, vel Sacramento injuriam aut contemptum afferre. « Mihi autem, inquit *S. Alphonsus*, videntur teneri poenitentes hoc secreto (quamvis naturali) strictius quam alii; alii enim voluntarie consilia praebent, sed confessarius tenetur praebere ex officio... Unde, poenitens rigorosius tenetur cavere, ne confessario damnum obveniat ob consilium sibi praestitum [2]. »

§. 2. *Quaenam cadant sub sigillo.*

1864. — Principium. Materiam sigilli constituunt illa omnia et singula IN CONFESSIONE AUDITA, quorum revelatio Sacramentum Poenitentiae ODIOSUM redderet fidelibus, et quidquid poenitens RATIONABILITER non vult a confessario manifestari.

Hinc, SUB SIGILLO cadunt: 1° Omnia poenitentis *peccata*, tam mortalia quam venialia, tam praesentia, quam praeterita, tam occulta quam manifesta; modo in confessione vere sacramentali declarata fuerint. — 2° Peccatorum *circumstantiae*, etiam explicatae post absolutionem, quoties illae patefactae sunt in ordine ad confessionem: v. g. si spurius sacros Ordines susceperit. — 3° Peccatorum *objecta:* v. g. si quis confiteatur se matrem suam odisse propter illius adulterium, vel quia ipsa noluit fratrem de furto corrigere: adulterium et furtum cadunt sub sigillo. — 4° Peccata *complicis* etiam imprudenter in confessione manifestata. — 5° *Poenitentia imposita*, nisi sit minima, ea scilicet quae plerumque solet imponi pro veniali levissimo. — 6° Omnia, quae poenitentem irrisionibus exponerent, et fideles a Sacramento *averterent*, ut sunt defectus naturales, ignorantia, incapacitas, etc. — 7° Virtutes et revelationes, cum deteguntur confessario *ad manifestandum aliquem*

[1] L. VI. 649. — [2] Ib. 647.

Digitized by Google

defectum commissum, aut propriam *ingratitudinem* erga Deum; secus vero, si manifestentur, ut status animae confessario innotescat [1]. Hinc, in Causa Beatificationis, attestationes confessarii judicantur licitae atque utiles, quamvis non necessariae [2].

1865. — Quaesita. QUAER. 1° *An poenitentis* SCRUPULI *vel* SCRUPULOSITAS *cadant sub sigillo?*

Resp. Affirm., si manifestatio ei redundaret in gravamen, prout eveniret, si tale quid diceretur de Praelato, de confessario, et similibus. — Secus vero, si diceretur de aliquibus saecularibus, quibus hoc potius redundaret in laudem [3].

QUAER. 2° *An cadant sub sigillo peccata, quae poenitens in* IPSA CONFESSIONE *commisit, puta impatientiae, contumeliae in confessarium, vel in alios?*

Resp. Neg. per se, quia poenitens non confitetur tales culpas, sed, vidente confessario, eas *committit.* — Ordinarie tamen sub sigillo cadunt *per accidens*, quia involvunt periculum revelationis; praebent enim indicium, ex quo cum quadam probabilitate conjici potest, confessarium vel noluisse absolvere, vel animadvertisse in poenitentem propter aliquam graviorem culpam [4].

§. 3. *Quandonam non laedatur sigillum.*

1866. — NON LAEDITUR sigillum: 1° Si confessarius dicit in genere, confessionem fuisse *de materia levi;* secus, si diceret eam fuisse de pluribus venialibus, vel nominaret aliquam culpam, licet minimam, in particulari.

2° Si *laudat* conscientiam poenitentis. Caveat vero, ne suspicionem det malae conscientiae aliorum, qui eodem tempore forsan sibi confessi sunt.

3° Si dicit aliquem *apud se* esse confessum, modo poenitens verbo vel facto, v. g. clam accedendo, non significaverit se velle tenere suam confessionem occultam. — Item, si dicit se talem absolvisse, modo id non cedat in praejudicium aliorum, de quibus idem non dicit [5].

4° Si in genere dicit, se audivisse *tale peccatum* in confessione, ita tamen ut audientes minime in poenitentis cognitionem venire possint. — Semper tamen consultius est ab hujusmodi enuntiationibus abstinere, quia evenire potest, ut auditores (praesertim

[1] H. A. XVI. 152-154; L. VI. 640-644. — [2] Bened. XIV, *de Beatific.* L. III. c. 7. — [3] L. VI. 644; H. A. ib. 153. 7°. — [4] L. VI. 643. — [5] H. A. XVI. 156; L. VI. 638.

Digitized by Google

si sint et ipsi confessarii) in cognitionem, aut saltem in suspicionem poenitentis deveniant.

5° Si utitur notitia, quam *extra confessionem* habuit. Sed et hic caute procedendum est, quia subinde, ubi nulla est revelatio, potest esse periculum scandali, quia adstantes facile credunt res ex audita confessione revelari [1].

6° Si *utitur* notitia confessionis, ubi *nulla* intervenit revelatio, *neque ullum* infertur poenitenti gravamen [2]. — Hinc bene potest confessarius ex illa notitia mores suos reformare, pro poenitente orare, benignius erga ipsum se gerere, consulere libros et sapientes, temperare rigorem, in interrogationibus se dirigere; se praecavere a periculis et occasionibus damni spiritualis aut temporalis, alios instruere aut in generali monere, ut sibi caveant; abstinere a celebratione Missae in ecclesia polluta, etc.; modo absit (ut dictum est) omne revelationis aut gravaminis periculum [3].

7° Si quid manifestat *cum praevia poenitentis licentia.* Cum enim sigillum sit in favorem poenitentis, nihil obstat quominus is suo juri cedat. Unde *S. Thomas* [4]: « Potest poenitens facere, ut illud, quod sacerdos sciebat tantum ut Deus, sciat etiam ut homo: quod facit, dum eum licentiat ad dicendum. Et ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis. »

Sed de hac POENITENTIS LICENTIA plura advertenda occurrunt, nimirum:

1° Licentia debet esse: 1) « *formalis* et *expressa;* nam praesumpta, tacita, interpretativa et virtualis (etiam in bonum ipsiusmet) non sufficit; » — 2) *libera* ac omnino *spontanea;* non vi, injuria, dolo vel precibus importunis aut metu reverentiali exorta; — 3) *non revocata;* hanc enim poenitens, pro suo libitu, etiam sine causa, revocare potest. — Ratio horum est, quia agitur de re admodum odiosa, in qua non ita facile licentia dari solet. Quapropter, nonnisi gravi urgente necessitate a confessario petenda est, et tunc solum, quando certo praesumi potest, fore ut poenitens libenter consentiat. Constat enim ordinarie, sacerdotem, qui extra tribunal poenitenti sua peccata revocat, ei graviter molestum esse, eique confessionem reddere odiosam [5].

2° Obtenta tali licentia, potest confessarius etiam *corrigere* aut *monere alios*, v. g. poenitentis complicem, etc. — Ordinarie vero non expedit, ut talem licentiam petat; satius erit, si poenitentem inducat ad id extra confessionem sibi aperiendum; imo, melius etiam erit, ut ipse poenitens rem deferat alteri, qui malo remedium afferat [6].

3° De facto, datur licentia, quando *ipse poenitens* extra confessionem de peccatis declaratis *loqui incipit.*

4° Intra ipsam confessionem, nulla licentia requiritur. Ratio est, quia pertinet ad confessarii officium de praeteritis mentionem facere, quoties censetur prodesse poenitenti, v. g. ad ipsum de relapsu arguendum. — Et idem

[1] H. A. ib. 156, VI. VII. — [2] L. VI. 657. *Communiter.* — [3] Ibid. et n. 660. — [4] Suppl. qu. 11. a. 4. — [5] L. VI. 651. — [6] Ib. 641. dub. 1.

Digitized by Google

licet statim post datam absolutionem, quia sacramentale judicium adhuc perdurare moraliter censetur [1].

1867. — Quaesita. QUAER. 1° *Quid agere debeat confessarius detegens poenitentem esse* SURDUM *vel* SURDASTRUM ?

Resp. S. Alphonsus [2]*:* 1° « Si *circa initium* confessionis advertat poenitentis surditatem, imponat ei, ut redeat alio tempore et loco opportuno, ubi loqui libere possit confessarius, ne alii audiant.

2° « Si vero advertat hoc in *progressu confessionis*, et poenitens post plures debitas interrogationes recte non respondeat: tunc non licet confessario, alta voce imponere poenitenti ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant; quia magna daretur eis suspicio, quod materiam gravem ille sit confessus. — Ideoque, in tali casu, consilium esse puto, quod confessarius, intelligendo peccata modo meliori quo possit, [imponat levem poenitentiam et] absolvat: absolute quidem, si poenitens probabiliter censeatur dispositus; sub conditione vero, si de dispositione dubitetur. »

QUAER. 2° *Quid agere debeat confessarius, si* INDIGEAT *consilio* ?

Resp. Si periculum revelationis adsit, vel casum apto modo, v. g. ut fictum, proponat; vel petat a poenitente licentiam utendi scientia sacramentali; vel recurrat ad doctum aliquem consiliarium, cui persona poenitentis omnino ignota sit; vel remittat poenitentem ad alium confessarium, etc. — Quod si nullo ex his mediis uti possit, in Deo confidat, atque oratione et studio diligenter adhibitis, difficultatem, meliori quo potest modo, ipse solvat [3].

QUAER. 3° *Quomodo confessarius* INDISCRETIS *interrogationibus* RESPONDERE *debeat?*

Resp. 1° Si interrogetur *de peccatis auditis*, potest recte affirmare, etiam cum juramento, se nihil audivisse; nam de omnibus, quae ipse in confessione excepit, nullam habet scientiam communicabilem. Ita communiter cum S. Thoma, qui ait [4]: « Potest jurare se nescire, quod scit tantum ut Deus. » — Et id valet, etiamsi rogaretur ad respondendum sine aequivocatione.

Resp. 2° Si interrogetur, an dederit necne absolutionem, respondeat: *Functus sum officio meo;* vel melius per modum objurgationis: *Suntne interrogationes faciendae?* — Si autem, denegata absolutione, a clerico interrogaretur utrum poenitens communicaturus sit, respondeat: *Interroga eum, an velit communicare.* — Et pari modo ad ipsos poenitentes remittendi sunt parentes, magistri, heri, etc., cum ciscitantur, an filiis vel subditis impertita sit absolutio [5].

[1] L. VI. 652. 653; H. A. ib. 156. — [2] Ib. 644; ib. 155. — [3] Konings, n. 1499. qu. 6. — [4] In 4. d. 21. qu. 3. a. 1. ad 3m. — [5] H. A. ib. 148; L. VI. 646.

Digitized by Google

QUAER. 4° *Quomodo agendum sit cum* INDISPOSITO *petenti* SCHEDULAM *confessionis, vel absolutionis?*

Resp. 1° Si schedulam CONFESSIONIS petit *extra confessionem*, non potest ei denegari, quoties sacramentalem confessionem revera instituit; quia per talem denegationem revelaretur indirecte, poenitentem non esse rite confessum. — Secus vero, si confessionem simulasset, v. g. ad poenam vel infamiam vitandam, ad schedulam arripiendam; in hoc enim casu, non existeret obligatio sigilli, et mendaciter assereretur, talem confessum esse. Nunquam autem mentiri licet.

Resp. 2° Si petit eamdem schedulam *in ipsa confessione*, vel *antequam* a confessionali *recedat*, concedenda est, quoties revera confessus est unum saltem peccatum, et schedula dari solet, vel a Superioribus poenitentis exigitur, v. g. ante matrimonium, tempore paschali, in Collegiis, etc. Eadem enim valeat ratio ac supra. — Secus vero, si eam petit nulla necessitate compulsus; quia, in tali casu, denegatio nullum affert gravamen, aut revelationis periculum.

Resp. 3° Si non absolutus petit schedulam ABSOLUTIONIS, non potest confessarius eam scribere, quia esset mentiri, ut patet. — « Si tamen schedulae essent jam typis editae, in quibus (imprudenter sane) asseratur absolutio impertita, videtur probabile, ut aliqui recentiores dicunt, eam tradi posse confessis non absolutis, saltem si publice petant; quia tunc confessarius nullum profert, aut scribit mendacium, sed tantum materialem actum operatur, talem schedulam tradendo [1]. » Haec sententia, cum faveat sigillo, in praxi teneri potest.

§. 4. *Quandonam laedatur sigillum.*

1868. — Sigillum LAEDITUR directe vel indirecte: *directe*, si aperte atque expresse aliquid manifestatur, quod sub sigillo cadit; *indirecte*, si confessarius ita se gerit aut loquitur, ut alii cognoscere vel suspicari possint peccatum vel defectum poenitentis, aut aliorum, vel quaevis alia per confessionem cognita, ex quibus, sive ipsi poenitenti, sive aliis, pudor, molestia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen obveniret [2]. Si autem confessarii dicta vel gesta, post confessionem, a poenitentibus indifferenter habentur, non laeditur sigillum. — In dubio, an adsit periculum revelationis, vel offensionis, pars tutior tenenda est, i. e. sigillum servandum, ut supra (n. 1860) monuimus [3]. — His praemissis, dicimus:

[1] L. VI. 639; H. A. XVI. 162. — [2] Schmitt, *Epitome*, pag. 468. — [3] L. VI. 661.

Digitized by Google

I. Verbis indirecte violat sigillum confessarius: — 1° Qui poenitentem tam alta voce alloquitur, ut circumstantes ab ejus responsionibus, vel monitionibus intelligant, quid poenitens sit confessus. — 2° Qui dicit, se absolutionem alicui denegasse, vel eum nondum absolvisse, vel ei gravem poenitentiam imposuisse. — 3° Qui ex pluribus poenitentibus, arcta inter se necessitudine aut cognatione conjunctis, puta si sint fratres, unum vel duos multum dilaudat, nullo facto verbo de aliis. — 4° Si, narrando aliquod factum, tales memorat circumstantias, ut poenitens facile ex iis dignosci possit. — 5° Qui parentes vel Superiores poenitentis admonet, ut specialiter tali loco et tempore vigilent. — 6° Qui loquitur cum alio confessario de peccato, quod poenitens utrique confessus est. — 7° Qui, auditis *paucorum* confessionibus, dicit se tale peccatum audivisse, licet celet personam; singuli enim ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. — 8° Qui dicit se in tali monasterio audivisse peccatum grave, etiamsi non nominet personam; vel si dicit, monasterii Praepositum non advigilare sufficienter suis subditis; quia talia verba inquinant famam totius Communitatis. A fortiori, violaret sigillum qui diceret, gravia in illo Conventu committi peccata. — Item, si hoc diceret de Ordine strictioris observantiae, aut de Religione parum dispansa, quae nempe recenseret minus quam ter mille alumnos. Secus, si ita loqueretur de aliquo Religioso in genere, vel de Ordine multum dispanso et notorie relaxato, secluso tamen omni periculo suspicionis de aliquo monasterio in particulari [1]. — 9° Concionator, qui in Communitate vel in pago aut oppido parvo, i. e. infra 3000 hominum, nominat in specie vitia (quamvis publica) ex confessionibus tantum sibi nota, dicendo v. g. « hic regnat blasphemia; hic multi sunt fures, onanistae, etc.; » vel in aliquo monasterio: « hic committuntur sacrilegia. » Item, si loquens de oppido incolarum infra 6000, nominaret peccatum afferens infamiam, v. g. dicendo: « In hoc loco grassatur sodomia, adulterium, etc. » Secus, si ita de majori civitate loqueretur, vel si insurgeret in peccata jam aliunde sibi aliisque nota [2].

II. Factis frangit sigillum confessarius: 1° Qui denegat schedulam confessionis petentibus eam extra confessionem; vel intra confessionem, si schedula a Superioribus exigitur, vel omnibus concedi solet (cf. n. 1867. q. 4°). — 2° Qui poenitentem post confessionem infestis oculis intuetur, minus amice, quam antea, cum eo

[1] Cf. *Vind. Alph.* p. 5. q. 24. — [2] Cf. H. A. XVI. 157. 158; Gury, II. 665-666; Porpora, tract. 18. n. 382 et sqq.

Digitized by Google

colloquitur, vel sua agendi ratione manifestat se de ejus peccatis recordari, de iis actu cogitare, eumque minoris quam antea facere. — 3° Qui, sine alia sufficienti causa, refugit audire poenitentem, quem ex praecedenti confessione novit esse molestum, scrupulosum, indispositum, etc.; secus tamen si poenitens communiter nosceretur ceu nimis prolixus in confitendo, et simul conscientiae bonae [1].

1869. — Quaesita. QUAER. 1° *An sacerdos, qui ex confessione novit sibi parari insidias, possit* FUGERE, *sive alio modo* DAMNUM *praecavere?*

Resp. Affirm., si ex tali cautione minime manifestatur aliis peccatum confessum, neque ullum poenitenti gravamen infertur. — Secus, si ex circumstantiis conjici posset, fugam evenisse ob notitiam in confessione receptam; fuga enim esset indirecta confessi peccati revelatio. Et licet confessarius fugam simularet ex aliquo praetextu, semper tamen aliquam rationabilem suspicionem confessi peccati injiceret [2].

QUAER. 2° *An liceat* SUPERIORIBUS *uti notiti confessionis* AD GUBERNATIONEM EXTERNAM, *si nullo modo appareat, quod ex illa notitia se dirigant?*

Resp. Neg., quia hoc cederet evidenter in gravamen poenitentium, qui, si nossent id licere, certo a confessione retraherentur. Constat ex decreto Clementis VIII, 26 maji 1593, § 4 [3] et decreto S. Officii auctoritate Innocentii XI, 18 novemb. 1682 edito, quibus opposita sententia diserte proscripta est [4].

Hinc: 1° Nunquam licet uti notitia confessionis, ad removendum indignum ab officio, ad negandum ei suffragium electionis, ad negandum peccatori Sacramenta, ad auferendum a famulo claves, etc. — Potest autem, imo debet Superior (ut quivis alius confessarius) adversus malum, quod ipsi in foro poenitentiae innotescit, in eodem foro remedium afferre, obligando poenitentem, si bonum commune hoc exigit, ad manifestationem externam.

2° Non expedit consulere confessarios, quando agitur de aliquo promovendo; ex hoc enim, ut bene notat Croix [5], multa enascuntur incommoda ac pericula. Et generatim Confessarii solam Sacramentorum frequentationem testari debent.

[1] L. VI. 657-659; cf. Berardi, *Prax. Conf.* n. 1150. sqq. — [2] L. VI. 659. — [3] *Bullar.* Cherubini, tom. IV. 274 (Ed. Rom.) — [4] L. VI. 656-657; H. A. ib. 159. — [5] L. VI. p. 2. n. 2001.

Digitized by Google

TRACTATUS VI.

DE EXTREMA UNCTIONE

1870. — Extrema Unctio, sicut est ultimum Sacramentum, ita est, juxta D. Thomam, *spiritualis vitae corona;* hoc enim Sacramento munitus, homo proxime ad caelestis patriae ingressum disponitur.

Tractatus de Extrema Unctione multum apposite Tractatum de Poenitentia sequitur; nam, juxta Concilium Tridentinum (sess. 14 *de E. U.*), Extrema Unctio est Sacramentum Poenitentiae *consummativum*: quatenus nempe consummat et perficit poenitentiam, delens peccatorum reliquias, et christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, finem imponit. « Extrema Unctio, ait *S. Thomas* [1], comparatur ad Poenitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum; ita scilicet quod Poenitentia est majoris necessitatis, sed Extrema Unctio est majoris perfectionis. »

Quae de hoc Sacramento dicenda sunt, exponentur in tribus capitibus.—In *primo* sermo erit de natura Extremae Unctionis; in *secundo* de ejus ministro; et in *tertio* de ejus subjecto.

CAPUT I.

DE NATURA EXTREMÆ UNCTIONIS

Agendum est: 1° De notione et effectu hujus Sacramenti. — 2° De materia et forma, quibus constituitur.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET EFFECTU EXTREMÆ UNCTIONIS

1871. — Definitio. Extrema Unctio est « Sacramentum a Christo institutum et a B. Jacobo promulgatum, ad salutem animae vel etiam corporis conferendam infirmis de vita periclitantibus, per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis [2]. »

Principia. — I. Extrema Unctio est vere et proprie Sacramentum Novae Legis. — Est de fide; et constat 1° ex verbis Jacobi (5, 14 et 15): « Infirmatur quis ex vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae,

[1] 3. q. 65. a. 3. — [2] H. A. XVII. 1.

Digitized by Google

et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei. » — 2° Ex Trid. sess. 14. *de Extr. Unct.* can. 1: « Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum: anathema sit. »

Institutum est hoc Sacramentum a Christo Domino *post resurrectionem*, ut tenet cum Suarez communior sententia; et promulgatum est a S. Jacobo prout constat ex textu supra allegato [1].

1872. — II. Praeter gratiam sanctificantem, quam, sicut caetera Sacramenta, producit, Extrema Unctio habet SUOS PROPRIOS EFFECTUS, qui sunt sequentes:

1° Effectus PRIMARIUS est *roborare animam* in ultimo suo agone. « Aegroti animam, ait Concilium Tridentinum (sess. 14. *de E. U.* cap. 2), alleviat, et confirmat (hoc Sacramentum), magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit. »

2° Effectus SECUNDARIUS triplex est: — 1° *Delere reliquias peccati*, ut mentis obscuritatem, duritiam cordis, rerum sensibilium amorem, diffidentias, anxietates et similia, quae ex peccatis contrahuntur. — 2° Tollere *partem poenarum*, quae pro peccatis luendae supersunt. (Hi duo effectus pro gradu dispositionis infirmi, majores minoresve producuntur). — 3° Conferre *salutem corporis*, si saluti animae expedit, ut habet Tridentinum (loc. cit.); et ad hunc finem diriguntur etiam preces in Rituali positae. Hunc autem effectum non operatur Sacramentum per modum miraculi, ne fides evacuetur; sed virtute quadam supernaturali, quae causas naturales adjuvat, quousque earum actionis capax est corpus [2].

1873. — Quaesita. QUAER. 1° *An et quomodo per Extremam Unctionem* REMITTANTUR *peccata?*

Resp. 1° Quamvis hujus Sacramenti praecipuus effectus non sit remittere peccata, nec mortalia, nec venialia, prout Thomistae communius ac probabilius contra Scotistas docent, et ipse Apostolus Jacobus innuere videtur, dicens conditionate « *et, si in peccatis sit:* » attamen, remissio peccatorum ipsi specialiter attribuenda est; nam Apostolus pergit, dicens: « *remittentur ei,* » et Tridentinum docet similiter: « delicta, si quae sint adhuc expianda, abstergit. »

[1] L. VI. 706; cf. Dogm. in Trid. sess. 14. *de Extrema Unctione*, n. 3-4. — [2] Cf. L. VI. 731.

Digitized by Google

Resp. 2° De modo autem, quo mortalia remittuntur, non conveniunt Theologi. — Alii cum Gonet, Sporer, etc., quibus suffragari videtur S. Thomas [1], dicunt, illa remitti *per accidens*, cum agatur de Sacramento vivorum; alii vero probabilius et communius cum Suarez, Tournely, etc., docent, illa remitti *per se*, non directe quidem, sed consequenter; constat enim Extremam Unctionem institutam esse ad tollendas reliquias peccatorum; sed quia hae tolli non possunt ab anima, in qua reperitur peccatum, nisi ipsum peccatum prius tollatur: ideo hoc Sacramentum, ex consequenti, aufert peccatum [2].

QUAER. 2° *Utrum* PER QUAMLIBET UNCTIONEM *partialis gratia conferatur?*

Resp. 1° Affirmant *Suarez* et alii; quia quaevis unctio cum sua forma jam significat gratiam independenter ab aliis unctionibus. — 2° Negat vero *S. Thomas* cum communiori; quia nulla unctio per se Sacramentum, nec etiam partiale, constituit; unde, gratia non confertur, nisi quando Sacramentum ultima unctione completur. — Utraque sententia est probabilis [3].

QUAER. 3° *An possit esse hoc Sacramentum* VALIDUM *et* INFORME, *ita ut, recedente obice, gratia conferatur?*

Resp. « Affirmant communiter DD. — Hinc inferunt Salmaticenses cum aliis, quod si infirmus bona fide, vel sensibus destitutus, Sacramentum suscepit in mortali, sufficit quod postea attritionem habeat, ad gratiam recipiendam. Secus, si mala fide. — Id autem currit, si obex tollatur, perseverante eodem morbo et periculo, saltem quoad effectum specialium auxiliorum, ut dicunt Suarez, et alii [4]. »

Ex his colliges, *per Extremam Unctionem animas saepe salvari*, tum quia Sacramentum subministrat vires et auxilia, sine quibus infirmus victoriam daemoni cederet; tum quia facilius cum minori dispositione, et diuturniori efficacia recipitur; tum denique quia de mortis proximitate est saluberrima omnium monitio [5].

ARTICULUS II.

DE MATERIA ET FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS

§. 1. *De materia Extremae Unctionis.*

1874. — Duplex distinguitur materia, nempe remota et proxima.

I. Materia REMOTA est oleum ex olivis expressum, et speciali benedictione ab Episcopo benedictum [6].

[1] Suppl. q. 1. 1. c. — [2] L. VI. 731. — [3] Ib. 707. — [4] Ibid. qu. 2°. — [5] Cf. Bellarminus, *de Extr. Unct.* cap. VIII., et Bened. XIV. *De Syn.* L. 8. cap. 6. — [6] H. A. XVII. 2; L. VI. 708.

Digitized by Google

Aptissimus autem fuit hujus materiae delectus: « nam, ut OLEUM ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ita Sacramenti virtus animae tristitiam ac dolorem minuit. OLEUM praeterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tanquam pabulum praebet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est. Quae omnia, quid in aegroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant. » — Ita Catechismus Romanus [1].

Diximus 1° EST OLEUM; constat enim ex Apostoli verbis *ungentes eum oleo;* hocque oleum debet esse de necessitate seu validitate Sacramenti succus olivae; quia communi usu hic duntaxat succus olei nomine designatur. Hinc Eugenius IV, in Decreto ad Armenos expresse nominat *oleum olivae.* — « Debet insuper hoc oleum, saltem ex Ecclesiae praecepto, esse *simplex*, hoc est, absque ulla alterius liquoris admixtione, » ut docet Benedictus XIV [2].

2° AB EPISCOPO BENEDICTUM: quocirca Tridentinum (sess. 14. cap. 1) haec habet: « Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. » *Utrum vero haec benedictio sit non solum de praecepto, sed etiam de necessitate Sacramenti, disputatur*, sed communissime affirmant AA. cum *S. Thoma*, et hodie res est plane certa. Etenim ad dubium: — utrum, deficiente oleo infirmorum, liceat administrare, sub conditione, Sacramentum Extremae Unctionis, cum oleo a simplici sacerdote benedicto, saltem in casu extremae necessitatis, puta ut cum moribundus sensibus destitutus nullum doloris signum antea dedit, neque praebet: — semper responsum fuit *Negative.* Ita S. OFFICIUM die 13 jan. 1611, coram Paulo V, et 14 sept. 1842, coram Gregorio XVI [3]. — Potest tamen olei benedictio a S. Pontifice committi *simplici sacerdoti*, ut constat ex Decreto Clementis VIII [4], qui (indirecte) declaravit Sacramentum Extremae Unctionis collatum Latinis a sacerdotibus graecis, cum oleo ab iisdem sacerdotibus benedicto, esse validum [5].

3° BENEDICTIONE SPECIALI benedictum, i. e. in ordine ad Extremam Unctionem: id enim de necessitate Sacramenti requiri, affirmant probabiliter Salmanticenses cum Bellarmino contra Suarez et alios; quia, sicut benedictione chrismatis deputatur materia pro Sacramento Confirmationis, ita benedictione olei infirmorum deputatur materia ad Sacramentum Extremae Unctionis [6]. — Hinc, in casu necessitatis, potest quidem *Oleum catechumenorum* vel *S. Chrisma* SUB CONDITIONE adhiberi. Sed invento ipso *oleo infirmorum*, unctiones sunt sub conditione iterandae; quod idem faciendum est, si per errorem illa olea sacerdos adhibuisset.

[1] *De Extr. Unct.* n. 5. — [2] *De Synodo*, lib. 8. c. 1. n. 3. — [3] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 670 et 671. — [4] *Instructio super Ritibus Italo-Graecorum*, 31 august. 1595 (*Bullar.* tom. V. p. III. 72). — [5] L. VI. 709. dub. 3 — [6] Ib. dub. 2

Digitized by Google

Dubitatur: *An una sola gutta olei sufficiat ad Sacramentum ministrandum?* — Respondit *S. Alphonsus:* « Speculative tantum probabilis est opinio, dicens, sufficere ministrare hoc Sacramentum cum una gutta olei, illam per partes non diffundendo: non tamen practice, quia haec vera unctio non esset [1]. » Attamen, certe sufficit, pro valore Sacramenti, intingere in oleo extremam partem digiti ad singulas unctiones, quae sub repetita forma fiunt.

Nota. Hoc oleum (sicut oleum catechumenorum et S. Chrisma) ex praecepto Clementis VIII [2], (quod juxta probabiliorem sententiam sub gravi obligat) *quotannis renovandum est;* et facta renovatione, *comburendum est* (in lampade nempe, quod ardet coram SSmo Sacramento) oleum superioris anni; neque eo amplius uti licet, excepto casu, quo novum haberi nequeat. — Quodsi novum non sufficiat, potest ei aliud non benedictum *admisceri,* sed in minori quantitate, ut dicit Rituale. — Imo, licet admixtionem *pluries* renovare, modo admiscendum oleum sit semper in minori quantitate, et vera necessitas hoc requirat [3]. — Caetera vide in Rituali.

1875. — II. Materia PROXIMA est unctio certarum partium corporis, ac saltem quinque sensuum, facta a sacerdote. — Ex Rituali Romano, praecipue ungi debent quinque corporis partes, nempe: 1° *Oculi* (seu palpebrae) vel supercilia. — 2° *aures* (in ima auricula, ut facilius tergi possit); — 3° *nares,* i. e. ambae narices (foris) vel extremitas summitatis nasi, unica unctione. — 4° *os,* compressis labiis, ut una fieri possit unctio, (si hoc non posset obtineri, satis erit ut labium inferius vel superius ungatur); — 5° *manus* (extra pro sacerdotibus, intra pro aliis); — 6° *pedes* (vel in plantis, vel supra pedes, prout fert consuetudo aut Statuta dioecesana praescribunt, vel commodius fieri poterit) [4]. Quamvis autem (ex sententia communi) haec pedum unctio non sit de necessitate Sacramenti, non potest tamen, pro libitu sacerdotis, omitti [5]. — 7° *Renes;* quorum unctio non est de necessitate Sacramenti, ut patet e Rituali Romano, ubi legitur: « Sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed, sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. » Romae usitatum est ungere renes virorum ab utroque, vel ab uno saltem latere, super os, quod nominant *ischion* (coxa): sic enim vix moveri debet aegrotus. Alibi, renum unctio in omnibus indiscriminatim omittitur; optat tamen S. RIT. C. (1 aug. 1858) ut introducatur, ubi non est in usu [6]. Interim, servetur a sacerdote consuetudo dioecesis.

[1] H. A. App. II. §. 4. III; cf. L. VI. 709. dub. 4. — [2] Cf. Bulla Approbationis Pontificalis Romani. — [3] L. VI. 708; cf. Konings, n. 1502 q. 4. — [4] S. R. C. 27. aug. 1836 in *Rhedonen.* (cf. Gardell. n. 4780 cum nota). — [5] L. VI. 710-711). — [6] Del Vecchio, II. n. 781 adnot. 1.

Digitized by Google

1876. — Quaesita. Quaer. 1° *Quomodo fieri debeant unctiones?*

Resp. 1° Ex Rituali Romano, unaquaeque unctio fieri debet intincto pollice in oleo sancto, *in modum crucis*, aptando crucem et verba in unctione cujusque partis, semper a dextera incipiendo. « Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet sacerdos, post quamlibet unctionem *tergat loca inuncta* novo globulo bombacii vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

Resp. 2° Certum est, non esse de necessitate Sacramenti, unctiones fieri *per immediatum manus contactum;* quare in casu necessitatis, i. e. peste grassante, adhiberi potest *virgula* oleo inuncta, quae postea comburatur [1]. — Nec est de necessitate Sacramenti, *geminam unctionem* fieri in geminis partibus; cum jam satis per unius partis unctionem fomes peccatorum indicetur: unde, urgente necessitate, vel si infirmus nequeat verti ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem, etc. — Nec demum essentiale est, *ordinem* Ritualis *servare* inter unctiones partium; cum ordinis inversio non impediat Sacramenti significationem. — Sed, extra casum necessitatis, haec tria *sub gravi* servanda sunt, ut communiter docetur [2].

Quaer. 2° *An unctio* quinque sensuum *sit de necessitate Sacramenti?*

Resp. Controvertitur. — Prima sententia (speculative probabilis) cum Merbesio, Tournely, etc. *negat;* nam, ex S. Jacobo simplex unctio praecipitur, et in Tridentino de una tantum unctione fit mentio his verbis: « haec sacra unctio; » unde, videtur sufficere hominem in una tantum parte ungi, ut dicatur unctus. — Verum communior et tutior sententia (sub gravi in praxi tenenda) *affirmat*, unctiones simplices quinque sensuum esse de Sacramenti necessitate. Ita S. Bonaventura, S. Thomas, Suarez, Bellarminus, etc., qui id colligunt praecipue ex usu Ecclesiae [3].

Quaer. 3° *An et quomodo ungendi sint* caeci, surdi, mutilati?

Resp. « Si quis sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eâdem verborum forma. » Ita Rit. Rom. — Eodem modo ungantur *caeci* a nativitate, *surdi* et *muti*, scilicet prope organa sensuum, quibus privantur; nam etsi exterius per illa non peccarint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus illa respondent, v. g. per desideria videndi, audiendi, etc. Ita D. Thomas et Salmanticenses cum communi [4].

[1] L. VI. 710; H. A. ib. 3. — [2] L. VI. 710; cf. *Collect. S. Sed.* n. 679. — [3] L. VI. 710. Quaer.; H. A. XVII. 4. — [4] L. VI. 732. 3°.

Digitized by Google

§. 2. *De forma Extremae Unctionis.*

1877. — Forma Extremae Unctionis haec est: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid* per visum (si ungitur oculos, et sic de aliis) *deliquisti. Amen.* — Constat ex Concilio Tridentino et ex Rituali Romano. — Invalida esset, ut verius docetur, forma indicativa: ex verbis enim S. Jacobi: *Et orent super eum*, debet esse deprecatoria [1].

Quaerenti autem, *cur hujus Sacramenti formam deprecativa sit:* respondet Catechismus Romanus [2]: « Id optimo jure constitutum est; nam cum hoc Sacramentum propterea adhibeatur, ut praeter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat aegrotis; tamen, quia non semper sequitur, ut aegroti a morbis convalescant, ob eam causam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis constanti, et perpetuo ordine efficere non solet. »

Quoad formam, notentur sequentia:

1° Ad essentiam Sacramenti pertinent verba: *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.* — Sunt quidem, qui negant vocabulum *deliquisti* esse de essentia; sed immerito: nam hoc vocabulum exprimit remissionem peccatorum, quae est principalis hujus Sacramenti effectus.

2° Non pertinent ad essentiam verbum *sanctam*, ut omnes fatentur; neque ista alia: *per suam piissimam misericordiam*, quia qui deprecatur Deum, ut indulgeat, jam implorat ejus misericordiam, ut AA. communius et probabilius docent. — Haec tamen ultima omittere, grave foret peccatum contra usum Ecclesiae, in re gravi; sed nec verbum *sanctam* sine culpa omitti potest.

3° Non est *terminanda* forma, antequam inuncta sit altera pars ejusdem sensus. — Sacerdote inter unctiones deficiente, non sunt jam factae unctiones iterandae, nisi *quarta pars horae* jam effluxisset: quo casu forent sub conditione repetendae [3].

4° Terminata forma, in singulis unctionibus, infirmus cum adstantibus respondere potest *Amen.* — Et optimum erit, si dum quinque corporis sensus unguntur, de culpis per ipsos commissis expresse doleat [4].

Quaeritur. *Quomodo,* urgente necessitate, *conferendum sit Sacramentum?*

Resp. 1° « Si quis laborat in extremis, et periculum immineat ne decedat, antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo

[1] L. VI. 711; H. A. XVII. 5. — [2] *De Extr. Unct.* n. 7. — [3] L. VI. 711; H. A. Ib. 5. — [4] *Praxis*, n. 274.

Digitized by Google

ab eo loco: *Per istam sanctam unctionem*, etc. Deinde, si adhuc supervivat, dicantur orationes praetermissae suo loco positae. » Ita Rit. Rom.

2° Si mortis periculum adeo immineat, ut omnes unctiones non videantur posse debito modo peragi, sacerdos faciat unam unctionem, sub conditione *si valeat*, in aliquo sensu (consultius tamen in fronte, cum omnium sensuum nervi descendant a capite), hac utens forma: *Per istam sanctam unctionem... indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum;* ideo praemittendo verbum *deliquisti*, quia si proferatur in fine, et interim aeger moriatur, nullum est Sacramentum. — Si aegrotus supervivat, unctiones, ut merito affirmat Lacroix, repetendae sunt in singulis sensibus, et addendae caeterae omissae orationes.

3° Quod si dubitetur, *an aegrotus adhuc vivat*, sacerdos prosequatur unctionem sub conditione, dicens: *Si vivis, per istam*, etc. — « Si vero infirmus, dum ungitur, *decedat*, presbyter ultra non procedat, et praedictas orationes omittat. » Ita Rituale.

CAPUT II.

DE MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS

1878. — Principia. I. Solus et quilibet sacerdos potest valide ministrare Sacramentum Extremae Unctionis. — Quod *solus sacerdos* sit minister hujus Sacramenti, constat tum ex verbis S. Jacobi jam citatis: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae*, etc.; tum ex definitione Ecclesiae in Tridentino, sess. 14. *de Ex. Unct.* can. 4. — Quod autem quilibet sacerdos, etiam excommunicatus, hoc Sacramentum *valide* ministrare possit, constat ex eo quod Extrema Unctio non instituta est per modum judicii, ut Poenitentia, ac proinde sufficit ad ejus collationem potestas Ordinis.

An, quaeres, *hoc Sacramentum possit valide a* pluribus *sacerdotibus eidem infirmo ministrari?* — *Resp.* Affirmative, si singuli sacerdotes diversum sensum inungant, atque in ungendo formam huic sensui convenientem pronuntient (nam, si alius ungeret, et alius verba formae proferret, non conferretur Sacramentum, ut patet). — Et revera, quod Extrema Unctio antiquitus in Ecclesia latina ita administrata fuerit, colligitur ex pluribus antiquis Ritualibus [1]; sed hodie, ob contrariam Ecclesiae praxim, idem foret graviter illicitum.

1879. — II. Solus pastor animarum, aut ab ipso delegatus sacerdos, ministrat licite Extremam Unctionem. — Id eruitur ex

[1] Cf. Bened. XIV. *De Synodo*, lib. 8. cap. 4. n. 5.

Digitized by Google

Tridentino; et ratio est, quia solius pastoris est, oves suas pascere atque ad pascua beatae aeternitatis deducere (Si *Episcopus* infirmetur, jus illum ultimis muniendi Sacramentis competit Canonicis i. e. digniori inter ipsos) [1]. — Hinc graviter peccat, qui sine parochi aut Episcopi licentia, hoc Sacramentum ministrat, cum in re gravi jus alienum laedat [2].

Attamen, sufficit probabiliter licentia *interpretativa*, seu *rationabiliter praesumpta;* haecque certe habetur, quando Sacramenti administratio urget, nec a parocho vel vice-parocho infirmus inungi potest, vel quia sunt absentes, vel quia nolunt eum inungere, et Episcopus caeteroquin adiri nequit. In tali necessitatis casu, *quilibet sacerdos,* etiam Regularis, modo non sit excommunicatus vel suspensus, potest hoc Sacramentum licite conferre, quia Papa licentiam dare censetur. Ita communiter Suarez, Salmanticenses et alii, contra paucos. — Extra casum vero necessitatis, non facile praesumenda est licentia [3].

Atque hic notandum est, quod Religiosi (seu Regulares) praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Extremae Unctionis (aut Eucharistiae per Viaticum) ministrare, absque parochiali licentia, excommunicationem Papae reservatam incurrunt: ex Constitutione *Apostolicae Sedis* (cf. n. 1341).

1880. — Quaesita. QUAER. 1° *An et quanta sit* OBLIGATIO *conferendi hoc Sacramentum?*

Resp. 1° Parochus, nisi justa causa (qualis esset periculum vitae) excuset, tenetur ratione officii sui, et quidem *sub gravi*, illud suis subditis petentibus conferre. Imo, in quolibet casu, ne excepto quidem vitae periculo, ad hoc tenetur, si infirmus a longo jam tempore non amplius confessus sit atque probabiliter in statu peccati mortalis esse judicetur, et ob sensuum privationem non possit nisi sub conditione absolvi [4]. — 2° Alius sacerdos, *absente parocho*, ad idem tenetur ex charitate; sub levi quidem, in casu communi; sub gravi vero, si aegrotus hoc Sacramento valde indigeret, v. g. si alioquin sine ullo Sacramento esset moriturus [5].

QUAER. 2° *Quomodo seu* QUONAM RITU *ministranda sit Extrema Unctio?*

Resp. Ministranda est cum superpelliceo et stola violacea, cum ministro ac lumine, et cum precibus in Rituali praescriptis. — Quocirca NOTANDA veniunt sequentia:

1° *Superpelliceum* et *stola* requiruntur sub gravi, ob Sacramenti reverentiam. — Excipe, juxta opinionem probabilem, casum, quo haec deessent, et infirmus sine hujus Sacramenti praesidio esset

[1] Cf. *Acta S. Sed.* VIII. 210. — [2] L. VI. 722. — [3] Ib.; H. A. XVII. 6. — [4] L. VI. 729; H. A. VII. 28; XVII. 6. — [5] L. VI. 729. 12°.

Digitized by Google

moriturus. Etenim, Christus Dominus non praesumitur, ob sacrarum vestium deficientiam, velle aegrotum tanto bono privari [1].

2° Extra casum necessitatis, probabilius, veniale est, ungere *sine ministro.* Nunquam vero licet uti ministerio feminae; hinc, absente viro, ipse sacerdos orationibus respondeat [2].

3° Probabiliter non est mortale, hoc Sacramentum ministrare *sine lumine:* unum autem lumen sufficit, juxta Rituale. — Omittere *signum crucis* in unctionibus est tantum veniale; imo, nullum esset peccatum, si ob instantem mortem omitteretur, ad celerius agendum [3].

4° Omittere praescriptas *preces*, casu necessitatis excepto, est peccatum, per se, mortale. — Sed litaniae et aliae preces recitandae ab assistentibus, sunt, probabilius, tantummodo de consilio [4].

5° Oleum sanctum non potest *solemniter* deferri ut Viaticum; sed nec clanculum, et quasi furtim deferendum est, nisi excuset necessitas. — *Crux* portatur sine hasta, sicut in exequiis parvulorum. — In infirmi cubiculo, omnia debent esse, sicut decet, munda ac bene disposita.

Nota. Non licet parocho assidue *retinere domi sacrum oleum*, « excepto casu magnae distantiae ab ecclesia: quo casu omnino servetur rubrica quoad honestam et decentem, tutamque custodiam. » Ita S. R. C. 16 dec. 1826 [5]. — Diximus *assidue*, nam subdit S. Alphonsus [6]: « Recte parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum praevidet, ut si vocatus ad conferendam Unctionem, praesto non esset. »

CAPUT III.

DE SUBJECTO EXTREMÆ UNCTIONIS

1881. — Principia. I. SUBJECTUM Extremae Unctionis est solus homo baptizatus, qui usum rationis adeptus est, et ex morbo de vita periclitatur. — Constat 1° ex verbis S. Jacobi: *Infirmatur quis ex vobis*, etc.; 2° ex Tridentino (sess. 14. cap. 3), ubi declaratur: « Hanc unctionem esse infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur. »

Hinc, ad VALIDAM hujus Sacramenti susceptionem requiruntur sequentia:

Requiritur 1° ut ungendus SIT BAPTIZATUS; Baptismus enim est janua Sacramentorum. — Potest autem hoc Sacramentum con-

[1] L. VI. 726. — [2] Ib. 724. — [3] Ib. 728. — [4] Ib. 727. — [5] Gardell. n. 4323, in *Gandaven.* — [6] L. VI. 730; *Praxis*, n. 275. fin.

Digitized by Google

ferri adulto, *statim post Baptismum.* « Ratio est, tum quia, verius, per Baptismum non absterguntur reliquiae culparum mortalium, commissarum ante Baptismum, prout sunt torpor ad bonum, ac pronitas ad malum; tum quia primarius effectus hujus Sacramenti non tam est remissio culparum, quam corroboratio infirmi contra daemonis tentationes, ut dicunt Suarez et alii communiter [1]. »

Requiritur 2° ut ungendus ADEPTUS SIT USUM RATIONIS. Secus enim frustranea evaderet forma: *Indulgeat tibi Dominus*, etc. — Inde sequitur: 1) Non possunt ungi *pueri*, qui usum rationis nondum adepti sunt. — Contra, quidquid dicat Sotus cum aliis, ungendi sunt pueri *ratione pollentes*, quamvis non valeant Sacramentum Eucharistiae percipere, et septennium nondum attigerint, ut Benedictus XIV docet [2]. — In dubio de rationis usu, non priventur tam salutari remedio, sed ungantur sub conditione: *Si capax es* [3]. — 2) Non possunt ungi *perpetuo amentes;* secus si lucida intervalla habuerint; vel etiam si probabile sit eos habuisse, in quo casu, sub conditione ungi debent. Monet autem RITUALE: « Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter possit quidquam facere contra reverentiam Sacramenti non inungatur, nisi periculum tollatur omnino, » puta, si teneatur vel etiam ligetur. — 3) Debent ungi infirmi, qui sunt *sensibus destituti*, et quidem absque conditione, si pii animi significationem dederint, aut christiane vixerint, adeo ut praesumi possit, illos Sacramentum fuisse petituros, si fuissent rationis compotes: seu, ut loquitur Rituale, *si verisimiliter petiissent.* Et ratio est, quia, in suscipiente hoc Sacramentum, sufficit intentio interpretativa (cf. n. 1434. 3°).

Requiritur 3° ut infirmus MORTIFERE AEGROTET, « ita ut de ejus morte timeatur, » ut ait Concilium Florentinum in Decreto ad Armenos. — Hinc, nec valide nec licite inungi possunt *sani*, etsi sint in aperto mortis periculo, ut periclitantes in mari, in praelio, etc.; morte publica plectendi; feminae communibus tantum doloribus laborantes in partu, etiamsi prima vice pariant, aut alias fuerint in vitae periculo; secus, si superveniant gravissimi cruciatus, per quos verificatur infirmitas cum periculo mortis. — Possunt autem inungi qui sunt veneno lethifero infecti; item laborantes aliquo malo, ob quod difficilem chirurgi operationem sunt subituri; item, senes decrepiti, « qui prae senio (ut Rituale loquitur) deficiunt et in diem videntur mori, etiam sine alia infirmitate: » ipsa quippe senectus est morbus [4].

[1] L. VI. 721; cf. *Collect. S. Sed.* n. 685. — [2] L. VI. 720. — [3] Ib. 719. — [4] Ib. 712-714; H. A. XVII. 7.

Digitized by Google

Ad sequens *quaesitum:* « Aliquando Missionariis Christianos sibi commissos visitantibus, occurrit aegrotus, hectica febri vel simili morbo laborans, qui juxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur. — Quaeritur an, in tali casu, Missionarius ipsi administrare possit Viaticum et Extremam Unctionem, eo quod quando verior aderit casus ea recipiendi, non poterit praesens haberi Missionarius, ob magnam distantiam et alias circumstantias id impedientes? — Respondit S. C. DE PROPAG. FIDE, 20 februarii 1801: *Affirmative* [1]. »

1882. — II. Ad LICITAM et FRUCTUOSAM Extremae Unctionis receptionem requiruntur, insuper, quaedam subjecti dispositiones. — Est enim primario, et per se, Sacramentum vivorum (cf. n. 1395).

Unde, praeter *intentionem*, saltem praesumptam recipiendi Sacramentum, quae etiam ad validitatem necessaria est, REQUIRITUR: 1° Peccatorum confessio, si aegrotus est in statu peccati mortalis. — 2° Contritio, saltem existimata, casu quo confiteri non possit; debet enim esse saltem putative in gratia: quod si solam attritionem habeat, Sacramentum non carebit suo effectu (cf. n. 1395 et 1397. qu. 2°). — 3° SS. Eucharistia, ex generali consuetudine Ecclesiae (sed ad summum sub veniali), praemittenda est, nisi excuset vomitus, vel alia causa rationabilis [2]. — Caeterae dispositiones, quales sunt vivida fides, spes firma, perfecta cum divina voluntate conformitas, etc., efficiunt, ut uberior ex Sacramento fructus percipiatur (cf. n. 1437).

Monet RITUALE: « Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis... (Sacramentum) denegetur. » — Datur tamen tum ebriis jamjam morituris, tum vulneratis in rixa jam sensibus destitutis, tum aliis quibuslibet, de quibus dubitatur, an sint in statu peccati mortalis, vel sint sufficienter dispositi. — Ait etiam Benedictus XIV [3]: « De quolibet fideli, de quo contrarium non constat, praesumendum est fuisse hoc Sacramentum petiturum, si potuisset [4]. »

1883. — **Quaesita.** QUAER. 1° *In quonam infirmitatis gradu* POSSIT *aut* DEBEAT *conferri Extrema Unctio?*

Resp. 1° POTEST, valide et licite, conferri statim ac infirmus prudenter seu probabiliter judicatur versari in periculo mortis, etsi nondum proximae. — Probatur ex Tridentino (sess. 14. cap. 3. *de Ext. Unct.*) ubi habetur: « Hanc unctionem infirmis adhibendam, iis vero praesertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur. » Particula illa *praesertim* satis indicat, posse Extremam Unctionem ministrari etiam infirmis, qui nondum

[1] *Collect. S. Sed.* n. 361; cf. et n. 687. — [2] H. A. XVII. 9. — [3] *De Syn.* L. 8. c. 6. n. 5. — [4] Cf. Berardi, *Prax. Conf.* n. 778-780.

Digitized by Google

videntur esse in exitu vitae. Res fortius probatur ex Bulla Benedicti XIV *Ex quo* [1], in qua legitur: « Ne Sacramentum Extremae Unctionis ministretur benevalentibus, sed iis duntaxat, qui *gravi morbo* laborant. » Quapropter, quoties Viaticum infirmo non jejuno praeberi potest, potest etiam ei dari Extrema Unctio; imo illam tunc dari expedit. — Quod si daretur in morbo GRAVI, quin mortis periculum saltem remotum adesse judicetur, daretur quidem valide, sed *illicite;* si in morbo LEVI, nec licite, nec valide ministraretur [2].

2° Dari DEBET, cum urget periculum mortis; sic enim loquitur RITUALE: « Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur. » — Neque expectandum est *ultimum vitae tempus*, dicente Catechismo Romano [3]: « Gravissime peccant (sacerdotes) qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. » Ratio est, inquit *S. Alphonsus*, quia privatur infirmus uberiori fructu, quem recepisset, si sui compos Sacramentum suscepisset; item, quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum daemoni, et ad perferenda morbi incommoda; privatur forte etiam corporis salute, si congruo tempore unctus fuisset, juxta dicta n. 1872; imo et ipsa salute aeterna animae, casu quo existens in mortali gratiam, auxilio attritionis, adeptus fuisset. — Quae omnia saltem simul congesta videntur grave damnum infirmo afferre [4].

QUAER. 2° *An et quando* ITERARI *possit hoc Sacramentum?*

Resp. Iterandum est: — 1° In infirmitate diversa et periculosa: ordinatur enim ad sanandum; « medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur, » ut ait D. Thomas [5]. — 2° In diverso diuturnae infirmitatis periculo; dicit enim RITUALE: « In eadem infirmitate iterari non debet, *nisi diuturna sit*, ut cum infirmus convaluerit, et iterum in periculum mortis inciderit. »

Hinc, IN MORBO DIUTURNO, qualis est phthisis et hydropisis, si infirmus post unctionem *certe* manserit in eodem infirmitatis statu, vel per breve tantum tempus, puta per 4 vel 5 dies, se melius habuerit, non debet iterari. — Si vero talis in ejus statu mutatio intervenerit, ut *cum probabilitate* judicandum sit, eum e mortis periculo exiisse, eo quod per notabile tempus, puta per mensem, se habuerit melius, quam antea, in tali casu, teste Benedicto XIV [6], standum est pro iteratione Sacramenti, « eo quod, inquit, haec iteratio conformior sit veteri consuetudini Ecclesiae, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obveniat. »

[1] Bulla *Ex quo*, §. 46. — [2] L. VI. 714; H. A. XVII. 7. — [3] *De Extrema Unctione*, n. 9. — [4] L. VI. 714; *Prax.* n. 273, 274. — [5] *Contra Gent.* L. 4. c. 73. — [6] *De Syn.* L. 8. c. 8 n. 4; L. VI. 715.

Digitized by Google

QUAER. 3° *An susceptio hujus Sacramenti sit* NECESSARIA *ad salutem?*

Resp. 1° Non est necessaria necessitate medii, cum salus sine hoc Sacramento obtineri possit. Ita omnes. — *An autem necessaria sit necessitate praecepti*, controvertitur. S. Alphonsus judicat sententiam affirmativam tanquam *valde probabilem*, atque in praxi *omnino suadendam:* id vero, non jam ratione praecepti, de cujus gravi obligatione non constat; sed ratione charitatis, quam infirmus sibi ipsi debet, et quae, in extremo vitae articulo maxime urget. Nam quamvis alia praesidia, quibus se munire possit, ipsi non desint, immisericorditer tamen erga se ageret, si validissimo hoc praesidio ultro se privaret. Qui enim in mortis periculo versatur, una ex parte, nonnisi cum magna difficultate ad bonos actus se excitare valet, et altera ex parte validis hostium impugnationibus est obnoxius, cum « in hoc temporis puncto (ut Tridentinum loquitur), vehementiores sint daemonis insidiae. » Unde (sic concludit B. Doctor, ingenti periculo se exponere videtur tentationibus succumbendi, qui *negligit* se munire hoc Sacramento a Christo Domino instituto, tanquam firmissimo praesidio, in tanto conflictu.

2° Quamvis *per se* de gravi obligatione suscipiendi Extremam Unctionem non constet, *omnes* tamen conveniunt, infirmum PER ACCIDENS teneri, et quidem SUB GRAVI, ad Sacramenti susceptionem, sive ratione specialis necessitatis, si nempe existens in mortali aliud Sacramentum recipere non posset, sive ratione scandali vitandi, sive demum ratione contemptûs. — Certum est enim, contemptum formalem inducere culpam gravem. Porro, contemptus censetur formalis, cum infirmus hoc Sacramentum recusat, quia illud parvi pendet; non vero cum recusat ex aliqua repugnantia, vel ignorantia. Confirmatur ex Bulla Martini V: *Hoc Sacramentum neque negligi sine culpa, nec contemni posse sine peccato mortali.* « Unde, videtur Pontifex satis expressisse, quod contemptus hujus Sacramenti gravem quidem importet culpam, negligentia vero non plus quam levem [1]. »

Nota. De ASSISTENTIA ERGA MORIBUNDOS vide Opusculum S. Alphonsi in fine *Praxis Confessarii*, vel in *Hom. Apost.* Tract. ult. Append. II. — De *Indulgentia* moribundis impertienda [2] (cf. n. 1854. 9°).

[1] L. VI. 733; H. A. XVII. 12. — [2] Cf. etiam Berardi, *Prax. Conf.* n. 783-791.

Digitized by Google

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS

1884. — Postquam de quinque Sacramentis, quae ad spiritualem hominis privati vitam ordinantur, tractavimus; restat, ut de duobus aliis, quae in Societatis religiosae commodum instituta fuerunt, disseramus. — Et primo disseremus DE ORDINE, a quo, sicut ait Catechismus Romanus, omnia alia Sacramenta ita pendent, « ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant, partim solemni caeremonia et religioso quidem ritu ac cultu carere videantur. »

Agemus: 1° de natura Ordinis; 2° de Ministro; 3° de Subjecto Ordinis; 4° de Irregularitatibus, seu de impedimentis Ordinis suscipiendi vel suscepti.

CAPUT I.

DE NATURA ORDINIS

Dicendum: 1° de notione Ordinis; 2° de effectibus hujus Sacramenti; 3° de materia et forma, quibus constituitur.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ORDINIS

1885. — I. DEFINITIO. Ordo, *generatim*, est apta rerum inter se et ad aliquem finem dispositio.

Ordo, *speciatim*, relate ad nostrum scopum spectatus, sumitur dupliciter: 1° *passive*, pro certo quodam gradu, seu statu hominum, qui aliqua consecratione ad ministerium divinum in Ecclesia Christi deputantur; qua ratione non est Sacramentum, sed aliquid permanens; — 2° *active*, pro ipso ritu sacro, per quem homo in hujusmodi statum et dignitatem ministerii divini cooptatur: quo sensu est aliquid transiens, et *definiri* solet: « Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur Ordinato, in ordine ad Eucharistiam....[1]. » Ita definitus, Ordo comprehendit etiam gra-

[1] L. VI. 735; *Exam. Ord.* n. 25.

Digitized by Google

dus inferiores seu Ordines minores, qui, probabilius non sunt a Christo Domino, sed ab Ecclesia tantum instituti.

Pressius autem ORDO, quatenus a Christo Domino institutus, *definiri* potest: « Sacramentum Novae Legis, quo traditur potestas consecrandi, offerendi, et ministrandi Corpus et Sanguinem Christi, nec non peccata remittendi, vel ex officio sacerdoti subserviendi. » — Ex Trid. sess. 13. cap. 1 et 2.

1886. — II. DISTINCTIO ORDINUM. Est de fide, in Ecclesia, PLURES esse Ordines, definiente Tridentino, sess. 23. can. 2: « Si quis dixerit, praeter sacerdotium, non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur: anathema sit. »

SEPTEM ORDINES in Ecclesia latina recensentur, videlicet: quatuor *minores:* Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, et Acolythatus; tres *majores:* Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium seu Presbyteratus. — Tres posteriores dicuntur etiam *sacri*, tum quia ad Eucharistiam conficiendam aut ministrandam immediate concurrunt, tum praecipue quia annexam habent obligationem perpetuae castitatis, per quam Ordinati Deo consecrantur[1].

Distinctio Ordinum, juxta *D. Thomam* [2], accipitur secundum relationem ad EUCHARISTIAM, prout conficitur, distribuitur, et suscipitur. — Unde, vel agitur de consecranda Eucharistia, et ad hoc datur *Sacerdotium;* vel de ea distribuenda, et in hoc sacerdoti cooperatur *Diaconus;* vel in praeparandis sacris vasis, ut in eis materia recipiatur, quod pertinet ad *Subdiaconum;* vel de ipsa materia praesentanda, et hoc pertinet ad *Acolythum.* — Quod vero spectat ad susceptores, hi debent esse mundi: immundi ergo arcendi sunt. Horum autem TRIPLEX est genus: alii sunt, qui nolunt Fidem suscipere, ut Infideles, quibus est claudenda ecclesia, et hoc pertinet ad *Ostiarios;* alii, qui fidem quidem susceperunt, sed nondum sunt sufficienter instructi, quales sunt Catechumeni, et his dantur *Lectores;* alii, qui sufficienter quidem doctrina abundant, sed a daemone detinentur, uti Energumeni, et ad hos deputantur *Exorcistae.*

Septenario Ordinum numero non officiunt *Tonsura* et *Episcopatus.* — Tonsura enim non est Ordo, sed dispositio ad Ordines, ut patet ex Trid. sess. 23. cap. 2. — Episcopatus autem est Presbyteratus complementum, cum Sacerdotium in Presbyteratum et in Episcopatum subdividatur [3].

1887. — III. VERITAS SACRAMENTI. Ordo, seu Ordinatio sacra, est verum et proprie dictum Novae Legis SACRAMENTUM. — Habet enim tria, quae Sacramentum constituunt, nempe: 1° *Signum sensibile* per impositionem manuum cum adjunctis verbis, ex Act. Apost. c. 6, 6.: « Et orantes imposuerunt eis manus; » — 2° promissionem *gratiae*, ex 1. Tim. 4, 14: « Noli negligere gratiam... quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii: » — 3° *institutionem Christi*, ex Ephes. 4, 11: « Ipse dedit quosdam... Apostolos... alios autem

[1] *Exam. Ord.* n. 27. — [2] *Suppl.* q. 37. a. 2. — [3] Cf. Panzuti, *De Ord.* n. 345.

Digitized by Google

pastores et doctores... in opus ministerii; » et ex Luc. 22, 19: « Hoc facite in meam commemorationem » : quibus verbis sacerdotium aperte institutum est. Confirmatur ex Trid. sess. 23. can. 3: « Si quis dixerit, Ordinem seu sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum : anathema sit [1]. »

1888. — Quaesita. QUAER. 1° *An singuli septem Ordines sint Sacramenta ?*

Resp. 1° De fide est PRESBYTERATUM esse Sacramentum, quia de eo saltem verificantur quae diximus de Ordine in genere, et illa Tridentini (sess. 23. can. 4) verba : « Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere : *Accipite Spiritum Sanctum*, aut per eam non imprimi characterem : anathema sit. »

Resp. 2° Certum est, etsi non de fide, DIACONATUM esse Sacramentum ; quia in eo reperiuntur essentialia ad Sacramentum requisita, scil. materia certa, quae est impositio manuum, et forma cum promissione gratiae, in his verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. — Constat insuper ex Trid. sess. 23. can. 6: « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris (qui sunt saltem diaconi) : anathema sit. »

Resp. 3° « Quod alii Ordines, SUBDIACONATUS nempe et QUATUOR MINORES, sint adhuc Sacramenta, satis probabile est, ex *D. Thoma*, cum unicuique Ordini assignata videatur materia et forma... Verumtamen, *probabilius est, non esse Sacramenta;* quia deest in eis *materia,* nempe impositio manuum, quam (ut mox dicemus) probabilius est esse unicam materiam Ordinis ; deestque etiam *forma,* quae exprimat productionem gratiae, dum in collatione praefatorum Ordinum non fit mentio gratiae, sed tantum potestatis quae traditur [2]. » His adde, quod in Ecclesia Graeca Ordines minores non reperiuntur, excepto Lectoratu. — Atque hinc sequitur, damnari non posse *certi sacrilegii* illos, qui ad Ordines diaconatu inferiores cum conscientia peccati mortalis promoventur. Excipe, quoad Eucharistiam, quam in ipsa Ordinatione recipiunt.

QUAER. 2° *An* EPISCOPATUS *sit Sacramentum a Presbyteratu distinctum ?*

Resp. 1° De fide est, Episcopatum esse a Christo Domino institutum, et Episcopos fieri per illum, divino jure, presbyteris superiores: ut constat ex Trid. sess. 23. can. 6 et 7. — 2° De fide tamen non est, Sacramentum esse a Presbyteratu distinctum ; id

[1] *Exam. Ord.* n. 25. — [2] Ib. n. 28.

Digitized by Google

enim negant D. Thomas et alii non pauci, qui docent, Episcopatum esse *extensionem* sive *complementum presbyteratûs:* hac nimirum ducti ratione, quod per Episcopatum non confertur potestas consecrandi et offerendi amplior ac sublimior. Unde, non requiritur, inquiunt, ut novus character imprimatur, sed sufficit, characterem sacerdotii perfici, atque ad alia munia ampliari: eo ferme modo, quo, in Ordinatione presbyteri, sacerdotalis potestas per postremam manuum impositionem, extenditur ad potestatem remittendi ac retinendi peccata. — Atvero, valde probabilius et communissime, alii docent cum Bellarmino, Episcopatum esse *Sacramentum a Presbyteratu distinctum*, in ipsoque specialem imprimi characterem; tum quia confertur per manuum impositionem et per formam: *Accipe Spiritum Sanctum;* tum praesertim, quia per ipsum traditur specialis potestas, non solum quoad varias sacras functiones, sed etiam quoad ipsam Eucharistiam, potestas nempe constituendi hujus Sacramenti ministros [1].

QUAER. 3° *An et quomodo varii Ordines* UNUM *duntaxat* SACRAMENTUM *constituant?*

Resp. « Unum tantum Sacramentum constituunt *ex unitate finis*, cum singuli sint ordinati ad unum Missae Sacrificium conficiendum; et omnes (in sententia S. Thomae) supponuntur instituti a Christo illis verbis: « Hoc facite in meam commemorationem. » In Ordine enim Sacerdotii alii vel continentur eminenter, ut sunt Ordines inferiores, vel consequenter respectu ad Episcopatum [2]. »

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS ORDINIS

Agemus: 1° de effectibus hujus Sacramenti, in genere; 2° de potestate et officiis singulorum Ordinum, in specie.

§. 1. *De effectibus sacrae Ordinationis.*

1889. — I. Effectus Ordinis, QUOAD IPSUM ORDINATUM, sunt tres sequentes [3]:

1° Collatio GRATIAE tam habitualis, quam sacramentalis, juxta dicta de Sacramentis in genere (n. 1394-1396). — Haec gratia, cujus excellentia ex ministerii sublimitate dijudicanda est [4], impertitur iis solis, qui Sacramentum *digne* suscipiunt.

[1] L. VI. 738; VII. 314. dub. 2. — [2] *Exam. Ord.* n. 28. — [3] Ibid. n. 31. — [4] Cf. *Selva*, cap. 1.

Digitized by Google

2° Impressio CHARACTERIS indelebilis, ob quem nullus Ordo iterari potest. Constat ex Tridentino (sess. 23. can. 4). Omnes, qui *valide* Sacramentum suscipiunt, insigniuntur hoc charactere.

3° Collatio POTESTATIS exercendi functiones Ordinis, qui suscipitur. — Haec potestas versatur circa res spirituales, atque in primis circa corpus Christi reale, seu circa SS. Eucharistiam, cum aliqua praeeminentia; et confertur omnibus, qui Sacramentum valide suscipiunt; imo et illis, qui tantummodo ad Subdiaconatum, vel ad Ordines minores, promoventur, etsi, probabilius, characterem non recipiant. — Nec desunt his gratiae auxilia, ratione precum Ecclesiae concessa.

1890. — II. Effectus Ordinis, QUOAD ECCLESIAM, est permanentia in ipsa hierarchiae divinitus institutae. — Sic enim loquitur Tridentinum (sess. 23. can. 6): « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris: anathema sit. » Ex quibus verbis aperte colligitur, Sacramentum Ordinis (prout Catechismus Romanus [1] advertit) maxime spectare ad utilitatem Ecclesiae, et ad ejus pulchritudinem.

Quale est, quaeres, DISCRIMEN *inter potestatem* ORDINIS *et potestatem* JURISDICTIONIS ?

Resp. Triplex praecipue assignari potest. — PRIMUM oritur ex modo quo ACQUIRITUR utraque potestas; potestas enim Ordinis confertur *per sacram Ordinationem;* potestas vero jurisdictionis transmittitur *per missionem,* quae definitur: « Legitima assignatio subditorum, seu legitima deputatio ad exercendum munus spirituale. » — SECUNDUM habetur ex utriusque potestatis OBJECTO seu FINE: Ordo, seu ministerium, sanctificat homines per ritus; potestas vero jurisdictionis regit ac dirigit eos, per magisterium et disciplinam. — TERTIUM discrimen sumitur ex modo, quo utraque SUBJECTO INHAERET: potestas Ordinis inhaeret immutabiliter: unde Episcopi et Sacerdotes semper et ubique agunt valide ea, quae vi solius Ordinis rite peraguntur; jurisdictio autem, cum *ex missione Ecclesiae* conferatur, potest limitari, aut omnino tolli, et ideo actus jurisdictionis possunt a Superiore irritari. — Adde, quod una potestas stare valet sine altera, ut patet in Episcopo *instituto,* qui licet nondum consecratus, jurisdictionem in suam dioecesim sortitur; dum Episcopus *titularis* potestatem Ordinis habet sine jurisdictione, saltem propria [2].

§. 2. *De potestate et officiis singulorum Ordinum.*

1891. — I. Ordo EPISCOPATUS, confert presbytero potestatem confirmandi, ordinandi, de Fide judicandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.

[1] *De Ordine,* n. 34. — [2] L. VI. 735; cf. Huguenin, *Expos. Jur. can.* tom. I. pag. 147 (vel Edit. 4ª 1887, n. 235-238); cf. S. Th. 2. 2. qu. 39. a. 3.

Digitized by Google

Officia Episcopi, potestati *Ordinis* annexa, sunt sequentia: Administratio Ordinis et Confirmationis; item consecratio altarium et ecclesiarum, olei infirmorum, catechumenorum et chrismatis, calicum et patenarum, Regum et Reginarum; Sanctimonialium velationes, et benedictio major seu solemnis. — Officia annexa potestati *jurisdictionis* breviter exponentur in Parte IV^{a} (cf. n. 2250 et sqq.)

1892. — II. Ordo Presbyteratus confert diacono potestatem consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, remittendi et retinendi peccata, et pascendi subditos opere ac doctrina [1]. Constat ex Trid. l. c. can. 1. — En queis verbis presbyteri *Officia* in Pontificali describuntur: «Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, baptizare » (vide etiam n. 2266 et sqq.)

1893. — III. Ordo Diaconatus confert subdiacono potestatem immediate assistendi sacerdoti in Missa solemni, porrigendo ei patenam cum hostia, et calicem cum vino, et canendi Evangelium, et praedicandi [2]. Diaconatus pertinet ad hierarchiam divinitus institutam, ut constat ex dictis n. 1888; etenim sub nomine *ministrorum* saltem diaconi comprehenduntur. — Eorum officia, praeter jam commemorata, sunt sequentia: 1° Solemniter baptizare, sed solum cum licentia parochi et in gravi necessitate; nam diaconus, qui sine commissione, etiam in casu necessitatis, solemniter baptizat, incurrit irregularitatem (cf. n. 1462). — 2° Ministrare Eucharistiam; sed neque hoc ipsis licet, nisi ex commissione, et in casu gravis necessitatis: qualis est, si populo accedenti ad Communionem desit sacerdos; secus foret irregularis. — 3° Deferre pyxidem aut ostensorium cum Eucharistia. — 4° Lavare Corporalia, in defectu subdiaconi [3].

1894. — IV. Ordo Subdiaconatus confert ordinato potestatem in Missa solemni inserviendi diacono et solemniter canendi Epistolam. — Subdiaconorum officia, praeter gravissimam obligationem recitandi quotidie divinum Officium et servandi perpetuam castitatem, possunt paucis sic enuntiari: — 1° Ad altare diacono ministrare; praeparare ad Sacrificium vinum, panem, lintea, etc.; cantare cum manipulo Epistolam in Missa solemni; deferre ad aram calicem et patenam; aquam in calicem fundere; patenam elevatam tenere; pacem in chorum deferre. — 2° In processionibus portare crucem; corporalia et purificatoria abluere: ut in Pontificali Romano praescribitur [4].

[1] L. VI. 735. 7°. — [2] *Exam. Ord.* n. 90. — [3] Ibid. n. 91. — [4] L. VI. 805.; *Exam. Ord.* n. 57.

Digitized by Google

Deficiente subdiacono pro Missa solemni, possunt, si existit necessitas, Superiores permittere, ut clericus solis minoribus Ordinibus insignitus ei substituatur, ad cantandam Epistolam, sed absque manipulo (ita ex decreto S. R. C. die 5 julii 1698, ad 18) [1]. Si enim officium proprium Subdiaconi exercere intenderet, incurreret irregularitatem [2] (cf. n. 1943).

1895. — V. Ordo Acolythatus confert clerico potestatem ferendi urceolos ad altare, et candelabra luminaque in eo accendendi. (Ex Pontif. Rom.) — « Acolythi officium est praeparare ampullas vini et aquae ad Sacrificium Missae, easque porrigere Subdiacono; ferre cereos ad idem Sacrificium et illi ministrare: unde et *ceroferarius* dicitur [3]. »

1896. — VI. Ordo Exorcistatus confert clerico potestatem expellendi daemones ab obsessis, ne eos impediant a Communione (Ex Pontif. Rom.) — Exorcistae officium est manus imponere supra vexatos a spiritibus immundis, ad illos adjurandos et ejiciendos; item ad exorcizandos catechumenos [4]. « Ut possit autem exorcista solemniter exorcizare, requiritur etiam collatio jurisdictionis, sive licentia Episcopi. Id tamen non est ob jus commune, sed ob particulare praeceptum Episcoporum prohibentium exorcizare sine eorum licentia. — Dictum est *solemniter*, cum quisque fidelis possit privatim imperare daemonibus, ne noceant, neque impediant fideles ab actionibus sacris [5] » (cf. n. 622).

1897. — VII. Ordo Lectoratus confert clerico potestatem legendi Scripturas sacras in ecclesia (Ex Pontif. Rom.) — Lectoris officium est: 1° Cantare Lectiones et legere sacras Scripturas extra Missam (nam in Missa est officium Subdiaconi); 2° catechizare, seu docere catechumenos rudimenta fidei; 3° benedicere panem et omnes fructus novos. — Ita Pontif. Rom. [6].

1898. — VIII. Ordo Ostiariatus tribuit clerico potestatem aperiendi, claudendi, et custodiendi ecclesiam. (Ex Pontif. Rom.) — Ad ejus praeterea officium spectat pulsare campanas, admittere dignos in ecclesiam, expellere indignos, scilicet infideles, haereticos et excommunicatos [7].

1899. — Quaeritur. *Quinam sint effectus* Tonsurae?

Resp. Tonsura, quamvis non sit Ordo, neque ullam potestatem conferat, sortitur tamen ex institutione Ecclesiae multiplices effectus, ac pretiosa *privilegia*, nimirum: 1° Tonsuratus transfertur ad statum clericalem. Atque hinc est cur capilli ipsi abscindantur, et quidem in modum coronae, qua regia dignitas eorum, qui in Domini sortem vocati sunt, praeclare exprimitur. — 2° Potest, indutus superpelliceo, intervenire in choro ad cantanda divina Officia. — 3° Acquirit privilegium *fori*, quo eximitur a jurisdictione fori laicalis.

[1] Cf. Gardellini, n. 3477. — [2] *Exam.* n. 57. — [3] L. VI. 805. — [4] Ibid. 805. — [5] *Exam.* n. 55. — [6] L. VI. 805. — [7] *Exam. Ord.* n. 53.

Digitized by Google

— 4° Acquirit etiam privilegium *canonis*, ita ut percutientes ipsum injuriose, incurrant excommunicationem reservatam Papae, si percussio est gravis; Episcopo autem, si levis. — 5° Tonsuratus fit capax beneficii ecclesiastici, modo habeat 14 annos. — 6° Fit capax omnis jurisdictionis ecclesiasticae, ad conferenda beneficia, ferendas censuras, et judicandas causas spirituales. — 7° Fit proxime aptus ad recipiendos Ordines. Licet enim nondum tonsuratus valide ordinetur, illicite tamen recipit Ordines, et peccat graviter contra praeceptum Tridentinum (sess. 23. cap. 1) [1].

ARTICULUS III.

DE MATERIA ET FORMA ORDINIS

Duo hic PRAENOTABIMUS: — Primum est, quod minime ad praxim spectat controversia, quae de Ordinis forma ac materia movetur, cum in Sacramentorum administratione necessario eligenda sit pars tutior. — Alterum est, quod Ordines minores et Subdiaconatus, quos probabilior sententia Sacramenta esse negat, ob quamdam cum Sacramentis analogiam, materiâ pariter ac forma constant. — His praenotatis, dicimus:

1900. — I. Ordinum, qui probabilius non sunt Sacramenta, MATERIA REMOTA sunt instrumenta, materia autem PROXIMA est horum instrumentorum traditio; FORMA vero sunt verba, quae Episcopus profert in instrumentorum traditione [2]. — Ita communiter.

Hinc: 1° OSTIARIUS ordinatur in traditione clavium ecclesiae. Si plures ordinantur, non requiritur, ut singuli in tangendis clavibus sibi succedant; sufficit tactum fieri a binis vel quaternis conjunctim, dummodo fiat cum manu dextra, eo tempore, quo Episcopus profert formulam. Ita S. R. C. 11 martii 1820 [3]. — Quod si desint claves Ecclesiae vel Oratorii, *qualicumque clave* Ordinans uti potest. (S. Congr. de Prop. F. ad Vicarium Apost. Cocincinae, 23 mart. 1844) [4].

2° LECTOR ordinatur traditione libri prophetiarum, et epistolarum. Si loco libri epistolarum sive *lectionarii* traderetur Biblia aut Breviarium, non solum valida, sed etiam licita foret Ordinatio; secus, si alius liber traderetur [5].

3° EXORCISTA ordinatur traditione libri exorcismorum.

4° ACOLYTHUS ordinatur traditione ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et candelabri cum cereo extincto; quia ipsius est praeparare lumen ac vinum et aquam ad Missam. — Character vero (si quis imprimitur) imprimitur in *urceolorum* traditione, quia in hac ultima traditione confertur principalior potestas [6].

[1] *Exam.* n. 47. 48. — [2] L. VI. 739. — [3] Gardellini, n. 4565. ad 7m in *Civitaten.* — [4] *Collect. S. Sed.* n. 818 (cf. et 816, 817). — [5] *Exam.* n. 54. — [6] Ibid. n. 56; L. VI. 745.

Digitized by Google

5° SUBDIACONUS ordinatur tum traditione calicis vacui cum vacua patena superposita, tum traditione libri Epistolarum.

Apud Graecos habetur pro materia subdiaconatus, impositio manuum; qua tamen impositione Sacramentum conferri negant [1].

1901. — II. Ordinum, qui certe sunt Sacramenta, MATERIA ESSENTIALIS est, juxta probabiliorem sententiam, sola manuum impositio; FORMA vero sunt verba, quae manuum impositionem concomitantur. Instrumentorum autem traditio est materia ACCIDENTALIS, etsi integralis. — Probatur haec sententia: 1° ex iis Scripturae textibus, qui tum diaconos tum Episcopos ac presbyteros ordinatos fuisse commemorant *per impositionem manuum;* — 2° ex Concilio Carthaginensi IV, ubi dicitur: « Cum diaconus ordinatur, solus Episcopus manus super caput ejus ponat; » et ex Tridentino (sess. 14. cap. 3. *de E. U.*), ubi declaratur ministros Extremae Unctionis esse sacerdotes rite ordinatos *per impositionem manuum presbyterii.* — Adde, quod instrumentorum traditio non fuit invecta ante octavum vel nonum saeculum. Si igitur sacerdotes, primis saeculis, per solam impositionem manuum valide ordinati fuerunt, sequitur Ordinationem essentialiter consistere in impositione manuum [2].

Nec tamen improbabiles sunt duae opiniones contrariae: quarum altera docet, diaconatus materiam, sicut et inferiorum Ordinum, consistere *in sola instrumentorum traditione*, formam vero in concomitantibus verbis; altera autem sententia contendit, tum *instrumentorum traditionem* tum *manuum impositionem* ad essentiam diaconatus requiri cum forma correspondenti [3].

Pro PRAXI igitur, juxta tutiorem ac tenendam sententiam:

1° Diaconatus MATERIA est tum *impositio manuum Episcopi* super caput singulorum Ordinandorum, tum *traditio libri Evangeliorum;* ejusque FORMA sunt verba concomitantia.

2° Presbyteratus MATERIA item duplex est, nempe *traditio calicis* cum vino et aqua, atque patena cum superposito pane, ac dein *impositio manuum.* Haec autem in presbyterorum Ordinatione *triplex* habetur: prima, quando Episcopus utramque manum extendit super cujuslibet Ordinandi caput, nihil dicens; altera, quando una cum presbyteris tenet dextram super Ordinandos extensam, proferens haec verba: « Oremus, fratres charissimi, etc.; » tertia tandem, quando, post Communionem, utramque rursus manum singulorum capiti imponit, dicens: « Accipe Spiritum Sanctum, etc. » — Hinc quaeritur, *quaenam ex his tribus impositionibus sit materia essentialis?* Et respondemus: Certum est, primam non esse essentialem, cum nulla forma ei respondeat. Sed nec essentialis est, juxta communem sententiam, tertia impositio, tum quia non fuit in usu apud Latinos per duodecim priora saecula, tum quia supponit jam consecratos sacerdotes, dum ipsi cum Episcopo jam con-

[1] L. VI. 746; *Exam.* 57. — [2] Cf. Lib. VI. 12 et 741; H. A. XVII. 16. — [3] L. VI. 748.

Digitized by Google

secrarunt Eucharistiam. Remanet ergo dicendum, *secundam* impositionem (quae est proprie *presbyterii)* esse materiam essentialem [1].

3° Episcopatus necessaria MATERIA est certe *impositio manuum Episcopi Consecratoris,* cui assistunt duo alii Episcopi, vel in casu necessitatis, duo sacerdotes, ex dispensatione Sedis Apostolicae. — Probabiliter etiam requiritur ad validitatem *impositio libri Evangeliorum* super caput et scapulas Ordinandi, cum verbis concomitantibus. — Imo, juxta plures, ad ritum essentialem etiam pertinent tum *unctio chrismatis in capite,* tum *baculi pastoralis et annuli traditio.* Quod in praxi tenendum est, etsi parum sit probabile [2].

1902. — Notandum est, ait *S. Alphonsus,* quod in Ordinibus sacris conferendis requiritur: 1° ut *ab eodem Episcopo* qui formam profert, materia tradatur. Secus vero esse, docet D. Thomas, in collatione Ordinum minorum [3]. — Requiritur 2° ut calix et patena, quae sive subdiacono sive presbytero traduntur, sint *consecrata,* etsi plures dicant hoc esse tantum de praecepto [4]. — In Ordinatione presbyteri requiritur 3° ut una cum calice et patena tradatur simul *utraque species panis et vini* ad exprimendam potestatem in totum Sacrificium [5]. — Requiritur 4° ut *cuppa calicis simul et patena* tangantur; licet communiter doceatur non absolute requiri, ut tangatur immediate hostia, sicut nec vinum unquam immediate tangitur [6].

Item, judice *S. Alphonso* [7], ad integram securitatem requiritur *physicus instrumentorum contactus,* nec proinde sufficit eorum contactus moralis. Atque ex hoc sequitur, satis dubiam esse Ordinationem sacerdotis, qui solam patenam tetigit vel solum calicem, eamque, ob tale dubium, esse sub conditione iterandam [8]. — Sufficit tamen contactus *mediatus,* nempe si contingatur calix, aut liber medio aliquo velo vel chirotheca: qui enim sic tangit in omnium sensu, vere tangere dicitur [9].

Quoad UNIONEM *formae et materiae,* monet praeterea S. Doctor, non requiri, ut contactus instrumentorum fiat a principio prolationis formae usque ad finem; sed sufficere, si fiat antequam forma terminetur, vel postquam sit incepta [10].

1903. — QUAERITUR. *An, quomodo, et quonam tempore sint* SUPPLENDI *defectus in Ordinatione commissi?*

Resp. 1° Defectus GRAVES, certo vel probabiliter commissi, supplendi sunt. Imo, sola anxietas, orta ex dubio *positivo,* est causa sufficiens iterandi sub conditione Ordinationem diaconi, presbyteri et Episcopi. — Atvero, contemnenda sunt *inania dubia* seu veri

[1] L. VI. 749; H. A. XVII. 16; cf. *1 Elench. qq. ref.* n. 65. — [2] L. VI. 755; cf. Panzuti, *de Ord.* L. 6. n. 350. — [3] L. VI. 744; cf. Craisson, n. 3969. — [4] L. VI. 747. — [5] Ib. 750. — [6] Ib. 752. — [7] Ib. 743. — [8] Cf. Decis. S. C. C. 28 maji 1796 (*Thesaur. Resol.* tom. 65. p. 10); cf. et *Vindic. Alph.* p. IV. q. 3. — [9] L. VI. 743. fin. — [10] *Exam. Ord.* n. 29.

Digitized by Google

scrupuli: Episcopi enim et alii officiales ita in Ordinatione sacra invigilant, ut semper certitudo moralis de ejusdem validitate habeatur, nisi quid positive in contrarium obstet [1].

2° Quoad MODUM corrigendi errores, distinguendum est: — « Si defectus est circa *essentialia*, nempe circa materiam et formam, Ordinatio omnino repetenda est; et quidem tota, si defectus, sive ejus dubium vertitur quoad traditionem primae potestatis super corpus Christi reale; si vero quoad secundam circa corpus mysticum, tantum secunda repeti debet. — Si autem defectus est circa *accidentalia*, tunc si est de re levi, puta si Ordinatus non dixerit Canonem, talis caeremonia aut similis non oportet repeti; si autem in re gravi, v. g. si defuerit unctio manuum, vel si neopresbyter non protulerit verba (i. e. totam formam) consecrationis cum Episcopo, tunc defectus quamprimum supplendus est, et ab eodem Episcopo, si fieri potest; alias graviter peccaret Ordinatus id negligendo, aut in Ordine ministrando [2]. » — Occulte tamen supplendus est *defectus occultus*, ad vitandum scandalum et turbationem aliorum.

3° Quoad TEMPUS, quo defectus supplendi sunt, haec habet S. Doctor [3]: « Si sint defectus circa *accidentalia*, probabiliter quovis tempore suppleri possunt. — Si vero circa *essentialia*, idem dicunt Salmanticenses cum aliis; sed ex probabiliori et communiori sententia supplendi sunt temporibus statutis Ordinationum, ut colligitur ex cap. *Presbyter*, *de Sacr. non iterand.;* nisi agatur de solo dubio validitatis Ordinationis, ut probabiliter plures DD. opinantur. » Sic, v. g. ex Resp. C. S. OFF. 19 aug. 1851, tactus *corporalis* instrumentorum si defuit in Ordinatione diaconi, *debet* suppleri; *potest* vero suppleri « *privatim* et secreto in actione Missae, atque etiam extra tempora generalis Ordinationis [4]. »

Caeterum, hoc quoque notandum est, quod ea quae ab institutione Ecclesiae pendent, v. g. in collatione tonsurae, vel minorum Ordinum, per Ecclesiae voluntatem pariter suppleri possunt [5].

CAPUT II.

DE MINISTRO ORDINIS

In ministro alia requiruntur, ut Ordines VALIDE; alia, ut eos LICITE conferat.

[1] Cf. L. VI. 757. — [2] *Exam. Ord.* n. 94; cf. L. VI. 758. — [3] *Exam.* ib. 94. — [4] *Collect. S. Sed.* n. 824. — [5] Cf. Lehmkuhl, II. n. 586; Gardellini, n. 5054, ubi exemplum sanationis.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS IN MINISTRO UT VALIDE ORDINET

1904. — Praeter intentionem (de qua in Tract. *de Sacramentis in genere*, n. 1412), requiritur in ministro sacrae Ordinationis concessa potestas. — Quocirca haec statuuntur

Principia. I. Episcopus consecratus est ORDINARIUS Sacramenti Ordinis minister. — Est de fide, et constat tum ex Decreto Eugenii IV ad Armenos et ex Tridentino (sess. 23. can. 7.), tum ex constanti Ecclesiae traditione. — Nec officit validitati Ordinationis, quod Episcopus sit haereticus, degradatus, simoniacus, censuratus aut irregularis; dummodo omnia substantialia serventur [1].

Hinc « nullae habentur Ordinationes *Lutheranorum*, propter defectum tam characteris in ordinante, quam formae a Christo institutae. Sic pariter Ordinationes *Anglicanae* certo dubiae, imo longe probabilius invalidae sunt. — Aliter tenendum est tum de *Graecis schismaticis*, tum de *Jansenistis* in Hollandia [2]. »

1905. — II. Simplex sacerdos potest, ceu minister EXTRAORDINARIUS, conferre ex commissione S. Pontificis tonsuram et quatuor Ordines minores. — Constat tum ex variis Conciliis, tum ex privilegiis a jure vel a S. Sede concessis [3].

Hinc Abbates regulares possunt, ex Tridentino (sess. 23. cap. 10. *de reform.*), *suis subditis Religiosis* minores Ordines et tonsuram valide et licite conferre. — Aliis vero, exclusis etiam suis subditis saecularibus, eos non amplius licite conferre possunt; imo, nec valide, ut evincitur ex variis S. C. Concilii Responsis post Benedictum XIV editis, nisi adsit aliqua specialis concessio ad casum particularem [4].

1906. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An valeat Summus Pontifex* SIMPLICI SACERDOTI *concedere facultatem conferendi* SACROS *Ordines?*

Resp. Communis sententia negat, simplicem sacerdotem unquam posse conferre presbyteratum. — *Utrum subdiaconatum, imo et diaconatum, ex S. Pontificis commissione, conferre possit*, controvertitur. Alii affirmant, alii negant; alii demum, et quidem probabiliter, negant de diaconatu, et affirmant de subdiaconatu, eo quod hic Ordo non habeat, sicut diaconatus, immediatam relationem ad Corpus Christi, nec semper inter sacros Ordines computatus fuerit [5].

QUAER. 2° *Utrum ad valorem Ordinationis episcopalis requiratur* TRIUM EPISCOPORUM *assistentia?*

Resp. 1° Certum est, *validam* esse Ordinationem, quae, cum licentia Apostolicae Sedis, propter necessitatem, peracta est ab uno tantum

[1] L. VI. 761. — [2] Haine, *De Ord.* q. 8. — [3] L. VI. 762. — [4] Cf. Lucidi c. I. n. 31 et 32; Bizzarri, *Collect.* p. 139. — [5] L. VI. 762.

Digitized by Google

Episcopo, assistentibus duobus (vel etiam nullo) presbyteris. — Constat ex praxi tum hodiernae Ecclesiae, tum etiam Apostolorum [1].

2° Probabilius est, talem Ordinationem, etiam sine S. Sedis licentia peractam, esse *validam*, licet *illicitam:* nam, in hoc sensu aliquem casum particularem a Clemente XI decisum fuisse, refert Benedictus XIV [2], qui tamen addit praedictam quaestionem, per hanc decisionem non fuisse definitam. — Unde, cum sententia, quae talis Ordinationis validitatem negat, adhuc probabilis sit, docet *S. Alphonsus*, Ordinationem esse sub conditione iterandam [3].

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS IN MINISTRO UT LICITE ORDINET

1907. — Minister, ut LICITE ordinet, debet habere jurisdictionem ordinariam vel delegatam in Ordinandum [4]. « Unusquisque, ait Tridentinum (sess. 23. cap. 8. *de ref.*), a proprio Episcopo ordinetur. » — Jam vero,

I. Potest Episcopus jurisdictionem ORDINARIAM in Ordinandum habere QUADRUPLICI TITULO: videlicet, titulo originis, domicilii, beneficii, et familiaritatis triennalis. — Constat ex Bulla *Speculatores* Innocentii XII, anno 1694 edita [5]; qua etiam statuta sunt sequentia:

1° Ut quis licite ordinetur ratione ORIGINIS, requiritur ut *naturaliter* ortus sit ex ordinantis dioecesi. — Nec vero sufficit, si fortuito casu ibi natus est, v. g. occasione mercaturae parentum, legationis, officii, itineris, negotii, vel alterius temporalis morae, etsi diuturnae. Tunc enim non fortuita nativitas attenditur, sed locus domicilii patris; in quo et filius jure censetur natus, et a quo dicitur *oriundus* [6]. — Quod si Ordinandus sit filius *illegitimus*, attenditur domicilium matris [7]; si sit filius *expositus*, locus in quo fuit expositus [8]; si *infidelis* baptizatus, locus in quo baptizatus est. Ita ex Pauli III Constit. *Cupientes* § 3 [9].

2° Ut quis licite ordinetur ratione DOMICILII, stricte requiritur vel decennalis habitatio, vel translatio majoris partis bonorum in eum locum, atque insuper notabilis, licet solummodo successiva in eodem loco commoratio; et in utroque casu, accedere debet juramentum de animo perpetuo ibi manendi [10] (cf. n. 203). — Hinc, adolescentes, qui in seminario alienae dioecesis studiorum curri-

[1] Cf. Craisson, n. 1735. — [2] *De Synodo*, lib. 13. c. 13. n. 5 et 10. — [3] L. VI. 755. — [4] L. VI. 769. — [5] *Bullar.* M. IX. 374. — [6] L. VI. 770-772. — [7] Ib. 773. fin. — [8] Ib. 777. — [9] *Bullar.* M. IV. I. 204. — [10] L. VI. 770. 5°; 778-779.

Digitized by Google

culum conficiunt, cum non habeant animum ibi perpetuo manendi, ordinandi sunt a proprio Episcopo, sed cum *testimonialibus* Episcopi loci, in quo studiis vacarunt[1]. Ita S. C. C. die 11 julii 1840[2]. — Caeterum, quoad jus ordinationis, liberum est filiofamilias, quamvis non sit sui juris, modo sit *pubes*, domicilium suum constituere ubicumque voluerit[3]. — Si quis habeat duo domicilia, potest ab utriuslibet domicilii Episcopo ordinari[4]. — Nunquam vero sufficit quasi-domicilium.

3° Ut quis (jam tonsuratus) ordinetur licite, ratione BENEFICII, requiritur: 1) ut sit in pacifica possessione alicujus *ecclesiastici Beneficii*, sive hoc Beneficium residentiale sit, sive non, quamvis totum consistat in distributionibus, imo quamvis sit amovibile ex parte provisi. — Sufficit coadjutoria perpetua (id est cum futura successione), modo coadjutor jus habeat congruam ex ea percipiendi praebendam: item, perpetua commenda, quae scilicet plenam det Beneficii ecclesiastici administrationem[5]. — Nec vero sufficit titulus Missarum, nec pensio, licet perpetua et ecclesiastica, nec capellania laicalis; quia non sunt vera Beneficia. — Requiritur 2) ut Beneficium, detractis oneribus, *per se* (i. e. sine adjectione patrimonii), *sufficiat*, juxta taxam synodalem vel regionis morem, *ad congruam* vitae sustentationem. Relinquitur tamen arbitrio et conscientiae Episcopi statuere, an detrahenda sint necne onera Missarum; ut constat ex Resp. S. C. Concilii, de die 17 julii 1723[6]. — Si quis autem plura habeat Beneficia in diversis dioecesibus, potest ordinari a quolibet illarum Episcopo, modo adsint supra enuntiatae conditiones. Ita communiter[7]. — (Alia vide n. 1922).

4° Ut quis licite ordinetur ratione FAMILIARITATIS, requiritur: 1) Ut Episcopus eum, per integrum moraliter *triennium*, in suo actuali servitio retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; quamvis triennium fuerit inceptum ante ipsius ad Episcopatum promotionem. — 2) Ut Episcopus eidem Beneficium ecclesiasticum ad sustentationem sufficiens, quacumque fraude cessante, saltem intra terminum unius mensis a die factae Ordinationis, reipsa conferat.

Nomine autem *familiarium* Episcopi, intelliguntur omnes, qui Episcopo (non jam titulari, sed in Sede propria residenti) famulantur et vivunt ejus expensis, etsi in ejus aedibus non habitent; modo degant in loco, ubi est Episcopus, vel prope. — Imo, nomine *familiarium* intelliguntur ipsi famulorum famuli, modo absit fraus: quae esset, si Episcopus permitteret, familiares suos habere sub se alios famulos, ut eos ordinare posset; et modo omnes ejus expensis alantur: tunc enim omnes, revera, tanquam famuli Episcopi reputantur[8].

[1] L. VI. 777. 5°. — [2] Cf. *Thesaur. Resol.* tom. 100. p. 213. — [3] Cf. *Acta S. Sed.* vol. X. p. 479. 491. — [4] L. VI. 773. — [5] Cf. De Angelis, L. I. Tit. XI. (p. 206). — [6] L VI. 774-776. — [7] Ib. 777. 4°. — [8] Ib. 780; cf. Del Vecchio, L. n. 642.

Digitized by Google

1908. — II. Jurisdictionem DELEGATAM obtinet Episcopus alienus ex LITTERIS DIMISSORIIS legitime concessis. — Litterae dimissoriae a testimonialibus in hoc differunt, quod in his datur solummodo attestatio de natalibus, de aetate, de moribus, deque doctrina Ordinandi, qui dignus exhibetur, cui Ordines conferantur; per illas autem datur, una cum praefata attestatione, consensus et licentia, ut subditus possit ordinari ab Episcopo *alieno* [1] (cf. n. 1363).

Jam vero, litteras dimissorias LEGITIME concedunt: 1) Summus Pontifex pro tota Ecclesia; — 2) Legatus a latere vel Nuntius apostolicus, pro sua provincia; — 3) Episcopus proprius Ordinandorum, licet nondum consecratus, aut absens a dioecesi; — 4) Vicarius generalis, modo speciale mandatum habeat, vel Episcopus ita procul a propria dioecesi distet, ut nonnisi post iter unius diei adiri posset [2]; — 5) Vicarius capitularis, seu Capitulum, post annum vacationis pro omnibus subditis; infra annum vero pro solis laicis prima tonsura initiandis [3], vel pro solis clericis, qui dicuntur *arctati* (ad Ordines scilicet recipiendos) ob Beneficium requirens obsequium personale [4] (cf. n. 1369); — 6) Praelatus regularis, i. e. Generalis vel Provincialis; vel si monasterium his non subdatur, localis, pro suis respectivis subditis.

1909. — Super his autem NOTAMUS: — 1° Regulariter, Episcopus tenetur suos subditos *per se ipsum* ordinare. — Si vero justa causa ei impedimentum afferat, illos nonnisi *probatos*, et *examinatos* ad alium Episcopum ordinandos dimittat, prout in Tridentino (sess. 23. cap. 3 *de ref.*) decretum est.

2° Licentia concessa alicui, ut *ab alieno Episcopo* ordinetur, non expirat morte vel amotione concedentis, nisi a successore revocetur [5].

3° Cum dimissoriis non intelligitur concessa *Episcopo alieno* facultas dispensandi Ordinandum super irregularitate, aut aliis impedimentis canonicis. — Dimisso autem ad Subdiaconatum possunt conferri Ordines minores, sicut et ipsa Confirmatio, quia minus in majori includitur [6].

4° Ex declaratione S. C. Concilii, die 16 jan. 1595, est in arbitrio Episcopi sibi dimissos *examinare*, tametsi jam examinati fuissent: quod tamen sine causa non praestat agere. — Episcopo autem alieno, qui *arcessitur* ad vices Dioecesani explendas, non licet Ordinandos examini subjicere. Poterit tamen ab Ordinatione abstinere, si justa ei causa occurrat. Ita ex decisione S. C. C. die 22 augusti 1721 [7].

1910. — QUAERITUR. *A quonam* REGULARES *ordinandi sint?*

Resp. Secluso speciali privilegio, post Tridentinum, nominatim concesso, Regulares ordinandi sunt *ab Episcopo loci*, ubi morantur de familia [8].

[1] Cf. Lucidi, c. 2. n. 65 sqq. — [2] L. VI. 787. — [3] Ex declar. S. C. C. 10 februar. 1594 ap. Lucidi cap. 2. n. 71. ad I. — [4] L. VI. 788. — [5] Ib. 787; Cap. *Si super gratia*, de Offic. deleg. in 6°. — [6] L. VI. 789. dub. 2. — [7] Cf. Bened. XIV. *de Syn.* L. 12. c. 8. n. 7. — [8] L. VI. 768.

Digitized by Google

Quocirca NOTANDUM est: — 1° Nomine *Regularium* veniunt quoque Novitii, modo notabile jam tempus in novitiatu transegerint, et cum juramento promittant se in monasterio, quantum in se erit, perpetuo remansuros. Sed *ab Episcopo originis* etiam ordinari possunt [1].

2° Si Episcopus dioecesanus absit, vel Ordinationes proximo legitimo tempore non sit habiturus, vel etiam si Sedes vacet, fas est Praelatis regularibus subditos ad *quemcumque Episcopum* mittere [2].

3° Praelati regulares debent semper subditis suis *dimissorias* dare non solum ad alienum, sed etiam ad proprium Episcopum. Si dentur ad alienum, iis inserendum est authenticum testimonium Vicarii vel Secretarii Episcopi proprii, de causa, ob quam hic non ordinat [3]. — Hoc autem testimonio non indigent Regulares, quibus concessa est facultas Ordines recipiendi a quocumque catholico Episcopo [4] (alia vide n. 1925, in fine).

Nota. Caetera in Ministro requisita, quae modum Ordinationis spectant, vide num. 1901 et 1902.

CAPUT III.

DE SUBJECTO ORDINIS

1911. — SUBJECTUM Ordinis est homo masculus et baptizatus, qui, si sit adultus, debet habere intentionem saltem habitualem recipiendi Sacramentum [5]. — Haec ad VALIDAM Ordinis susceptionem requiruntur, ut constat ex dictis *de Sacram. in genere* n. 1433 et 1434. Vide insuper, quoad Episcopatum, n. 1924. 1°.

Ad LICITAM autem Ordinis susceptionem, *triplicis generis* CONDITIONES requiruntur. — Primum genus complectitur ea quae Ordinando sunt *intrinseca*, seu ad animam ejus respiciunt, nempe divina vocatio, animus clericandi, scientia competens, et vitae probitas [6]. — Alterum genus complectitur plurima *extrinseca*, quae ab Ordinando exiguntur, qualia sunt: immunitas a censura et irregularitate, aetas canonica, Confirmatio, exercitium Ordinis suscepti, et titulus sustentationis. — Tertium tandem genus respicit ipsum *Ordinationis modum*, qualia sunt: Ordinatio per gradus, interstitia, tempus, locus, susceptio Eucharistiae, et legitimus Episcopus, qui simul ordinet et Missam celebret. — Singula accurate perpendenda sunt.

[1] L. VI. 765; H. A. XX. 114. — [2] L. VI. 768. — [3] H. A. XX. 113; L. VI. 768. 788. Not. 8. — [4] Cf. Honorante, *Praxis Secret. Trib. Vic.* cap. XII. p. 113. sqq. — [5] *Exam. Ord.* n. 32. — [6] L. VI. 802; cf. *Selva*, p. 1. cap. 10; cf. et S. Alph. Notif. V. ad suum Clerum.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS QUÆ AD ANIMAM ORDINANDI RESPICIUNT

Praeter STATUM GRATIAE, qui ad Sacramentum Ordinis recipiendum necessarius est,

1912. — I. Requiritur in Ordinando VOCATIO DIVINA, ut constat ex Ep. ad Hebr. 5, 4: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. » Et ex Joan. 15, 16: « Non vos me elegistis: sed ego elegi vos. » — Divinam hanc vocationem plane sibi expostulant et Ordinis sublimitas, et muneris sanctitas, atque oneris gravitas (cf. n. 2142).

Praecipua divinae vocationis SIGNA sunt, ait *S. Alphonsus* [1]: 1° Scientia conveniens; 2° Probitas vitae (de quibus mox agendum); 3° Intentio recta seu desiderium vacandi divinae gloriae et saluti animarum. — Signa autem, ex quibus innotescit aliquem *non esse vocatum,* sunt inter alia: Certa corporis deformitas, infamia, habitus peccandi, praesertim contra castitatem, naturalis levitas, taedium pietatis, pigritia, ingenium saeculare [2]. — « Qui sine vocatione ex talibus signis explorata, in sacrum ministerium se intrudit, non potest certe a gravi praesumptione excusari...; et cum hic magno damnationis periculo se exponat, nescio quomodo a *culpa gravi* excusetur [3]. — Atque huic salutis discrimini tanto magis se committunt Episcopi illi, qui non vocatos ad Ordines sacros promovent, juxta illud Apostoli (I. Tim. 5, 22): « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. » Nec proinde mirandum est, quod in jure canonico praescribatur, et signanter in can. *Nullus,* dist. 24: « ut nullus ordinetur, nisi probatus fuerit [4]. »

1913. — II. Requiritur ex Tridentino (sess. 23. cap. 4 *de ref.*) ANIMUS CLERICANDI, i. e. ascendendi ad Ordines superiores: si quis nempe acceptat Beneficium, cui annexa sunt officia Ordinis superioris; secus enim Concilium requirit solum in Ordinando animum *permanendi* in statu clericali [5]. « Prima tonsura non initientur... inquit, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse. »

Hinc: 1° Qui Ordines minores aut primam tonsuram suscipit, eo fine *ut forum laicale declinet,* habens in animo redire ad vitam saecularem, peccat; et quidem, juxta opinionem probabiliorem, mortaliter, quatenus nempe agit in fraudem seu graviter defraudat Ecclesiam, abutendo ejus sacris ministeriis ad fines temporales. — Alia tamen probabilis sententia « dicit, hunc non peccare mortaliter, quia ex Tridentino tunc intelligitur aliquis *fraudem*

[1] L. VI. 802. — [2] Cf. *Praxis,* n. 93. — [3] L. VI. 803. — [4] Ibid. — [5] Ib. 785.

Digitized by Google

committere, quando suscipit Ordines, ut aliquid saeculare judicium jam inceptum effugiat, et hoc quidem erit mortale; alioquin erit tantum veniale ratione deordinationis finis ab Ecclesia intenti [1]. »

2° Qui, post susceptos minores Ordines, *uxorem ducit*, per se loquendo, non peccat graviter; imo nec leviter, si id de justa causa faciat. — Diximus *per se loquendo;* nam qui de sua clericali vocatione certus, ab ea recedit, ut saeculo fruatur, vix in bono animae statu constitutus censeri potest [2].

Nota. De Clerico per *vim* vel *metum* ordinato vide n. 1434.

1914. — III. Requiritur SCIENTIA competens. Ex Concilio Tridentino (loc. cit.) requiritur pro initiandis ad *tonsuram* « ut edocti fuerint rudimenta fidei et sciant legere et scribere. » — Pro initiandis ad *minores*, « ut linguam latinam intelligant. » — Pro *subdiaconis* et *diaconis*, « ut sint litteris, et in iis quae ad Ordinem exercendum pertineant, instructi. » — Demum, pro initiandis ad sacerdotium, « ut ipsi ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur » (cf. n. 1787). — Quid autem pro Episcopo requiratur, videsis apud Canonistas.

Dictis TRIA adhuc adjicienda sunt, videlicet: 1° Episcopus tenetur, nisi sit aliunde certus de Ordinandorum scientia, proprios subditos examinare, « sibi adscitis ad id peritis et idoneis viris » ut loquitur Tridentinum (sess. 23. cap. 7). — 2° Qui gradum scientiae a Tridentino requisitum possident, hos omnes potest Episcopus tuta conscientia ordinare. A propriis tamen subditis licet majorem scientiam exigere; haecque passim, hodiernis temporibus, laudabiliter exigitur. — 3° Communis sententia tenet, minorem in Regularibus, vitae contemplativae addictis, requiri scientiam; quia ordinantur tantum ad chori altarisque servitium. Aliter tamen dicendum, si Regulares ad omnia sacerdotalia officia deputandi sint, ut hodie passim fit [3].

1915. — IV. Requiritur PROBITAS VITAE, qua nempe clericus divinae vocationi fidelis existens, futurae perseverantiae pignus quoddam praebeat. — Unde Tridentinum (sess. 23. cap. 12): « Sciant Episcopi debere ad hos Ordines assumi dignos duntaxat et quorum probata vita senectus sit. » Et *S. Thomas:* « Non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur excellens. » Hinc prohibet Apostolus (I. Tim. 3, 6) ordinari *neophytos,* id est, ut explicat idem Angelicus, qui non solum aetate neophyti sunt, sed et qui neophyti sunt perfectione [4].

Ex lege positiva, praesertim ex Trid. sess. 23, cap. 5 et 7 *de ref.*, et ex *Pontificali*, praemitti debent sacrae Ordinationi, TRIA SCRUTINIA. — Primum fit a parocho vel ab alio per Episcopum constituto; et ad hoc *proclamatio* fieri

[1] L. VI. 785. dub. 3. — [2] Ibid. dub 2. — [3] L. VI. 791-792; *Exam. Ord.* n. 35-36. — [4] *Exam.* n. 45; L. VI. 63. sqq. et 802.

Digitized by Google

debet tum in parochia originis, tum in parochia habitationis Ordinandi, si sunt diversae. — Secundum scrutinium instituitur ab ipso Episcopo cum quibusdam examinatoribus, feria IV, vel paucis diebus, ante Ordinationem: eo fine nimirum, ut « Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet. » — Tertium scrutinium fit in ipsa Ordinatione (diaconorum scilicet et presbyterorum) per illa verba Episcopi: *scis illos esse dignos?* — Quae sunt hodie, cum ipsa attestatione archidiaconi, mera caeremonia (cf. n. 1917). Plura vide apud Canonistas [1].

1916. — Quaesita. QUAER. 1. *Quid agendum Episcopo, ut Candidatos ad sacros Ordines sufficienter probet?*

Resp. S. Alphonsus [2]: « Ad hanc probationem, ab Episcopo exquirendam, non quidem sufficit quod ipse nihil male noverit de Ordinando; sed debet fieri certus de ejus positiva probitate, juxta sublimitatem gradus ad quem ille inhiat ascendere, ut communiter dicunt Suarez, Sanchez, Salmanticenses etc. cum S. Thoma... Qua de re, Episcopi in hac probatione expetenda non debent esse contenti simplici attestatione parochorum, qui humanis ducti respectibus in hujusmodi attestationibus concedendis facile clericis indulgent; — sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certi fieri debent, non solum quod initiandus non fuerit malus, nempe quod non fuerit rixosus, non dederit scandalum, frequentando ludos, pravas conversationes, etc.; sed etiam quod ille sit positive bonus, scilicet quod vitam agat spiritualem, sit assiduus in ecclesiis, Sacramenta frequentet et orationem, studio vacet, etc. — Dicet aliquis: Si hoc observaretur, deficerent utique in Ecclesia ministri. — Recte respondet ad hoc Benedictus XIV: *Melius est pauciores haberi ministros, sed probos atque utiles, quam plures qui nequidquam sunt valituri.* »

QUAER. 2° *Quid agendum Confessario cum clerico in vitio turpi habituato?*

Resp. 1° Ordinandus [3] qui in vitio turpi luxuriae (vel ebrietatis [4]) habituatus est, quamvis dispositus sit ad Sacramentum Poenitentiae, eo ipso nondum dispositus est, qui sacrum Ordinem suscipiat; sed aliquamdiu debet operam dare ad *pravum habitum extirpandum.* Ratio est, quia, ut quis ad sacri Ordinis dignitatem ascendat, non sufficit simplex et actualis status gratiae; sed requiritur etiam *bonitas praecellens* et *habitualis*, quae, juxta legem communem, non statim acquiritur. — Quod si in vitio turpi habituatus ad Ordinem sacrum statim ascendere vellet, absque emendationis experimento, iste, utpote temerarius, sacramentali quoque absolutione se praeberet indignum.

[1] Cf. De Angelis, L. I. Tit. 12; Grandclaude, in idem tit. — [2] L. VI. 803. — [3] Ib. 63-67. — [4] Ib. 67. *Prob.* 3.

Digitized by Google

Resp. 2° Si tamen poenitens a Deo donaretur *tanta compunctione*, quae eum ab antiqua liberaret fragilitate (quod raro supponi potest), et ille firme statueret vitare peccata et occasiones, et uti efficacibus remediis, ut vitam sacerdote dignam ducere valeat, posset absolvi, quamvis statim Ordinem suscipere vellet. — At vero, in hoc quoque casu, volenti statim ordinari consultius absolutio differtur, ut temporis experimento melius probetur; dummodo ex dilatione non timendum sit proximum infamiae periculum [1].

QUAER. 3° *An clericus, qui aliquo Ordine dignus judicatus fuerit, ad eum suscipiendum cogi possit?*

Resp. Neg., per se, juxta decisionem S. POENITENTIARIAE (27 augusti 1829), quae respondit non esse cogendum clericum, qui licet a suis Superioribus electus, et a suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit, causâ humilitatis, vel timore periculorum; nec etiam cogendum censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratus Ordinem, etsi a Superioribus eligatur tanquam aptissimus, et a confessario dignus judicetur [2]. — Excipe vero: 1° si judicetur, absolutam intercedere voluntatem Dei per signa extraordinaria vel exterius, vel interius in statu intimo animae, Ordinando manifestata; 2° si gravis adsit necessitas Ecclesiae, cui aliter provideri nequeat.

Nota. Innocentius XI, per S. C. EPISC. ET REGUL. 9 oct. 1682, mandavit Archiepiscopo Mediolanensi et omnibus Episcopis Italiae insularumque adjacentium, ut singuli Clerici, Ordines tam minores quam majores suscepturi, *per decem continuos dies* SPIRITUALIBUS EXERCITIIS vacent. — Ex consuetudine tamen introducta, pro solis Ordinibus sacris, 10 dies integri exiguntur (cf. n. 1367) [3].

ARTICULUS II.

DE CONDITIONIBUS EXTERNIS IN ORDINANDO REQUISITIS

Ex lege Tridentina REQUIRUNTUR in Ordinando:

1917. — I. IMMUNITAS A CENSURA ET IRREGULARITATE. — Ordinandus debet esse immunis a censura et irregularitate; *censura* enim privat participatione bonorum Ecclesiae; et *irregularitas* inducit inhabilitatem ad Ordinem: utraque igitur praepedit Ordinationes.

Atque hinc est cur Episcopus, ex Pontificalis praescriptione, ante inceptam Ordinationem praecipiat, sub poena excommunica-

[1] Cf. H. A. tr. ult. 16-17; et Bened. XIV, *de Synodo*, lib. 11. cap. 2. n. 17-18; item *Vind. Alph.* p. 6. c. 2. §. 4; Ciolli, Opusc. *Del Chierico ordinando* (Firenze, 1885). — [2] Craisson, n. 1956. — [3] Cf. Bened. XIV. *Instit.* 104. n. 5 sqq.

Digitized by Google

tionis, ne quis alterutro impedimento ligatus accedat; sicut nec descriptus, aut non approbatus aut extraneus, protestando *se nolle hujusmodi indignos ordinare.* — Si nihilominus quispiam hujus generis accederet, censenda esset *valida* ejus Ordinatio; quia praedicta ad merum ritum hodie pertinent, seu ad solum terrorem praemitti solent: unde supponi nequit, Episcopum revera voluisse alligare suam intentionem tali protestationi, nisi positive de contrario constet[1]. « Episcopus enim, ait Benedictus XIV[2] cum Navarro, Gobat et Lugo, ne gravis peccati reus fiat, *tenetur absolutam intentionem habere* Ordinem conferendi homini praesenti, cum manus imponit[3]. »

1918. — II. Aetas canonica. Tridentinum (sess. 23. cap. 12) haec statuit, quoad *Ordines majores:* « Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante *vigesimum secundum*, ad Diaconatûs ante *vigesimum tertium*, ad Praesbyteratûs ante *vigesimum quintum* aetatis suae annum promoveatur. » In qua lege, annus inceptus habetur pro completo. — Nec vero ordinari potest absque dispensatione, cui paucae tantum horae desunt; quia annus requisitus nullo modo dici potest inceptus. — Pro Episcopatu sic statuitur in jure: « Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam *trigesimum annum* aetatis exegerit, seu compleverit[4]. » — Pro Ordinibus *minoribus* et *tonsura*, nulla in jure assignatur aetas; sufficit ut initiandus polleat usu rationis, ideoque ut sit saltem *septennis*[5].

Dispensatio super aetate *reservatur Romano Pontifici*, qui eam concedere non solet, nisi pro suscipiendo Sacerdotio, propter Ecclesiae necessitatem aut utilitatem[6]. — Qui ante legitimam aetatem scienter ad majores Ordines promovetur, peccat *graviter*[7]: quin tamen suspensionem (quae olim incurrebatur) incurrat: ut eruitur ex Const. *Apostolicae Sedis.*

1919. — III. Suscepta Confirmatio. — « Prima tonsura, ait Tridentinum, non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint. » Communiter docetur, hanc obligationem esse tantum *sub levi;* quia verba Concilii potius decentiam denotant, quam formale praeceptum[8]. — Declaravit tamen S. C. Concilii (die 27 septembris 1601) eum, qui tonsuram vel Ordines non confirmatus suscepit, non posse utpote male promotum, ad alios Ordines ascendere, nec retinere Beneficia, de quibus fuit provisus, sine Pontificis dispensatione; habetur enim ut irregularis[9].

[1] L. VI. 784. — [2] *De Synodo,* lib. 8. cap. 11. n. 1. — [3] Ita *Exam. Ord.* n. 32. in edit. 7ª (tom. 3. p. 169); cf. Craisson, n. 3978. — [4] Cf. *Decret. Gratiani,* dist. 78. — [5] L. VI. 799; *Exam. Ord.* n. 43. — [6] L. VI. 800 — [7] Ib. — [8] Ib. 183 et 786. — [9] De Angelis, L. I. tit. XI. n. 9. p. 226 (Renzi et Nicolius habent, an. 1621).

Digitized by Google

1920. — IV. Ordinis jam suscepti exercitium. Praescribit Concilium Tridentinum [1], ut initiandus exercuerit Ordinem prius susceptum, et quidem in ecclesia, cui fuit adscriptus. — Sed putant Salmanticenses hoc *non esse de praecepto gravi;* cum verba Synodi magis sint consultativa, quam praeceptiva; nempe illa: « in unoquoque, juxta praescriptum Episcopi, se exerceant [2]. »

1921. — V. Titulus Ordinationis, seu cautio, qua provideatur Ordinando in sacris de honesta ac perpetua sustentatione. — A Conciliis, et praesertim a Tridentino [3], titulus exigitur, tum ne clerici, defectu sustentationis, vilem aliquam artem exercere vel mendicare cogantur, tum ut liberius possint spiritualibus vacare, quin rerum temporalium sollicitudine distrahantur. — Atque haec lex adeo firma est, ut Episcopus Ordinem vel dimissorias *sine titulo* tribuens, ipse teneatur, nisi deceptus fuerit, Ordinatum indigentem alere, donec titulum ei obtinuerit [4]. Et si quempiam sic ordinaverit, cum pacto ut Ordinatus non petat ab ipso alimenta, incurrit ipso jure ad triennium suspensionem Papae reservatam. Ex Const. *Apostol. Sedis* (cf. n. 1362). Quod si post susceptum Subdiaconatum titulus pereat, nequit ascendi ad superiorem Ordinem absque novo titulo. Constat ex Tridentino [5].

1922. — Triplex praecipue datur titulus, nempe Beneficii, patrimonii, et paupertatis religiosae.

1° Titulus beneficii ecclesiastici est potissimus Ordinationis titulus. De hoc sic statuit Concilium Tridentinum [6]: « Ne quis deinceps clericus saecularis... ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. » — Requiritur igitur 1) *Beneficium*, seu jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum [7]. — 2) *Ad victum sufficiens*, id est, juxta taxam dioecesis originis; vel dioecesis ubi est beneficium, si sit residentiale. Quod si defectus beneficii sit modicus, licite quis ordinatur; secus, si sit notabilis, v. g. quintae partis. Potest tamen suppleri ex aliis bonis; dummodo alius titulus, v. g. originis vel domicilii, existat, conferens Episcopo jus ordinandi (cf. n. 1907. 3°). — 3) *Pacifice possessum;* unde, non sufficit beneficium certum de futuro, nec beneficium, cujus possessio injuste impeditur; sed sufficit illud, cujus reditus solum post susceptum sacerdotium percipi possunt.

[1] Sess. 23. cap. 11 et 13. — [2] L. VI. 801; *Exam. Ord.* n. 45. — [3] Sess. 21. cap. 2. *de ref.* — [4] L. VI. 813. — [5] Loc. cit. — [6] L. VI. 813. — [7] Instruct. S. C. De Prop. Fide, 27 apr. 1871, n. 3 (apud Gury-Cretoni, II. p. 671) vel ap. *Collect. S. Sed.* n. 785, ubi 17 apr. 1871.

Digitized by Google

Porro, nemo sacris Ordinibus initiatus potest suum beneficium *resignare*, « nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit. » Ita Tridentinum, loco citato [1].

2° Titulus PATRIMONII « obtinet, cum Ordinandus talibus bonis certis, stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam ejus sustentationem sufficere Episcopi judicio censeantur [2]. » — Ut autem hic titulus valeat, debet, ex Tridentino, patrimonium esse: 1) perpetuum, v. g. census perpetuus, etsi possit esse redimibilis; — 2) constitutum super re certa et immobili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa [3], nec aere alieno aut hypotheca gravata; — 3) approbatum in Curia episcopali, atque ad taxam synodalem instrumento legitimo exaratum; — 4) firmum et *inalienabile* nisi, ex justa causa, accedat licentia Episcopi [4]. — Potest constitui sub clausula: *donec clericus provideatur vel consequatur alia bona;* sed prior titulus non extinguitur, nisi novus fuerit ab Episcopo subrogatus. Ita ex S. C. C. 12 julii 1687. Potest item constitui in syngraphis *nominativis* debiti publici, dummodo hypothecae supponantur, ut passim fit [5].

Patrimoniis accensentur *pensiones* perpetuae, *legata* perpetua Missarum; imo et *Capellaniae* manuales, seu laicae, modo conferantur sub conditione *donec ordinatus provideatur*, et in forma legali, in Curia episcopali recognita [6].

3° Titulus PAUPERTATIS, a S. Pio V institutus, « in religiosa professione est positus, vi cujus, qui solemnia vota in probata Religione emiserunt; vel ex reditibus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat; vel ex piis fidelium largitionibus, omnia communia habent, quorum ad vitam alendam indigent [7]. » Religiosi autem votorum simplicium, vel nondum solemniter professi, non possunt sacros Ordines suscipere, nisi patrimonium vel alium titulum habeant. — Excipe Religiosos Societatis Jesu, qui post vota simplicia ordinari possunt, ex concessione Gregorii XIII; et si e Societate dimittantur, haec non tenetur ad subministrationem congruae sustentationis, prout declaravit in perpetuum Benedictus XIII [8].

1923. — Praeter hos titulos, alii passim admittuntur *ex Indulto Pontificio*, praesertim in regionibus, ubi nulla aut solum modica existunt beneficia, vel ubi lex civilis obstat quominus sacra patrimonia constituantur. — Hujusmodi sunt:

[1] L. VI. 815. 816. — [2] Instructio cit. n. 2. — [3] Cf. *1 Elench. qq. ref.* n. 88. — [4] C. Haine, *De Ord.* q. 16. — [5] L. VI. 817; cf. *Acta S. Sed.* vol. I. p. 344. — [6] Cf. Lucidi, cap. 3. n. 396-426. — [7] Instr. cit. DE PROP. FID. n. 4. — [8] L. VI. 814.

Digitized by Google

1° Titulus *servitii Ecclesiae.* Hic titulus, olim ordinarius, nunc autem extraordinarius, ea lege conceditur, ut Ordinandi alicui Ecclesiae, ex cujus servitio sustentari possint, in perpetuum mancipentur. — Dicimus *in perpetuum;* numquam enim ab illa ecclesia amoveri possunt; sed nec ipsi possunt ab ea recedere, nisi aliter eis provisum fuerit [1].

2° Titulus *mensae communis*, qui concedi solet clericis in communi vitae disciplina degentibus, etsi simplicia solum vota, vel etiam nulla, emittant. — Huic affinis est titulus *Collegii*, *Seminarii*, etc. Quinimo, in Germania, permittente vel tolerante S. Sede, admittitur titulus *mensae*, i. e. promissio pensionis ordinatis solvendae, si ob senium vel aegritudinem inhabiles efficerentur ad obeunda munera sacra [2].

3° Titulus *Missionis.* Hic titulus conceditur alumnis Congregationis de Propaganda Fide et aliis, qui apostolicis Missionibus sese devovent. — Conceditur autem eo pacto, ut Ordinandi *cum juramento* promittant fore, ut Missionibus quibus jam destinati sunt, vel postea destinabuntur, suam operam impendant [3].

Notentur, pro praxi, sequentia: — 1° Peccatum « grave est, nisi dispensatio a S. Sede obtineatur, *ordinare* vel *ordinari* absque titulo, vel cum titulo falso (i. e. qui non exstat); vel, si de patrimonio res est, cum titulo ficto seu fiduciario, vel nullo, vel injusto, vel restitutioni aut resolutioni obnoxio [4]. »

2° « Si *amisso titulo* generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, Sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere Ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris Canonibus consultum est. » — Ita S. C. de Prop. Fid. 1 sept. 1856.

3° « Pariter *Sacerdotes Regulares,* qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur; vel *qui ediderunt vota simplicia,* et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur. — In locis vero Missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriae sustentationi, ut par est, consulant [5]. »

ARTICULUS II.

DE HIS QUÆ SPECTANT AD MODUM ORDINATIONIS

1924. — Quoad modum, requiruntur sequentia:

Requiritur 1° Ut Ordinatio fiat per gradus, servata scilicet in Ordinum susceptione legitima eorum serie. — Si quis *per saltum*

[1] Instr. cit. n. 5. — [2] Grandclaude, *Jus. can.* L. I. tit. XI. sect. 5. §. 2. — [3] Cf. Konings, n. 1522. — [4] D'Annibale in *Comment. Const.* Apost. Sedis. (ed. 3ª), n. 183. — [5] Instr. cit. n. 11 et 12.

Digitized by Google

ordinatur, peccat graviter, et prohibetur a suscepti Ordinis exercitio, quamdiu praetermissum Ordinem non susceperit[1]. — Quamvis autem istiusmodi Ordinatio graviter illicita sit, est tamen *valida*, excepto casu quo quis susciperet episcopatum ante sacerdotium (cf. n. 1888. qu. 2°). — Ex legitima causa, potest Episcopus (ex Trident. sess. 23. cap. 14) dispensare in suspensione seu inhabilitate, cum promotis per saltum, si non ministraverint; si vero ministraverint, Apostolica jam dispensatione indigent (cf. n. 1372).

Requiritur 2° ut Ordinationes suscipiantur per statuta temporum INTERSTITIA. — Qua super re plura NOTANDA sunt: 1) Episcopus potest, cum sibi libuerit, primam tonsuram conferre cum aliquo Ordine minori; quia prima tonsura non est Ordo. — 2) Inter Ordines minores *aliquod* quidem *intervallum* requiritur; sed quantum esse debeat, non determinavit Tridentinum, imo dicit: « Nisi aliud Episcopo videretur. » — 3) Ut a minoribus Ordinibus ad subdiaconatum quis ascendat, requiritur spatium *unius anni;* nisi necessitas, aut Ecclesiae, cui adscriptus est futurus subdiaconus, utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. — 4) Inter subdiaconatum et diaconatum requiritur similiter spatium *unius anni;* sed excusat quaecumque rationabilis causa, juxta judicium Episcopi. — 5) Inter diaconatum et presbyteratum item *anni spatium* requiritur, nisi ob Ecclesiae utilitatem ac necessitatem (scilicet moralem) aliud Episcopo videretur. Haec omnia ex Tridentino, sess. 23. cap. 11 et 13[2].

« Si vero agatur de Regularibus, quibus Sedes Apostolica, post Tridentinum, concessit privilegium exemptionis ab interstitiis; judicium non spectat ad Episcopos, sed ad Superiores Regulares[3]. »

An, quaeres, *plures Ordines eidem possint* EODEM DIE *conferri?* — *Resp.* 1° Possunt licite, eodem die, conferri Tonsura et minores Ordines, ubi consuetudo obtinuit. — 2° Non possunt, absque gravi peccato, eodem die conferri majores Ordines, ut constat ex Tridentino, cit. cap. 13; nec, vi juris, subdiaconatus cum minoribus Ordinibus. Imo, S. C. C. in una *Calaritana*, die 21 febr. 1728, negavit, id consuetudine introduci posse, etsi AA. communiter affirmaverint[4].

Requiritur 3° ut Ordines suscipiantur DIEBUS JURE ASSIGNATIS. Jam vero, jure ordinario, potest *tonsura* qualibet die, loco atque hora conferri. — Ordines *minores* conferuntur legitime uni vel duobus (vel saltem paucis), diebus dominicis et Festis de praecepto (etiam in favorem fidelium abrogatis[5]), matutino tamen tempore, modo generalis Ordinatio fieri non videatur. Ex recepta consuetudine possunt

[1] L. VI. 793. — [2] Ibid. 795; *Examen Ord.* n. 41. — [3] De Angelis, lib. I. tit. XI. n. 7° fin. — [4] Cf. Bened. XIV. *Inst.* 106. n. 12 et 13. — [5] S. R. C. 16 mart. 1833. (Gardell. n. 4708).

Digitized by Google

etiam conferri feria IV Quatuor Temporum, vel feria VI ante sabbatum generalis Ordinationis. — Ordines *majores* conferendi sunt solummodo (intra Missarum solemnia) sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto. — Consecratio *Episcopi* fit quovis anni tempore, die tamen dominico, vel die natalitio Apostolorum [1].

Ex speciali indulto, vel privilegio (quali gaudent quaedam Instituta, Episcopi missionarii, etc.) Ordines sacri possunt conferri, *extra tempora*, in diebus dominicis, et in Festis de praecepto etiam abrogatis [2]: modo dies sint interpolati, seu non continui, ut pluries a SS. Congregationibus declaratum est [3]. — Ampliora tamen privilegia, si cui fuerint certe concessa, non videntur esse revocata [4] (Cf. n. 2187, 5° de privilegio Regularium).

Requiritur 4° Ut habeatur Ordinatio IN LOCO DEBITO, nempe in Ecclesia cathedrali, vel digniori dioecesis, ut loquitur Tridentinum [5]. Si tamen Ordinatio non est generalis, sed paucorum, potest fieri in privato sacello, ut declaravit S. C. C. 20 nov. 1592 [6]. — Nomine loci debiti intelligitur etiam propria dioecesis; non enim licet in alieno territorio, sine illius Episcopi facultate, actum adeo solemnem exercere. Imo ex Tridentino [7], sic Ordinans incurrit suspensionem ab exercitio Pontificalium, et Ordinatus ab exercitio suscepti Ordinis (cf. n. 1368). Excipiunt tamen Tonsuram, cum haec sine Pontificalibus conferatur [8].

Requiritur 5° ut Ordinandi, prout praescribit Pontificale, EUCHARISTIAM suscipiant. — Haec tamen praescriptio non obligat sub gravi nisi solos sacerdotes qui cum Episcopo concelebrant. « Imo nec sub levi tenentur communicare initiandi ad Ordines minores, ut communiter docetur [9].

Requiritur 6° ut idem Episcopus qui ordinat, MISSAM ETIAM CELEBRET; secus divideretur *mysterium unitatis*, ut aiunt Innocentius III [10] et Benedictus XIV [11]. — Valida tamen esset Ordinatio, si unus celebraret, et alius ordinaret, ut declaravit S. C. C., cum Missa non sit de essentia ad Ordinum validitatem [12].

Notetur insuper: 1) « Presbyteri neoordinati debent, una cum Episcopo ordinante, Missam legere, inchoando ab oratione *Suscipe sancte Pater.* » Ita Pontificale Rom. [13] — Consecrant vere cum Episcopo, quamvis unum tantum fiat Sacrificium; quapropter ipsis attendendum est, ut verba consecrationis eodem temporis puncto, ac Episcopus, proferant, utque formam, quoad fieri potest, simul cum eo absolvant [14]. Ita Pontif. Rom. — 2) Debent etiam cum eodem

[1] L. VI. 794. — [2] L. VI. 797. dub. 3 et 4; *De Priv.* 115-116. — [3] Cf. Lucidi, cap. I. n. 113-124; Gardell. n. 4751. 2°. — [4] Cf. Ferraris, V. *Ordo*, art. 2. n. 13. — [5] Sess. 23. cap. 8. — [6] Cf. Lucidi, cap. II. n. 127. — [7] Sess. 6. cap. 5 *de Ref.* — [8] L. VI. 798: *Exam. Ord.* n. 43. — [9] L. VI. 801. — [10] In Cap. *Quod sicut*, §. 1. *de Elect.* — [11] *De Synod.* L. 8. cap. 11. n. 5. — [12] Ibid. n. 7. — [13] Cf. Gardellini, n. 4205. 1°. — [14] Cf. *Exam. Ord.* n. 123.

Digitized by Google

dicere Evangelium in fine Missae (S. R. C. die 12 nov. 1831, in una *Marsorum* ad 12) [1]. — Quod si Ordinatio fiat cum cantu, tenentur Praefationem, aliaque quae ab Episcopo cantantur, *sine cantu* legere (S. R. C. ibid. ad 11). — 3) Debent Missam legere, non stantes, sed in terram genuflexi; ideoque non debent sub Sacrificio facere omnes actiones, quas facit ipse Episcopus, puta cruces manu super Oblata peragere, genuflectere, etc. (S. R. C. 20 sept. 1749 [2]). — Plura vide apud Rubricarum expositores [3].

1925. — Quaesita. QUAER. 1° *Quomodo obligent* PRECES, *quas Episcopus per modum poenitentiae Ordinatis imponit?*

Resp. Probabilius est, eas obligare tantum *sub levi*, ex communiori interpretatione [4]. — Jam vero 1) « Verba Pontificalis Romani: *Nocturnum talis diei*, intellige de unico Nocturno in feriali, vel de primo Dominicae, ut in Psalterio (i. e. duodecim Psalmorum cum suis antiphonis de tempore), quem Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet Ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. » Ita S. R. C. 11 aug. 1860, in *Granaten.* [5]. — Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendus est Nocturnus feriae, quae respondeat illi diei, in quo facta est Ordinatio [6]. — 2) Tres *Missae* neopresbyteris impositae (sub veniali) celebrandae sunt primis diebus, quibus Missas votivas celebrare licet; quin tamen applicandae sint pro Episcopo, cum id non exprimatur, et Episcopus addat: *Et etiam orate pro me* [7].

QUAER. 2° *Ad quid teneantur sacerdotes vi* OBEDIENTIAE, *quam Episcopo in Ordinatione promiserunt?*

Respondit Benedictus XIV, scribens in Bulla *Ex quo dilectus:* « Agnoscimus presbyterum, hujusmodi promissionis vigore, ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi. » Excipe, si sit Religiosus exemptus, aut velit statum religiosum amplecti, ut infra dicetur (n. 2138). — In Regularium tamen Ordinatione servanda est dispositio Pontificalis Romani quoad ipsam formulam: *Promittis Ordinario tuo obedientiam* etc. Ita S. R. C. 22 julii 1848 [8].

1926. — *Nota.* Poenas, quas incurrunt *male Ordinantes* et *male Ordinati,* sufficienter explanavimus in Tractatu *de Censuris* (n. 1362 et sqq.) Illas tamen paucis hic colligere juvat:

1° Male Ordinantes plectuntur poenis: ob defectum tituli in Ordinato (n. 1362 e 1364); ob illicitam Ordinationem alieni subditi (n. 1363, 1367, 1370, 1371 et 1372); ob Ordinationem proprii subditi sine debitis Litteris testimo-

[1] Gardell. n. 4669. — [2] Ibid. n. 4205. 3° ad 2 et 3. — [3] Cf. de Herdt, *Prax. Pontif.* tom. 3. n. 360. — [4] L. VI. 829. — [5] *Annal. juris Pontif.* ser. 5. col. 351. — [6] Konings, n. 1523. qu. 8°. — [7] L. VI. 829; *Exam. Ord.* n. 124. — [8] Cf. Gardellini, n. 5127.

Digitized by Google

nialibus (n. 1363 et 1367); ac demum ob illicitum exercitium Pontificalium in dioecesi aliena (n. 1368).

2° Male Ordinati incurrunt poenas: ob indignitatem Ordinantis (n. 1366); ob Litteras dimissorias, Sede vacante, illegitime acceptas (n. 1369); ob Ordinum susceptionem ab Episcopo titulari sine dimissoriis (n. 1370); ob defectum Litterarum testimonialium (n. 1371); et, si Romae per quatuor menses fuerint, ob omissas ibidem speciales conditiones (n. 1367). — De cooperantibus illicitae Ordinationi, et de Ordinatis per saltum, vide n. 1372. quaer.

CAPUT IV.

DE IMPEDIMENTIS ORDINIS SEU DE IRREGULARITATIBUS

Dicendum hic venit: 1° De Irregularitatibus in genere; 2° De diversis Irregularitatibus.

ARTICULUS I.

DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE

Quatuor sunt expendenda: 1° Quid sit irregularitas, et quotuplex; 2° quinam sint ejus effectus; 3° quomodo incurratur; 4° quomodo cesset.

§. 1. *Quid et quotuplex sit Irregularitas?*

1927. — Definitio. Irregularitas est impedimentum canonicum, susceptionem Ordinum sacrorum, et susceptorum usum prohibens [1].

Dicitur *impedimentum* seu quaedam inhabilitas, non autem censura, quia haec supponit semper culpam et habet rationem poenae medicinalis; irregularitas vero non semper supponit culpam; et si quandoque per modum poenae imponatur, hoc fit primario ad praecavendam indecentiam in sacro ministerio, secundario vero ad reum puniendum. Ita communiter.

Divisio. Variae sunt irregularitates:

1° Irregularitas dicitur *ex defectu* vel *ex delicto*, prout a jure imponitur, vel ob solos defectus afferentes sacro ministerio indecentiam, vel ob certa delicta, propter quae susceptio vel exercitium Ordinis prohibetur. — Cum autem irregularitas ex delicto principaliter ad decorem status clericalis instituta sit, resolvitur quodammodo in irregularitatem ex defectu; etenim, eâ irretitus destituitur

[1] H. A. XIX. 72.

Digitized by Google

illa qualitate, quam Apostolus ab Ordinandis exigit, ut nempe sint *sine crimine.*

2° Irregularitas est *totalis* vel *partialis.* — Prior excludit a susceptione omnis Ordinis et ab omni suscepto Ordinis exercitio; posterior impedit aliquod Ordinis ministerium, vel ascensum ad Ordinem superiorem.

3° Irregularitas est *perpetua* vel *temporalis.* — Perpetua ex se semper durat, nisi dispensatione tollatur. — Temporalis durat tantum ad aliquod tempus, quo elapso, sponte cessat: ut irregularitas ex defectu aetatis, quae completo tempore ad Ordines requisito, evanescit[1].

§. 2. *Qui sint effectus Irregularitatis.*

1928. — Irregularitatis EFFECTUS sunt sequentes:

1° Inhabilitas *ad licite* SUSCIPIENDOS *Ordines*, etiam primam Tonsuram; nam, frustra ad Ordines se praeparat, qui ab Ordinibus prohibetur. — Inde graviter peccat tam ipse *irregularis*, qui Ordinem suscipit, quam *Episcopus*, qui eidem Ordinem vel solam Tonsuram confert[2].

2° Inhabilitas *ad Ordines sacros* EXERCENDOS; unde, irregularis valide quidem, sed *illicite*, conficit aut administrat Sacramenta. — Nec vero privatur « iis actionibus, quae non requirunt exercitium Ordinis, et quas etiam laici exercere possunt, puta recipere Sacramenta, et Officia canere, sicut et conferre Beneficia; quia haec spectant *ad exercitium jurisdictionis*, non Ordinis; item Matrimonio assistere, vel licentiam assistendi alteri praebere, dispensare in votis, absolvere a censuris, dare facultatem audiendi confessiones[3].

3° Inhabilitas *ad recipienda Beneficia;* Beneficium enim datur propter aliquod officium; atqui irregularis est inhabilis ad officium; ergo etiam ad Beneficia, quae illud officium requirunt. — Consonat Tridentinum (sess. 22. cap. 4. *de ref.*). Excipe, si Beneficium bona fide receptum fuisset: quo in casu liceret, obtenta dispensatione, illud retinere. — Unde « quoad beneficia obtenta ante irregularitatem, certum est apud omnes, irregularem illis non privari; nec privandum a judice, si irregularitas ei supervenerit ex defectu infirmitatis. Si vero sit de delicto, privari debet per judicis sententiam[4]. » Imo, interim jam renuntiare debet, vel dispensationem obtinere, quia nemo potest retinere beneficium, cujus onera licite exercere nequit[5] (cf. n. 2239. 6°).

[1] L. VII. 341; VI. 799; H. A. ib. 74. — [2] L. VII. 342. — [3] Ib. 342. 2°. — [4] Ibid. 342. Quaer. — [5] Ibid.; cf. L. IV. 130; H. A. XIII. 55; XIX. 76-77.

Digitized by Google

Quaeres. *An collatio beneficii facta irregulari, sit ipso jure nulla?*

Resp. Controvertitur. Alii, ex communiori ideoque probabiliori Concilii Tridentini (sess. 14 *de ref.* cap. 7. et sess. 22, cap. 4) interpretatione, *affirmant.* — Alii vero satis probabiliter *negant*, dicentes collationem esse quidem illicitam et a judice irritandam, sed non invalidam.

Hinc sequitur: 1° Non potest vir irregularis et ad munia beneficii inhabilis, se immittere in hujus possessionem; nemo enim potest cum opinione probabili (aut parum probabiliori) inchoare possessionem rei alienae. — 2° Si tamen bona fide beneficium recepit, et oneribus per alios satisfecit, non tenetur (ob contrariam probabilitatem) ad perceptorum fructuum restitutionem [1].

§. 3. *Quomodo incurratur Irregularitas.*

1929. — **Principia.** I. Nulla incurritur irregularitas nisi in jure, id est, in decreto S. Pontificis, vel in Concilio generali, sit expressa. — Id clare constat ex cap. *Is qui*, 18. *de sent. excom.* in 6° [2].

Hinc: 1° Irregularitas incurritur *ipso jure* seu ipso facto, ante judicis sententiam; et etiam, ex veriori sententia, ob defectum, vel crimen occultum [3]. — 2° Non valet, in hac materia, argumentum *a simili*, nec *a majori ad minus.* « Sed in dubio an aliqua irregularitas sit necne expressa in jure, standum est communi sensui DD. et consuetudini [4]. »

II. Irregularitas ex defectu semper incurritur, stante defectu in jure expresso. — Ratio est, quia hujusmodi irregularitas non habet naturam poenae, sed solius impedimenti; nec proinde ignorantia et inculpabilitas ab ea incurrenda excusant [5].

III. Irregularitas ex delicto, incurritur per solam culpam gravem, externam et consummatam. — Ratio est, tum quia poena gravis gravem culpam requirit; tum quia Ecclesia non punit actus mere internos, sed solum externos, hosque consummatos, nisi aliter expressum sit in jure. — Hinc, si actus ob aliquam circumstantiam excusatur a peccato mortali, excusatur pariter ab irregularitate [6]. — Recole dicta n. 1263 et 1769.

1930. — **Quaesita.** Quaer. 1° *An ad incurrendam irregularitatem* ex delicto *requiratur* scientia legis *ecclesiasticae prohibentis?*

Resp. « Sententia probabilior et communissima affirmat:.. quia talis irregularitas habet rationem poenae; et cum sit poena, requiritur scientia saltem legis prohibentis. — Et hoc probatur ex

[1] L. VII. 343; H. A. (rectius *Istruz.*) XIX. 76. — [2] L. VII. 345. — [3] Ib. 349; H. A. XIX. 82. — [4] H. A. ib. 78; L. VII. 345. — [5] Ib. 413 et 415. — [6] Ib. 348; H. A. ib. 81.

Digitized by Google

can. *Proposuisti*, dist. 82, ubi, Innocentius I decrevit non deponendos fore quosdam Clericos incontinentes, quia ignorabant Constitutionem Siricii Papae [1]. » — Ignorantia tamen crassa vel supina non excusat, ut fatentur omnes (cf. n. 219-220).

QUAER. 2° *An requiratur etiam scientia* POENAE *seu ipsius irregularitatis ?*

Resp. Duplex est sententia probabilis. — Prima valde probabilis *negat;* quia irregularitas non est poena medicinalis, sed est inhabilitas, vel poena mere punitiva : quare, sufficit ut talis poena sit imposita a lege illi actui vetito, quem reus jam scienter et culpabiliter committit, licet poenam ignoret. — Secunda satis probabilis *affirmat;* et ratio est, quia irregularitas ex delicto est vera poena, et quidem extraordinaria, quae ne in confuso quidem praevideri potest, ideoque non censetur ab ignorante incurri [2] (cf. n. 220). — Hinc autem,

QUAER. 3° *Quid sit agendum* IN DUBIO *de irregularitate contracta?*

Resp. 1° Si dubium exsurgat *positivum*, seu gravibus innixum rationibus, debet dubitans prudentem adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem; et interim se gerere quasi esset irregularis, ne scilicet periculo irregularitatem violandi se exponat. — Excipe cum Salmanticensibus [3], « si gravis necessitas urgeat, nempe si occasio occurrat recipiendi Ordines, aut Beneficium [4]. »

Resp. 2° Si dubium detur *negativum;* vel si post adhibitam sufficientem diligentiam, remaneat *utrinque positivum* seu vere suspensivum : tunc, sive dubium sit *juris*, nempe si dubitatur, an irregularitas sit necne a jure assignata pro tali casu ; sive sit *facti*, id est si dubitatur, an crimen in jure designatum vere commissum fuerit : ex communi et veriori sententia, nemo se habere debet tanquam irregularem; tum quia odia sunt restringenda, tum quia in dubio nemo est suo jure spoliandus [5].

Excipe, *si quis dubitet an patraverit* HOMICIDIUM ; hic enim casus expresse declaratus est in jure [6], ubi legitur : « Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare. » — Sed notandum 1) quod hoc currit, quando quis est *certus de homicidio*, v. g. de abortu foetûs certe animati (cf. n. 744. q. 4), et solum dubitat an ipse actione sua (de se mortifera) fuerit illius causa. Si vero dubitet de ipso homicidio, an fuerit secutum necne : eo casu, juxta sententiam valde probabilem, non est censendus irregularis [7].

[1] H. A. ib. 83 ; L. VII. 350. — [2] L. VII. 351 ; H. A. ib. 84. — [3] *De Cens.* cap. 7. n. 42. — [4] L. VII. 346. — [5] Ib. 346-347 ; H. A. ib. 79 ; cf. AA. a S. Alphonso citatos. — [6] Cap. *Petitio tua* 24. *de homicidio.* — [7] Cf. Bizzarri, pag. 521.

Digitized by Google

— Notandum 2) quod *haec irregularitas*, quae solos clericos tenet, non est extendenda ad omnes effectus, sed ad solam inhabilitatem celebrandi, et ad obligationem quaerendi dispensationem [1].

§. 4. *Quomodo cesset Irregularitas.*

1931. — Tollitur irregularitas quatuor modis:

1° Per CESSATIONEM CAUSAE, si proveniat, v. g. ex defectu aetatis, scientiae, bonae famae, etc. — Circa irregularitatem *ex defectu bonae famae* notandum, quod si infamia sit *popularis*, tollitur per emendationem; modo haec, universim loquendo, per triennium saltem perdurarit. Si sit *facti*, tollitur per mutationem loci; si vero sit *juris*, seu contracta per sententiam judicis, requiritur omnino ad eam tollendam, dispensatio [2] (cf. n. 1199).

2° Per BAPTISMUM, si irregularitas sit *ex delicto*, quamvis delictum esset homicidium; secus, si sit ex defectu, v. g. si proveniat ex bigamia. — Sed et irregularitas *ex defectu famae* tollitur per Baptismum, si nempe sit infamia facti. Si vero infamia sit juris, requiritur dispensatio, ut dictum est; quamvis Bonacina teneat, hanc etiam tolli per Baptismum, et Salmanticenses id non improbabile habeant [3].

3° Per PROFESSIONEM RELIGIOSAM, si irregularitas sit *ex defectu natalium*. — Tollitur autem ad solum effectum, ut sacri Ordines recipi, non vero ut praelaturae obtineri possint, nisi dispensatio accedat [4] (cf. n. 2150. qu. 2°).

4° Per DISPENSATIONEM, quam dare potest: — 1) SUMMUS PONTIFEX, in omni irregularitate jure humano inducta. Ad obtinendam hujusmodi dispensationem, recurrendum est, pro foro externo, ad Datariam, si irregularitas est publica; et pro foro interno, ad S. Poenitentiariam, si est occulta. — 2) EPISCOPUS, sive per se, sive per suum Vicarium specialiter ad hoc deputatum, in omni irregularitate proveniente *ex delicto occulto*, nec ad forum contentiosum deducto; excepto tamen homicidio directe voluntario. Ita ex Trid. cap. *Liceat* (cf. n. 1280, 2°). — Nec potest Episcopus dispensare in irregularitate *ex defectu*, nisi cum *illegitimis*, ad Ordines minores, vel ad Beneficium simplex, cui non est annexus Ordo sacer [5]; vel cum *bigamis*, in bigamia tantum similitudinaria, ad Ordines sive minores sive majores [6]; vel demum si *dubius* sit aliquis defectus. — Si quid aliud potest Episcopus, id habet vel ex

[1] L. VI. 347. dub. 3 et 4; H. A. XIX. 80. — [2] Ib. 352. 364; H. A. ib. 85. — [3] Ib. 352. 364. — [4] Ib. 354. — [5] Ib. 428. — [6] Ib. 452; H. A. XX. 50 et 105.

Digitized by Google

speciali privilegio (v. g. ex *Facult. quinquennalibus*, in App. I. §. I. n. 13); vel ex antiqua consuetudine, in casu tantum urgentis necessitatis, juxta dicta n. 234. 2°. — 3) PRAELATUS REGULARIS, ex privilegio Martini V et Benedicti XIII, potest dispensare, in multis casibus, cum suis subditis, sicut videbimus in Tract. *de Statu Religioso* (n. 2187. 3°).

1932. — Super his NOTETUR: 1° In petenda dispensatione *declaranda sunt* omnia, quae ferunt regulae a S. Sede ad hoc statutae (cf. n. 236).

2° Qui plurium irregularitatum dispensationem petere cogitur, debet eas *omnes ac singulas* in supplici suo libello recensere. — « Si quis tamen plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, puta si pluries ministrarit cum censura, sufficit tunc ad obtinendam dispensationem, si dicat se pluries in illas incidisse; imo (plures AA.) docent sufficere, si dicat tantum, se irregularem esse ob talem culpam [1]. »

3° In concedenda dispensatione, nulla specialis FORMULA praescribitur; hinc, indiscriminatim, sequens vel quaelibet alia adhiberi potest: « *Dispenso tecum in irregularitate quam (vel in irregularitatibus quas), ob hanc vel illam causam incurristi* [2]. »

4° Recepi potest *absolutio* censurarum et peccatorum, quin recipiatur simul *dispensatio* ab irregularitatibus; et e contrario potest concedi dispensatio irregularitatum sine absolutione a censuris et peccatis. Sed nunquam absolvi potest irregularis, qui pertinaci animo vult prosequi Ordinum susceptionem vel exercitium jam susceptorum, priusquam dispensationem, quam jus exigit, obtinuerit [3].

Plura vide apud Canonistas [4].

ARTICULUS II.

DE IRREGULARITATIBUS IN PARTICULARI

Quatuordecim irregularitates recensentur: harum OCTO proveniunt ex defectu, et SEX ex delicto.

§. 1. *De irregularitatibus ex defectu.*

1933. — Hae proveniunt ex defectu 1° animae, 2° corporis, 3° natalium, 4° aetatis, 5° Sacramenti, 6° bonae famae, 7° libertatis, 8° lenitatis.

I. Ex defectu ANIMAE sunt irregulares:

1° Qui carent quandoque *usu rationis:* ut amentes, lunatici, furiosi, epileptici et energumeni; etsi lucida intervalla habeant. Facilius tamen permittitur susceptorum Ordinum exercitium, quam novorum susceptio. Sic, v. g. sacerdos qui raro, puta semel in

[1] L. VII. 353. Not. 2. — [2] Ib. Resp. 3; cf. et RIT. ROM. *De S. Poenit.* c. 5. — [3] Gousset, II. n. 947. fin. — [4] Cf. Craisson, v. 1759-1781.

Digitized by Google

mense, epilepsia corripitur, potest privatim et adjuncto sibi sacerdote jejuno, celebrare, dummodo non consuescat in terram subito cadere, nec spumare, nec clamare. Atque hoc idem dicendum est de energumenis et lunaticis[1].

2° Qui carent *scientia* necessaria, sive *actualiter*, quia sunt illiterati, illiusque eruditionis, quam suscipiendus Ordo requirit, expertes; sive *radicaliter* propter mentis imbecillitatem, quae praepedit, quominus sufficienti doctrina imbuantur. — Haec irregularitas non est solum de jure humano, sed etiam de jure divino, quod evidenter munus illis denegandum esse docet, a quibus sustineri nequeat[2] (vide n. 1914).

3° Qui carent *fide* satis probata, idest, *neophyti* seu in adulta aetate recenter baptizati. Qui enim vix discipuli facti sunt, constituerentur incongruenter fidei magistri, sicut innuit Apostolus (I. Tim. 3, 6). Remanent igitur irregulares, donec ab Episcopo idonei judicentur. Putat Toletus, eos post decennium a conversione non amplius esse irregulares[3].

1934. — II. Ex defectu CORPORIS irregulares habentur qui, propter vitium corporis, *vel* ad Ordinis exercitium sunt inhabiles, *vel* prae se ferunt notabilem indecentiam et horrorem aliis ingerunt.

1° Ex PRIMO capite sunt irregulares: 1) *Caeci*, visu totaliter carentes: item, *carentes oculo canonico*, i. e. sinistro, nisi oculo dextro, sine deformitate, Canonem legere possint: quod judicio Episcopi subjiciendum est. — Possunt autem caeci, sacerdotio jam initiati, dispensari a Pontifice ad celebrandum, si constet eos in celebratione non errare, nec non assistentem sacerdotem habeant[4]. — 2) *Surdi*, qui penitus non audiunt. Si tamen surditas superveniat sacerdoti, permittitur ei Missae celebratio, cum facilius tolerentur defectus in jam promoto. — 3) *Muti*, qui non possunt loqui, vel nonnisi cum magna difficultate. Balbutientes vero, aut carentes dentibus non sunt irregulares, nisi risum aut contemptum adstantium moveant: quod raro evenit.[5]. — 4) *Claudi*, qui nequeunt sine baculo consistere, vel qui utuntur pede ligneo. Claudi vero, qui non indigent baculo, aut qui habent crura tantum distorta, non sunt irregulares, et possunt ordinari, nisi adsit in iis magna deformitas, quae tegi non possit. — Et post Ordinationem, si defectus sit modicus, et aliquo modo indecentia reparari queat, judicio

[1] H. A. XIX. 112-113; cf. L. VII. 398-400, ubi etiam recensentur causae dispensandi. — [2] H. A. ib. 114; L. VI. 791-792; VII. 401. — [3] H. A. XIX. 115; L. VII. 402. — [4] De caecutiente, quoad rubricas, vid. n. 1642. qu. 1° — [5] L. VII. 404-406.

Digitized by Google

Episcopi permitti poterit celebratio [1]. — 5) *Carentes manu*, vel *digitis* omnibus, vel tribus digitis posterioribus, vel *pollice* [2]. Carens indice potest obtinere dispensationem [3]. — 6) Omnes, qui habitualiter *tali morbo* laborant, ut nequeant celebrare sine periculo proximo deficiendi, vel notabiliter errandi: cujusmodi sunt, qui habent manus adeo tremulas, ut sit periculum effundendi Sanguinem; item, qui tantam patiuntur tussim, ut subsit periculum in suscipienda Communione; item, *abstemii*, qui ita a vino abhorrent, ut, etsi parum sumant, incurrant in periculum vomendi. Cum his, nec ipse Papa dispensare potest [4].

2° Ex SECUNDO capite irregulares sunt: 1) *Carentes naso*, vel aliquo corporis membro, ita ut risum vel horrorem moveant. — 2) *Leprosi*, aut qui habent faciem morbo deformiter maculatam. (Si jam ordinati sint, remoto scandalo, privatim celebrare possunt). — 3) *Monstruosi:* quales communiter habentur enormiter vel deformiter gibbosi; pygmaei et gigantes, quorum illi risum, hi terrorem quemdam movent; aethiopes, qui in nostris regionibus quemdam horrorem excitarent, si habitualiter ministerium exercerent; hermaphroditi, i. e. individui qui sunt dubii sexus; et quamvis praevaleat in eis sexus virilis, si eorum defectus sit notus [5].

Circa corporis defectus NOTANDUM est: — 1° In dubio an defectus inducat irregularitatem, res remittenda est ad Episcopum, qui potest pronuntiare; et, si vitium videatur leve, potest etiam dispensare ex consuetudine. — 2° Si defectus ante Ordinis susceptionem superveniat, inducit absolute irregularitatem, non modo ad illum Ordinem, cujus exercitium impedit, sed etiam ad omnes alios Ordines. Cum enim omnes ad Sacerdotium se referant, sequitur a Sacerdotio exclusum etiam excludi a caeteris Ordinibus. — 3° Si vero defectus superveniat, Ordinibus jam susceptis, sacerdos non impeditur ab actibus illius Ordinis, quos potest exercere absque indecentia: v. g. sacerdos caecus aut claudus potest confessiones excipere, canere Evangelium, etc. [6].

1935. — III. Ex defectu NATALIUM sunt irregulares omnes filii illegitimi, etiam occulti. — Et ita statutum est ab Ecclesia, tum propter periculum incontinentiae ex imitatione paterna, tum propter odium paterni criminis, tum ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur [7]. — Porro, *illegitimi* hic reputantur non solum illi, qui nati sunt ex fornicatione, incestu, vel adulterio, sed etiam nati ex matrimonio quod, omissis absque dispensatione proclamationibus, celebratum est cum impedimento dirimente, licet a sponsis ignorato [8].

[1] L. VII. 407. — [2] Cf. Bizzarri, pag. 491, quoad dispensationem. — [3] L. VII. 408. fin. — [4] Ibid. 409. — [5] Ibid. 410-412; H. A. XIX. 122-124; cf. Haine, *De Ord.* q. 13. — [6] L. VII. 413, 414. — [7] Cf. Trid. sess. 25, cap. 15 *de ref.* — [8] L. VII. 425; H. A. ib. 126-127.

Digitized by Google

Nec vero irregulares sunt: 1° Illegitime nati ex matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum occultum, ab uno saltem ignoratum [1]. — 2° Nati ex infidelibus, quorum matrimonium validum fuit secundum naturam, quamvis invalidum secundum jus canonicum [2]. — 3° Expositi, de quorum parentibus non constat [3].

In dubio de legitimitate natalium, nullus censetur irregularis. — Hinc S. C. Concilii die 27 junii 1857 respondit, non indigere dispensatione certum aliquem, qui a legitimo matrimonio tum ex libris parochialibus, tum ex civili statu, ortus apparebat, tametsi grave dubium de ejus legitimitate urgeret, eo quod publica fama, et ipsi ejus parentes eum adulterinum, id est natum ex patre libero et matre conjugata, esse affirmarent [4].

Irregularitas ex defectu natalium TOLLITUR: 1° Per *legitimationem*, quae fit, sive per Rescriptum Pontificis, in omni casu, et quoad omnes effectus legitimationis pro foro Ecclesiae; sive per subsequens matrimonium parentum, modo tempore conceptionis (aut saltem nativitatis, juxta sententiam valde probabilem) valide potuissent contrahere, nec agatur de evectione ad Cardinalatum. — 2° Per *professionem religiosam;* et 3° per *legitimam dispensationem*, nempe Pontificis, pro sacris Ordinibus et Dignitatibus; Episcopi, pro Ordinibus minoribus et simplici Beneficio; ut dictum est n. 1931. 3° et 4° [5].

1936. — IV. Ex defectu AETATIS, irregulares habentur, qui aetatem canonicam pro singulis Ordinibus non attigerunt (cf. n. 1918). Qui scienter Ordinem suscipiunt ante canonicam aetatem, peccant graviter [6]; sed hodie, ex Constitutione *Apostolicae Sedis,* non amplius suspensionem incurrunt, nec proinde, si Ordinem exerceant, aliam irregularitatem.

1937. — V. Ex defectu SACRAMENTI, seu ex BIGAMIA oritur irregularitas, ut constat ex titulo *De bigamis,* et infertur ex verbis Apostoli (1. Tim. 3, 2): « Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. » Rationem assignant, quia is qui duas duxit uxores, non potest apte significare unionem Christi cum Ecclesia, unica Ejus sponsa [7]. — Triplex DISTINGUITUR bigamia: vera, similitudinaria, et interpretativa.

1° VERA existit in eo, qui cum duabus successivum contraxit matrimonium validum, et in utroque casu, illud consummavit (cf. n. 2027).

2° SIMILITUDINARIA existit in eo, qui matrimonium (licet nullum, aut etiam solum civile), post solemnis voti emissionem, sive Re-

[1] L. VII. 424. — [2] Konings, n. 1761. — [3] L. VII. 432; H. A. ibid. 129. — [4] Cf. *Acta S. Sed.* vol. I. 350. — [5] L. VII. 421. 426. 427. 431. — [6] L. VI. 799. — [7] L. VII. 436; H. A. ib. 131.

Digitized by Google

ligionis, sive sacri Ordinis, contraxit et consummavit. Ratio est, quia talis, fictione juris, censetur *duo matrimonia* contraxisse, unum *spirituale*, alterum *carnale*. — Haec autem irregularitas videtur esse ex delicto, et nihil refert, utrum contraxerit cum corrupta aut cum virgine[1] (cf. n. 1348).

3° INTERPRETATIVA bigamia existit in eo, qui, quadam interpretatione juris, duas censetur habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. — Hoc contingit *quadrupliciter:* 1) quando quis duxit et cognovit *viduam* jam a priori suo viro cognitam, etiamsi duxerit invalide; — 2) quando duxit et cognovit mulierem *corruptam ab alio* seu fornicariam, etsi crediderit illam esse virginem, et quamvis invalide contraxerit; — 3) quando cognovit propriam uxorem *post illius adulterium*, licet occultum, vel extortum, vel ignoratum, quia tunc censetur, quasi duxerit corruptam; — 4) quando contraxit et consummavit *duo matrimonia invalida*, vel unum validum et alterum invalidum: tunc enim adest affectus ad duo matrimonia, saltem exterius inita. — Neque in his omnibus a lege eximit bona fides; praesens enim irregularitas, juxta communiorem sententiam, non provenit ex delicto, sed ex defectu significationis Sacramenti[2].

Negat S. Alphonsus, irregularem esse, qui mulierem prius *a se corruptam* duxit[3]. — Sed nec irregularis est *laicus*, qui matrimonium inivit *cum moniali*, etiam solemniter professa; et ratio est, quia leges loquuntur tantum de contrahente post proprium votum[4]. — Nec similiter irregularitatem inducunt sponsalia cum pluribus, etiam secuta copula; nec fornicatio, nec adulterium, nec matrimonium ratum cum pluribus. — Plura vide apud Canonistas[5].

1938. — VI. Ex defectu BONAE FAMAE contrahitur irregularitas, juxta illud juris: « Infamibus non pateant portae dignitatum. » Item ex can. *Infames* caus. 6. qu. 1. — Distinguitur infamia duplex, juris nempe et facti.

Infamia *juris* duobus modis contrahitur: 1° ex juridica confessione enormis criminis, quod sive lex ecclesiastica, sive lex civilis infamiâ notavit; 2° ex judicis sententia, sive criminis declaratoria sive condemnante ad poenas infamantes, v. g. ad triremes, tametsi lata sententia falsis innixa fuisset testimoniis. — Et haec quidem irregularitas Ordinis tam susceptionem quam exercitium impedit, donec in ea dispensetur, vel donec reo, per aliam sententiam, fama restituatur.

Infamia *facti* ante omnem sententiam contrahitur: 1° Ex notorietate alicujus criminis enormis, quod majori parti viciniae aut

[1] H. A. ib. 138; L. VII. 448. — [2] L. VII. 437-447; H. A. XIX. 132-137; *1 Elench. qq. ref.* n. 99. — [3] L. VII. 438. — [4] Ib. 449. — [5] Cf. De Angelis, lib. I. tit. 21; J. d'Annibale, *Summula*, I. n. 418.

Digitized by Google

collegii (ubi ad minus sint decem) ita innotuit, ut nulla jam tergiversatione celari possit; 2° ex quibusdam criminibus notoriis et enormibus parentum. — Haec irregularitas omnino sacri Ordinis susceptionem impedit; sed quoad Ordinis exercitium, Episcopus in ea dispensare potest, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit poenitentiam. Tollitur etiam per Baptismum et per notoriam emendationem, v. g. trium annorum [1] (cf. n. 1931).

QUAERITUR. *Quaenam sint* CRIMINA, *quibus ex jure annexa est infamia?*

Resp. Sunt sequentia: « Homicidium, perjurium factum in judicio, haeresis, simonia, crimen laesae majestatis, sodomia, adulterium, lenocinium (turpis quaestus ex adulterio uxoris), proditio, rapina, exercitium usurarum, invasio Cardinalium vel Episcoporum. Item, raptus mulierum, seu ad illum cooperatio, duellum, paratio armorum contra parentes, etc. Item, exercitium histrionis cum turpibus repraesentationibus [2]; » et alia crimina *notoria* quae, attentis circumstantiis, hominem vilis et abjectae aestimationis apud pios et prudentes reddunt [3]. — Crimina autem *parentum*, quorum infamia redundat in filios post delictum natos, sunt crimen laesae majestatis, matris meretricium, et haeresis notoria, de qua vide n. 1945, et 442.

1939. — VII. Ex defectu LIBERTATIS, declarantur irregulares in variis capitibus Juris:

1° *Servi* proprie dicti, seu *mancipia*, donec consequantur plenam libertatem [4].

2° *Uxorati*, ob conjugii vinculum. — Vir tamen ordinari potest: 1) si ob adulterium uxoris factum sit juridice divortium; in hoc enim casu, ab ejus jure in perpetuum subductus est; 2) si uxor expresse ac libere consentiat, et simul castitatem perpetuam voveat. — Imo, *uxor* Religionem ingredi omnino tenetur: 1) si vir ad Episcopatum assumatur; 2) si fiat Religiosus, et ipsa sit juvenis [5].

3° *Curiales*, seu qui ex obligatione juramenti aut stipendii, inserviunt Curiis Principum: quales sunt Judices, Advocati, milites, etc., quamdiu tali munere funguntur. — Excipe, si licentiam saltem tacitam a Pontifice vel a consuetudine obtinuerint: prout sunt quidam clerici, in aulis principum, in causis civilibus, non tamen criminalibus, occupati [6].

[1] L. VII. 362-364; H. A. XIX. 92. — [2] L. VII. 363. — [3] Cf. Craisson, n. 1909. et seq. — [4] L. VII. 455. — [5] L. VI. 812, juxta quem interpretandus H. A. XIX. 142. — [6] L. VII. 456; H. A. ib. 143.

Digitized by Google

4° *Obligati ad rationes reddendas;* ut thesaurarii publici, depositarii, magistratus, etc.: qui omnes nequeunt ordinari, nisi redditis rationibus, et deposito officio. — His tamen non adnumerandi sunt locorum piorum administratores, ut constat ex jure canonico [1].

1940. — VIII. Ex defectu LENITATIS sunt irregulares, quicumque post Baptismum voluntarie, active, efficaciter, et proxime, ad alicujus mortem vel mutilationem, licet juste et ex auctoritate publica, concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam. « Quod ideo statuit Ecclesia, quia sacerdos gerit personam Christi, qui utpote lenissimus, neminem unquam laesit [2]. » Si talis concursus fuisset *injustus*, haberetur irregularitas ex delicto (cf. n. 1946).

Haec irregularitas contrahitur tum in JUDICIO, tum in BELLO, tum in exercitio MEDICINAE artis.

1° In JUDICIO fiunt irregulares effectu secuto: *Judices* proferentes sententiam, licet justam, mortis vel mutilationis (nisi privilegium habeant, ut Inquisitores fidei, eorumque Officiales); *Consiliarii* et assessores, qui consilio aut suffragio suo cooperantur; *accusatores* vel *denuntiatores* petentes vindictam criminis capitalis, licet protestentur, se nolle poenam mortis, cum protestatio sit contraria facto; *testes voluntarii*, quamvis eamdem similemve protestationem praemittant; voluntarii *advocati* et *procuratores* contra reum; *notarii* scribentes, subscribentes, vel dictantes sententiam; *carnifices*, *lictores*, et omnes ministri eamdem mortis, aut mutilationis sententiam exequentes [3]. — An *jurati*, v. g. in Gallia, in Italia, fiant irregulares, controvertitur; probabilius est, eos testibus coactis esse assimilandos [4].

2° IN BELLO INJUSTO (si tamen de injustitia constet) fiunt irregulares omnes milites, etiamsi unus tantum homo occidatur; sed ista irregularitas est ex delicto (vide n. 1946). — In bello *justo mere defensivo* nemo fit irregularis, sicut nec irregularis dicendus est, qui aggressorem mutilat, vel occidit, in defensionem inculpatam vitae, castitatis, vel etiam proximi [5]. — In bello *justo offensivo* fiunt irregulares illi omnes, qui propria manu mutilant vel interficiunt; item, clerici in Sacris, vel beneficiati, qui sua sponte nomen militiae dederunt (in quo graviter peccant), et aliquando sclopetum adhibuerunt in aliquo conflictu, etsi jurarent, a seipsis neminem fuisse laesum [6].

[1] Ib. 456 et III. 838. v. *Valde.* — [2] L. VII. 457. — [3] L. VII. 461. 468; cf. Scavini, III. n. 587. 3. — [4] Cf. Craisson, n. 1945. — [5] L. VII. 458. — [6] L. VII. 459 (a 6ª edit.) 460.

Digitized by Google

Nec vero irregularitatem contrahunt: *legislator* legem condens capitalem; *clericus* cohortans ad fortiter pugnandum in bello justo, ad reos puniendum, etc.; *theologus* casum belli speculative resolvens; *confessarius* adhortans reum, ut scalam supplicii ascendat, vel caput ad ictum supponat; clericus, assistens *ex curiositate* supplicio rei, etsi peccet venialiter, saltem si sit in Sacris; *testis coactus; accusator* compensationem damni sui aut parentum, usque ad quartum gradum, civiliter petens; etiam in causa criminali, dummodo protestetur, saltem externe, se nec vindictam velle, nec mortem [1].

3° In exercitio MEDICINAE ARTIS, irregularitatem incurrunt *clerici in Sacris,* sicut et *monachi,* medentes (extra casum verae necessitatis) cum adustione vel incisione, si inde mors notabiliter acceleretur vel mutilatio sequatur; quamvis sint in arte periti omnemque diligentiam adhibeant [2].

Hanc tamen irregularitatem, verius, non contrahunt clerici in minoribus constituti, quamvis sint beneficiati; nam poenae non sunt extendendae ad casus in jure non expressos [3]. — Nec ista spectant ad laicos medicos aut chirurgos, si secumdum suae artis regulas operentur, ut ait Benedictus XIV [4]. Usus tamen est, ut ad cautelam, etiam quoad istos, petatur dispensatio, si forte aliquando in sua arte culpabiliter deliquissent [5]. — Alia vide n. 1946.

§. 2. *De Irregularitate ex delicto.*

Hae Irregularitates contrahuntur: 1° ob male susceptum vel iteratum Baptismum; 2° ob violationem censurae; 3° ob usurpationem Ordinis sacri; 4° ob malam Ordinum susceptionem; 5° ob crimen haeresis vel apostasiae; 6° ob homicidium et injustam mutilationem.

1941. — I. Ob MALAM SUSCEPTIONEM, vel ITERATIONEM BAPTISMI, est irregularis: 1° Qui, in adulta aetate, suscipit scienter Baptismum *ab haeretico* declarato, extra casum necessitatis; videtur enim ejus errori communicare; — 2° Qui illum *differt* usque ad periculum mortis; talis enim dilatio est signum infirmae fidei; — 3° Adultus qui scienter et solemniter *rebaptizatur;* — 4° Qui publice et solemniter *rebaptizat;* item clericus qui rebaptizationi assistit [6].

« Rebaptizans vel rebaptizatus ex metu, sine intentione, vel sub conditione (etsi temere et culpabiliter fiat), *probabiliter* non fiunt irregulares. — Ignorantia culpabilis tamen hos non excusat [7]. »

1942. — II. Ob VIOLATIONEM CENSURAE, est irregularis omnis clericus in Sacris, qui censura proprie dicta et coram Deo valida innodatus, *scienter, temere,* et *solemniter,* exercet Ordinem sacrum [8].

[1] L. VII. 460-468. — [2] L. VII. 385. H. A. XIX. 107. v. fin. — [3] L. VII. 385 et 387. v. *Ad textum.* — [4] *De Synodo,* lib. 13. cap. 10. n. 4. — [5] Scavini, III. 587. 2°. — [6] H. A. XIX. 88. — [7] Lib. VII. 356; cf. L. VI. 122. — [8] H. A. ibid. 89.

Digitized by Google

Diximus 1° *innodatus censura proprie dicta,* i. e. excommunicatione, suspensione, vel interdicto, quatenus sunt poenae medicinales, ut communiter docetur; et *coram Deo valida*, ut constat ex decisione S. C. Concilii 19 julii 1704 et 11 sept. 1717 [1] (cf. n. 1272 fin.). — Non desunt tamen casus, in quibus S. C. C. declaravit quemdam factum esse irregularem, ex violatione suspensionis mere poenalis [2], vel inflictae ex informata conscientia (cf. n. 1301 et 1304 fin.).

Diximus 2° *exercet* SCIENTER, quasi nempe censuram contemnat; TEMERE, i. e. quin excusetur ratione gravis mali, scandali, infamiae, etc.; non enim cum gravi incommodo leges humanae obligant;... et SOLEMNITER, i. e. cum insignibus proprii Ordinis: puta si diaconus cantet Evangelium cum stola, subdiaconus Epistolam cum manipulo, vel si Canonicus, fungens officio hebdomadarii, cantet in choro *Dominus vobiscum.*

Diximus 3° *Ordinem sacrum;* secus enim, si Ordinem minorem, etsi solemniter et ex officio exerceat.

Hinc, est IRREGULARIS: — 1° *Sacerdos*, qui censura irretitus celebrat Missam, poenitentes absolvit, aut alia Sacramenta administrat; item, qui celebrat in loco interdicto, quia violat interdictum; — 2° *Episcopus* vel sacerdos censuratus, qui cogit alium ad celebrandum coram se, ut constat ex cap. *Illud* de cler. excomm.

Non fit irregularis, qui exercet *actus jurisdictionis;* v. g. qui excommunicat, confessarios approbat, confert beneficia, assistit matrimonio sine benedictione solemni, dispensat a votis, concionatur, etc.; nec ille, qui celebrat in ecclesia duntaxat polluta, et non interdicta [3].

1943. — III. Ob USURPATIONEM ACTUS ORDINIS SACRI est irregularis, quoad superiores Ordines suscipiendos, clericus, qui serio et scienter, exercet Ordinem sacrum quem non habet [4]. — *An laicus etiam hanc irregularitatem incurrat*, disputatur quidem, sed sententia probabilior negat [5].

Hinc IRREGULARIS est: 1° *Presbyter*, qui Pontificalia solemniter exercere praesumit, sacras nimirum functiones et benedictiones exclusive Episcopo reservatas, v. g. consecrationem Ecclesiae, calicis, etc. — 2° *Diaconus*, qui absolvit sacramentaliter, vel qui confert Baptismum solemnem, etiam in casu necessitatis, citra delegationem (cf. n. 1462). — 3° *Subdiaconus*, qui defert solemniter pyxidem continentem SS. Eucharistiam, aut qui Evangelium cum stola cantat, etc. [6].

Simplex autem sacerdos, *excipiendo confessiones*, non incurrit irregularitatem quia exercet actum Ordinis quem habet, licet careat jurisdictione. Unde peccat et invalide absolvit, sed non fit irregularis [7].

[1] Cf. Craisson, n. 1795. — [2] Cf. *Thesaur. Resolut.* Tom. 108. p. 105; in *Lucionen.* 8 apr. 1848 ad IV. — [3] H. A. ibid. 89; L. VII. 357-358. — [4] Ib. 90; ib. 359. — [5] L. VI. 116. dub. 3. — [6] Scavini, III. 577. 2. — [7] L. VII. 359.

Digitized by Google

1944. — IV. Ob ILLICITAM ORDINUM SUSCEPTIONEM, fit irregularis: 1° qui ordinatur *modo furtivo*, sine Episcopi approbatione, v. g. ementito nomine alterius examinati; — 2° qui, sine Episcopi dispensatione, recipit *eodem die* plures Ordines, quorum unus est sacer (nisi alicubi vigeret consuetudo contraria): — 3° qui suscipit Ordinem sacrum *post matrimonium ratum*, renitente uxore [1].

Qui autem ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, haeretico, schismatico aut simoniaco, *ordinatur*, non incurrit quidem irregularitatem ex delicto; debet tamen ab Episcopo dispensari, ut Ordinem sic susceptum *exercere* valeat [2] (cf. n. 1366). — Nec fit irregularis, qui *utitur fraude* ad dissimulandum defectus quos habet, vel qui, confictis ex industria Litteris dimissorialibus, Episcopum decipit; quia non censetur furtive ordinatus. Graviter tamen peccat [3]. — Nec est demum irregularis, qui excommunicatus vel suspensus, aut per saltum, aut ante aetatem, aut ab Episcopo non proprio, Ordines recipit; *dummodo* sic ordinatus Ordinem non exerceat [4] (cf. n. 1372. Qu.).

1945. — V. Ob notorium crimen HAERESIS, vel APOSTASIAE A FIDE, sunt irregulares non solum ipsi haeretici aut apostatae, verum etiam *notorii* eorum receptatores, defensores, ac fautores (cf. n. 442, q. 2°). — *An autem, ob haeresim* OCCULTAM, *irregularitas incurratur*, res dubia est. In hoc casu dispensat Episcopus, saltem ad cautelam [5]. — Caeterum ex declaratione S. POENIT. de die 1 apr. 1829, si agatur de schismatico vel haeretico regionis ubi grassantur haereses, conversus ad catholicam fidem nulla indiget dispensatione [6].

1946. — VI. Ob crimen HOMICIDII vel MUTILATIONIS, sive *publicum* sive *occultum*, sive in *proprium* sive in *alienum* corpus patratum, irregularitatem contrahit quilibet praedicti criminis auctor graviter culpabilis, *effectu secuto* [7]. — Quod si crimen ejus notorium sit, erit etiam irregularis ex defectu famae (cf. n. 1938. Quaer). — HOMICIDIUM (in quo comprehenditur abortus foetus certe animati [8]) potest esse VOLUNTARIUM sive DIRECTE, sive INDIRECTE per actionem *physicam* vel *moralem*, vel etiam per casum *imputabilem in causa*.

1° Ratione igitur homicidii VOLUNTARII *per actionem physicam* sunt irregulares: 1) Omnes qui propria actione occidunt hominem, etiamsi illos poeniteat, antequam laesus moriatur, ut tenet verior sententia [9]. — 2) Omnes, qui communi consilio invadunt hominem, quamvis unus tantum percutiat. Item, si plures lethaliter aliquem vulneraverunt sine mutua conspiratione, et non dignoscatur quisnam mortem intulerit, omnes habendi sunt irregulares [10].

[1] L. VI. 361. — [2] Ib. 358. *Not.* 4; cf. Craisson, n. 1805. — [3] Cf. Scavini, loc. cit. — [4] H. A. XIX. 91. — [5] Cf. Konings, n. 1773. — [6] Haine, *Theologiae moralis elementa*, vol. IV. pag. 283. — [7] H. A. XIX. 93. sqq. — [8] L. III. 396. et VII. 347. dub. 4. — [9] L. VII. 368; cf. *Vind. Alph.* t. II. pag. 511. — [10] L. VII. 365-369.

Digitized by Google

2° Ratione homicidii VOLUNTARII *per actionem moralem* sunt irregulares omnes, qui ad homicidium efficaciter concurrunt, cooperando ut illud celerius, audacius, aut securius perpetretur [1]. In quorum numero sunt: 1) *Mandans*, nisi mandatum revocaverit, et revocatio mandatario ante caedem innotuerit. — 2) *Consulens*, qui consilio efficaciter in crimen influit (cf. n. 978. 980. 981). — 3) Omnes qui *efficaciter* et *proxime* ad caedem cooperantur, ferendo suffragium, ministrando arma, pecuniam; injuste accusando, testificando, judicando, ut homo occidatur; item, qui sua praesentia reddit occisorem audaciorem, vel occidendum timidiorem. Hi enim omnes censentur esse una causa moralis, ac proinde omnes irregularitatem incurrunt.

Non censetur autem irregularis qui homicidium sui gratia factum *adprobat*, ut communis fert sententia; nec probabiliter, ille qui homicidium *non impedit*, etiamsi illud impedire possit, imo ex justitia impedire debeat. Utriusque ratio est, quia neuter influit positive in crimen [2].

3° Ratione homicidii CASUALIS, irregularitatem incurrit ille solus, qui, sciens vel dubitans alicui suae actioni inesse periculum occidendi hominem, illud cum gravi culpa praecavere *negligit*. — Dicimus *cum gravi culpa*; nam si homicidium est mere casuale, ita ut absque ulla culpa accidat, non inducit irregularitatem [3].

Hinc, irregularitati subjacet: 1° Qui dat operam rei illicitae simul et ita periculosae, ut ex ea mors frequenter sequatur (ut esset admovere ignem bombardae, ubi est frequentia hominum, aut pugnare in bello), quamvis omnem adhibeat diligentiam, haec enim vere non removet homicidii periculum [4]. — 2° Qui injustam mandat verberationem, si mandatarius casu occidat; quia talis expresse in Jure declaratur irregularis [5].

At vero irregularitati non subjacet: 1) Qui dat operam *rei licitae*, v. g. peritus medicus curans aegrotum, magister verberans moderate discipulum, operarius reficiens tectum, si quem interficit eventu inopinato et omnino involuntario; (secus in casu quo, perpensis circumstantiis, posset de gravi et lethali incuria redargui) [6]. — 2) Qui dat operam rei quidem *illicitae*, sed ex se *non proxime periculosae*, ex qua mors proximi, tamquam ex simplici occasione, sequitur. Atque hinc est, cur S. C. Concilii non irregularem esse censuerit clericum, ob cujus adulterium maritus uxorem suam adulteram occiderat.

4° Ratione MUTILATIONIS fit irregularis, qui sibi vel alteri culpabiliter abscindit aliquod membrum principale, i. e. aliquam corporis partem, quae proprium officium habet ab aliis divisum, sive istiusmodi abscissio fiat actione physica, sive morali, mandato nempe, aut consilio, aut qualibet injusta, certa tamen atque effi-

[1] L. VII. 370-374. — [2] Ib. 374-376. — [3] Ib. 377-383. — [4] Ib. 387-388. — [5] Cap. ult. *de homicid.* in 6°. — [6] L. VII. 384.

Digitized by Google

caci cooperatione. — Irregularis igitur est, qui seipsum evirat; item, qui *sibi* extra casum infirmitatis vel necessitatis, ex prava voluntate, uti habetur expresse in jure [1], digitum vel partem digiti amputat; item qui alterum evirat, abscindendo utrumque testiculum; item, qui feminae unam mamillam praecidit.

Nec vero irregularis fit qui alteri unum vel duos digitos abscindit; nec qui unum solum testiculum amputat: nec qui hominem excaecat privando eum solo visu, quin oculos extrahat: nec qui membrum solummodo debilitat. — Ratio est quia amputatio non est proprie mutilatio [2].

1947. — QHAERITUR. *An irregularitatem incurrat, qui, in sui, vel innocentis, vel suorum bonorum* DEFENSIONEM, *alium occidit?*

Resp. Negative, nisi cum culpa *gravi* inculpatae tutelae moderamen *excedat.* — Constat ex dictis in Quinto Praecepto n. 734 et seqq.). — Sed valde probabiliter irregularitatem incurrit, qui ob sui defensionem occidit aggressorem, quem verbis antea, vel facto provocavit, praevidens se facillime aggrediendum. — Atque idem dicendum est de adultero, qui praevidens proximum periculum invasionis ex parte mariti, hunc occidit, ut se in adulterio deprehensum defendat; quia adulterium, haud secus ac provocatio, reputatur actus includens in se proximum periculum homicidii [3].

Nota. Episcopi, et confessarii Regulares, possunt dispensare in irregularitatibus ex mutilatione, ex homicidio *casuali* aut moderamen inculpatae tutelae excedente, quando crimen est occultum [4].

[1] Can. 6. dist. 55. — [2] L. VII. 378-382. — [3] Ib. 388-389. — [4] Ib. 381. 393. 396; *de Privil.* n. 51. et 105.

Digitized by Google

TRACTATUS VIII.

E MATRIMONIO

1948. — « Matrimonium ab eo dicitur, quod femina idcirco maxime nubere debeat, ut mater fiat; vel quia prolem concipere, parere, educare *matris munus* est. *Conjugium* quoque a conjungendo appellatur, quod legitima mulier cum viro quasi uno jugo adstringatur. Praeterea *nuptiae*, quia, ut inquit S. Ambrosius, pudoris gratia puellae se obnuberent; quo etiam declarari videbatur, viris obedientes subjectasque esse oportere [1]. »

Peculiare huic addiscendo Tractatui studium impendendum est. Etenim Ecclesiae ministri apprime intelligere debent, « quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possint, si fideles matrimonii sanctitatem cognitam habeant, et inviolatam servent; contra vero, ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari [2]. »

Ut igitur cum debito ordine et perspicuitate in hoc studio versemur, longum argumentum in plurima capitula distribuemus, agendo nempe: — 1° de praeparatione matrimonii seu de sponsalibus; — 2° de natura et proprietatibus matrimonii; — 3° de ipsius impedimentis; — 4° de dispensatione ab impedimentis; — 5° de celebratione matrimonii; — 6° de revalidatione invalidi matrimonii; — 7° de conjugum juribus et officiis.

CAPUT I.

DE MATRIMONII PRÆPARATIONE SEU DE SPONSALIBUS

1949. — Sponsalia tribus potissimum de causis matrimonio praemitti solent, videlicet: 1° quo maturius iniri possit matrimonium; 2° quo aptius et perfectius se sponsi ad Sacramenti gratiam disponant; 3° quo securius cognosci queat, an aliquod adsit impedimentum.

Dicendum venit: 1° de natura sponsalium; 2° de eorum effectibus et obligatione; 3° de eorum dissolutione.

[1] *Catech. Rom.* p. 2. cap. 8. n. 2. — [2] Ibid. n. 1.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

DE NATURA SPONSALIUM.

1950. — DEFINITIO. « Sponsalia sunt promissio voluntaria, deliberata et mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas jure habiles [1]. »

Dicitur 1° PROMISSIO, id est, non simplex tantum desiderium et propositum, licet externe manifestatum, sed actus voluntatis, quo quis sincere, et cum interno animi consensu, ad futurum matrimonium *se obligat*. — Unde, non obligatur, qui promittit *sine animo contrahendi*, aut *sine animo se obligandi*, licet obligationem cognoscat. Ratio est, quia cum obligatio oriatur ex propria voluntate, deficiente voluntatis actu, deficit etiam obligatio ; idque, quamvis promissio juramento firmetur ; juramentum enim sequitur naturam promissionis [2] (cf. n. 615). — Ficte igitur promittens, « tenetur quidem ratione deceptionis damna resarcire, sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere et matrimonium contrahere. » — Secus vero dicendum, si intervenerit defloratio ; quia tunc defloransomnino tenetur ad matrimonium, cum non possit alia via sat aequivalenter damnum resarcire [3], ut dictum est n. 959.

Dicitur 2° VOLUNTARIA ET DELIBERATA, i. e. facta cum ea cognitione, advertentia et libertate, quae ad peccatum mortale requiritur ; ut scilicet promittens, et quid agat, et ad quid se obstringat, advertat, debitaque cum libertate consensum apponat. Nam ad inducendam gravem obligationem, qualis est obligatio sponsalium, requiritur plena deliberatio et liber consensus [4].

Unde, *invalida sunt Sponsalia :* — 1° Contracta ab iis, qui vel habitualiter, vel saltem dum contrahunt, non habent perfectum USUM RATIONIS, quales sunt pueri, furiosi, ebrii, mente capti. Rationis autem perturbatio orta ex concupiscentia communiter non obstat validitati sponsalium, propterea quia, licet prudentiae ac consilio adversetur, animi tamen deliberationem non excludit. — 2° Contracta EX ERRORE circa substantiam, vel circa conditionem substantialem, v. g. si quis promitteret expresse sub tali conditione particulari ; si vero error versetur circa conditionem accidentalem, valent sponsalia, sed quandoque dissolvi possunt [5], juxta infra dicenda (n. 1960). — 3° Contracta PER METUM *injustum, gravem et ab*

[1] L. VI. 831 ; H. A. XVIII. 1. — [2] L. VI. 832. 833. — [3] Ib. 833. in fin. — [4] Ib. 831. — [5] Ib. 835 ; H. A. ib. 2.

Digitized by Google

extrinseco incussum; sponsalia enim sequuntur naturam matrimonii, quod metu contractum certe nullum est. — Dictum est 1) *per metum injustum;* quia si esset justus, non minus quam ipsum matrimonium valerent; 2) *per metum gravem;* nam si esset LEVIS, pariter valerent, juxta sententiam probabiliorem et communiorem, quia ille judicatur sponte contrahere, qui metum levem, cum pellere posset, non repellit: hoc tamen casu, sponsalia rescindi possunt per judicis sententiam, propter maximam libertatem quam requirunt; 3) *ab extrinseco incussum;* si enim metus oriretur ab intrinseco, v. g. si quis promitteret ad declinandam solutionem aeris alieni, valida foret promissio [1].

Dicitur 3° MUTUA, i. e. a viro et a femina vicissim facta et acceptata: unde, promissio matrimonii, etiam juramento firmata, non obligat, quamdiu non facta est a comparte repromissio. — Promissionis autem *acceptatio* et *repromissio* debent fieri in continenti, ac proinde, si non facta est repromissio, promittens non ligatur; nec potest promissaria solam promissionem acceptare et circa faciendam repromissionem deliberare; quia promissio censetur facta sub conditione: *si promissaria eam in continenti acceptet et repromittat;* nisi contrarium expresse significetur, v. g. si promittens pro acceptatione et repromissione, vel saltem pro repromissione, moram concedat. — Si promissaria gratuitam et liberalem promissionem *acceptet*, et nondum repromittat, non habentur sponsalia; sed solummodo promissio quae obligat, sub levi tantum, ratione fidelitatis, nisi promittens sub gravi se obligare voluerit. — Si promissaria *taceat*, dum fit promissio, acceptare quidem censetur, quia agitur de favore; attamen, ejus silentium non sufficit ad repromissionem, quia repromissio est onus, et in onerosis non valet axioma: « Qui tacet consentire videtur. » Communiter vero matrimonii promissio non censetur gratis et liberaliter facta, sed sub conditione: *si et altera pars sese vicissim obliget.* Atque haec intentio, in dubio, praesumi debet [2].

Dicitur 4° SIGNO SENSIBILI EXPRESSA; quia contractus inter homines non fit nisi signo externo. — Unde, in sponsalibus, consensus *exprimendus* est:

a) Vel VERBIS, quae, si sunt dubia, interpretanda sunt secundum sensum obvium et locorum consuetudinem, vel etiam ex contrahentium intentione. — Verba certa haec sunt: *Promitto tibi matrimonium..., sub fide mea te ducam*, etc. — Nulla autem sunt, vel valde dubia: « Tu eris mea..., tibi amorem, fidelitatem promitto, etc..., »

[1] L. VI. 844; H. A. l. c. 3; cf. *Vind. Alph.* p. VII. q. 1. — [2] Ib. 836. 837.

Digitized by Google

Qui diceret: « Non ducam aliam quam te, » non teneretur quidem ad eam ducendam, sed ad non ducendam aliam, nisi ex circumstantiis colligatur, talem vere voluisse sponsalia contrahere [1].

b) Vel SIGNIS, v. g. porrectione dexterae, quando scilicet tales sunt circumstantiae, ut de valore signi dubitari non possit. De quo si dubitetur, favendum est libertati [2]; attamen si copula libere accesserit (non si praecesserit), in favorem sponsalium concludendum est. — Sola annuli traditio et acceptatio non est signum sufficiens, nisi detur alicubi talis consuetudo. — Possunt etiam sponsalia, sicut ipsum matrimonium, contrahi per procuratorem, aut per litteras (cf. n. 1973).

c) Vel OPERA PARENTUM, si nempe pater aut mater pro filio aut filia praesente et tacente promitteret: ut habetur ex jure, sic dicente [3]: « Porro, ex sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, aut praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. » — Advertendum tamen: 1° hoc valere *pro foro externo;* nam, pro foro interno, filius non tenetur, si interne non assentitur, vel si se tantum negative habet: quia ad contrahendam aliquam obligationem requiritur positivus consensus; 2° hoc procedere solum in casu, quo *ipsi parentes* promittunt; non autem alii, licet sint tutores aut curatores, nisi forte alicubi, sicut apud Indos, consuetudo vigeat, ut consensus exprimatur per alios; 3° valere sponsalia a parentibus contracta *pro filio absente*, si hic de re certior factus, ea vel *expresse*, vel *tacite* rata habeat [4].

Dicitur 5° FUTURI MATRIMONII, suo nimirum tempore ineundi. — Consensus igitur *per verba de praesenti* expressus (cum, obstante jure, pro matrimonio non valeat) nullam obligationem inducit. — Excipe consensum *impuberum*, inter quos verba de praesenti habent vim sponsalium: pro iis enim admittitur regula, ut actus, qui non valet eo modo quo fit, valeat tamen modo quo fieri possit [5].

Dicitur 6° INTER PERSONAS HABILES, nempe inter tales, quae matrimonium aliquando valide et licite inire valeant, cum promissio rei illicitae, vel impossibilis, sit de se irrita. — Quod si sponsalia contrahantur, *obstante aliquo impedimento*, sic distinguendum est: 1° Si impedimentum est perpetuum et talis naturae, ut nulla ratione removeri possit, sponsalia sunt *invalida;* 2° si est temporaneum, v. g. votum temporaneum castitatis, vel si contrahentium industria removeri potest, v. g. si pars acatholica promittit con-

[1] L. VI. 838. 842. — [2] Ib. 840; H. A. l. c. 6. — [3] Cap. un. §. 2. *de despons. impub.* in 6°. — [4] Ib. 838. 869; H. A. XVIII. 5. — [5] Ib. 841.

Digitized by Google

versionem, sunt *valida*, et proinde matrimonium, cum jam licite contrahi possit, contrahendum est [1].

1951. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An filiifamilias indigeant ad contrahenda sponsalia* CONSENSU PARENTUM?

Resp. 1° Ad *valide* contrahendum non requiritur eorum consensus, cum hoc nullo jure praescribatur. — Attamen, si parentes *juste* contradicant, v. g. ob oriturum ex tali matrimonio dedecus aut scandalum familiae, filius non obediendo et contrahendo sponsalia peccaret graviter; atque ideo sponsalia, tametsi juramento firmata, *non obligarent*, quia promissio esset *de re illicita*, juramentum autem non potest esse vinculum iniquitatis.

Resp. 2° Ad *licite* contrahendum requiritur ordinarie consensus parentum. Reverentia enim, qua prosequendi sunt, sibi exposcit, ut, in re tanti momenti, eorum consilium exquiratur. Filii igitur, insciis vel invitis parentibus, contrahentes, peccant plus minusve graviter, pro diversitate circumstantiarum. — Dicitur *ordinarie requiritur consensus;* nam filius non tenetur obedire parentibus, si contradicant *irrationabiliter*, v. g. si matrimonium prohibeant, vel si illud cum persona indigna praecipiant [2]. — Sufficit etiam consensus rationabiliter praesumptus, v. g. si pater adeo distet, ut non possit commode certior reddi de contrahendis sponsalibus, quae ejus approbationem habitura fuisse judicantur.

QUAER. 2° *An valida sint sponsalia* CLANDESTINA?

Resp. Affirm.; etenim, « S. C. CONCILII saepius declaravit, sponsalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam praescripsisse Concilium, ideoque eo modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum Concilium [3]. » Jam vero, ante Tridentinum ejusmodi sponsalia erant certe valida, ergo et in praesenti valida sunt — Generatim igitur *nulla determinata forma* ad ea contrahenda requiritur, tametsi suadendum sit, ne unquam sine teste contrahantur, ut ita, circumstantiis id postulantibus, etiam in foro externo probari possint [4]. — Diximus *generatim;* nam in Hispania non sunt valida, si absque publica scriptura contrahuntur, obstante pragmatica Carolina, quae, legitimo jure consuetudinario, auctoritatem canonicae disciplinae, et vim ecclesiasticae sanctionis sibi nacta est. Ita ex decisione S. C. C., die 31 jan. 1880 [5].

QUAER. 3° *An sint valida sponsalia contracta inter* RAPTAM *et* RAPTOREM, *eo tempore quo femina erat in raptoris potestate?*

Resp. Affirm., juxta sententiam probabiliorem, dummodo non

[1] H. A. l. c. 7. — [2] L. VI. 849; H. A. l. c. 10. — [3] S. C. C. 19 dec. 1596 (ap. Bened. XIV. *Inst.* 46. n. 12). — [4] Bened. XIV. ib. n. 15. — [5] Cf. *Acta S. Sed.* XIII. 191.

Digitized by Google

intervenerit metus, neque aliud impedimentum. Juris enim dispositio, qua matrimonium dirimitur, quamdiu rapta manet sub potestate raptoris, non valet pro sponsalibus, quae, utpote rescindibilia, minorem libertatem requirunt [1].

QUAER. 4° *Quid de sponsalibus* SUB CONDITIONE *initis?*

Resp. Quod sponsalia, sicut quilibet alius contractus, sub conditione fieri possint, certum est. — Attamen, de diversis conditionibus quae apponi possunt, diverse, pro earum varietate, dicendum est, et quidem: 1° Si conditio est *de praesenti*, sponsalia sunt statim vel valida vel invalida, prout conditio verificatur vel non verificatur. — 2° Si conditio est *de impossibili*, sponsalia sunt nulla, quia appositio conditionis impossibilis denotat naturaliter dissensum, potius quam consensum, nec habetur favor juris positivi, ut fit pro matrimonio. — 3° Si conditio est *de futuro necessario*, habetur pro completa, ac proin sponsalia sunt illico valida et sortiuntur suos effectus. — 4° Si conditio est *de futuro contingenti* atque *honesta*, sponsalia fiunt absoluta, adimpleta conditione, nec novus consensus requiritur; nam qui datus est ab initio, sufficit, dummodo permanserit. Ex hujusmodi autem sponsalibus enascitur obligatio attendendi ad conditionis adimplementum; quae quidem obligatio adeo urget, ut posteriora quaevis sponsalia, prioribus nondum dissolutis, reddat invalida. Appositae conditioni renuntiatum censetur, si sponsi, illa adhuc pendente, in congressum venereum convenerunt [2]. — 5° Si conditio de futuro contingenti est *inhonesta*, non enascitur inde obligatio expectandi eventum, cum inducat ad peccatum; at vero, adimpleta conditione, valent sponsalia [3] (cf. n. 1057. 5°).

QUAER. 5° *An, obstante aliquo impedimento, valeant sponsalia contracta sub conditione,* SI PAPA DISPENSAVERIT?

Resp. Dist. 1° Si impedimentum sit tale, ut Papa *nunquam* vel *raro* in eo dispensare soleat, aut si *justa causa* ad dispensationem impetrandam *desit*, non valent sponsalia; quia sunt de re impossibili. — 2° Si vero agatur de impedimento, in quo Pontifex *possit* et *soleat* dispensare, simulque habeantur *rationes sufficientes* ad petendam et impetrandam dispensationem, valent sponsalia, prout diximus de sponsalibus initis sub conditione possibili et honesta. Unde, licet non sint absoluta, inducunt tamen absolutam obligationem petendi dispensationem eamque expectandi; hac vero obtenta et partibus significata, sponsalia firmantur absque novo consensu, modo consensus ab initio praestitus adhuc perseveret.

[1] L. VI. 1107. qu. 1°. — [2] Cap. *Per tuas*, de condit. appos. — [3] De Angelis, lib. 4. tit. 5. n. 4°.

Digitized by Google

— Quod si altera pars, ante conditionis verificationem, nova sponsalia iniret, haec forent invalida, cum esset promissio de re injusta, quae non obligat. Ita sententia communior et verior[1]. — Neque huic sententiae obstare videntur leges et decisiones S. C. C., quas allegat opposita sententia; quia, sicut legenti facile patebit, intelligendae sunt de casu, in quo aut non solet Papa dispensare, aut non adest dispensandi causa, aut alia occurrunt specialia rerum adjuncta, quae promissionem illam infirmant[2].

Nota. — Saepenumero, promissiones futuri matrimonii, quae inter adolescentes sese invicem adamantes fieri solent, *non sunt vera sponsalia,* cum propositi potius quam contractus onerosi conditiones prae se ferant. Et ita est in illis praesertim regionibus, ubi est in more positum, ut sponsalia cum aliqua solemnitate ineantur. — In praxi, ad intentionem promittentium maxime attendatur.

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS ET DE OBLIGATIONE SPONSALIUM

1952. — Principia. I. Sponsalia OBLIGANT sub gravi et ex justitia, ad contrahendum matrimonium vel tempore praefinito, vel quam primum altera pars id rationabiliter petierit. — Constat ex natura contractus onerosi, qui in re gravi obligat sub gravi, et ex justitia. (cf. n. 1056. sq.). — « Sed notandum, quod si altera pars ex oblivione, timore, verecundia, vel simili causa non peteret, ut praecipue in feminis evenit: tenetur tunc sponsus de se, sine petitione, matrimonium contrahere, cum commode possit. E converso, si altera pars, cum possit commode petere, tacet, tunc ipsa videtur dilationi assentire[3]. — Resiliens *cogi potest* ad matrimonium, etiam a judice per censuras: quod tamen raro expedit, ob periculum infelicis exitus[4]. » — Recole dicta n. 959-960.

1953. — II. Sponsalia inducunt impedimentum PROHIBENS matrimonium cum qualibet alia persona, nisi priora sponsalia fuerint legitime soluta. — Posteriora autem sponsalia, licet jurata, sunt omnino *invalida;* res enim uni debita, non potest licite tradi alteri[5].

1954. — III. Sponsalia inducunt impedimentum DIRIMENS *publicae honestatis* dictum, quod perdurat, solutis etiam sponsalibus. — De hoc plura infra (n. 2032-2034).

Utrum vero sponsalia transeant quandoque in matrimonium vide n. 1972 in fine.

[1] L. VI. 859 et III. 650. — [2] Cf. Vecchiotti, *Instit. can.* l. 5. §. 57; De Angelis, lib. 4. tit. 5. n. 4; *Acta S. Sed.* vol. I. p. 80. — [3] L. VI. 845; H. A. XVIII. 8. — [4] L. VI. 846. — [5] Ib. 848.

Digitized by Google

1955. — Quaesita. QUAER. 1° *Si sponsus, contra fidem priorum sponsalium,* NOVA CONTRAXERIT, *hisque* COPULA *accesserit, cum quanam ex duabus sponsis contrahere teneatur?*

Resp. 1° « Si secunda sponsa *fuerit conscia* priorum sponsalium, matrimonium cum prima (certo) debet contrahi; quia tunc secunda non fuit decepta, sed ipsa voluit decipi. Ita communiter. »

Resp. 2° Si *non fuerit* priorum sponsalium conscia, CONTROVERTITUR; sed « communior et probabilior sententia dicit, sponsum teneri contrahere cum prima, etiamsi adfuerit copula cum secunda. » Ratio est, quia promissio facta secundae fuit nulla, utpote de re illicita, neque illata ei injuria jus prioris adimit. — *An autem prior juri suo cedere debeat, ne altera gravissimum damnum subeat?* Alii eam ex charitate teneri affirmant; sed alii, nec improbabiliter, id negant: quia secunda debet suo crimini imputare, quod tale damnum patiatur[1].

QUAER. 2° *Quid de* ARRHIS SPONSALITIIS, *necnon de* POENARUM *adjectione, censendum sit?*

Resp. 1° ARRHARUM nomine veniunt res, quas unus ex sponsis, vel uterque alteri tradit in contractorum sponsalium tesseram, et in matrimonii ineundi pignus[2]. — Earum traditio *nullo jure prohibetur.* — Sponsalibus autem *juste* dissolutis, debent restitui. Quod si altera pars *culpabiliter* a fide data recedat, ipsa non solum amittit suas arrhas, sed tenetur semper acceptas restituere, et reficere omnia damna, quae ab hoc suo recessu oriuntur[3].

Resp. 2° POENA CONVENTIONALIS est pactio sponsalibus adjecta, qua sponsi sese invicem obstringunt ad poenam, seu certam pecuniae summam solvendam, si promissis non steterint. — Differt *ab arrha,* in eo quod haec actualiter traditur, et poena promittitur; quodque communiter arrha in exigua quantitate, poena autem in majori constituitur, cum quisque sit ad promittendum pronior quam ad tradendum[4]. Jam vero: — 1° Adjectio poenae a resiliente solvendae, *sive is juste sive injuste recedat,* est omnino ILLICITA atque INVALIDA, cum talis stipulatio laedat libertatem matrimonii, ideoque a jure reprobetur. « Itaque, in tali casu, qui juste recedit, non tenetur ad praefatae poenae solutionem, licet promissionem juramento obfirmasset. Et si poena unquam soluta sit, qui eam exegit, tenetur ad restituendum, uti sentit probabilior opinio; quia illi nullus titulus est, quo eam sibi retineat, dum lex omnino irritat talem promissionem. » — 2° Promissio autem poenae *ab injuste resiliente*

[1] L. VI. 848; H. A. l. c. 9. — [2] Vecchiotti, lib. 5. §. 55. — [3] L. VI. 852; H. A. XVIII. 11. — [4] Vecchiotti, loc. cit.

Digitized by Google

solvendae, juxta probabiliorem sententiam est LICITA, cum nec jure naturali nec jure positivo prohibeatur. Non prohibetur *jure naturali*, « cum aequum sit subjici poenae eum qui injuste recedit; libertas autem, quae in matrimonio requiritur, est libertas rationabilis, non irrationabilis; alias nunquam posset judex censuris, aut carcere cogere sponsos ad contrahendum. » — Nec prohibetur *jure positivo;* nam dispositio juris debet intelligi de recessu justo, non autem de injusto [1]. — At vero cum opposita sententia satis probabilis sit, non potest injuste resiliens ad poenae solutionem cogi; sed solutione facta, licet parti innocenti acceptam pecuniam retinere.

NB. De PRAEPARATIONE sponsorum ad matrimonium recole dicta n. 827 et 1850.

ARTICULUS III.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM

1956. — Non per solam mortem alterius partis, uti matrimonium, sed per varias alias causas dissolvuntur sponsalia, quae in contractu natura sua solubili consistunt.

Principia. I. Sponsalia dissolvuntur inter puberes PER MUTUUM CONSENSUM. — Nullo enim jure obstante, possunt partes reciprocam, qua tenentur obligationem, sibi invicem remittere. Qui autem ad contrahendum requirebatur, hic idem consensus requiritur ad solvendum: consensus nimirum voluntarius et liber, ita ut nec dolo, nec vi, nec metu extorqueatur. Qui si utrinque datus fuerit, sponsalia statim solvuntur, licet fuerint juramento firmata; idque non solum valide, sed etiam licite, si adsit rationabilis causa; secus enim esset saltem veniale. Ita communiter [2].

Dicitur *inter puberes;* nam quoad impuberes adest peculiaris juris dispositio [3], qua eorum sponsalia dissolvi vetantur, antequam ad annos pubertatis pervenerint, ne scilicet propter lubricum judicium, ipsi sponsalia facile et saepe temere contrahant, iterumque dissolvant. — Pubertatis autem aetatem semel adeptus, uterque sponsus poterit, quin alterum expectet, a sponsalibus recedere, modo coram judice vel testibus reclamet *intra tres dies*, qui incipiunt non quidem a tempore pubertatis adeptae, sed a die adeptae cognitionis privilegii resiliendi. — Quod si sponsus dissentiat jam ante pubertatem, et in dissensu manifestato perseveret, solvuntur sponsalia, statim ac ad annos pubertatis pervenit [4].

[1] H. A. l. c. 11: L. VI. 853. — [2] Ib. 855. — [3] Cap. *De illis*, de despons. impuberum (cf. *Collect. S. Sedis*, n. 843). — [4] H. A. l. c. 14; L. VI. n. 856.

Digitized by Google

Mutuus autem resiliendi consensus habetur: vel 1° quia intercessit mutatio voluntatum; vel 2° quia sponsalia inita erant sub resolutiva aliqua conditione, quae dein verificata est; vel 3° quia erant inita cum conditione contrahendi matrimonium determinato tempore, quod jam elapsum est. — Super ultima autem hac resiliendi causa, aliqua NOTANDA sunt.

Terminus sponsalibus apponitur vel ad sollicitandam obligationem contrahendi matrimonium, vel ad eam finiendam. — « Tunc apponitur ad *sollicitandum,* quando partes ideo praefigunt terminum, ut neutra ante illum possit alteram cogere ad implendum contractum. Tunc autem ad *finiendum,* quando terminus apponitur, ut, eo elapso, nulla remaneat obligatio [1]. » — Hinc, si terminus appositus ad finiendam obligationem, utriusque vel neutrius culpa elapsus est, sponsalia utrinque solvuntur; si alterutrius culpa, pars innocens manet libera; non autem altera pars, quae in causa fuit, cur matrimonium non fuerit contractum [2].

1957. — II. Sponsalia dissolvuntur PER ELECTIONEM status perfectioris. — Ratio est, quia sponsalia sub tacita conditione inita censentur: *nisi status perfectior eligatur* [3]. Quare et hunc una pars, absque alterius consensu, eligere potest.

Super hoc autem NOTETUR: — 1° Per professionem religiosam vel Ordinis sacri susceptionem obligatio sponsalium ita *ex toto* extinguitur, ut non amplius reviviscat [4].

2° Per ingressum in Religionem, item per votum, et etiam per simplex propositum, sed debite manifestatum, ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, extinguitur similiter sponsalium obligatio, sed solum *pro parte dimissa.* — Pro altera autem parte, obligatio remanet solummodo suspensa, donec perfectior status fuerit immutabiliter initus. Unde, si a proposito recedit, obligatio ita reviviscit, ut sponsalibus, parte dimissa id exigente, stare teneatur [5].

3° Per susceptionem Ordinum minorum, juxta communiorem et veriorem sententiam, non dissolvuntur sponsalia; « quia revera status Ordinum minorum non est incompossibilis cum matrimonio, cum quis bene possit fieri clericus conjugatus [6]. » — Verumtamen, si susceptio fit cum voluntate ulterius progrediendi, *sponsa liberatur;* imo fieri potest, ut ob solos Ordines minores a sponso susceptos liberetur, si nempe matrimonium cum clerico adeo aversaretur, ut, praevisa statûs mutatione, nunquam contraxisset.

4° Per votum castitatis factum ab una parte, *pars altera ab omni obligatione solvitur;* quia vovens castitatem cedit juri suo. — Voventis autem obligatio non omnino extinguitur, sed solum *suspenditur,* quandiu manet suo voto ligatus. Quare, si dispensationem

[1] L. VI. 867. — [2] Ib. 868. — [3] Ib. 869; H. A. XVIII. 22-26. — [4] L. VI. 869 et 871. — [5] Ib. 870. 873. — [6] Ib. 872.

Digitized by Google

voti postea obtinet, neque alia adsit dissolutionis causa, sponsalia reviviscunt [1].

1958. — III. Sponsalia dissolvuntur PER QUODCUMQUE IMPEDIMENTUM, quo promissum matrimonium redditur ILLICITUM vel INVALIDUM [2]. — Nulla enim obligatio ad tale matrimonium contrahendum dari potest. — Jam vero, praeter electionem status perfectioris, de qua jam egimus, solent QUATUOR ejusmodi impedimenta enumerari, videlicet: impotentia perpetua, matrimonium valide etsi illicite contractum, affinitas ex copula illicita, et dissensus parentum.

1° Per *impotentiam perpetuam*, quae in alterutro sponsorum supervenit, solvuntur omnino sponsalia, cum promissum matrimonium fiat absolute impossibile.

2° Per *matrimonium validum*, ab altera parte contractum, dissolvuntur sponsalia *quoad partem innocentem*. — Quoad partem vero culpabilem, sententia (judice S. Alphonso) absolute probabilior docet obligationem non extingui, si altera pars expectet; sed solum *suspendi*, ita ut, soluto matrimonio, teneatur ad implenda priora sponsalia. « Ratio est, quia nullo jure probatur, quod sponsalia per matrimonium subsequens omnino irritentur: non jure positivo, quia nullibi hoc habetur; non naturali, quia hoc tantum postulat, ut durante matrimonio, prior obligatio non obstringat [3]. »

3° Per *affinitatem ex copula illicita* (de hoc impedimento cf. infra n. 2027) dissolvuntur sponsalia ex parte INNOCENTIS, ita ut non teneatur admittere dispensationem. Sufficit autem sola *fama* hujusmodi impedimenti, i. e. opinio apud majorem partem viciniae. — Ex parte vero NOCENTIS, communior et probabilior sententia tenet, obligationem sponsalium non tolli, sed tantum suspendi, donec tollatur impedimentum; quia aequum non est ut delinquens commodum ex suo crimine reportet. Quare, et qui impedimentum apposuit, tenetur, etiam secluso damno illato, obtinere dispensationem, si haec nempe facile impetrari possit; « secus, si ad eam requirerentur magnae expensae et longa mora; quia obligatio orta ex sponsalibus urget sponsum ad apponenda media tantum ordinaria et facilia, non autem difficilia et extraordinaria. — Excipe tamen, nisi esset reparandum damnum deflorationis vel famae; quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare [4]. »

4° Per *dissensum parentum* dissolvuntur aliquando sponsalia, quoties scilicet *juste* dissentiunt: v. g. quia matrimonium vergeret in dedecus familiae, cum nemo possit obligari ad exequendam rem

[1] L. VI. 873. — [2] H. A. XVIII. 13. 15. 17. — [3] L. VI. 875; *1 Elench. qq. ref.* n. 89; cf. *Vind. Alph.* P. VII. q. 2. — [4] Ib. 857. 858.

Digitized by Google

injustam. — Imo, dissolvuntur per injustum eorum dissensum, si *grave malum*, v. g. exhaeredatio, timendum esset: « quia omnia sponsalia intelliguntur contrahi sub hac conditione: si non accedat talis mutatio, unde grave sit contrahere matrimonium. — Excipe, nisi haec exhaeredatio jam fuerit praevisa; quia tunc contrahens merito censetur juri suo cessisse [1]. »

1959. — IV. Sponsalia dissolvuntur ex parte innocentis, per actum quemcumque, quo altera pars FIDEM sponsalitiam FREGISSE censetur. — Etenim, fidem frangenti fides servari non debet. — Pars innocens igitur omnino liberatur: 1° si altera pars nova sponsalia, etsi invalida (vel matrimonium civile cum alia) [2], contrahat; 2° si nimis differat matrimonii celebrationem, v. g. ad triennium, vel contra prudentis arbitrium; 3° si alio transferat suum domicilium: talia enim adversantur fidei sponsalitiae [3].

1960. — V. Sponsalia dissolvuntur per MUTATIONEM NOTABILEM, quae ipsis jam contractis supervenit, et quae ab eis contrahendis deterruisset, si fuisset a principio praevisa. Atque idem dicendum, si RERUM STATUS, ab illo qui fuerat cognitus, DIVERSUS reperitur. Ratio universalis est, quia, ut traditur in jure [4], promissio sponsalium intelligitur facta, rebus in eodem statu permanentibus; idque ut docet S. Thomas [5], ne conjugium perpetuam inter contrahentes displicentiam pariat, aut infelicem exitum sortiatur. — Si vero ignorantia mutationis aut defectus fuit *mere concomitans*, nec proinde contractûs causa, sponsalia non solvuntur. — In dubio autem, an defectus (si cognitus fuisset) sponsalia impedivisset, impediturus fuisse praesumitur, si revera, i. e. judicio prudentum, est gravis in se ac notabilis.

Porro notabilis MUTATIO, ex qua sponsalia licite dissolvi valent, potest TRIPLICITER contingere, videlicet:

1° In BONIS ANIMI, v. g. quando sponsus deprehenditur ebriosus, lusor, blasphemus, impius, homo asper et durus moribus vel saevus; quando atrox delictum, v. g. homicidium, grave furtum commisit, in haeresim incidit, etc. Etenim, quae plerumque sufficiunt, ut contractum jam matrimonium solvatur quoad habitationem, multo magis sufficiunt ut illud non contrahatur; « turpius (enim) ejicitur quam non admittitur hospes. »

De superveniente autem, vel noviter detecta FORNICATIONE haec notanda sunt. — Si fornicatio *subsequitur* sponsalia, efficit duo:

[1] L. VI. 877. — [2] Ita S. C. C. 12 dec. 1885; (cf. *Mon. eccles.* t. IV. p. 244). — [3] L. VI. 866. — [4] Cap. *Quemadmodum*, de jurejurando. — [5] In 4. dist. 27. q. 2. a. 3. ad. 3.

Digitized by Google

frangit datam fidem, et reddit partem, quae ea se coinquinavit, viliorem; si sponsalia *praecessit*, posteriorem tantum effectum parit. Communiter, hoc crimen multo majori vilitate sponsam, quam sponsum afficit. — Quare dicendum: 1) ob fornicationem ANTECEDENTEM potest sponsus sponsam dimittere; non autem viceversa, nisi forte sponsus prolem ex alia habuerit, vel nisi, propter sceleris frequentiam, huic vitio deditus cognoscatur. — 2) Ob fornicationem SUBSEQUENTEM pars innocens (sive sponsus sive sponsa) potest similiter partem ream dimittere, ob non servatam fidem sponsalitiam. Si *uterque* fornicando fidem alteri fregit, habetur delicti compensatio, et neuter idcirco recedere potest. Sed sponsus (non sponsa) potest ex alio titulo resilire, ex hoc nempe quod sponsa reddita est ex fornicatione notabiliter vilior, idque etiamsi fuisset vi oppressa, vel ex gravissimo metu ad consentiendum inducta. Potest pariter dimitti sponsa, quae se impudice tangi ab alio permisit; non vero ob similia sponsus, nisi merito timeri possit, ne sponsae non sit fidem servaturus[1].

2° In BONIS CORPORIS, v. g. si alterutri gravis superveniat difformitas, caecitas, abscissio membri, morbus habitualis et contagiosus; modo de his prudens saltem habeatur suspicio.

3° In BONIS FORTUNAE, v. g. si detegitur sponsam non habere dotem; si sponsus fecit bonorum, aut officii quo sustentabatur, jacturam; si alteruter vergit ad inopiam, vel exhaeredatur a parentibus: modo de his et similibus prudens saltem suspicio habeatur.

Ob ejusmodi igitur notabilem mutationem in una parte, potest altera pars resilire; quod si resilire nolit, nec parti mutationem passae recedere licet, nisi forte mutatio onus matrimonii notabiliter gravius redderet[2].

Haec de mutatione in pejus. — Si vero MUTATIO facta esset IN MELIUS, puta si alterutri opulenta haereditas insperate obvenit, communissima sententia docet, hanc mutationem praecise in se non esse causam sufficientem, cur pars fortunata a sponsalibus resiliat cum ipsa decepta non sit in conditione alterius partis. — Attamen, si conjugium longe melius, ob factam mutationem, offeratur, non omnino damnanda videtur pars mutationem sortita, si, primis sponsalibus posthabitis, nova iniret; nam sicut non teneretur stare sponsalibus cum magno suo damno, ita nec teneri videtur, cum amissione magni lucri; talis enim amissio gravi damno aequiparatur[3].

[1] L. VI. 860-862; H. A. l. c. 18. — [2] Ib. 863; ib. 19. — [3] Ib. 876; H. A. ib. 19; cf. *Vind. Alph.* P. VII. q. 3.

Digitized by Google

Atque generatim NOTANDUM est, quod obligatio sponsalium CESSAT, quando *probabilis* adest timor infelicis exitus. — Si causa timendi culpâ unius partis exorta sit, haec alteri *damnum* illatum, v. g. ob expensas jam factas, *resarcire* tenetur.

QUAERITUR. *An pars laborans* OCCULTO DEFECTU, *sufficienti ad solvenda sponsalia, teneatur illum* MANIFESTARE *ante sponsalia, vel eis jam contractis, ante matrimonium?*

Resp. Dist. 1° Si defectus est *perniciosus*, reddens matrimonium alteri odiosum et damnosum, uti morbus contagiosus, venereus, aut infamia ex delicto, si v. g. sponsa ex alieno concubitu sit praegnans, si sponsus aere alieno gravetur: debet omnino manifestari, nisi et altera pars eodem defectu laboret. « Ratio est, quia sicut peccat contra justitiam, qui alteri vendit merces noxias credenti bonas, ita a fortiori, qui cum pernicioso defectu vult matrimonium contrahere. » Si igitur defectum manifestare nolit, debet a contrahendo abstinere [1].

2° Si defectus non reddit nuptias noxias, sed tantum *minus appetibiles*, v. g. si sponsa falso putatur virgo, dives, pulchra, non licet quidem sponsae fingere se a defectu esse immunem, sed nec tenetur illum manifestare. « Ratio, tum quia est consuetudine jam receptum, ut non sit obligatio tales defectus alteri manifestandi; tum quia nemo tenetur propalare suum defectum cum propria infamia, si non laedat jus alterius. » Ita communiter [2].

Advertit tamen S. Alphonsus, dissimulationem defectus, quamvis illicita non sit, *non expedire*, si prudenter timendum sit, ne post contractum matrimonium detegatur, et causa fiat discordiarum.

1961. — VI. Sponsalia dissolvuntur PER DISPENSATIONEM PONTIFICIAM. — Quamvis enim per sponsalia jus strictum comparti factum sit, huic tamen juri potest S. Pontifex, ob gravissimas rationes, praejudicare. — Dispensatio concedi solet per S. Congregationem Concilii, accepta informatione ab Ordinario, qui, hac in re, ex jure communi, nulla auctoritate pollet [3].

Notandum: 1° Resiliendi facultas, de qua diximus, ita est accipienda, ut uterque sponsus huic juri renuntiare valeat; quare, si pars innocens, cognito suo jure, nihilominus sponsalia ratificet verbis vel factis, ac praesertim copula carnali, non potest amplius resilire, eo quod juri suo renuntiasse censenda sit. — 2° Si causa resiliendi est omnino certa, potest quisque, proprio jure, resilire; sin autem dubium vel juris vel facti intercedat, causa ad judicem ecclesiasticum, i. e. ad Episcopum, deferenda est [4].

N. B. De his, quae spectant ad forum externum, vide Canonistas [5].

[1] L. VI. 864. — [2] Ib. 865; H. A. 19. — [3] Cf. *Acta S. Sed.* vol. X. 185. 312. 319. — [4] L. VI. 878; H. A. XVIII. 26-27. — [5] Cf. Vecchiotti, L. 5. §. 70; et Bangen, *de Sponsal.* §. 8.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE NATURA MATRIMONII

Agemus: 1° de notione matrimonii; 2° de materia, forma et ministro; 3° de proprietatibus matrimonii.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE MATRIMONII

1962. — Definitio. Matrimonium (a Deo Creatore institutum) est viri et mulieris maritalis conjunctio, inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens [1].

Dicitur 1° *conjunctio maritalis:* quibus verbis exprimitur ipsa matrimonii essentia, nempe mutuus nexus virum et mulierem devinciens, ex eo quod per consensum de praesenti expressum, dominium corporum sibi invicem tradunt, in ordine ad generationem. — 2° *Inter legitimas personas:* quibus verbis indicantur subjecti conditiones, quae tales sint oportet, ut contrahentes nulla lege a contrahendo matrimonio impediantur; — 3° *individuam vitae consuetudinem retinens,* quae verba matrimonii proprietates, unitatem scil. et indissolubilitatem, innuunt.

Matrimonium, formaliter ut Sacramentum consideratum, potest *definiri:* Contractus baptizatorum legitimus et indissolubilis inter virum et feminam, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas, in ordine ad actus de se aptos ad prolis generationem, elevatus a Christo ad dignitatem Sacramenti, et conferens gratiam ex opere operato. — Haec definitio ex dicendis dilucidabitur.

Divisio. Matrimonium multipliciter distinguitur, videlicet:

1° In legitimum, ratum, et consummatum. — 1) *Legitimum* est illud, quod a non baptizatis juxta normam legis naturalis contrahitur, et quod caret Sacramenti virtute; tale est matrimonium Judaeorum et Infidelium, — 2) *Ratum* vero est illud, quod contractum est inter baptizatos nullo impedimento naturali vel canonico irretitos, inter quos tamen, post contractum, nondum intercessit conjugalis copula. Dicitur *ratum,* in quantum Ecclesia illud habet validum. — 3) *Consummatum* denique nuncupatur matrimonium, quando legitimo vel rato accessit conjunctio carnalis per se sufficiens ad generationem prolis [2].

2° In verum, praesumptum, et putatitium. — *Verum* est illud, cujus omnes conditiones objective consistunt. — *Praesumptum* di-

[1] *Catech. Rom.* p. 2. c. 8. n. 3. — [2] L. VI. 879. 958.

Digitized by Google

citur illud, quod in quibusdam circumstantiis a jure praesumitur, quin probationes afferantur. — *Putatitium* est illud, quod valide contractum censetur, cum tamen a parte rei, ob latens aliquod impedimentum, sit nullum.

3° In canonicum, politicum seu civile, et conscientiae. — *Canonicum* appellatur illud, in quo omnia concurrunt, quae ab Ecclesiae canonibus requiruntur. — *Politicum* seu *civile* illud (quod, nisi canonicum accedat, per injuriam matrimonium dicitur) in quo ea etiam interveniunt, quae jus civile requirit, ut pacta dotalia, consensus parentum, aliaeque solemnitates, sine quibus civili effectu destituitur. — Matrimonium *conscientiae* illud est, quod in forma consueta, omissis denuntiationibus, ea lege contrahitur, ut semper sit occultum. (cf. n. 2080 *Nota*).

Huic suppar est matrimonium *morganaticum*, cum vir nobilis, defuncta uxore, quae ei reliquit liberos, aliam ducit minus nobilem ea lege, ut ipsa ejusque liberi a viri patrisque dignitate excludantur et contenti sint aliqua donatione (Morgengabe) ad suam honestam sustentationem; atque insuper a caeteris bonis, titulis, insignibus paternis abstineant, idque in primis in favorem liberorum ex priore uxore progenitorum.

1963. — Principia. I. Essentia matrimonii considerati in FIERI consistit in mutuo consensu debite expresso; considerati in FACTO ESSE, in permanente vinculo, quod ex praedicto consensu exsurgit, sibique annexum habet dominium seu jus mutuum in corpus alterius, — quin tamen USUS hujus juris ad essentiam matrimonii pertineat. — *Prima pars* constat ex decreto ad Armenos, dicente: « Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de praesenti regulariter expressus. » — Exinde patet etiam *secunda pars*, tum quia ex pactione et consensu mutua obligatio et nexus inter contrahentes oriuntur [1]; tum quia omnis legitima traditio confert jus in rem traditam, quae res in matrimoniali contractu est usus corporum in ordine ad generationem. Unde Apostolus (1. Cor. 7, 4): « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. » — *Tertia* autem *pars* inde manifesta est, quod primos parentes ante peccatum, quo tempore nulla inter eos carnis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero matrimonio junctos fuisse plane constat [2]. Firmatur etiam exemplo B. M. Virginis et S. Joseph, quos inter verum extitisse matrimonium, nullum tamen usum intercessisse, omnino certum est. Quare, utroque jure recepta est regula: « Nuptias non concubitus, sed consensus facit. »

1964. — II. Matrimonium Christianorum, ritu legitimo celebra-

[1] *Catech. Rom.* l. c. n. 4. — [2] Ibid. n. 8.

Digitized by Google

tum, est verum NOVAE LEGIS Sacramentum. — Est de fide, ex Tridentino (sess. 24, can. 1), definiente: « Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit. » Nec obscure propositionis veritatem Paulus Apostolus innuit, dicens (Eph. 5, 25): « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, » et mox subjungens (v. 32): « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia[1]. » — Et 1° quidem, est *signum rei sacrae*, sanctissimi nempe illius vinculi, quo Christus Dominus cum Ecclesia, seu Verbum divinum cum humana natura, conjungitur. — Sed 2° *gratiam* quoque hoc Sacramento significari et tribui, in quo maxime ratio Sacramenti inest, ea S. Synodi verba declarant: « Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. » — Nec 3° dubitari potest, quin *ex institutione Christi* matrimonium quod antea erat tantummodo contractus naturalis et religiosus, ad eam dignitatem elevatum fuerit, ut sit rei sacrae signum, gratiae productivum; etsi de tempore, quo id factum sit, non constet. — Patet igitur matrimonio nihil deesse ex iis, quae ad rationem Sacramenti pertinent[2].

Dictum est *matrimonium Christianorum;* nam, matrimonium infidelium, etsi in ratione contractûs perfectum, non potest esse Sacramentum, cum Baptismus janua sit omnium Sacramentorum.

De matrimonio autem INFIDELIUM, qui postea ad christianam fidem conversi sunt, sicut etiam de matrimonio *fidelis* cum *infideli*, quod cum praevia dispensatione pontificia contractum est: variae sunt (cum nihil ab Ecclesia definitum sit) Auctorum sententiae, quas discussas apud Dogmaticos videre est. — Quae nobis magis probantur sunt sequentia: 1° Matrimonium in infidelitate contractum, juxta sententiam longe probabiliorem, evehitur ad rationem Sacramenti per *utriusque* conjugis conversionem, non vero per conversionem unius tantum conjugis. Utroque autem ad Fidem se convertente, non requiritur expressa matrimonialis consensus renovatio; sufficit ad rationem Sacramenti, virtualis ille consensus, quo conjuges ad Baptismum accedentes, statuunt in anteacto matrimonio, sed christiano more persistere. — 2° Matrimonium, quod fidelis cum infideli, obtenta praevia *Pontificis dispensatione*, contrahit, habet, juxta veriorem sententiam, ex parte fideli, rationem Sacramenti[3].

1965. — III. In matrimonio christiano, contractus NON EST a Sacramento DISSOCIABILIS; ideoque non potest contractus verus et

[1] Cf. Martin, *De Matrim.* p. I. n. 90-102. — [2] Cf. S. Alph. in Trid. sess. 24. n. 4-10. — [3] Cf. Perrone, *De Matrim.* Lib. 2. sect. 1. cap. 7. art. 1.

Digitized by Google

legitimus consistere, quin sit eo ipso Sacramentum. — Constat ex Encyclica SS. D. N. Leonis Papae XIII *Arcanum divinae sapientiae*, in qua Pontifex sic loquitur[1]: « Nam Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est Sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse Sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse Sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat[2]. »

Ex dictis colliges: 1° Matrimonium est contractus sui generis ab aliis contractibus multum discrepans; et quidem: — 1) Matrimonium habet suam originem atque institutionem a jure *naturali* et *divino;* caeteri autem contractus a jure gentium, vel a speciali jure cujusque nationis. — 2) Objectum matrimonii ita a Deo determinatum est, ut contrahentium stipulationibus *modificari non possit*, dum in aliis contractibus multa contrahentium arbitrio relinquuntur. — 3) Matrimonium, quoad validitatem, a divina, naturali et ecclesiastica lege pendet; *non autem*, sicut civiles contractus *a lege civili* et principum arbitrio, qui in iis, quae pertinent ad Sacramenta, nihil possunt (cf. n. 1994-1997).

2° Matrimonia inter haereticos vel schismaticos inita, si nullum obstet impedimentum dirimens, sicut valent in ratione contractus, ita vere habent rationem Sacramenti. Sed

Quaeritur. *Quid dicendum de matrimonio inter* baptizatos *rite celebrato, cum positiva voluntate* non suscipiendi *Sacramentum?*

Resp. Dist. — 1° Si intentio praedominans fuerit *excludendi absolute* rationem Sacramenti, et omittendi potius matrimonium, quam Sacramentum suscipiendi, invalidum est matrimonium in ratione Sacramenti, et consequenter etiam in ratione contractûs. — 2° Si intentio praedominans fuerit *celebrandi matrimonium* in ratione contractus, et proin ponendi omnia quae ad hujus valorem requiruntur, validum est matrimonium, tum ratione contractûs, tum ratione Sacramenti, etsi hoc indigne susceptum fuerit. — In dubio, quaenam fuerit intentio praedominans, judicandum est in favorem matrimonii; nam unusquisque praesumitur velle exercere contractum validum, nisi oppositum probetur[3].

[1] 10 febr. 1880 (cf. *Acta S. Sed.* vol. XII. 385). — [2] Ibid. *Acta*, pag. 394. — [3] Lugo, *De Sacram. in gen.* disp. 8. n. 136.

Digitized by Google

1966. — IV. FINES, qui in matrimonio considerari possunt, sunt TRIPLICIS generis, videlicet: fines intrinseci essentiales, fines intrinseci accidentales, et fines accidentales extrinseci.

1° Fines INTRINSECI ESSENTIALES, sunt duo: 1) traditio mutua corporum cum obligatione reddendi debitum; 2) vinculum indissolubile. — Hinc certum est, quod, si quis contraheret, positive excludendo hos fines, nempe animo *non suscipiendi obligationem* reddendi debitum, vel contrahendi *ad tempus*, non solum peccaret, sed nullum iniret matrimonium.

2° Fines INTRINSECI ACCIDENTALES pariter sunt duo: — 1° *Procreatio prolis:* quemadmodum enim matrimonium, ut naturalis conjunctio, ad propagandum humanum genus ab initio institutum est: ita deinde, ut populus ad veri Dei, et Salvatoris nostri Christi cultum, et religionem procrearetur, atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa est. — 2° *Remedium concupiscentiae*, ut scilicet, qui sibi suae infirmitatis conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur. De quo Apostolus (1 Cor. 7, 2.) scribit: « Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat. » Et iterum (v. 9.): « Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri. » Quare nec ullo modo peccat qui nubit principaliter ob remedium concupiscentiae, modo non excludat finem procreandae prolis. Nulla enim est inordinatio, si ex duobus finibus licitis secundarius prae primario eligatur, quando hic illo non praefocetur. — Si quis autem hos duos fines intrinsecos accidentales excluderet, posset non solum valide sed etiam quandoque licite contrahere: prout si esset senex, et nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiae; sufficit, enim, ut salventur fines substantiales [1].

3° Fines ACCIDENTALES EXTRINSECI plurimi esse possunt, ut pax concilianda, nobilitas acquirenda, etc. Hujusmodi fines si per se honesti sint, damnandi non sunt, cum matrimonii sanctitati non repugnent; quin etiam primario intendi possunt, quia non est inordinatio, ut jam diximus, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis prae fine primario, modo iste non excludatur [2].

QUAERITUR. *An matrimonium sit* ALIQUA LEGE *praeceptum?*

Resp. Etsi matrimonium ad conservationem societatis ordinetur, et necessarium sit, ut aliqui hunc statum amplectantur, de hoc tamen non est datum *singulis* praeceptum. « Quod vero a Domino dictum est: *Crescite et multiplicamini*, id eo spectat, ut, cujus rei

[1] Schmitt, *Epitome*, L. V. §. 121. — [2] L. VI. 882. 883.

Digitized by Google

causa matrimonium institutum erat, declaret : non ut singulis hominibus necessitatem imponat. Nunc enim, aucto jam humano genere, non solum ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, sed potius virginitas summopere commendatur, et unicuique in sacris Litteris suadetur, ut quae matrimonii statu praestantior sit, majoremque in se perfectionem et sanctitatem contineat [1] » (cf. n. 764).

1967. — V. « Tria sunt matrimonii BONA : proles, fides, et Sacramentum; quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quae Apostolus indicat his verbis (1. Cor. 7, 28) : « tribulationem carnis habebunt hujusmodi » ; efficiturque, ut conjunctiones corporum, quae extra matrimonium merito damnandae essent, cum honestate conjunctae sint.

« Primum igitur bonum est PROLES, hoc est, liberi, qui ex justa et legitima suscipiuntur uxore. Id enim tanti fecit Apostolus, ut diceret (1. Tim. 2, 15) : Salvabitur mulier per filiorum generationem. Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam et disciplina, qua filii ad pietatem erudiuntur, intelligendum est [2]. »

« Sequitur FIDES, quod est alterum matrimonii bonum, nempe fidelitas quaedam, qua mutuo vir uxori et uxor viro se ita obstringit, ut alter alteri sui corporis potestatem tradat, sanctumque illud conjugii foedus nunquam se violaturum pollicetur... Postulat vero haec matrimonii fides, ut vir et uxor singulari quodam, sanctoque et puro amore conjuncti sint; neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam [3]. »

Tertium bonum SACRAMENTUM appellatur, et reperitur in ratione Sacramenti, quod matrimonio peculiarem confert dignitatem, ex eo quod institutum sit in signum rei sacrae, nempe in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Quapropter, in hoc matrimonii bono intelliguntur omnia, quae ad significationem ipsius pertinent [4].

Haec TRIA BONA sunt matrimonio *intrinseca*, eique *honestatem* conferunt, ita ut ejus usus non tantum sit licitus, sed etiam meritorius esse possit : si nempe virtus ad actum matrimonialem inducat, v. g. virtus justitiae, ut debitum reddat; vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur [5].

Corollarium. — EFFECTUS matrimonii plures sunt, vel ex ipsa conjugii natura, vel ex Sacramenti efficacia dimanantes : — 1° VINCULUM INDISSOLUBILE, cujus natura magis explanabitur ex mox dicendis de ejus causa, consensu nempe contrahentium, et de ejus proprietatibus. — 2° JUS MUTUUM in corpus, ad actus procreandae proli idoneos, et OBLIGATIO tum ad custodiendam tori fidem, tum ad individuam vitae consuetudinem et mutuum adjutorium : de quibus fusior jam sermo fuit, ubi de juribus et officiis conjugum (n. 703 et 704). — 3° GRATIA SACRAMENTALIS, qua mutuus conjugum amor perficitur et adjuvatur, fides matrimonii sustinetur, coercetur concupiscentia, prolis educatio sancte perficitur, familiaeque onera evadunt leviora.

[1] *Catech. Rom.* l. c. n. 12. — [2] Ibid. n. 23. — [3] Ib. n. 24. — [4] S. Thom. *Suppl.* q. 49. art. 2; cf. Martin, *de Matrim.* p. I. n. 36. — [5] S. Thom. *Suppl.* q. 41. a. 4.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE MATERIA, FORMA, ET MINISTRO

1968. — Apud omnes auctores catholicos certum est, MATERIAM hujus Sacramenti esse contractum matrimonialem; ad FORMAM et MINISTRUM quod attinet, variae traditae sunt sententiae. — Quidam Theologi, duce Melchiore Cano, docuerunt ministrum esse sacerdotem, formam autem haberi in his verbis: « Ego vos in matrimonium conjungo. » Sententia vero, quae nunquam non communior fuit, et nunc communis evasit, docet ministros esse ipsos contrahentes, formam autem consistere in mutua eorumdem acceptatione. — Quibus breviter praemissis, sint sequentia

1969. — **Principia.** I. Materia REMOTA hujus Sacramenti sunt contrahentium corpora mutuo tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius. — Materia PROXIMA est ipsa *traditio* juris in corpora, facta per verba aut signa consensum exprimentia. Ita communiter. — Hoc enim Sacramentum habet rationem contractus; sicut igitur in aliis contractibus res sunt materia remota, et traditio rei materia proxima; ita consequenter est in matrimonio, ubi traditur jus in corpora [1].

1970. — II. FORMA consistit in mutua contrahentium *acceptatione*, verbis aut signis expressa. — Ita communiter, et patebit ex mox dicendis de ministro [2].

1971. — III. MINISTRI Sacramenti Matrimonii sunt IPSI FIDELES contrahentes. — Est sententia communis, et omnino certa. Ratio evidens est, quia in locis, ubi impedimentum clandestinitatis non existit, matrimonium valide absque sacerdotis praesentia contrahitur. Si igitur verum Sacramentum, absente etiam sacerdote, conficitur, profecto concludendum est, ipsos contrahentes, non autem sacerdotem, esse ministros [3]. — Sacerdos tamen est minister solemnitatis matrimonii, ut infra (n. 2073) explicabitur.

Hinc, pro contrahentibus valent ea, quae tam de *administratione*, quam de *susceptione* Sacramentorum suis locis dicta sunt, (cf. n. 1416. 1433. 1434. 1436). Atvero,

QUAERES: *Utrum liceat matrimonium inire cum* PUBLICO PECCATORE, *et consequenter Sacramentum ei ministrare?* — RESP. Id prohibetur *saltem sub veniali*, ut plures probabiliter dicunt; imo juxta S. Alphonsum, probabilius sub gravi, ob reverentiam Sacramento

[1] L. VI, 880; H. A. XVIII. 28. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 880 et 897. sqq.

Digitized by Google

debitam: — Causa *justa* ab omni peccato EXCUSAT, v. g. si quis nequeat, absque gravi incommodo, a matrimonio recedere. Excipe tamen si alter sit excommunicatus *vitandus*, cum quo in re sacra communicare prorsus illicitum est [1].

1972. — IV. CONSENSUS, quo matrimonium perficitur, et Sacramentum administratur, debet esse personalis, internus, deliberatus, mutuus, de praesenti, et externe manifestatus.

1° Debet esse PERSONALIS; nam « in matrimonio nulla humana potestate suppleri consensus valet [2]. »

2° VERUS et INTERNUS; est enim actus propriae voluntatis, quae sibi libere novam obligationem imponit. — Hinc, si *uterque*, vel *alteruter* contrahentium non ex animo, sed FICTE consentiat, nullum est matrimonium. In primo casu, res per se patet; in altero, quia, cum matrimonialis contractus claudicare nequeat, deficiente alterius consensu, contractus nullus est. — Ficte contrahens committit tum peccatum *sacrilegii*, quia reddit Sacramentum nullum; tum peccatum *injustitiae*, si compars bona fide contrahit, quia decipit eam et irrogat ei gravem injuriam, quam reparare tenetur tollendo fictionem vereque contrahendo (cf. n. 2083). Hoc si fieri nequeat, vel si decepta pars id nolit, tenetur saltem alia reparare damna. Excipe, si altera etiam pars deceperit, vel si deceptio ideo facta fuerit, ut decipiens metum injuste incussum declinaret. — Dicunt tamen communiter AA., non esse illicitum *simulare* celebrationem nuptiarum, ob justam causam, v. g. ob impedimentum dirimens, quando nempe celebratio sine gravi damno omitti nequit, ut dictum est n. 1430. fin [3].

3° DELIBERATUS, i. e. praestitus cum cognitione sufficienti et debita libertate. — Deliberationi obstant *vis* et *error*; sed de his sermo erit, ubi *de Impedimentis*.

4° MUTUUS; quia contractus utrinque onerosus et translativus mutui juris in corpora, prout est matrimonialis, non efficitur nisi per reciprocum contrahentium consensum. — Quocirca etiam notandum est: requiri *unionem* ac *simultatem* saltem moralem inter unius consensum et alterius, qualis nempe requiritur in civilibus contractibus (cf. n. 1044. 3°).

5° DE PRAESENTI, quo scilicet contrahentes se mutuo accipiant hic et nunc in veros conjuges; in hoc enim differt matrimonium a sponsalibus (cf. n. 1950. Dic. 5°).

[1] L. VI. 55; H. A. XIV. 6. — [2] PIUS VI in Litt. ad Episc. Agriensem. 11 julii 1789 (cf. Roskovany, *Matrim. in Eccl. cath.* I. 292). — [3] L. VI. 887. 1113. 62; H. A. XVIII. 29.

Digitized by Google

6° EXTERNE MANIFESTATUS; secus enim mutua acceptatio non esset possibilis. — Non requiritur quidem ad VALOREM matrimonii, ut consensus *verbis* exprimatur; sufficit ut exprimatur *signis*, quod declaravit Innocentius III [1], dicens; « Surdus et mutus possunt contrahere matrimonium per consensum sine verbis. » Satis sufficiens signum esset, si mulier, expresso jam viri consensu, manum ei porrigeret; non autem, si manum ab eo apprehensam non retraheret. Nec sufficeret annuli donatio, vel conductio sponsae in domum viri, nisi ex loci consuetudine hujusmodi signa consensum exprimerent. — Quod vero ad LICEITATEM spectat, nisi excusaret verecundia, aut alia causa rationabilis, peccatum *veniale* esset solis signis consensum exprimere; quia esset contra rubricam Ritualis et contra Ecclesiae consuetudinem [2].

Aliquando autem *consensus explicitus non requiritur*. Etenim, in locis, ubi impedimentum clandestinitatis non viget, IPSA SPONSALIA, quibus copula libera ac consummata accedit, transeunt in verum matrimonium; dummodo copula *affectu maritali* habita fuerit: qui quidem affectus in foro externo semper praesumitur; in foro autem interno, praesumptio cedit veritati [3].

1973. — Quaesita. QUAER. 1° *An matrimonium* VALIDE *et* LICITE *contrahi possit* PER PROCURATOREM?

Resp. 1° VALIDE contrahi potest, ut constat ex jure. Ratio est, quia Christus elevans matrimonium ad esse Sacramenti, non immutavit contractus naturam, quae talis est, ut possit inter absentes per procuratorem iniri. — Ad hoc vero plura REQUIRUNTUR, scilicet: 1) Speciale mandatum, quod dari potest oretenus; nam scriptura non exigitur. — 2) Ut mandatum sit de contrahendo cum determinata persona. — 3) Ut procurator per se contrahat; non potest enim ipse alium delegare, nisi habeat expressam et specialem a mandante licentiam. — 4) Ut mandatum non sit a mandante revocatum (nec etiam mentaliter), antequam matrimonium celebretur. Et hoc currit, etiamsi revocatio fiat tacite, nempe si quis mandatum dederit contrahendi cum una, et postea celebret sponsalia cum alia. — 5) Ut, in locis ubi viget impedimentum clandestinitatis, procurator ostendat mandatum parocho et testibus, et coram eis contrahat matrimonium juxta formam Tridentini. — 6) Ut limites mandati non excedat. In hoc autem advertendum, quod si conditio sit requisita *a mandante*, scil. ut contrahatur cum tali dote, tali tempore, etc., si non servetur conditio, matrimonium erit nullum.

[1] Cap. 23. *de Sponsalibus* — [2] L. VI. 887-889; H. A. ib. 31. — [3] Cf. Instr. S. C. DE PROPAG. FIDE, 14 jan. 1821 (*Collect. S. Sed.* n. 992).

Digitized by Google

Si vero conditio sit requisita *a jure*, nempe ut contrahatur praemissis denuntiationibus, obtenta licentia Episcopi, etc., tunc validum erit matrimonium sine ipsis initum [1].

2° LICITE etiam contrahi potest, sed solum quando *gravis causa* suffragatur, ut v. g. apud Principes: ab ordinaria enim Ecclesiae praxi non est de facili recedendum. Atque hinc est, cur parochus non debeat, inconsulto Episcopo, tali matrimonio assistere [2].

QUAER. 2° *An matrimonium contrahi possit per* EPISTOLAM?

Resp. Affirm., ob eamdem rationem ac supra. Contrahitur autem modo sequenti: « Sponsus scribit ad sponsam, quod ipse in virum ei se tradit, et extunc eam in uxorem acceptat. Sponsa idem rescribit viro; haec responsio legitur coram parocho et testibus. — Caeterum, satis est etiam, ut vir scribat mulieri modo relato, et sponsa, quin sponso rescribat, litteras coram parocho et testibus aperiat, et suum praebeat consensum [3]. » — Ut autem hoc LICITE fiat, requiritur *gravis causa.* Unde plane suadendum est, ut parochus nihil, hac in re, faciat absque licentia Episcopi. Excipe, nisi forsan agatur de revalidando matrimonio, casu quo una pars renueret se sistere coram parocho [4].

QUAER. 3° *An matrimonium contrahi possit* SUB CONDITIONE?

Resp. Affirm., quia nec sacri canones, nec ipsa natura matrimonii omnino impediunt, quominus consensui matrimoniali quaedam conditiones apponantur [5]. — Pro varietate autem conditionum, varia DISTINGUENDA sunt:

1° Si conditio (etiam turpis) sit de *praeterito*, vel de *praesenti*, valet matrimonium, stante conditione; contra, ipsa deficiente, non valet, quia deest consensus.

2° Si conditio sit de *futuro necessario*, v. g. si cras sol oriatur, valet illico matrimonium, nisi contrahentes intendant suspendere consensum usque ad tempus impletae conditionis. Ita communiter.

3° Si conditio sit *contra substantiam* matrimonialis obligationis, v. g. si alter dicat alteri: « contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas: » sic DISTINGUENDUM est: 1) si apponatur conditio cum intentione *non suscipiendi* obligationes quae sunt matrimonio essentiales (quod

[1] L. VI. 885. — [2] Cf. Bangen, *de Matrim.* II. 33. v. *Hinc elucet.* — [3] H. A. XVIII. 32; L. VI. 886. — [4] Cf. Bangen, l. c. p. 32. fin.; et Craisson, n. 4096. — [5] L. VI. 890.

Digitized by Google

facile evenire potest in regionibus ubi divortium per leges permittitur estque in usu) matrimonium est invalidum; 2) si apponatur cum intentione eas quidem suscipiendi, sed *non adimplendi*, est validum, et corrigenda est prava voluntas [1]. — Hic autem quaeri solet, *an conditio non consummandi matrimonium sit contra bonum prolis?* — Communior et probabilior opinio negat; quare valet matrimonium sub hac conditione initum, dummodo contrahentes intendant mutuum jus in corpus sibi tradere et illius duntaxat usum ligare (cf. n. 1963).

4° Si conditio sit de re *impossibili* aut *turpi*, quae tamen non repugnet substantiae matrimonii, iterum est DISTINGUENDUM: — 1) si constet de seria voluntate non contrahendi, nisi apposita conditio impleta fuerit, matrimonium initum sub conditione *impossibili* est nullum; initum autem sub conditione *turpi*, non est ipso facto nullum, sed nondum adimpleta conditione, ad nihil obligat; adimpleta vero, fit matrimonium absolutum. — 2) Quod si de seria illa voluntate *non constet*, conditio turpis aut impossibilis pro non adjecta habetur, et matrimonium statim est validum.

5° Si demum conditio sit de *futuro contingenti* atque *honesto*, matrimonium manet suspensum, donec impleatur conditio; hac vero impleta, fit absolutum. — Pendente conditione, non licet alteri, altero invito, revocare consensum [2].

Adverte vero quoad LICEITATEM, parochum non posse sine urgentissima causa, admittere hujusmodi conditionalia matrimonia; propter multa nimirum incommoda ac difficultates, quae postea contra eorum validitatem occurrere et moveri possunt[3].

QUAER. 4° *An, impleta conditione, requiratur* NOVUS CONSENSUS *pro matrimonio?*

Resp. Alii quidem *affirmant*, quia matrimonium non solum est contractus, sed etiam Sacramentum, cujus valor non potest pendere ab effectu futuro. Alii vero *negant*, quia matrimonium, licet sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractûs; omnes autem contractus, impleta conditione, sine novo consensu perficiuntur. — Posterior sententia videtur probabilior, ipsique plures S. C. Concilii decisiones suffragantur. Quia vero prior non omni probabilitate destituitur, *consultius* est renovare consensum [4]. — Matrimonium autem, ceu validum habendum est ab ipso tempore *quo impleta fuit conditio*, tametsi contrahentes hanc adimpletionem ignorent; nequeunt tamen matrimonio uti, nisi ipsis de adimpleta conditione constet.

[1] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 917. ad 3. — [2] L. VI. 891. sqq. — [3] Ib. 892. — [4] Ib. 895.

Digitized by Google

QUAER. 5° *Quid, si consensui* APPONATUR *demonstratio, causa, vel modus?*

Resp. DEMONSTRATIO (v. g. duco te, quae es nobilis), CAUSA (v. g. duco te, quia es virgo), MODUS (v. g. duco te, ut mihi inservias) differunt omnino a *conditione*, in eo quod consensum non suspendunt; quare matrimonium fit statim absolutum, nisi forte demonstratio, causa vel modus habeant, in mente contrahentium, rationem conditionis, vel nisi error substantialis in iis lateat [1].

QUAER. 6° *An ad matrimonium filiorumfamilias requiratur* CONSENSUS PARENTUM?

Resp. 1° *Neg.*, quoad *validitatem*: atque hoc est de fide contra Lutheranos et Calvinistas. Nam Tridentinum (sess. 24. cap. 1) « eos anathemate damnat, qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. » Accedit ratio: contrahentes enim habent potestatem in proprium corpus, nec parentes habent potestatem in corpus filiorum suorum in ordine ad matrimonium. — Quod si LEX CIVILIS consensum parentum ad valorem matrimonii requirat, ejus vis non extenditur nisi ad effectus mere civiles.

Resp. 2° Requiritur, saltem regulariter loquendo, ad *liceitatem*; adeo ut filiifamilias peccent graviter, si parentes juste contradicant, vel si rationabiliter inviti censeantur. — Diximus *regulariter loquendo*; justa enim interveniente causa, certum est, filios posse, eis insciis, aut etiam invitis, inire matrimonium [2] (Vide n. 1951. q. 1°).

Quandonam vero parentes *juste*, et quandonam *injuste* contradicant, non facile definiri potest: quare prudens *confessarius* suadebit quidem filiis, ut, in re tanti momenti, voluntati parentum non obsistant; sed perraro obligationem eis imponet ab ineundo matrimonio resiliendi, eo magis quod majora inde mala, ut plurimum, timenda sunt.

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII

1974. — Matrimonium, « quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel a principio duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum *unitatem* et *perpetuitatem* [3]. » De duabus his proprietatibus nunc agendum est.

[1] L. VI. 896. — [2] L. VI. 849. — [3] Const. *Arcanum* Leonis XIII; cf. Martin, *de Matrim.* P. I. n. 59-82.

Digitized by Google

§. 1. *De Unitate Matrimonii.*

Unitas matrimonii, quae et *monogamia* dicitur, sita est in conjunctione unius cum una. — Unitati opponitur *polygamia*, quae duplex est: 1° *simultanea*, cum unus vir plures simul uxores secum matrimonio jungit (et dicitu rsimpliciter polygamia); aut cum una mulier nubit pluribus simul viris (et dici solet polyandria seu polyviria); 2° *successiva*, cum post mortem conjugis, pars superstes ad novas nuptias convolat.

1975. — Principia. I. Polyandria simultanea prohibetur, ex omnium consensu, ipsa lege naturali. — Nam, prolis generationi et educationi directe opponitur: *generationi* quidem, cum mulier plures simul cognoscens viros, remaneat plerumque infoecunda; *educationi* vero, cum pater talis prolis, si forte nascatur, sit incertus. Atque hinc est, quod prostitutio, ad quam polyandria reducitur, omni tempore ut infamis et flagitiosa fuit habita [1].

1976. — II. Polygamia simultanea prohibetur in Lege nova, de jure divino. — Christus enim expresse docuit: « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam » (Marc. 10, 11). — Jam vero, si adulter est qui, dimissa uxore, aliam duxerit, multo magis adulter erit qui id agit, priore retenta. Unde Tridentinum (sess. 24. can. 2): « Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit. » — Quare, si quis *infidelis*, plures habens uxores, ad Baptismum admittatur, debet unam tantum retinere, illam nimirum quam sibi primo loco valide adjunxit, vel quamlibet ex aliis, quae christianam fidem amplecti velit; nisi Papa secus statuerit, vel permiserit, juxta dicenda n. 1980 [2].

Ad legem naturalem quod attinet, Theologi, duce S. Thoma [3], sentiunt, polygamiam non esse contrariam *primario* matrimonii fini; et ideo non esse intrinsece malam, nec absolute praeceptis naturae prohibitam; eam tamen adversari *secundariis* conjugii finibus, cujusmodi sunt pax, tranquillitas, mutua obsequia, etc.; ideoque esse contrariam juri naturae secundario, in quo solus Deus dispensare possit. — Et quidem, post diluvium, justis de causis, indulta fuit Patriarchis et populo Israelitico moderata polygamia. Imo, eamdem dispensationem ad gentiles fuisse extensam communior sententia docet. *Ab initio autem non fuit sic* (Matth. 19, 8); et

[1] S. Alph. in Trid. sess. 24. n. 11. — [2] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 919. 921. 924 ad 5. 928. ad 1. — [3] Suppl. q. 65. a. 1.

Digitized by Google

Christus Dominus, sive pro christianis, sive pro gentilibus, legem matrimonii primaevae integritati restituit.

1977. — III. Polygamia SUCCESSIVA nunquam fuit prohibita; ideoque secundae et ulteriores nuptiae sunt LICITAE, tam viro quam mulieri, etiam sub lege evangelica. — Constat ex auctoritate et praxi Ecclesiae, nec non ex verbis Pauli Apostoli (1. Cor. 7, 39): « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat: tantum in Domino. » Quae verba commemorans, Eugenius IV in decreto pro Jacobitis declaravit: « non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores (nuptias), si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. »

Attamen, Ecclesia Dei speciali semper honore *viduitatem* prosecuta est, neque unquam secundas nuptias sic honorabiles habuit ut primas, cum unio Christi cum unica Ecclesia minus perfecte per eas repraesentetur (cf. n. 1937).

Nota. Ex Codicibus modernis, VIDUA non potest matrimonium inire, nisi *decem menses* a morte prioris viri effluxerint, vel ipsa partum ediderit: Haec tamen prohibitio non habet vim invalidandi matrimonium civile [1].

§. 2. *De perpetuitate Matrimonii, seu de indissolubilitate.*

1978. — Matrimonii INDISSOLUBILITAS alia est quoad *vinculum*, alia quoad *torum* et cohabitationem. — Prior pertinet ad matrimonii essentiam, posterior ad conjugum officia. — Hic solummodo de priore agendum est.

Principia. I. Matrimonium rite initum est ita indissolubile, ut NUNQUAM per divortium DISSOLVI POSSIT quoad vinculum. — Est de fide ex Tridentino (sess. 24. can. 5 et 7). Etenim « matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* [2]. » Hujus autem vinculi « firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, Christus Dominus his verbis confirmavit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [3]. »

Hebraeis quidem, divina dispensatione, libelli *repudii* facultas facta fuit, quo matrimonii vinculum, certis in circumstantiis, dissolvi poterat (Deut. c. 24); atvero « Jesus Christus illud ad suum *primaevum statum* redegit, nempe ad indissolubilitatem, non lege nova

[1] Cod. Gall. art. 228; Cod. Ital. art. 57 (cf. Craisson, n. 4100). — [2] Trid. sess. 24 in princ. — [3] Ibid.

Digitized by Google

condita, sed duntaxat sublata veteri indulgentia, seu dispensatione super praedicta indissolubilitate concessa [1]. »

Haec autem indissolubilitas enascitur ex ipso JURE NATURALI (saltem secundario), quia necessarium est ad prolis educationem, ut parentes perpetuo ejus bono incumbant. Ita communissime AA., duce S. Thoma [2]. Constat etiam ex damnata propos. 67ª Syllabi: « Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus, divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. » — Hinc, « quanti materiam mali in se DIVORTIA contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia, extenuatur mutua benevolentia, infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur [3]. »

At, licet matrimonium de se indissolubile sit, admittit tamen in quibusdam casibus, vinculi dissolutionem; quare diversi *indissolubilitatis gradus* distingui possunt, ut ex mox dicendis patebit.

1979. — II. Matrimonium fidelium RATUM et CONSUMMATUM nulla unquam ratione, quoad vinculum, dissolvi potest, nisi PER MORTEM alterutrius conjugis. — De eo in primis valet illud Apostoli: « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. » Et SSmus D. N. LEO PAPA XIII definivit: « Solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse [4]. » Accedit praxis Ecclesiae, quae nunquam in matrimonio hujusmodi dispensavit.

1980. — III. Matrimonium INFIDELIUM legitimum, etiamsi consummatum fuerit, DISSOLVI POTEST quoad vinculum, in casu, quem dicunt *Apostoli:* nimirum si, altero conjuge ad fidem converso, alter renuat converti, aut saltem cohabitare nolit sine contumelia Creatoris. — Est privilegium a Christo Domino concessum in favorem fidei, ut constat ex testimonio Pauli dicentis: « Quodsi infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi » (I. Cor. 7, 15).

Varia super hoc puncto OBSERVANDA occurrunt:

1° Ex *triplici causa* potest conversus transire ad alias nuptias: 1) si infidelis renuat cum eo habitare; 2) si velit habitare, sed nonnisi cum injuria Creatoris (v. g. retinendo concubinas) [5]; 3) si eum vult pertrahere ad peccatum mortale [6]. — Potest autem

[1] Bened. XIV. Const. *Apostol. ministerii,* 16 septemb. 1747. — [2] L. VI. 956. — [3] LEO XIII. Const. *Arcanum.* — [4] Ibid. — [5] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 950. S. OFFIC. resp. — [6] L. VI. 956. fin.

Digitized by Google

conversus hoc privilegio frui, etiamsi conjux infidelis per aliquod tempus, imo per plures annos, pacifice cohabitare consenserit, et deinde, mutata voluntate, id amplius facere nolit. Ita ex Decreto S. Officii, 5 aug. 1759 [1].

2° Conversus ad fidem non potest praedicto privilegio uti, nisi praecedat *interpellatio* conjugis infidelis, si velit ad fidem converti, aut saltem cohabitare sine contumelia Creatoris [2]. — Duplex haec interpellatio, quae post Baptismum facienda est, requiritur, non tantum ut novae nuptiae licite, sed etiam ut valide iniri possint: ita ex declaratione S. C. de Propag. Fide, 5 martii 1816 [3]. — Si vero interpellatio est impossibilis vel maximae difficultatis, S. Pontifex solet *Indultum* concedere, ut, ea omissa, conversus novum matrimonium contrahere valeat [4]. Hujusmodi autem indulta concessa sive pro variis regionibus infidelibus, sive Vicariis Apostolicis pro certo casuum numero, non possunt ad alias regiones vel ad alios casus extendi, nisi facto ad S. Sedem recursu [5]. — Ecclesia *dispensat* subinde a rigore interpellationis, ita ut conversus teneatur tantum conjugem infidelem interpellare, si velit ad fidem converti; omissa altera, ut saltem velit pacifice cohabitare [6]. Haec dispensatio facilius conceditur in iis locis, ubi *viget* lex prohibens ne fideles cum infidelibus cohabitent, cum detur tunc praesumptio juris de subeundo periculo perversionis [7] (cf. n. 448).

3° Conjugii vinculum tunc solum dissolvitur, quando conversus *novum matrimonium* contrahit. Constat ex Decreto S. Officii, 5 aug. 1759 [8]. — Hinc 1) si infidelis, audita interpellatione et dato responso negativo, fidem dein amplectitur antequam alter conjux conversus novas nuptias contraxerit, matrimonium jam solvi non potest vi privilegii Paulini, sed fit omnino ratum. — 2) Si primo conversus interim sacros Ordines susceperit, non potest ad conjugem nunc conversam redire, quia usus matrimonii ei non amplius licet; etenim, accepto negativo responso, usus est jure suo, eligendo novum statum. — Sed nec secundo conversus potest novum conjugium inire, quia primum matrimonium perdurat: nisi conjux vota solemnia emiserit, ut infra dicetur (n. 1981).

Quaeritur. *An S. Pontifex* possit dispensare *super matrimonio in infidelitate inito, quando* una pars *vel* utraque *ad fidem convertitur?*

Resp. Dist. 1° Si matrimonium *post utriusque Baptismum* fuerit

[1] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 924. — [2] Cap. *Quanto* 7. *de divortiis;* et S. C. C. 23 jan. 1603 (ap. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. 13. c. 21. n. 1). — [3] *Collect. S. Sed.* n. 934. — [4] Ib. n. 920. 956. — [5] Bened. XIV. l. c. lib. 13. c. 21. n. 6. (cf. *Collect. S. Sed.* n. 926). — [6] Cf. Facultates Vicariorum Apostol. *Collect. S. Sed.* n. 31. 11°. — [7] Cf. L. VI. 957. 3ª sent. — [8] *Collect. S. Sed.* n. 924. ad 2.

Digitized by Google

consummatum, factum est omnino indissolubile, ideoque non potest dari dispensatio. — 2° Si matrimonium *nunquam* consummatum fuerit, potest Papa dispensare, ut in matrimonio rato christianorum, de quo mox dicemus. — 3° Si matrimonium *in infidelitate* tantum fuerit consummatum, controvertitur. Alii (inter quos S. Alphonsus [1], quem nos sequimur), *affirmant*, et rationem petunt ex Constitutione *Romani Pontificis* a S. Pio V edita [2], et ex Constit. Gregorii XIII *Quoniam saepe contingit* [3]; per quas Constitutiones praedicti Pontifices super tali matrimonio dispensasse dicuntur [4]. Alii tamen *negant*, ex eo quod dictas Constitutiones intelligendas esse arbitrantur de dispensatione ab interpellatione facienda, non autem a vinculo conjugii [5].

Nota. Privilegio Paulino frui possunt *soli baptizati*, non autem catechumeni [6]. — Neque eo frui potest fidelis qui, obtenta dispensatione Pontificia super impedimento *disparitatis cultus*, matrimonium cum infideli contraxit, etsi hic pacifice cohabitare nolit. S. C. C. Off. 4 julii 1855 [7]. — *Utrum vero privilegium extendendum sit ad eos qui, suscipiendo valide Baptismum, transeunt ad aliquam sectam christianam, non autem ad Ecclesiam catholicam,* libere controvertitur.

1981. — IV. Matrimonium RATUM, sed NON CONSUMMATUM, dissolvitur ipso facto PER SOLEMNEM Religionis PROFESSIONEM alterutrius conjugum. — Est de fide ex Tridentino (sess. 24. can. 6), affirmante hoc privilegium fuisse a Christo Domino in favorem Status religiosi concessum. — Illicita tamen foret Professio, « si matrimonium esset necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum aut honorem sponsae; tunc enim non posset vir fieri Religiosus relinquendo sponsam, quae ob infamiam nequiret amplius nuptias inire [8]. »

Ut autem conjuges praedicto privilegio uti valeant, conceditur eis BIMESTRE a matrimonii celebratione, intra quod tempus non tenentur debitum conjugale reddere. Et hac quidem concessione uterque conjux frui potest, quamvis non habeat animum intrandi Religionem: utitur enim jure suo. — Quod si, transacto jam bimestri et non consummato matrimonio, unus, contradicente altero, religiosum statum amplectatur et vota emittat: ejus professio est quidem illicita, sed non invalida; quare et in hoc casu matrimonii vinculum solvitur. — Peccaret tamen qui, comparte non praemonita, matrimonium iniret volens ingredi Religionem; nam praeter

[1] L. VI. 897. prob. 1; 956. — [2] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 919. — [3] Ib. n. 920et 922. — [4] Mansella, *De imp. matrim. dir.* cap. IV. art. III. 19. 20. — [5] Giovine, I. §. 276, 3; Feije, 602; cf. Bened. XIV. *de Syn.* L. 13. c. 21. et L. 6. c. 4. n. 5. — [6] *Collect. S. Sed.* n. 921. (S. C. de Prop. Fide 16 jan. 1806). — [7] *Collect. S. Sed.* n. 950, v. *Generatim.* — [8] L. VI. 958 (cf. et n. 870 fin.).

Digitized by Google

alia incommoda, quae ex tali agendi modo facillime enasci possunt, conjux derelictus teneretur expectare solemnem ejus professionem, donec nubendi libertate iterum gauderet [1]

De caetero, hic casus rarissimus est, eo magis quod leges civiles, in multis locis, impediunt, quominus conjuges ad privilegii usum recurrant.

1982. — V. Matrimonium RATUM, sed NON CONSUMMATUM, potest, ob gravissimam causam, per DISPENSATIONEM Pontificiam dissolvi. Ita communiter hodie Theologi et Canonistae. — Constat praesertim ex continuata plurium, saltem post Martinum V, saeculorum praxi [2]; nec nostris temporibus rara sunt hujusmodi dispensationis exempla [3].

Dispensandi causam S. Pontifex S. Congregationi Concilii ponderandam remittit; et plerumque *causa adesse censetur*, si matrimonium est verisimiliter invalidum, quin tamen ejus nullitas sufficienter probari possit, et si alias plane constet, illud non fuisse consummatum [4].

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

1983. — Per IMPEDIMENTUM MATRIMONII intelligitur id, quod obstat ne matrimonium *rite* ineatur.

Duplicis generis sunt impedimenta: alia reddunt matrimonium solummodo *illicitum*, alia reddunt illud insuper *invalidum*. Priora dicuntur IMPEDIENTIA, seu *prohibentia*, posteriora DIRIMENTIA [5].

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS PROHIBENTIBUS

1984. — Praeter peccatum mortale et excommunicationem, quae reddunt matrimonium illicitum, QUATUOR numerantur impedimenta prohibentia, his comprehensa versiculis:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

His impedimentis DUO alia *olim* accensebantur, videlicet: — 1° Impedimentum *Catechismi*, quod contrahebatur ab eo, qui pro infante respondebat, quando supplebantur caeremoniae post Baptismum in necessitate collatum; vel, juxta

[1] L. VI. 858; H. A. ib. 90. — [2] Ib. 859; cf. Op. dogm. in Trid. sess. 24. n. 20. — [3] Cf. Giovine, *de Disp. matrim.* §. 251 et §. 264. sqq.; et Feije, *De imped. matr.*, in Append. n. VII, ubi multa exempla. — [4] Cf. *Rev. des sc. eccles.* t. 52. p. 126. (Instr. S. C. Prop. Fid., *De Processu matrim.*) — [5] L. VI. 978.

Digitized by Google

alios, ab eo qui professionem fidei recitabat nomine baptizandi ante Baptismum. Hoc impedimentum sublatum est a Concilio Tridentino (sess. 24. *de reform. Matrim.* cap. 2). — 2° Impedimentum *Criminis,* quo nomine comprehendebantur *quaedam delicta,* v. g. incestus cum propria matre aut filia, raptus alienae sponsae, uxoricidium, presbytericidium, publica poenitentia quamdiu durabat, etc.; sed hoc impedimentum desuetudine exolevit [1]. — Ab aliis etiam *dissensus parentum* inter impedimenta prohibentia recensetur. Vide dicta n. 1951 et 1973. qu. 6°.

I. — Ecclesiæ vetitum.

1985. — Per Ecclesiae vetitum, in sensu stricto, intelligitur interdictum ab homine, et *definitur*: Prohibitio, qua Superior ecclesiasticus vetat, ex justa causa, ne matrimonium inter aliquas personas contrahatur, donec illa causa vel ratio fuerit sublata. — Nomine autem *Superioris ecclesiastici* hic venit non modo Pontifex pro universa Ecclesia, et Episcopus pro sua dioecesi, aut Vicarius generalis; sed etiam *parochus*, qui, etsi de causis matrimonialibus sicut et de reliquis causis judicialiter non videat, interdictum tamen tanquam pastor ponere potest, donec scilicet causa discutiatur et decidatur a judice ordinario.

Causae *prohibitionis* possunt esse: vel sponsalia cum alia inita, vel suspicio latentis impedimenti, vel timor turbarum, ignoratio elementorum fidei, vel alia hujusmodi [2]. Si prohibitio facta sit ob causam gravem, contrahentes matrimonium peccant graviter; leviter autem, si prohibitio sit ob causam levem, v. g. ob venerationem alicujus festi [3].

Latiori sensu, Ecclesiae vetitum comprehendit insuper generales quasdam prohibitiones in jure notatas, quales sunt: — ne matrimonium celebretur, omissis proclamationibus; — ne *clandestine* ineatur, quae prohibitio ubique constituit impedimentum impediens; ubi vero Tridentinum est promulgatum, est impedimentum dirimens. De his commodius infra dicetur, ubi *de proclamationibus* et *de clandestinitate* (n. 2056 et 2040).

Inter has a jure notatas prohibitiones primus locus assignandus est illi, qua vetantur matrimonia mixta, de quibus fusius est dicendum.

De Matrimoniis mixtis.

1986. — Matrimonium mixtum, seu *mixtae religionis*, illud dicitur, quod contrahitur inter personas baptizatas, quarum altera est catholica, altera vero acatholica.

Principia. I. « Matrimonia mixta sunt detestabilia connubia, quae S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit. » — Ita

[1] Lib. VI. 985; H. A. XVIII. 53. — [2] De Angelis, lib. 4. tit. 16. n. 3. — [3] L. VI. 982.

Digitized by Google

Benedictus XIV, in Decreto super matrimoniis haereticorum in Hollandia [1].

Cur autem detestanda sint, paucis exponit SS. D. N. Leo Papa XIII in Encyclica *Arcanum,* dicens : « Illud etiam cavendum est, ne scilicet conjugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine : animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera concordes. — Quin imo, ab ejusmodi conjugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant conjugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. »

1987. — II. Matrimonia mixta aliquando LICITA FIERI POSSUNT, ex Pontificia scilicet dispensatione, ob gravem causam concessa, adhibitis insuper debitis cautionibus et servatis certis conditionibus. — Ita pluries a SS. Pontificibus declaratum est, et nominatim a Pio IX in Instructione promulgata die 15 nov. 1858 [2].

1° Requiritur DISPENSATIO PONTIFICIA, cum ad Apostolicam Sedem unice spectet in lege generali Ecclesiae dispensare [3]. — Quam dispensationem si subinde (per Congr. S. Officii) concedit, non concedit nisi invita, et *gravibus duntaxat de causis*, v. g. ob spem lucrandi familiam acatholicam pro fide, vel ad vitanda scandala.

2° Adhibendae sunt DEBITAE CAUTIONES, « ut scilicet *a*) non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit [4]; — quinimo *b*) catholicus ipse conjux teneri se sciat ad acatholicum, pro viribus, ab errore retrahendum; — verum etiam, *c*) ut universa utriusque sexus proles, ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate Catholicae religionis educari omnino debeat. — Quae quidem cautiones *remitti*, seu dispensari *nunquam possunt*, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit [5]. » Cautiones requisitae debebant olim *scripto* vel etiam *juramento* firmari ; hodie vero sufficit « talis promissio, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter ejusmodi executio expectari possit ; » ex decisione S. Officii 30 junii 1842 [6]. — Quod si, in aliquibus locis, Statuta dioecesana scriptum vel juramentum, vel etiam alias, ac enumeratas, cautiones praescribant, iis obtemperandum est.

[1] Cf. L. VI. 1044 et H. A. XIV. 6. fin. — [2] *Acta S. Sedis,* vol. VI. 456; et *Collect. S. Sed.* n. 907. — [3] Urgente vitae periculo, Episcopus probabiliter potest dispensare. Cf. Resp. S. Off. 3 aug. 1873 (*Nouvelle Revue théol.* XV. 400). — [4] Cf. S. A. in Trid. sess. 24. n. 18 ; et L. VI. 56. — [5] Instruct. cit. Pii IX. — [6] Cf. Feije, n. 568. pag. 439. Nota.

Digitized by Google

3° Servandae sunt CERTAE CONDITIONES, quae spectant *matrimonii celebrationem*, nempe « ut haec mixta connubia extra ecclesiam, et absque parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrentur. » — Unde, permittitur *passiva* duntaxat parochi praesentia; quae ita esse debet ut matrimonio non assistat in loco sacro, nec cum vestimentis quae sacrum ritum prae se ferunt. Praeterea, non debet super contrahentes liturgicas preces recitare, neque ullo modo ipsis benedicere. — Fas est tamen, eos de voluntate ineundi matrimonium *interrogare*. Sed non licet talium matrimoniorum proclamationes facere, ut patet ex Epistola Pii VI ad Cardinalem de Frankenberg, 13 julii 1782 [1].

Harum vero conditionum observantiam non urget Ecclesia cum summo rigore; nam, « si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint easdem CONDITIONES *impleri haud posse*, quin graviora exinde oriantur damna ac mala: in hoc casu tantum Sanctitas Sua, ad hujusmodi majora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut *ipsi*, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus...., *judicent*, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione, impleri minime possint; et quando, in promiscuis hisce conjugiis ineundis, tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum; exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate [2]. »

Si ACTIVA parochi assistentia *permittenda* judicetur, *tolerari* etiam potest, circumstantiis id suadentibus, ut consuetae fiant PROCLAMATIONES, praetermissa religionis nupturientium mentione, deque factis concedantur LITTERAE TESTIMONIALES, quae unice enuntient nil, praeter Ecclesiae vetitum, matrimonio conciliando obstare, omissis verbis quibuscumque, ex quibus consensus vel cujuslibet approbationis suspicio oriri possit [3].

Atque haec dicta sint de matrimoniis MIXTIS quae evaserunt *licita*. — Cum autem parochi de matrimoniis mixtis *illicitis* maxime angi soleant, apposite hic inquirendum venit, quid in talibus rerum adjunctis agendum sit.

1988. — Quaesita. QUAER. 1° *An parochus* ASSISTERE POSSIT *matrimonio mixto, quod, ob defectum dispensationis, remanet illicitum?*

Resp. Neg., regulariter loquendo: quia talis assistentia est cooperatio materialis ad actum illicitum, ideoque *per se* prohibita [4]. « Attamen, si in Ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, hujusmodi nuptias, quantumlibet illicitas et vetitas, coram parocho catholico, potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari: tunc *ipse parochus* catholicus, aliusve sacerdos ejus vices

[1] Cf. Bangen, IV. 21; Text. ap. Roskovany, *de matr. mixt.* tom. II. pag. 61. docum. 66. — [2] Instruct. cit. Pii IX. — [3] De Angelis, lib. 4. tit. 1. n. 22. — [4] Cf. Decr. S. Off. 17 jun. 1829. (apud Roskovany, IV. p. 87. n. 734).

Digitized by Google

agens, poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, omni excluso ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret mere *testis* vulgo *qualificati*, seu autorizabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat [1]. » Item, fieri possunt *proclamationes* et concedi *litterae testimoniales*, eo modo, quo supra dictum est [2]. — Parochus vero, hac in re, nihil agat, inconsulto Episcopo [3].

QUAER. 2° *Quid, si sponsi etiam coram* MINISTRO HAERETICO *contrahere velint?*

Resp. 1° « Lege civili imperante, non improbatur, quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto, *ad actum civilem duntaxat implendum*, nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges, prolesque censeantur legitimae [4]. »

2° « Verum enimvero, quotiescumque *minister haereticus* censetur *veluti sacris addictus* et quasi parochi munere fungens, NON LICET catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare; eo quod hic adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui haeretico se consociaret: unde oriretur quaedam implicita haeresi *adhaesio*, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio [5]. » Quare, PAROCHUS, si sponsi nihilominus coram haeretico ministro consensum exprimere velint, *ab omni interventu abstineat.* — Atvero, in miserrimis hisce circumstantiis, si omne removeri possit scandalum, gravissimaque accedat causa, v. g. periculum concubinatus, in iis locis ubi clandestinitatis impedimentum viget, assistentia *passiva* parochi permitti posse videtur [6].

3° « Sciant insuper parochi, *si interrogentur* a contrahentibus, vel *si certe noverint* eos adituros ministrum haereticum sacris addictum, ad consensum matrimonialem praestandum, se *silere non posse;* sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris, in quas incurrunt [7] (vide n. 1314. 3°). — Verumtamen, ad gravia praecavenda mala, si, in aliquo peculiari casu, parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nunc adire ministrum haereticum; et nulla fiat ab

[1] Instr. ad Ep. Bavariae, 12 sept. 1834 (ap. Roskovany, *de matrim. mixtis*, tom. II. p. 291. docum. 205). — [2] Konings, II. p. 395. — [3] Cf. Conc. Prag. an. 1860. tit. IV. cap. 12 (Coll. Lacen. V. col. 522). — [4] Instr. S. OFF. ad Episc. Hannov. 17 febr. 1863. (apud Vecchiotti, III. p. 174). — [5] Ibid. — [6] Feije, *de imped. matr.* n. 574. — [7] Cf. *Nouv. Rev. théol.* XV. 595.

Digitized by Google

iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministro haeretico; *praevideat* tamen, eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu occurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum: tunc SILEAT, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, necnon de universa prole in religione catholica educanda [1]. » — Matrimonium in tali casu fit *licitum*, et sponsi, ob bonam fidem, materialiter tantum peccant ministrum haereticum adeundo.

4° « Quod si tandem consensus *coram parocho* velit RENOVARI, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur: parochus huic matrimonio *non intererit* nisi, servatis, ut supponitur, caeteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis absolutionem a contractis *censuris* rite prius obtinuerit [2]. » Cautiones vero a conjugibus *in foro etiam externo* praestari debent, atque hoc fine recursus ad Episcopum postulatur [3].

5° Quando demum sponsi Ecclesiae praescriptis stare *recusant*, dicendum est ut de casu, quo coram ministro haeretico contrahere pertinaciter intendunt (vide supra n. 2°).

Nota. Certis in regionibus, Episcopi facultatem obtinent dispensandi super dicto impedimento *mixtae religionis* suos subditos, exceptis Italis, de quibus non constat, eos Italicum domicilium omnino dereliquisse [4].

II. — TEMPUS FERIATUM.

1989. — TEMPUS FERIATUM seu *clausum*, ut aiunt, est impedimentum quo « a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive, solemnitates nuptiarum prohibentur [5]. » — Ratio prohibitionis est, quia hae solemnitates vehementer animos a spiritualibus avocant, quibus Christifideles, hoc praesertim sacro tempore, vacare debent: unde sub gravi, per se, obligat (cf. n. 1217. 5°) [6].

Nomine autem *solemnitatum* intelliguntur: — 1) Benedictio nuptiarum, quae habetur in Missa *Pro sponso et sponsa:* haec solemnis benedictio prohibetur sub gravi. — 2) Solemnis sponsae in domum

[1] Cit. Instr. ad Episc. Hannov. — [2] Ib.; cf. et *Collect. S. Sed.* n. 908. — [3] Congr. S. Off. die 9. mart. 1881 (apud Konings, edit. 5ª, tom. 2. p. 425. not. 39). — [4] Inst. S. C. de Prop. Fide 30 april. 1865 (*Acta S. Sed.* vol. 2. pag. 672). — [5] *Rit. Rom.;* cf. Trid. sess. 24. *de ref. matr.* cap. 10. — [6] Sanchez, *De Matrim.* L. VII. disp. 7. n. 1.

Digitized by Google

sponsi traductio, quae nempe fit cum pompa magna et magno apparatu: hac in re etiam graviter peccari potest, si solemnitates sint nimis immoderatae: quod juxta locorum consuetudines, ex sensu communi, dijudicandum est. — 3) Solemniora convivia; sed « haec non prohibentur sub gravi, nisi excessus sit magnus: imo, si fiant moderate, nulla erit culpa [1]. »

Lege igitur universali NON PROHIBENTUR nec sponsalia, nec proclamationes, nec matrimonii celebratio, adhibita ea tantum benedictione quae in Rituali habetur; neque ipsa sponsae traductio absque solemnitatibus [2]. — Attamen, *in quibusdam locis,* matrimonii celebratio (etsi non solemnis) prohibetur jure consuetudinario vel lege dioecesana, cui sub gravi standum est, nisi intercedat dispensatio Episcopi [3]. — Huic vero non licet, absque speciali facultate, nuptiarum solemnitates permittere, eo quod non potest dispensare, propria auctoritate, in lege universali Ecclesiae [4].

III. — SPONSALIA.

1990. — SPONSALIA valide inita, nec legitime dissoluta, veram et mutuam inducunt obligationem, ita ut neutri jam parti *liceat,* contra fidem datam, aliud inire matrimonium; etsi hoc semel celebratum foret validum. — Recole dicta n. 1952 et 1953.

IV. — VOTUM SIMPLEX.

1991. — Nomine VOTI, quod constituit impedimentum prohibens matrimonii, venit *votum simplex,* sive non nubendi, sive castitatis servandae, sive ingrediendi Religionem, sive suscipiendi sacros Ordines.

Principia. I. Votum simplex est impedimentum SUB GRAVI prohibens matrimonii celebrationem. — Ratio est, quia contrahens cum tali voto, vel directe illud transgreditur (si nempe sit votum non nubendi), vel proximo transgrediendi periculo se exponit, ut palam est: ideoque, cum de gravi obligatione agatur, absque dubio graviter peccat contra votum. Praeterea, peccat contra justitiam, quia compars non monita graviter decipitur. Quibus etiam accedit positiva juris declaratio. [5]

1992. — II. Voti OBLIGATIO, matrimonio illicite celebrato, NON SOLVITUR, nisi in quantum ejus adimpletio moraliter impossibilis facta sit. — Ratio, quia ex una parte nemo commodum ex propria malitia reportare debet, ex altera vero nemo potest teneri ad impossibile.

Hinc: 1° Qui matrimonium init, posthabito voto NON NUBENDI, vel matrimonium consummat, posthabito voto *solius virginitatis*

[1] L. VI. 983; H. A. XVIII. 53. — [2] Ib. 984. — [3] S. R. C. 14 aug. 1858 (cf. Gardellini, n. 5275 ad 3). — [4] Cf. Bened. XIV. *Instit.* 80. n. 14. 15. — [5] Cap. *Rursus,* Qui Clerici vel voventes.

Digitized by Google

graviter quidem peccat; sed jam ad nihil amplius tenetur, cum votum simpliciter factum sit impossibile.

2° Qui, spreto voto CASTITATIS, matrimonium contrahit, tenetur ad illa omnia, quae in statu conjugali servari possunt, videlicet: — 1) Non potest *petere* debitum, nisi charitas erga compartem in periculo incontinentiae versantem id suadeat; *reddere* autem generatim potest, quia praevalet jus conjugis petentis. Atvero — 2) Non potest *reddere* quando compars jus petendi non habet, nempe in primo bimestri, nisi matrimonium jam fuerit consummatum: nam illo semel consummato, *tenetur* reddere, modo conjux aliam ob causam, v. g. ob adulterium vel incestum, petendi jus non amiserit. — 3) Mortua comparte, non potest ad novas convolare nuptias. Quod si, durante matrimonio, adulterium committat, fit etiam hoc ipso reus violationis voti [1].

3° Qui post emissum votum INGREDIENDI RELIGIONEM, contrahit matrimonium, tenetur ad sequentia: — 1) Intra primum bimestre concessum ad deliberandum, non potest matrimonium consummare, sive petendo, sive reddendo debitum, sed tenetur Religionem ingredi. — 2) Elapso bimestri, perdurat adhuc voti obligatio, si compars, cujus voluntas serio exploranda est, ejus executioni annuere velit; comparte vero non annuente, potest debitum non solum reddere, sed etiam petere. — 3) Si compars jus petendi in perpetuum amittat, vel observationi voti consentiat, vel mortua sit, reviviscit voti obligatio, nisi forte ita mutatae sint circumstantiae, ut votum jam ab intrinseco cesset, v. g. si vovens jam senuerit. — Si votum fuisset de ingressu in Institutum, ubi vota simplicia emittuntur, obligatio comprehenderet ea sola, quae modo sub 3) diximus.

4° Qui matrimonium init post emissum votum SUSCIPIENDI SACROS ORDINES, matrimonio uti potest, tum petendo, tum reddendo debitum; ast, tenetur votum implere, si compars consentiat, vel si mortua fuerit, vel si jus petendi in perpetuum amiserit.

Nota. — Quae dicta sunt de adimpletione voti post contractum matrimonium valent quidem *per se*, et in rigore juris; sed IN PRAXI, ut plurimum, consultius erit, ut recurratur ad DISPENSATIONEM.

1993. — QUAERITUR. *Quisnam a praedictis votis* DISPENSARE *possit?*

Resp. 1° Si votum non est Papae reservatum, v. g. votum non nubendi aut suscipiendi sacros Ordines, Episcopus, jure ordinario, ob justam causam dispensare potest.

Resp. 2° Si votum est Papae reservatum, quale est votum *perfectae castitatis*, et votum *ingrediendi Religionem* stricte dictam, modo

[1] Feije, n. 559.

Digitized by Google

omnes conditiones pro reservatione verificentur, distinguendum est: — 1) Ante matrimonium, non potest Episcopus dispensare jure ordinario, nisi sit periculum in mora, nec facilis pateat recursus ad Pontificem (cf. n. 645. q. 2. — 2) Post contractum matrimonium, potest a voto castitatis dispensare, in ordine ad petendum debitum, cum haec facultas conferatur Episcopis, vi consuetudinis, quae jurisdictionem praebet, ex cap. *Cum contingat, de foro competenti*[1]. — Attamen, in voto castitatis, quod conjuges de *mutuo consensu* emiserunt, potest, solus Papa dispensare, ut AA. communiter docent[2].

Quid possint, ex privilegio, Confessarii Regulares, vide n. 2191. 2°.

Nota. Est CAUSA sufficiens ad impetrandam *dispensationem* vel commutationem in voto *castitatis* (vel in voto ingrediendi religionem) « si quis propter gravem tentationem sit in probabili periculo etiam unius lapsus, quia per unum lapsum jam castitas amittitur[3]. » — Item, si quis puellam vi stupraverit, vel mulierem promissione matrimonii seduxerit; si puella, patre orbata, relicta sit cum matre pauperrima, ac nonnisi ex proprio labore et cum difficultate vitam ducere possit; si eadem matre orbata, pater vehementer instet, irascatur, et ad nuptias impellat, ita ut cum eo vivere, nisi obediat, durissimum evadat; si vovens morbo laboret, cui ex medicorum consilio, aliis mediciuis occurri non possit, et certius sit uti remedio matrimonii, etc. [4] »

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS

IMPEDIMENTA DIRIMENTIA, quae nempe obstant, cur matrimonium non valide ineatur, non sunt omnia eadem auctoritate constituta: alia enim habent suam originem a *jure naturali*, alia a *jure positivo divino*, alia denique a *jure positivo humano*, i. e. ecclesiastico, prout suis locis videbimus. Sed antequam illa recenseamus, breviter dicendum est, tum de POTESTATE, qua constituuntur, tum de PERSONIS quas eorum vinculum constringit. — Unde sequentia

1994. — Principia. I. ECCLESIA, jure proprio et originario, POTEST STATUERE impedimenta matrimonium dirimentia. — Est de fide, ex Tridentino (sess. 24. can. 4), sic definiente: « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse statuere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit. » — Christus enim, cum ad primariam suam excellentiam matrimonia renovavisset, « totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in conjugia christianorum omni cum tempore, tum loco

[1] L. VI. 987; H. A. XVIII. 54. — [2] Ib. 986. — [3] Ib. 1143. — [4] Planchard, *Disp. matrim.* n. 429.

Digitized by Google

exercuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed Auctoris sui voluntate divinitus adeptam [1]. »

1995. — II. SOLA ECCLESIA potest statuere impedimenta dirimentia, quoad matrimonia CHRISTIANORUM. — Etenim « cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde, consideranda Sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De Sacramento autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam [2]. »

Ex hodierna disciplina, et jam a pluribus saeculis, FACULTAS statuendi impedimenta dirimentia facta est *causa major* supremae auctoritati, nempe Romano Pontifici aut Concilio generali reservata; idque factum esse videtur ad servandam uniformitatem in negotio tam arduo, in quo difficultates oriri facile possunt [3].

1996. — III. Impedimentis dirimentibus juris naturalis, vel positivi divini, ligantur OMNES HOMINES; impedimentis vero juris ecclesiastici, SOLI CHRISTIANI. — Et re quidem vera: — 1° quoad impedimenta *juris naturae*, res est evidens, cum lex naturalis ad universum genus humanum sese extendat. Idem dicendum, quoad impedimenta *juris positivi divini;* quae enim ad illud pertinent, stabilita sunt in connubio nostrorum protoparentum, et proinde valent pro omnibus eorum filiis. — 2° Impedimentis autem *juris ecclesiastici* solos christianos ligari, non vero infideles, certum est, cum hi Ecclesiae non subjiciantur. Certum est pariter, *omnes* catholicos, hac in re, Ecclesiae legibus teneri. — *Utrum vero et acatholici iisdem teneantur*, magis controversum fuit; ast communis nunc sententia affirmat. Ratio, quia acatholici per Baptismum subditi Ecclesiae facti sunt; haec vero illos obligare intendit, cum invalida habeat matrimonia in haeresi contracta, quibus non obstabat, nisi impedimentum juris ecclesiastici [4] (cf. n. 198). — Exceptio ab Ecclesia misericorditer facta, in certis casibus, quoad impedimentum clandestinitatis, commemorabitur infra, ubi *de Celebratione matrimonii* (cf. n. 2071) [5].

[1] LEO XIII, Encycl. *Arcanum;* cf. *Syllabus* n. 69. 70; cf. et L. VI. 979; H. A. XVIII. 52. — [2] Ib. Encycl. *Arcanum* (cf. Martin, *de Matrim.* P. 2ª per totum). — [3] L. VI. 980; De Angelis, lib. 4. tit. 1. n. 15; cf. et Bened. XIV. *de Synod.* lib. 12. c. 5. n. 2. — [4] De Angelis, l. c. n. 16°. — [5] Cf. Bened. XIV. Constit. *Singulare nobis.*

Digitized by Google

1997. — Quaesita. QUAER. 1° *An* LEGISLATOR CIVILIS *statuere possit impedimenta matrimonium dirimentia?*

Resp. 1° *Neg.* quoad matrimonia *christianorum*, cum potestas in res sacras ac divinas exclusive ad Ecclesiam pertineat (cf. n. 149 et 2089.) — 2° Quoad matrimonia *infidelium*, controvertitur. Apud Theologos antiquos magis quidem recepta fuit sententia, quae talem potestatem civili legislatori adjudicabat [1]; sed apud recentiores sententia negans evasit communior [2]; atque haec nobis magis arridet, cum « matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum » ut dicit SS. D. N. LEO Papa XIII [3] (n. 1995).

QUAER. 2° *An impedimentum* INVINCIBILITER IGNORATUM *reddat matrimonium invalidum?*

Resp. Affirm.; quia inducit inhabilitatem, ad quam contrahendam non requiritur scientia. Atque hoc valet, juxta communiorem sententiam de illis etiam impedimentis, quae videntur habere rationem poenae, qualem habere videtur impedimentum *criminis* [4]. — Vide dicenda de hoc impedimento (n. 2035. sqq.).

QUAER. 3° *An impedimentum irritet matrimonium, si hoc ineatur* AD VITANDUM *gravissimum incommodum?*

Resp. Affirm.; quia bonum commune obstat cessationi impedimentorum ob commodum privatum. Pateret enim, gravi aliquo metu incusso, nimis facilis via ad ea contemnenda. — Adde quod matrimonia redderentur valde incerta, eo quod de sufficienti incommodo non semper constaret. Ita communiter DD. ut certissimum tenent [5].

QUAER. 4° *An liceat contrahere matrimonium cum impedimento* DUBIO *vel* PROBABILI?

Resp. 1° *Affirm.*, si impedimentum dirimens est de *jure ecclesiastico*, et post adhibitam diligentiam, habetur opinio probabilis *probabilitate juris* de carentia impedimenti, modo opinio illa sit universe vel certe ab AA. recepta ut probabilis. — Nec obstat, quod in confectione Sacramentorum non liceat uti opinione probabili; « nam respondetur, quod eo casu non ministratur Sacramentum matrimonii cum sola opinione probabili, sed cum morali certitudine: » quia, ut tradunt DD. communiter, stante opinione probabili de jure, quod non subsit impedimentum, ex antiquissima consuetudine censetur Ecclesia dispensare in illo, si forte adsit [6]. — Hoc autem non valet, *si probabilitas sit facti:* puta, si credatur

[1] Sanchez, *de Matr.* L. 7. disp. 3. n. 5. — [2] Perrone, *de Matrim.* Lib, 2. sect. 2. cap. 3. — [3] Encycl. *Arcanum.* — [4] L. VI. 1079. v. med.; cf. *Vind. Alph.* vol. II. p. 452. — [5] Sanchez, loc. cit. Lib. 7. disp. 5. n. 4. — [6] L. VI. 901; H. A. XVIII. 35.

Digitized by Google

probabiliter tantum copulam non fuisse perfectam, et ideo non adesse affinitatem; vel sponsalia non fuisse valida, et ideo non adesse impedimentum publicae honestatis. — Ratio est, quia Ecclesia in hujusmodi probabilitate jam non praesumitur dispensare, et opinio opposita communiter non est recepta ut probabilis; et aliunde nimia sequerentur incommoda, si, contracto matrimonio, error detegeretur [1].

Resp. 2° *Neg.*, per se loquendo, si impedimentum est *de jure divino*, sive naturali, sive positivo; et ratio est, quia illicitum est ministrare Sacramentum cum opinione tantum probabili de illius valore; Ecclesia autem, in hoc casu, non potest defectum probabilem supplere, cum impedimentum ab ea non pendeat. — « Diximus *per se loquendo;* nam, urgente gravissima causa, poterit matrimonium contrahi, modo accedat declaratio S. Pontificis tanquam unici interpretis legis divinae [2] » (cf. n. 135).

1998. — His generatim dictis, speciatim nunc *de singulis impedimentis* tractandum est.

QUINDECIM numerantur his versiculis comprehensa:

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
> Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
> Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae:
> Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Haec impedimenta originem ducunt, alia *ex defectu validi consensus*, alia *ex defectu habilitatis contrahentium*, unum vero *ex defectu formae* ab Ecclesia praescriptae. — Sub diverso igitur titulo, pro varietate originis, de singulis agemus.

§. 1. *De impedimentis dirimentibus ob defectum validi consensus.*

Validitati consensus QUATUOR impedimenta adversantur: ex parte intellectus, *error* et servilis *conditio* ignorata; ex parte voluntatis *vis* et *raptus*.

I. — ERROR.

1999. — Duplex distinguitur ERROR: *substantialis*, qui versatur circa personam contrahentem, vel naturam matrimonii; et *accidentalis*, qui versatur circa personae qualitates.

[1] L. VI. 902; H. A. ibid.; cf. *Vindic. Alph.* P. VIII. Qu. 1. — [2] Ibid. 902; H. A. ib. 35.

Digitized by Google

Principia. — I. Error CIRCA PERSONAM dirimit matrimonium jure naturae; sive error sit antecedens, seu causam dans contractui, sive *mere concomitans*, et hoc, etiamsi *vincibilis* sit et crassissimus. — Ratio est, quia, cum contrahentium personae sint substantiale matrimonii objectum, si variatur persona, erratur circa ipsam contractûs substantiam. — Nec refert, quod matrimonium etiam cognito errore, contractum fuisset; cum nec in hoc casu errans consentiat in praesentem personam, sed in eam, quam esse existimabat [1].

II. Error CIRCA NATURAM MATRIMONII, v. g. circa jus mutuum in corpus, circa perpetuitatem, etc., aliquando dirimit, aliquando non dirimit matrimonium. — DIRIMIT, si errans *positive* intendat contrahere juxta erroneum suum conceptum, v. g. non conferre jus in corpus, sibi reservare facultatem repudii; deficit enim consensus in verum matrimonium [2]. — NON DIRIMIT matrimonium, si desit positiva illa intentio, cum errans in tali casu, voluntate quadam generali matrimonium appetit, quale est a Christo institutum vel lege divina ordinatum: quare, haec voluntas generalis privatum errorem, uti ait Benedictus XIV [3], quodammodo absorbet. Atque haec est constans Romanarum Congregationum traditio in hisce dijudicandis causis [4].

2000. — III. Error CIRCA QUALITATES aut FORTUNAM personae non dirimit matrimonium, nisi sit circa qualitatem, quae in substantiam sive in personam redundat. — Et hoc tenendum, juxta communem et veriorem sententiam, *etiam si error contractui causam dederit.* — « Ratio, tum quia tunc jam adest simpliciter voluntarium circa substantiam matrimonii, nempe circa personam, quamvis deficiat voluntarium secundum quid circa accidentia, quae sunt personae qualitates; tum quia alias innumera conjugia evaderent dubia et litibus exposita [5]. »

Diximus: *nisi error sit circa qualitatem, quae in substantiam redundat;* quia tunc, ut communiter et recte docent DD., consensus verus deficit, et proin matrimonium est invalidum [6]. — Ut vero innotescat, quando qualitas transeat in substantiam, sequentes REGULAE traduntur:

Qualitas *transit in substantiam* — 1): Si quis *actu intendit* non contrahere, aut si prius (nec mutata postea voluntate) intendisset non contrahere, nisi sub illius qualitatis conditione. — 2) Si qualitas est *propria et individualis* alicujus determinatae personae, v. g. quod sit primogenita regis; secus autem, si intenderet

[1] L. VI. 1010; H. A. XVIII. 61. — [2] L. VI. 24. — [3] *De Synodo*, lib. 13. cap. 22. n. 7. — [4] Cf. idem, ibid. n. 8-10. — [5] L. VI. 1011, 1012. — [6] Ib. 1013.

Digitized by Google

contrahere cum una filiarum regis: quia tunc qualitas non est individualis, sed pluribus communis: quo tamen in casu et regula sequens prae oculis habenda est. — 3) Si contrahens principaliter intendit qualitatem et *minus principaliter personam*, puta si vult contrahere cum nobili, quale Juliam esse existimat; secus, si intenderet contrahere cum Julia, quam credit esse nobilem[1].

Nota. In foro *externo*, non sufficit, si contrahens affirmet se errasse; requiritur debita rei probatio, coram judice (cf. n. 2081).

II. — Conditio.

2001. — Conditionis nomine hic intelligitur *servitus* stricte dicta.

Conditio servilis dirimit matrimonium, si haec duo *simul* adsunt: 1° si altera pars est libera; 2° si servilem compartis conditionem ignorat[2].

Est impedimentum *juris ecclesiastici* eo fine introductum, ut pars libera non ignoranter ineat connubium, in quo, propter ipsam conditionum disparitatem, innumera haberentur incommoda[3]. — Non est autem cur de hoc argumento fusius dicamus, cum servitus *proprie dicta* in perpaucis regionibus (v. g. in Turcico imperio) hodie vigeat.

III. Vis.

2002. — Per vim hic significatur non absoluta coactio, quae voluntarium omnino tollit; sed *metus*, qui illud non tollit, sed minuit. — Coactio actibus duntaxat externis inferri potest, redditque matrimonium nullum ob defectum consensûs; metus vero afficit voluntatem, et consensum reipsa datum vitiat.

Principia. I. Vis, seu metus gravis, dirimit matrimonium. — Quod illud dirimat jure ecclesiastico, omnes fatentur, et constat ex apertissima juris definitione[4]. — *An vero illud etiam jure naturali dirimat*, controvertitur. — Alii *negant*, quia consensus remanet voluntarius, nec caeteri contractus ex metu initi habentur invalidi. — Alii vero, non minus probabiliter et forte probabilius, *affirmant*, et sequentes afferunt rationes: 1° Jus naturae debet remedium suppeditare contra injuriam per metum illatam: in caeteris contractibus, illud consistit in rescindendi facultate; sed matrimonium semel validum rescindi non potest. Ergo aliud remedium requiritur, ut nempe ab initio sit invalidum; secus enim innocens saepe cogeretur duram vitam ducere, et reus commodum ex sua iniquitate reportaret: quae non sunt naturali rationi consona. — 2° Matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter conjuges; sed

[1] L. VI. 1014 et sqq. — [2] Ib. 1017 sqq.; H. A. XVIII. 62. — [3] Cf. Sanchez, *de Matrim.* L. VII. disp. 19. — [4] Cf. L. VI. 1045; H. A. n. 64.

Digitized by Google

nequit cum vi et metu mutuus amor consistere, cum nemo adhaerere soleat rei, quam tenet invitus; ergo matrimonium, quod ob metum contrahitur, oportet ut sit de se nullum [1].

Dictum est METUS GRAVIS: qualis nempe describitur in Tractatu *de Actibus humanis* (cf. n. 285). Etenim, « matrimonium ex METU LEVI initum, neque est nullum de jure naturali, neque de jure positivo. — *Non de jure naturali*, quia non censetur invitus contraxisse, qui contraxit ex metu levi, quem facile repellere poterat. — *Neque de jure positivo*, nam ab hoc sola matrimonia ex metu gravi inita invalida declarantur, et merito: nam alias, si adhuc ex levi metu redderentur nulla, innumera matrimonia dissolverentur [2]. » — Ad metum *reverentialem* quod attinet, ipse non dirimit matrimonium, nisi gravis mali periculum secum conjunctum habeat [3].

2003. — II. Ut metus irritet matrimonium, REQUIRITUR, ut sit AB EXTRINSECO atque INJUSTE incussus, ad matrimonium EXTORQUENDUM. — Ita communiter, et patebit ex dicendis de unaquaque conditione.

1° Requiritur ut sit *ab extrinseco*, i. e. incussus ab homine; unde incussus ab intrinseco, vel a causa naturali, non dirimit matrimonium. — Neque ad rem interest, utrum ab ipsa comparte incussus fuerit, an ab aliquo tertio [4].

2° Requiritur ut sit *injuste incussus:* nam si juste incussus est, metum passus causam ipse dedit, nec conqueri potest, quod alter jus suum sibi vindicet. Metus autem juste incussus dicendus est, quando ille, qui incussit, jus habet tum exigendi matrimonium, tum minandi, tum exequendi quod minatur: contra, injuste incutitur, quotiescumque unum ex dictis deest [5].

3° Requiritur ut sit incussus *ad extorquendum matrimonium;* secus enim « non tam contrahitur metu, quam eligitur medium evadendi periculum, et matrimonium est simpliciter voluntarium [6]. » — Unde, si pater inveniret stupratorem suae filiae et minas illi incuteret mortis, ad extorquendum matrimonium, equidem hoc nullum esset, quia stuprator non tenetur absolute corruptam ducere, sed vel ducere, vel dotare. — Valeret autem matrimonium, si pater comminaretur mortem ad ulciscendam injuriam, et alter ad se liberandum iniret nuptias [7].

QUAERITUR. *An* COMPARS *quae alteram partem metu ad matrimonium induxit, ab illo* RESILIRE POSSIT?

Resp. Neg., ex probabiliori sententia, quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Atque hoc maxime valet, « si me-

[1] L. VI. 1054; L. III. 716. fin. — [2] L. VI. 1055. — [3] Ib. 1056. — [4] Ib. 1049. — [5] Ib.; Feije, n. 133. — [6] L. VI. 1045. — [7] Ib. 1049 (cf. *Acta S. Sed.* vol. XI. p. 345).

Digitized by Google

tus *non possit probari;* quia tunc, cum Ecclesia cogat metum passum ad cohabitandum, tale gravissimum incommodum non est reparabile nisi per verum matrimonium; et tanto magis, si pars metum passa fuerit femina, quae alias, soluto matrimonio, semper aliqua infamia remaneret notata [1]. »

Nota. Excommunicationis poena a Tridentino lata est in dominos et magistratus civiles, matrimonii libertatem violantes (cf. n. 1358).

IV. — Raptus.

2004. — Raptus, prout est impedimentum dirimens matrimonium, *definitur:* feminae invitae abductio, matrimonii ineundi causa. — Est impedimentum *juris ecclesiastici*, a Tridentino [2] inductum, ad tuendam matrimonii libertatem.

Principia. I. Raptus dirimit matrimonium, dummodo revera sit feminae abductio violenta, matrimonii ineundi causâ. — Proinde requiritur: 1° ut sit *feminae*, non viri abductio; perinde vero est, qualis sit femina, honesta vel corrupta, virgo, vidua, vel etiam sponsa raptoris. — 2° *Abductio:* quo nomine venit proprie factum, quod feminam in loco separato sub potestate viri constituat; quare et detentionem comprehendit, si femina nempe sponte sua se recepit in locum, a quo recedere non permittitur. Nec refert, si raptor per se, vel per alios, facinus patraverit; nam, qui facit per alios, per se facere censetur. — 3° *Violenta* abductio, i. e. quae facta est, femina repugnante, sive per absolutam coactionem vel gravem metum, sive per dolum, quo retinetur in loco ad quem illecta est; nam in hoc casu, dolus vi aequiparatur [3]. — Si autem rapta abductioni consenserit, contradicentibus parentibus vel tutore, est raptus seductionis, qui, tametsi alias poenas contra istiusmodi raptores statutas inducat, non inducit tamen, juxta probabiliorem et communem sententiam, impedimentum dirimens [4] (cf. n. 780). — 4° *Matrimonii ineundi causa:* unde, si rapta ob aliam causam abducatur, etiam ob finem explendae libidinis, non incurritur impedimentum, quandoquidem Tridentinum hoc impedimento non aliud intendit, quam favere libertati matrimonii [5].

2005. — II. Raptus dirimit matrimonium inter raptorem et raptam, quamdiu haec in raptoris potestate remanserit. — Nec sufficit, si rapta ex nolente facta sit volens; sed omnino requiritur, ut *extra raptoris potestatem* constituatur, quia secus de consensu

[1] L. VI. 1057; cf. Instr. S. C. Prop. Fid. *De Processu matrim.* p. 2. art. 3. (*Rev. des sc. eccles.* t. 52. p. 141.) — [2] Sess. 24. cap. 6. — [3] Feije, n. 157-159. — [4] Ib. n. 171. 185. — [5] L. VI. 1107 et 1108.

Digitized by Google

undequaque libero non sufficienter constaret. « Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat [1]. »

QUAERITUR. — *Quaenam sint* POENAE *in raptores stabilitae?*

Resp. « Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso jure *excommunicati,* ac perpetui *infames,* omniumque dignitatum incapaces, et, si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam duxerit, sive non duxerit, decenter, arbitrio judicis, *dotare.* » Ita CONC. TRID. [2]. — Excommunicatio incurritur ipso facto (cf. n. 1357); caeterae poenae tantum post sententiam judicis [3].

§. 2. *De impedimentis matrimonium dirimentibus ob inhabilitatem contrahentium.*

2006. — Haec impedimenta sese referunt, alia ad DEFECTUM NATURAE, et haec sunt *aetas* atque *impotentia;* — alia ad defectum STATUS LIBERI, et haec sunt *votum, Ordo,* et *ligamen*; — alia ad REVERENTIAM personis conjunctis DEBITAM, et haec sunt *cognatio, affinitas,* atque *honestas publica;* — alia denique ad PERICULUM tum FIDEI CONJUGALIS, tum FIDEI CHRISTIANAE, et sunt *crimen* ac *disparitas cultus.*

Consideranti patet QUINQUE PRIORA esse impedimenta *absoluta,* quae matrimonium dirimunt cum quacumque persona quamdiu subsistunt; QUINQUE POSTERIORA vero esse impedimenta *relativa,* quae matrimonium dirimunt cum certis personis, ratione quarum impedimentum existit.

(*De impedimentis quae ad defectum* NATURAE *se referunt*).

I. — AETAS.

2007. — DEFINITIO. Impedimentum AETATIS in eo consistit, quod uterque vel saltem alteruter contrahentium pubertatis aetatem nondum adeptus est; nempe, si VIR annum *decimum quartum,* FEMINA vero annum *decimum secundum* nondum complevit.

DIVISIO. Duplex DISTINGUITUR pubertas: *naturalis,* quae consistit in expedita generandi facultate; et *legalis,* quae consistit in aetate jure determinata, quaeque modo definita est. — Juris autem definitio fundatur in praesumptione, quod ea aetate, tum sufficiens discretio, tum potentia generandi habeatur.

Principium. Defectus aetatis PUBERTATIS dirimit, *jure ecclesiastico,* matrimonium, nisi malitia suppleat aetatem. — Quod matrimonium hoc impedimento dirimatur, pluries in jure definitum est; quod autem ex jure ecclesiastico dirimatur, declaravit Benedictus XIV in

[1] Trid. sess. 24. cap. 6. — [2] Loc. cit. — [3] L. VI. 1107 v. *Nota hic.*

Digitized by Google

Bulla *Magnae Nobis*. Ratio est, quia, jure naturae, non requiritur nisi consensus deliberatus, et radicalis ad opus conjugii habilitas, futura aliquando expedita. — Porro, impuberum matrimonium est per se nullum, prout in jure habetur: et hoc, etiamsi pauci deessent dies ad aetatem pubertatis, ut communiter docetur [1].

Dictum est *nisi malitia suppleat aetatem*, i. e. nisi adsit, ante statutam aetatem, sufficiens discretio, et constet de actuali generandi potentia. De hac vero difficillime constat, praeter casum, quo puella, pubertatem legalem nondum adepta, jam concepit: quare, ut matrimonium licite iniri possit, requiritur judicis ecclesiastici declaratio. — Quod si de discretione quidem constet, sed de expedita corporis habilitate dubitetur, opus est dispensatione Pontificia, quae adeo raro conceditur, ut impedimentum quasi indispensabile haberi possit [2].

QUAERITUR. *An matrimonium sit validum, si contrahentes* LEGALEM *quidem pubertatem*, NON VERO NATURALEM *adepti sint?*

Resp. Affirm.; quia pubertas naturalis nullo jure requiritur: non naturali, quod habilitatem radicalem tantum exigit; nec positivo, quod aetatem statutam solum expostulat. — Ex dictis facile concludere est, matrimonium esse validum, si contrahentes, praeter necessariam discretionem, alterutram pubertatem, legalem scilicet vel naturalem, adepti sunt [3].

II. — IMPOTENTIA.

2008. — DEFINITIO. Impotentia, quoad matrimonium, est inhabilitas ad copulam conjugalem per se aptam ad generationem [4].

Unde, impotentes non sunt steriles, aut senes, nec feminae quae susceptum semen non retinent; dummodo actum matrimonii perficere possint; etenim, si nequeunt generare, hoc est per accidens. — Contra, impotentes sunt eunuchi perfecti, qui scilicet utroque testiculo carent, ut declaravit Sixtus V anno 1587 in bulla *Cum frequenter;* sicut et illi qui testiculos habent adeo contusos, ut non emittant verum semen; vel qui tanta corporis debilitate laborant, ut conjugii operi vacare nequeant. Hi enim omnes sunt incapaces illius actus, « quo *ex se* esset possibilis generatio [5]. » — Item impotentes sunt feminae, quae utero et vagina carent [6], vel ob aliam infirmitatem aut chirurgicam operationem, viri congressum non patiuntur.

DIVISIO. Multiplex distinguitur impotentia [7]:

1° Alia est *naturalis*, quae provenit ex defectu naturali, — puta ex nimia frigiditate in viro, vel ex nimia vasis coarctatione in femina. — Alia *accidentalis*, quae provenit ex vitio extrinseco eventuali, v. g. ex morbo, maleficio, actu violento.

[1] L. VI. 1066. — [2] Ibid.; H. A. XVIII. 66. — [3] Ib. 1067; De Angelis, lib. 4. tit. 2. n. 5°. — [4] L. VI. 1095. — [5] Ibid. — [6] Cf. *Thesaur. Resol.* anni 1863. p. 108. in una *Salernitana*. — [7] L. VI 1095; H. A. l. c. 74.

Digitized by Google

2° Alia est *perpetua*, quae mediis naturalibus et licitis tolli nequit, sed solummodo per miraculum, aut per peccatum, vel cum periculo mortis. — Alia *temporanea*, quae tolli potest mediis licitis et ordinariis, v. g. arte chirurgica, vel etiam lapsu temporis.

3° Alia est *absoluta*, quae est respectu ad quascumque personas: hac laborat vir carens utroque testiculo. — Alia *respectiva*, quae non est nisi cum tali persona: sic mulier potest esse apta uni viro, non vero alii.

4° Alia *antecedens*, quae matrimonium praecessit: — alia *subsequens*, quae illud secuta est.

2009. — **Principia.** I. Impotentia ANTECEDENS et PERPETUA, sive naturalis, sive accidentalis, DIRIMIT matrimonium respectu omnium, si sit *absoluta*; si vero sit *relativa*, respectu illius tantum personae, quacum copula conjugalis est impossibilis. — Constat tam ex jure canonico, quam ex jure naturali: « ratio est, quia matrimonium consistit in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem, sive in traditione potestatis corporis ad copulam conjugalem: hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cum eam non habeat [1]. » Quocirca advertendum est, quod, licet copula non sit de essentia matrimonii, de essentia tamen est potentia ad illam [2].

Hinc, quando impotentia hujusmodi est CERTA, non conceditur experimentum triennii, sed pars non impedita *potest* statim ab altera discedere; imo *tenetur*, si adsit periculum incontinentiae. — Item, potest transire ad alias nuptias, si non adsit scandalum; si vero adsit, ut communiter accidit, debet omnino ad judicem ecclesiasticum recurrere, et impedimentum probare [3].

2010. — II. Impotentia CONSEQUENS, et impotentia ANTECEDENS TEMPORALIS NON dirimunt matrimonium. — Ratio *primi* est, quia impotentia consequens reperit matrimonium jam validum, ideoque indissolubile. — Ratio *secundi*, quia laborans impotentia solummodo temporali, est, absolute loquendo, et per se idoneus ad actum conjugalem [4]. Haec tamen impotentia, si *certa* sit, facit matrimonii usum ILLICITUM, per totum illud tempus, quo non est spes probabilis, fore ut actus legitime perfici possit. — Tactus tamen et oscula non vetantur, dummodo pollutionis periculum non inducant [5] (cf. n. 817).

2011. — QUAERITUR. *Quid agendum* IN DUBIO *de impotentia?*

Resp. 1° Ante initas nuptias, pars dubitans de sua potentia (intellige *positive* ex aliquo indicio probabili, non autem negative, cum ordinarie quisque habilis praesumitur) nequit contrahere; nisi

[1] L. VI. 1095. — [2] Ib. 1101. — [3] H. A. ib. 75; cf. Instr. S. C. PROP. FID. *De Processu matrim.* p. 2ª. art. 5 (*Rev. des sc. eccles.* t. 52. p. 154). — [4] L. VI. 1095. — [5] Ibid.

Digitized by Google

dubium alteri parti manifestaverit et sit saltem probabiliter potens, ex medicorum judicio. Ratio exceptionis est, quia etiam tunc favet ei praesumptio, et ideo potest nubere sub conditione: *si sum habilis*, ex justa scilicet causa, ne cogatur perpetuo manere caelebs [1].

Resp. 2° Post initas nuptias (sive dubium superveniat, sive praecesserit) conceditur conjugibus *triennalis experientia*, quae, juxta veriorem sententiam, incipit a copula attentata; facta eisdem facultate, intra hoc tempus, reddendi petendique debitum, etsi seminalem humorem, praeter intentionem, extra vas effundant; adhibitis etiam remediis, quae, ex medicorum consilio, idonea judicantur, quaeque, citra grave periculum vitae, valetudinis detrimentum, aut extraordinarias molestias, adhiberi queunt. — Si vero impotentia post triennium adhuc perseverat, dijudicatur *perpetua*, ideoque omne conjugalis copulae experimentum interdicitur, cum tales conjuges ab illo momento habeantur ut soluti [2] (cf. n. 2009. fin). Quare separatio tori statim, propria etiam auctoritate, est facienda. — Putati conjuges cohabitare possunt ut frater et soror. Quod si id fieri non possit sine peccati periculo (vel scandalo), separentur omnino [3].

Nota. « Confessarius prudens ac discretus de impotentia conjugis non interrogabit; — neque etiam eos, quos credit impotentes, praemonebit; — neque ipsis ea de re consulentibus ultimo respondebit, nisi ipse prius consuluerit Episcopum. » Ita C. Gousset [4].

(*De impedimentis quae ad defectum* STATUS LIBERI *se referunt*).

III. — VOTUM SOLEMNE.

2012. — VOTI nomine hîc venit votum solemne castitatis, in Religione approbata emissum [5].

Principium. Votum SOLEMNE castitatis libere ac sponte emissum per professionem legitime factam in Religione approbata, DIRIMIT matrimonium. — Constat ex variis juris canonici locis, et definitum habetur in Tridentino (sess. 24. can. 9): « Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto: anathema sit. » — Porro, Constitutio *Apostolicae Sedis* excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declarat: « Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut

[1] H. A. XVIII. 75; L. VI. 1102. — [2] Ib. 1103. — [3] S. C. Conc. 15. dec. 1877 (apud causas per sum. prec. n. II). — [4] *Th. mor.* n. 791. — [5] L. VI. 1024.

Digitized by Google

Moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere praesumentes; necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes » (cf. n. 1348).

Dictum est *votum libere emissum*; secus enim invalida foret professio, nec adesset impedimentum dirimens (cf. n. 2147).

QUAERITUR. *Quo* JURE *votum solemne castitatis dirimat matrimonium?*

Resp. Controvertitur. — Prima sententia dicit, id fieri tantum *jure ecclesiastico*, « quia votum solemne non irritat matrimonium ratione voti (secus et votum simplex illud dirimeret), sed ratione solemnitatis; cum autem solemnitas sit ex jure ecclesiastico, ergo solo jure ecclesiastico dirimitur matrimonium [1]. » Haec sententia apud recentiores evasit communior. — Secunda sententia, S. Alphonso probabilior, dicit matrimonium dirimi *jure divino*. « Ratio, quia in voto simplici corpus tantum *promittitur* Deo; sed in solemni, per acceptationem legitimam Praelatorum, corpus insuper Deo TRADITUR [2]. »

Nota. Ex Bulla *Ascendente Domino* Gregorii XIII, votum simplex castitatis in Societate Jesu, post biennium novitiatus, non solvit matrimonium ratum; sed aequiparandum est voto solemni quatenus dirimit matrimonium *contrahendum*, nisi Generalis Ordinis dispensaverit [3].

IV. — ORDO SACER.

2013. — Quisnam ORDO dicendus sit SACER, constat ex dictis in Tractatu *de Ordine* (cf. n. 1886).

Principium. ORDO SACER, libere susceptus, impedit quominus matrimonium valide contrahi possit. — Constat ex Tridentino, loco supra citato (n. 2012). — Similiter, excommunicationi subjiciuntur qui, obstante hoc impedimento, matrimonium contrahere praesumunt, sicut supra dictum est de voto solemni obstrictis.

Diximus *Ordo sacer libere susceptus;* nam, si ex metu gravi susceptus fuerit, non dirimit matrimonium: ad hoc tamen licite contrahendum, requiritur Rescriptum gratiae, seu declaratio S. Sedis [4].

QUAERITUR. *Quonam* JURE *Ordo sacer dirimat matrimonium?*

Resp. Controvertitur; sententia vero communior et probabilior, cum D. Thoma, docet id fieri jure tantum *ecclesiastico*. Ratio, quia status Ordinis per se non repugnat statui conjugali, ut patet ex disciplina Ecclesiae Orientalis [5] (cf. n. 2200).

Nota. Si qua mulier sponte ac libere consensit, ut maritus sacros Ordines susciperet, non potest, (juxta communiorem ac valde probabilem sententiam)

[1] L. VI. 1025. — [2] Ibid. — [3] Cf. Feije, n. 516. — [4] Cf. ib. n. 507. — [5] L. VI. 1059; H. A. XVIII. 65; cf. Haine, *De Matr.* q. 125.

Digitized by Google

defuncto marito sacris initiato, *valide* novum inire matrimonium. Ratio est, quia Ecclesia, ob reverentiam Ordinis a defuncto cum ejus licentia assumpti, reddit eam inhabilem ad subsequens matrimonium. Sententia tamen « satis probabilis est » tale matrimonium esse validum, etsi illicitum [1] (cf. n. 1939, 2°).

V. — Ligamen.

2014. — Per hoc impedimentum intelligitur vinculum matrimonii, quo unus conjux alteri ita obligatur, ut, eo vivente, cum nullo alio possit validum matrimonium contrahere. — Est impedimentum *juris divini;* at radicatur etiam in jure naturali, ut constat ex dictis de unitate et indissolubilitate matrimonii [2] (cf. n. 1978).

Hinc: 1° Prohibentur secundae nuptiae, donec de morte prioris conjugis certo constiterit [3]. In dubio enim, sive positivo, sive negativo, possidet prius conjugium. — Validum tamen foret, vero adstante consensu, licet graviter illicitum, matrimonium in tali dubio celebratum, si conjux, de cujus morte dubitatur, revera esset mortuus [4].

2° Non sufficit ad *certitudinem moralem*, quam jus requirit, diutina unius conjugis absentia, cum haec sola non certo ejus mortem probet; item, non sufficit sola fama ex incerto rumore, cum multitudo omnes rumores facile excipere soleat; nec unius testis affirmatio, cum in re tanti momenti vox unius sit vox nullius. — Illa tamen indicia, quae singulatim sumpta non sufficiunt ad praebendam moralem certitudinem, possunt eam praebere, si conjunctim sumantur [5]. — Causa ad *Ordinarium* remittenda est.

3° Si contracto in bona fide matrimonio, *dubium superveniat*, pars dubitans inquirat diligenter, ut ita in certam rei notitiam deveniat, et interim ab usu matrimonii exigendo abstineat; quamvis comparti in bona fide petenti debitum reddendum sit. — Quod si postea de vita prioris conjugis constiterit, ad hunc statim, relicto posteriore, redire tenetur. — Si autem propter distantiam redire nequeat, et impedimentum sit occultum, separetur saltem a putato conjuge, quoad torum. — Mortuo dein priore conjuge, poterit cum secundo, per renovationem mutui consensus (qui dandus est in statu gratiae) clam inire matrimonium. — Si tamen impedimenti notitia fuerit publica, vel publica facile fieri possit, publice iterandum est matrimonium [6] (cf. n. 2081, III).

[1] L. VI. 812; cf. Feije, n. 513; De Angelis, lib. 3. tit. 32. n. 6° — [2] L. VI. 1060. — [3] Quid observandum sit in probando obitu alicujus conjugis, habetur in Instructione S. C. S. Off. 1868. *Matrimonii vinculo* (apud *Collect. S. Sed.* n. 975, vel apud *Acta S. Sed.* VI. 436). — [4] L. VI. 901. 903. — [5] Cf. Feije, n. 444. sqq. — [6] L. VI. 904; cf. et Bened. XIV, *de Synodo*, lib. 13. c. 21. n. 7.

Digitized by Google

(*De impedimentis quae ad* REVERENTIAM CONJUNCTIS DEBITAM *se referunt*).

VI. — Cognatio.

2015. — Cognatio generatim est propinquitas ex generatione. — Triplex distinguitur: *naturalis*, *spiritualis* et *legalis*. De singulis seorsim agendum est.

1. — *De cognatione naturali.*

Definitio. Cognatio naturalis, seu consanguinitas est propinquitas personarum, quarum una ab altera, vel omnes ab eodem propinquo stipite, per carnalem generationem, descendunt. — Nihil autem refert, utrum generatio proveniat ex copula licita, an ex illicita; nec utrum ex patre simul et matre, an ab alterutro tantum oriatur, prout expresse ab Innocentio I declaratum est [1]; nam matrimonium aeque prohibetur inter cognatos et agnatos, uterinos, consanguineos et germanos.

Ut hoc impedimentum recte intelligatur, tria in consanguinitate distinguenda sunt, videlicet: 1) Stipes, seu persona ex qua aliae descendunt; 2) Linea, seu series personarum ab eodem stipite descendentium; 3) Gradus, seu distantia unius personae ab altera in eadem consanguinitatis linea. — Porro linea vel *recta* est, in qua collocantur illae personae, quarum una descendit ab altera, ut pater, filius, nepos; vel *transversa* seu *collateralis*, qua comprehenduntur qui sanguinis conjunctione uniuntur, non quia alii ab aliis descendunt, sed quia habent stipitem communem; mediate nempe, ut consobrini, vel immediate, ut fratres. Si collaterales pari gradu a stipite distant, linea transversa *aequalis* est; dicitur autem *inaequalis*, si dispari gradu distant, i. e. si alter est a communi stipite remotior. — Vide schema consanguinitatis infra descriptum (n. 2020) [2].

2016. — Ut consanguinitatis gradus rite dignosci possint, statuuntur ex jure canonico tres sequentes regulae [3].

Regula 1ª In linea recta una persona distat ab altera tot gradibus, quot sunt personae, dempto communi stipite; *seu aliis verbis:* tot sunt gradus quot sunt generationes: v. g. pater, filius, nepos, et pronepos quatuor sunt personae; sed numerantur solummodo tres gradus, quia tres sunt generationes tresque personae, dempto stipite, nempe patre.

Regula 2ª In linea collaterali *aequali*, quot gradibus personae singulae a communi stipite distant, totidem distant inter se. Tot igitur sunt gradus quot sunt generationes, vel personae *in una parte*, dempto stipite. — Unde, frater et soror sunt in

[1] Can. 2. caus. 35. q. 10. — [2] Cf. Ferraris, v. *Matrim.* art. 5. — [3] L. VI. 1029; H. A. XVIII. 62.

Digitized by Google


primo gradu, patrueles et consobrini in secundo, filii eorumdem in tertio.

Regula 3ª In linea COLLATERALI *inaequali*, quot gradibus remotior persona distat a stipite, tot gradibus distant inter se. — Tot igitur sunt gradus, quot generationes, (vel personae dempto stipite) in parte remotiori.

Nota. In jure civili, (item in Ecclesia Graeca) tam pro matrimoniis, quam pro successionibus, alia viget regula, videlicet: in linea collaterali, tot sunt gradus, quot adsunt ex *utraque* parte generationes; vel quot ex *utraque* similiter parte numerantur personae, dempto communi stipite. — Vide, in SCHEMATE, numeros in cellularum inferiori parte positos.


2017. — Non unico tantum, sed MULTIPLICI consanguinitatis vinculo personae inter se jungi possunt, sive ex uno sive ex pluribus stipitibus, prout unicum vel multiplex datur consanguinitatis fundamentum. — TRES autem sunt CAUSAE, cur consanguinitatis vinculum multiplicetur[1].

Prima multiplicitatis causa est, quando *parentes sunt consanguinei*, cum eorum filii, tum linea paterna, tum linea materna, ex communi stipite descendant.



Sic in adjecta figura, *Petrus* et *Maria* sunt consanguinei in tertio aequali, hocque duplici gradu lineae collateralis, ex stipite, qui est Joannes, a quo Petrus duplici via descendit.

Secunda multiplicitatis causa est, quando *personae inter se consanguineae*, v. g. fratres, prolem procrearunt *ex personis inter se consanguineis*, v. g. ex sororibus, vel consobrinis. — Unde, si duo fratres ducunt duas sorores, eorum filii sunt consanguinei in duplici secundo gradu aequali, ut figura annexa demonstrat de *Josepho* et *Anna*.



Tertia multiplicitatis causa est, quando prolem quis habet *ex pluribus personis inter se consanguineis*. — Sic, v. g. si quis ex duabus sororibus filios procreavit, hi ratione patris sunt consanguinei in primo gradu, ratione matrum in secundo.

Cognita natura cognationis, jam investigandum est, quomodo ipsa impediat matrimonium. — Quocirca sint sequentia:

2018. — **Principia.** I. Consanguinitas in linea RECTA dirimit matrimonium INDEFINITE, in quocumque gradu. — Constat ex Responso Nicolai I ad Bulgaros cap. 39[2].

[1] Cf. Feije, n. 356. sqq.; et Benger, *Pastoral. Theol.* §. 187, n. 4. — [2] Cf. Giovine, §. 205. n. 6.

Digitized by Google

Quonam autem *jure* illud dirimat, non item definitum est. Quod illud dirimat jure naturae, si consanguinitas est in primo gradu, fatentur omnes, cum relatio subjectionis, qua filii erga parentes tenentur, sociari nequeat cum relatione aequalitatis, quae inter conjuges existere debet. — De gradibus remotioribus *disputatur:* alii repetunt vim dirimendi ex jure naturae, alii ex jure divino positivo, alii denique ex mero jure ecclesiastico. — De caetero, quaestio, ut quisque videt, spectat parum ad praxim [1].

2019. — II. Consanguinitas in linea COLLATERALI dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, et non ultra. — Ita definitum fuit in Concilio Lateranensi IV [2], ab Innocentio III, qui hoc impedimentum, quod olim ad septimum usque gradum producebatur, ad quartum coercuit. — Ratio autem hujus legis est tum *pudicitia tuenda*, « quia magnus concupiscientiae aditus praeberetur, nisi inter personas, quas oportet in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta [3]; » tum *amicitia multiplicanda* dum conjux consanguineos conjugis eamdem fere ac proprios consanguineos benevolentia prosequitur. Adde, quod per conjunctiones frequentes ex eadem cognatione *familiae enervantur.*

De jure autem, quo matrimonium, ob praedictum impedimentum, dirimitur, haec NOTANDA sunt: — Certum est illud *in secundo et remotiori gradu*, ecclesiastico tantum jure dirimi: unde, si infideles in eo gradu consanguinei nuptias ineunt, eorum nuptiae non sunt, ex hoc titulo, invalidae, ut patet ex jure canonico [4]. — De *primo gradu* non constat inter Theologos: alii enim jus mere ecclesiasticum, alii jus naturale, alii denique jus divinum positivum affirmant, quae ultima sententia probabilior videtur [5]. Quidquid sit, certum est, Ecclesiam in eo gradu nunquam dispensasse, neque unquam esse dispensaturam; rarissime autem in secundo gradu mixto cum primo dispensat, ut constat ex Litteris Gregorii XVI, die 22 nov. 1836, editis [6]. — Vide n. 2042. 3°.


N. B. Olim, personae scienter et libere contrahentes matrimonia in gradibus prohibitis consanguinitatis (vel affinitatis) incurrebant excommunicationem latae sententiae nemini reservatam. (Ex Clem. un. *de Consang. et affin.* Haec poena, per Const. APOST. SEDIS, sublata est (cf. n. 1348).

[1] Cf. L. VI. 470 et 1029. — [2] Cap. *Non debet* 8. de consanguinitate. — [3] S. Th. Suppl. q. 54. a. 3. — [4] Cap. *Gaudemus* 8. de divortiis. — [5] S. Th. ibid.; cf. De Angelis, lib. 4. tit. 14. n. 2°. — [6] Bened. XIV. Epist. *Aestas anni*, n. 13. (11 oct. 1757); cf. Giovine, §. 209. num. 3.

Digitized by Google

2020.

SCHEMA CONSANGUINITATIS



NOMINA CONSANGUINEORUM

(*in lingua* [1] *italica,* [2] *hispanica,* [3] *gallica,* [4] *germanica,* [5] *anglica.*)

A. — Linea recta.

Ascendentes. — IV^us^ Gradus. — Abavus, Abavia: [1] Trisnonno (trisavolo) - trisnonna (...avola); [2] Tatarabuelo - ...abuela; [3] Trisaïeul - ...aïeule; [4] Urur-grossvater - ...mutter; [5] Great - great - grand - father - ...mother.

Digitized by Google

III^us Gr. — Proavus, Proavia: [1] Bisnonno (bisavolo) - bisnonna (bisavola); [2] Bisabuelo - ...abuela; [3] Bisaïeul - ...le; [4] Urgrossvater - ...mutter; [5] Great - grand - father - ...mother.

II^us Gr. — Avus, Avia: [1] Nonno (Avolo) - ...na (...la); [2] Abuelo - ...la; [3] Aïeul (Grand-père) - Aïeule (gr. mère); [4] Grossvater - ...mutter; [5] Grandfather - ...mother.

I^us Gr. — Pater, Mater...

Descendentes. — I^us Gradus. — Filius, Filia: [1] Figlio - figliuola; [2] Hijos - hijas; [3] Fils - fille; [4] Sohn - Tochter; [5] Son - Daughter.

II^us Gr. — Nepos, Neptis: [1] Nipotino - ...tina; [2] Nietos - nietas; [3] Petit-fils - petite-fille; [4] Enkel - Enkelin; [5] Grandson - ...daughter.

III^us Gr. — Pronepos, Proneptis: [1] Pronepotino - ...tina; [2] Bisnietos - ...tas; [3] Arrière-petit-fils - arr.-petite-fille; [4] Urenkel - ...lin; [5] Great - grandson, ...daughter.

IV^us Gr. — Abnepos, Abneptis: [1] Abnepotino - ...tina; [2] Tartaranietos - ...as; [3] Bisarrière-petit-fils - ...fille; [4] Ururenkel - ...lin; [5] Great - Great - grandson - ...daughter.

B. — Linea collateralis.

Linea Paterna. — I^us Gradus. — Frater, Soror.

II^us Gr. — Patruus (frater patris), Amita (soror patris): [1] Zio, zia; [2] Tio, Tia; [3] Oncle paternel, tante paternelle; [4] Oheim (Vaters Bruder), Tante (Vaters Schwester); [5] Paternal uncle, ...aunt.

Patrueles, vel amitini, ...ae: filii (filiae) fratris vel sororis *patris.*

III^us — Patruus magnus (frater avi), Amita magna (soror avi): [1] Fratello dell'avolo, sorella dell'av.; [2] Hermano del abuelo, hermana del ab.; [3] Frère, sœur de l'aïeul; [4] Grossoheim, ...Tante; [5] Great-oncle, great-aunt.

Sobrini, ae; filii, filiae fratris vel sororis *avi* (seu nepotes, neptes *patris*).

IV^us — Propatruus (frater proavi), Proamita (soror proavi): [1] Fratello, Sorella del bisavolo; [2] Hermano, ...na, del bisabuelo; [3] Grand oncle, grande Tante; [4] Urgrossoheim (Urgrossvaters Bruder). Urgrosstante (Urgrossvaters Schwester); [5] Great - grand - uncle, ...aunt (Great - grand - father's brother, ...sister).

Linea materna. — I^us Gradus. — Frater, Soror.

II^us Gr. — Avunculus (frater matris), Matertera (soror matris) [1] Zio, zia; [2] Tio, tia; [2] Oncle maternel, tante maternelle; [4] Oheim, Tante; [5] maternal uncle, ...aunt.

Consobrini, ae, filii (filiae) fratris vel sororis *matris.*

III^us — Avunculus magnus (frater aviae), Matertera magna (soror aviae): [1] Fratello, Sorella dell'avola; [2] Hermano, ...na de la abuela; [3] Grand oncle maternel, grande tante maternelle; [4] Grossoheim, ...Tante; [5] Grand mother's brother, ...sister.

Sobrini, ae: filii, (filiae) fratris vel sororis *aviae* (seu nepotes, neptes *matris*).

IV^us — Proavunculus (frater proaviae), Promatertera (soror aviae): [1] Fratello, Sorella della bisavola; [2] Hermano, ...na de la bisabuela; [3] Grand oncle, sœur de la bisaïeule; [4] Bruder, Schwester der Urgrossmutter; [5] Great-grand mother's brother, ...sister.

Sobrini remotiores...

Digitized by Google

2. — *De cognatione spirituali.*

2021. — Cognatio SPIRITUALIS est propinquitas quaedam personarum exsurgens ex collatione vel susceptione Baptismi, vel Confirmationis. — Propinquitatis ratio est, quia in utroque Sacramento habetur generatio spiritualis, in qua ille, qui Sacramentum confert, gerit personam Dei, sicut patris; et ille, qui baptizatum suscipit de sacro fonte, aut confirmandum tenet, gerit personam Ecclesiae, sicut matris [1].

I. COGNATIO SPIRITUALIS est impedimentum dirimens jure ecclesiastico matrimonium: 1) inter ministrum Sacramenti (Baptismi vel Confirmationis) et subjectum, hujusque patrem et matrem; 2) inter levantes (patrinum et matrinam) et subjectum, hujusque genitores. Ita Tridentinum [2]. — Nulla vero cognatio contrahitur inter ministrum et levantes, nec inter patrinum et matrinam [3]. — Personae, ad quas impedimentum se extendit, enuntiantur modo sequenti:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes;
Levans, levatus, levatique parentes.

II. COGNATIO SPIRITUALIS oritur ex valide peracto patrini munere, tum in Baptismi, tum in Confirmationis collatione (n. 1484 et 1504). Quocirca duo notanda veniunt:

1° Si quis, *ex errore* suscipit unum infantem pro alio, probabilius contrahit cognationem, quia praesumitur voluisse suscipere praesentem, quisquis sit, nisi alium exclusive intenderit [4].

2° Si patrini munus per *procurationem* exercetur, mandans, non mandatarius contrahit cognationem, uti constat ex sequenti declaratione: « Sacra Congregatio censuit, procuratorem qui nomine alterius suscipit, vel ad Confirmationem tenuit, non contrahere cognationem sibi, sed mandanti. » Ita S. C. CONCILII, 15 martii 1631 [5] et 11 junii 1881 [6].

2022. — **Quaesita**. QUAER. 1° *An* CONTRAHAT *cognationem suscipiens aliquem in Baptismo sub conditione collato?*

Resp. Si de primo Baptismo adsit tantum dubium *negativum*, certum est contrahi cognationem, quia nulla stat ratio pro valore anterioris Baptismi; et ideo stat praesumptio pro valore poste-

[1] S. Th. Snppl. q. 56. a. 3. — [2] Sess. 24. cap. 2. *de ref.* — [3] L. VI. 146. sqq. et 1028; H. A. XIV. 33. 53. — [4] L. VI. 152. — [5] Cf. *Analecta J. P.* ser. 8ª, col. 1786. — [6] *Acta. S. Sedis*, vol. XIV. p. 416.

Digitized by Google

rioris. Secus vero, si de priori habeatur dubium *positivum*, nempe probabilis ratio de illius validitate [1].

QUAER. 2° *An ex Baptismo* PRIVATO *contrahatur cognatio spiritualis ?*

Resp. 1° DD. communiter docent, eam a *baptizante* contrahi [2]. — 2° De suscipiente seu levante erat dubitandi locus ; sed ad *quaesitum :* « An dispositio Concilii cap. 2. sess. 24 *de reform. matrim.* decernens in Sacramento Baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem, et patrem et matrem suscepti, habeat locum in Baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem sequuto ? — S. C. C. respondendum censuit : *Affirmative*, die 5 martii 1678 [3]. » Et hoc quidem decreto fuit soluta quaestio, sed nondum finita controversia, eo quod decretum non erat sufficienter divulgatum [4].

QUAER. 3° *An contrahatur cognatio ex completis in ecclesia* SOLEMNITATIBUS *post Baptismum private domi collatum ?*

Resp. Neg. Ratio est, quia cognatio contrahitur tantum ex spirituali generatione, quae tota per Baptismum, non per caeremoniarum solemnitatem perficitur. — Ita pluries declaravit S. C. CONC. (13 apr. 1669 et 2 oct. 1687) [5].

QUAER. 4° *An* PARENTES *baptizantes vel suscipientes de Baptismo* FILIOS, *contrahant impedimentum petendi debitum ?*

Resp. Si parentes baptizent ex necessitate vel ex ignorantia, certum est, impedimentum non contrahi ; imo, satis probabile est, illud non contrahi, si ex industria et praeter necessitatem baptizent, quamvis, hoc in casu, graviter peccent. — Ratio *primi* est, quia prohibitio ab usu conjugii habet rationem poenae ; haec vero sine culpa non incurritur. — Ratio *secundi* est, quia talis poena in jure non invenitur expressa, unde de ea non certe constat. In dubio autem nullus jure caeteroquin certo est spoliandus [6].

Nota. 1° Parentes propriam prolem *illegitimam* baptizantes (etsi in casu necessitatis), certe cognationem contrahunt in ordine ad matrimonium ineundum, ita ut mater v. g. quae filium illegitimum baptizavit, non possit nuptias inire cum patre filii, nisi dispensationem obtinuerit.

2° Patrini solent eligi ex consanguineis vel ex affinibus ; unde, ad hoc impedimentum maxime attendendum est, quando sponsi sunt consanguinei vel affines. — Et notandum est, quod multiplex cognatio spiritualis inter ipsos existere potest, puta si alter alterius prolem vicissim suscepit in Baptismo, vel tenuit in Confirmatione : quod in petitione dispensationis exprimendum est [7].

[1] H. A. XIV. 33 ; L. VI. 151 ; cf. et n. 902. — [2] L. VI. 149. — [3] Cf. *Anal. J. P.* serie 8ª, col. 1731. — [4] Cf. Feije, n. 413. — [5] *Analecta J. P.* serie 8ª, col. 1732. — [6] L. VI. 150. — [7] Feije, n. 424.

Digitized by Google

3. — *De Cognatione legali.*

2023. — Cognatio LEGALIS est propinquitas personarum proveniens ex adoptione. — Ratione civilis hujus propinquitatis, matrimonium inter certas personas *jure Romano* prohibitum fuit, propter pudorem et publicam honestatem. Hanc recte constitutam disciplinam servavit Ecclesia, eique vim dirimendi matrimonium addidit, atque ex hoc factum est, ut cognatio legalis evaserit *canonicum* impedimentum [1].

Fundamentum legalis cognationis est adoptio facta ad normam juris civilis. — DUPLEX in jure Romano distinguitur, perfecta scilicet et imperfecta. « Adoptio *perfecta* est illa, qua Principis rescripto persona sui juris transit in potestatem et familiam adoptantis, sicut ac etiam filii ejus. *Imperfecta* est, quando fit sine rescripto Principis supremi, sed auctoritate inferioris magistratus; nec adoptatus cum filiis transit in potestatem adoptantis [2]. » — Adoptio vero, prout apud nationes hodiernas admittitur, recedit plus minusve a jure Romano, et utramque, perfectam nimirum et imperfectam, participat. — Qua super re sint sequentia:

2024. — **Principia.** I. Ex adoptione PERFECTA oritur cognatio legalis dirimens matrimonium. Ita omnes, et constat ex responso Nicolai I ad Bulgaros [3]. — Dicitur *ex adoptione perfecta;* nam probabilior sententia negat, eam etiam oriri ex imperfecta, cum haec sit potius via ad adoptionem quam vera adoptio [4]. — Quod si nulla interveniat auctoritas publica in adoptione, certum est apud omnes, nullum ex ea oriri impedimentum.

2025. — II. Cognatio legalis TRIPLICEM prae se fert SPECIEM, scilicet: paternitatis, fraternitatis, et affinitatis, cujus ratione diverso modo DIRIMITUR matrimonium.

1° Ratione PATERNITATIS dirimitur matrimonium inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes, sub ejus potestate tempore adoptionis existentes; idque *perpetuo*, etiam resoluta adoptione (cf. n. 698).

2° Ratione FRATERNITATIS dirimitur matrimonium inter adoptatum et adoptantis filios; sed tantum *ad tempus*, usquedum nempe filii sunt sub patris potestate, et quamdiu adoptio non fuit resoluta.

[1] Cf. Can. 1. caus. 30. q. 3. — [2] L. VI. 1027. Not. 1. — [3] Cf. Can. 1. caus. 30. q. 3. — [4] L. VI. 1027; cf. Ferraris, v. *Matrimonium*, art. 2. addit. ubi Resp. S. OFF. 16 apr. 1761.

Digitized by Google

3° Ratione AFFINITATIS legalis dirimitur matrimonium inter adoptatum adoptantisque uxorem, et similiter inter adoptantem et uxorem adoptati; idque *in perpetuum* [1].

2026. — QUAERITUR. *An cognatio legalis oriatur ex adoptione, prout* NUNC *fieri solet apud diversas gentes, non servata scilicet forma juris Romani?*

Resp. Affirmative, *si essentialia* saltem serventur, nempe: 1) si leges civiles adoptionem admittant, et 2) si adoptio fuerit peracta juxta modum a legibus civilibus praescriptum. — Constat ex variis S. Poenitentiariae decisionibus: sic, die 17ª maji 1826, S. Tribunal declaravit, per adoptionem in Gallia vigentem et legitime peractam, induci impedimentum. Et ad DUBIUM: An adoptio celebrata in forma praescripta a Codice civili regni Neapolitani producat necne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium? — Ipsa C. S. OFFICII, sub die 23 febr. 1853, respondit: *Affirmative.* — Attamen personae, ad quas hoc impedimentum sese extendit, sunt semper computandae ex juris Romani dispositionibus, cum haec sola norma sit recepta in Ecclesia [2].

VII. — AFFINITAS.

2027. — AFFINITAS est propinquitas, quam quis contrahit cum consanguineis illius personae, quacum habet copulam carnalem ita perfectam, ut, *per se*, sit apta generationi.

Fundamentum hujus propinquitatis, est commixtio carnalis, per quam vir et femina fiunt *una caro*, et utraque pars cognationi alterius partis inseritur. — Hinc: 1° Affinitas NON CONTRAHITUR ex sponsalibus, nec ex matrimonio rato sed non consummato, neque ex copula imperfecta, vel ex aliis actibus quantumlibet impudicis; imo, non contrahitur, « nisi copula sit ex *utraque parte* consummata cum seminatione, ut probabiliter docent (AA.), cum S. Bonaventura et S. Thoma, qui dicit: vir et femina efficiuntur una caro per commixtionem seminum: unde... nisi mixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas [3]. » — 2° CONTRAHITUR vero ex copula perfecta, sive licita sive illicita, sive libera sive coacta, sive ab infideli sive a fideli habita [4]. Nec obstat, si personae steriles vel senes fuerint; modo sint ambae pubertatem adeptae. — Si constet de copula, *dubitetur* vero utrum perfecta fuerit necne, perfecta fuisse censetur [5]. Item, si constet de secuta prolis conceptione, adest certo impedimentum, « utcumque aliquid defuisse dicatur in ipso

[1] L. VI. 1027. Not. 2°. — [2] De Angelis, L. 4. tit. 12. n. 3. — [3] H. A. XVIII. 68. — [4] L. VI. 1069. — [5] Ib. 1075.

Digitized by Google

actu conjunctionis viri et mulieris : nam, revera facti sunt una caro, quum ex carne viri et mulieris proles concipiatur [1]. »

2028. — NOTENTUR *super his sequentia :* 1° Potest vinculum affinitatis, haud secus ac vinculum consanguinitatis, esse MULTIPLEX : atque ad hanc multiplicitatem multum attendendum est, quando impetranda est dispensatio. — Exoritur autem haec multiplicitas ex QUADRUPLICI capite, videlicet : 1) si copula habita fuerit cum pluribus comparti consanguineis ; 2) si habita fuerit cum persona comparti conjuncta multiplici consanguinitatis vinculo ; 3) si habita fuerit ab utraque parte cum persona comparti consanguinea ; 4) si cum persona comparti consanguinea habita fuerit copula tum licita, tum illicita. — Sed vide n. 2051, 5°.

2° CONTRAHITUR affinitas a solo viro cum consanguineis feminae a se cognitae, atque a sola femina cum consanguineis viri quocum convenit ; minime vero a consanguineis unius cum consanguineis alterius ; nam *affinitas non parit affinitatem.* Neque affinitatis vinculo devinciuntur vir et femina sese cognoscentes, sed ipsi radix sunt seu stirps, ex qua oritur affinitas. — Hinc : 1) « duo fratres possunt ducere duas sorores, imo pater et filius possunt ducere matrem et filiam. » 2) « Titius potest successive ducere Titiam et Bertam, quae fuerunt uxores Caji et Sempronii fratrum ; » 3) « Titius, qui duxerat sororem Caji, potest, post mortem Caji ejusque sororis, ducere Bertam uxorem Caji [2]. » 4) Quilibet mariti consanguineus valide et licite contrahit cum consanguinea uxoris, et vicissim consanguineus uxoris cum qualibet consanguinea mariti.


3° Affinitas, per se, non habet LINEAS nec GRADUS ; sed tantum *ratione consanguinitatis*, ad cujus instar procedit, ita ut, in ea linea, et in eo gradu, quo quis est uni parti consanguineus, in eadem linea et in eodem gradu, sit comparti affinis.

4° DISTINGUITUR affinitas *antecedens*, quae matrimonium praecedit, et affinitas *superveniens*, quae illud subsequitur, ex eo quod vir consanguineam mulieris cognoscit, vel ex eo quod mulier se a consanguineo viri cognosci permittit. — Sola affinitas antecedens potest esse impedimentum dirimens, cum matrimonium semel rite initum jam dissolvi nequeat ; affinitas tamen superveniens habet suos effectus, de quibus infra (n. 2031. qu. 3).

[1] Lehmkuhl, II. n. 762. ad II. 1°. — [2] L. VI. 1069.

Digitized by Google

SCHEMA AFFINITATIS



Affines in 1° et in 2° gradu.

([1] *italice*, [2] *hispanice*, [3] *gallice*, [4] *germanice*, [5] *anglice*).

a) *Ascendentes.*

2. PROSOCER (avus affinis): [1] Avolo per affinità; [2] Abuelo por afinidad; [3] Aïeul par affinité; [4] Grosschwiegervater; [5] Wife's grand-father.
PROSOCRUS (avia affinis); [1] Avola per affinità; [2] Abuela por afinidad; [3] Aïeule par affinité; [4] Grosschviegermutter; [5] Wifes' grand-mother.

1. SOCER (pater mariti vel uxoris): [1] Suocero; [2] Suegro; [3] Beau-père; [4] Schwiegervater; [5] Father-in-law.
SOCRUS (mater uxoris vel mariti): [1] Suocera; [2] Suegra; [3] Belle-mère; [4] Schwiegermutter; [5] Mother-in-law.

1. VITRICUS (maritus matris): [1] Padrigno; [2] Padrastro; [3] Beau-père; [4] Stiefvater; [5] Step-father..
NOVERCA (uxor patris): [1] Matrigna; [2] Madrastra; [3] Belle-mère; [4] Stiefmutter; [5] Step-mother.

Digitized by Google

b) *Descendentes.*

1. PRIVIGNUS, ...A (filius, filia ex primo matrimonio patris aut matris): [1] Figliastro, ...a; [2] Hijastro ...a; (Entenado, ...da); [3] Beau-fils, Belle-fille; [4] Stiefsohn, ...tochter; [5] Step-son, Step-daughter.

1. GENER (maritus filiae): [1] Genero; [2] Yerno; [3] Gendre; [4] Schwiegersohn (Tochtermann, Eidam); [5] Son-in-law.
NURUS (uxor filii): [1] Nuora; [2] Nuera; [3] Bru, Belle-fille; [4] Schwiegertochter (Schnur); [5] Daughter-in-law.

2. PROGENER (maritus neptis): [1] Progenero; [2] Proyerno, marido de la nieta; [3] Mari de la petite-fille; [4] Kindestochtermann; [5] Granddaughters' husband.
PRONURUS (uxor nepotis): [1] Pronuora; [2] Pronuera; [3] Femme du petit-fils; [4] Gross-Schwiegertochter; [5] Grandson's wife.

c) *Collaterales.*

1. LEVIR (frater mariti aut uxoris): [1] Cognato; [2] Cuñado; [3] Beau-frère; [4] Schwager; [5] Brother-in-law.
GLOS (soror mariti): [1] Cognata; [2] Cuñada; [3] Belle-sœur; [4] Schwägerin; [5] Sister-in-law.

1. FRATRIA (uxor fratris): [1] Cognata; [2] Cuñada; [3] Belle-sœur; [4] Schwägerin; [5] Sist-in-law (a brother's wife).
SORORIUS (maritus sororis): [1] Cognato; [2] Cuñado; [3] Beau-frère; [4] Schwager; [5] Brother-in-law (a sister's husband).

2029. — **Principia.** I. Affinitas ex copula CONJUGALI dirimit matrimonium usque ad QUARTUM GRADUM inclusive. — Ita ex Concilio Lateranensi IV, a quo hoc impedimentum, ad septimum usque gradum olim sese extendens, ad quartum fuit restrictum: « quoniam, ait Innocentius III, in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. »

2030. — II. Affinitas ex copula FORNICARIA (i. e. non conjugali) dirimit matrimonium usque ad SECUNDUM GRADUM inclusive, et non ultra. — Ita ex Trid. sess. 24. cap. 4. — Hinc: 1° qui peccavit cum duabus sororibus aut consobrinis germanis, aut cum matre et filia non potest ullam ex his ducere; 2° qui peccavit cum sponsae suae consanguinea in 1° vel 2° gradu non potest, absque dispensatione, ducere praefatam sponsam. — Alia vide n. 2032.

2031. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Ad quem* GRADUM *se extendat impedimentum affinitatis ex matrimonio* INVALIDO, *sed consummato?*

Resp. 1° Si matrimonium ex utraque parte *bona fide* consummatum fuerit, copula materialiter tantum fornicaria, formaliter vero conjugalis dicenda est: quare impedimentum ad quartum usque

Digitized by Google

gradum protrahitur, prout constat ex declaratione S. C. C. in *Brixien.* 3 decemb. 1667 [1].

Resp. 2° Si matrimonium ex utraque, vel saltem ex altera parte, *mala fide* consummatum fuerit, CONTROVERTITUR: quare, casu occurrente, S. Sedes interroganda est [2]. — Quod si de matrimonio *mere civili* agatur, habenda est copula simpliciter ut fornicaria, ita ut affinitas ad secundum duntaxat gradum sese extendat. Videsis Decretum S. C. C. 13 martii 1879, approbatum a SS. LEONE Papa XIII die 17 martii, et spectans ad impedimentum PUBLICAE HONESTATIS [3] (n. 2034).

QUAER. 2° *Quo* JURE *affinitas dirimat matrimonium?*

Resp. Jure ecclesiastico, in quocumque gradu, juxta sententiam communem [4]. Ratio est, quia Ecclesia dispensat in quocumque gradu lineae collateralis, imo et lineae rectae, si affinitas oriatur ex copula illicita — Nonnulli olim docebant matrimonium dirimi jure naturali in primo gradu lineae rectae, si affinitas oriatur ex copula conjugali. Id vero hodie communiter negatur [5], cum eadem sit affinitatis natura, sive ex copula licita, sive ex illicita proveniat. Nec obstat, quod in primo gradu lineae rectae ex copula conjugali, Ecclesia non dispensat; nam, ut ait D. Thomas [6], « Matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. » (cf. n. 2042. 4°).

Inde sequitur, affinitatem non obstare validitati matrimonii apud *infideles:* nec propterea, inconsulta S. Sede, separari posse ad fidem conversos, qui, cum tali impedimento, in infidelitate, nuptias inierunt. — Affinitas vero *in infidelitate contracta* dirimit matrimonium, quod hujusmodi affines, post alterutrius vel utriusque conversionem ad veram Fidem, inire vellent: quia conversi subjacent legibus Ecclesiae, et constat ex declaratione S. Congr. de PROPAG. FID. die 23 aug. 1852 [7].

QUAER. 3° *Quid de affinitate* SUPERVENIENTE *inter conjuges* POST *contractum matrimonium?*

Resp. 1° Affinitas superveniens PRIVAT reum *jure petendi debitum*, quando copula consummata fuit cum persona alteri conjugi in *primo* vel *secundo gradu* consanguinea. — Quod si conjux innocens debitum petat, saltem tacite, vel si in incontinentiae periculo versetur, reus tenetur reddere. — Quamvis vero obligatio

[1] Cf. *Thesaur. Resol.* tom. 2. d. 241-242; cf. et Giovine, §. 285. 6°. — [2] Cf. Feije, n. 378. — [3] Cf. *Thesaur Resol.* t. 138. p. 182. — [4] L. VI. 1068. — [5] Cf. Feije, n. 379, et Giovine, §. 305 et 306. — [6] In 4. dist. 41. a. 1. q. 3. — [7] *Collect. S. Sed.* n. 867.

Digitized by Google

non petendi gravis sit, non videtur tamen subsistere in casu, quo ipse incestuosus in magno incontinentiae periculo versaretur, nec dispensationem statim petere posset; quia, cum lex sit solum ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. — Ad DISPENSATIONEM autem quod attinet, eam concedere potest Episcopus, et quidem jure ordinario, quod ipsi, sin minus ex dispositione juris expressa, at saltem ex consuetudine legitime praescripta, competit. Atque hinc est, cur hanc suam facultatem etiam in generali delegare possit [1].

Resp. 2° Hoc impedimentum debiti petendi non habet rationem inhabilitatis, sed rationem POENAE; unde ab eo EXCUSANT tum *vis* vel *metus gravis*, tum *ignorantia* sive *facti* (quod nempe persona carnaliter cognita consanguinea sit alteri conjugi); sive *juris*, quod nempe lex existat humana, quae talem incestum peculiariter prohibet; sive *poenae*, quae cum sit extraordinaria, atque ideo, ne in confuso quidem, praevideri possit, probabiliter non incurritur. Stante autem hac probabilitate, non debet conjux jure suo certo privari [2]. — Caeterum, in praxi, conjuges, ut plurimum, latam poenam ignorant, donec ejusmodi incestum confessi, eam a confessario, prout oportet, edocti fuerint.

VIII. — HONESTAS PUBLICA.

2032. — PUBLICA HONESTAS est quaedam propinquitas, seu quasi-affinitas, ex sponsalibus vel matrimonio rato contracta, cum compartis consanguineis. — Est impedimentum juris tantum *ecclesiastici*, originem vero ducens ex jure Romano, et hac ratione inductum, quia publicae honestati congruit (maxime inter Christifideles), ut, quemadmodum ex unione corporum oritur affinitas, sic ex unione animorum oriatur quasi-affinitas [3].

Principia. I. Ex SPONSALIBUS validis et absolutis contrahitur honestas publica dirimens matrimonium in PRIMO consanguinitatis gradu. — Ita ex Tridentino sess. 24. cap. 3. *de reform. matrim.*

Dicitur 1° *ex sponsalibus validis;* nam impedimentum ex sponsalibus quacumque ratione invalidis omnino sublatum est a Tridentino; dicitur 2° *et absolutis*, quia apposita conditio, quamdiu non fuerit verificata, suspendit sponsalium effectum, imponitque solum obligationem expectandi eventum (cf. n. 1951. q. 4.) — Restrictum fuit impedimentum ad solum *primum* gradum, « quoniam in ulterioribus gradibus (dicit Tridentinum l. c.) jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. »

Hoc, porro, impedimentum contrahitur etiam ex sponsalibus

[1] L. VI. 1070-1076; H. A. XVIII. 68. 69. — [2] Ib. 1052. sqq. — [3] Feije, n. 334.

Digitized by Google

occultis, ut constat ex responso S. Poenitentiariae, quae interrogata, « utrum ex clandestinis sponsalibus contractum sit impedimentum PUBLICAE HONESTATIS, » respondit sub die 10 sept. 1834: *Affirmative*[1] (cf. n. 2043, Hinc 1°).

Atque hic notandum est, quod impedimentum *semel contractum semper perdurat*, tametsi sponsalia fuissent mutuo consensu soluta. Constat ex declaratione S. C. C., 6 jul. 1658, approbata ab Alexandro VII[2].

2033. — II. Ex MATRIMONIO RATO contrahitur similiter honestas publica, dirimens matrimonium usque ad QUARTUM consanguinitatis gradum (inclusive); quamvis, ob qualemcumque causam, excepto solo consensus defectu, matrimonium INVALIDUM fuisset. — Ratio est quia, si ex sponsalibus oritur aliqua propinquitas, seu quasi affinitas, *a fortiori* oriri debet ex matrimonio rato. Tunc autem se extendit usque ad quartum gradum, quia jus antiquum, hac in re, non immutatum fuit a Tridentino, ut declaravit S. Pius V in Const. *Ad Romanum*, die 1 julii 1568.

Hinc, non inducitur impedimentum ex matrimonio inito cum amente, cum ebrio, vel inito cum errore personae, cum metu gravi, vel cum ficto consensu, prout declaravit S. C. C. die 28 martii 1664[3]. Secus in aliis casibus. — *An vero inducatur ex matrimonio propter clandestinitatem nullo*, controvertitur; sed verior et communior sententia, cui in praxi standum est, affirmat[4].

« NOTANDUM hic id, quod habetur in cap. un. *de sponsal.* in 6°, nempe quod matrimonium ratum invalidum non inducit impedimentum *in praejudicium priorum sponsalium*. — Unde, si quis, post sponsalia valide contracta cum una, ducat ejus sororem, antequam rem habeat cum secunda, potest et tenetur contrahere cum prima, cum matrimonium fuerit nullum[5]. »

2034. — QUAERITUR. *An actus qui*, MATRIMONIUM CIVILE *appellari solet, pariat impedimentum* PUBLICAE HONESTATIS?

Resp. Negative, ut constat ex decreto 17 martii 1879, quo SSmus Dominus Noster LEO XIII « declarat ac statuit praememoratum actum, qui vulgo dicitur *matrimonium civile*, in locis ubi promulgatum decretum Concilii Tridentini sess. 24. cap. 1 *de reform. matrim.*, sive fideles actum ipsum explentes intendant uti par est (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi), meram caeremoniam civilem peragere; sive intendant sponsalia de futuro inire; sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant

[1] De Angelis, lib. 4. tit. 4. n. 7. fin. — [2] L. VI. 1063. — [3] Haehnlein, *de Matrim.* n. 152; cf. et Giovine, §. 285. 8°. — [4] L. VI. 1064; cf. Feije, (ed. 3ª, 1885) n. 400 sqq. ubi fusius pro et contra. — [5] L. VI. 1064. fin; H. A. XVIII. 65.

Digitized by Google

matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum justitiae *publicae honestatis* non producere[1]. »

Nota. Cum praedictum impedimentum sit juris tantum ecclesiastici, non contrahitur ab infidelibus. Unde v. g. Titius ab infidelitate ad veram fidem conversus, potest matrimonium inire cum sorore Maeviae quacum, dum ambo infideles essent, matrimonium contraxerat, quod tamen non fuit consummatum, et legitime, v. g. per mortem, fuit solutum. Ita C. S. Off. 9 apr. 1837[2].

(*De impedimentis quae ad* PERICULUM *sive* FIDEI CONJUGALIS, *sive* FIDEI CHRISTIANAE *sese referunt*).

IX. — Crimen.

2035. — Criminis impedimentum est inhabilitas ad matrimonium contrahendum, jure *ecclesiastico* inducta, inter personas, quae nefanda complicitate certa crimina in jure determinata perpetrarunt. — Duo autem sunt crimina, *adulterium* nempe et *homicidium*, ex quibus hoc impedimentum contrahitur, idque in triplici casu: scilicet 1) ex solo adulterio; 2) ex solo homicidio; 3) ex utroque simul. — Triplex hic casus denominationem frequenter accipit ab homicidio tantum, hisce verbis: 1° neutro patrante (homicidium); 2° utroque patrante; 3° uno patrante[3]. — Quum vero quilibet casus peculiares sibi vindicet conditiones, de singulis in specie dicendum est.

2036. — **Principia.** I. Adulterio solo (neutro patrante homicidium) contrahitur impedimentum dirimens, si concurrit adulterium cum matrimonii sive promissione sive attentatione. — Ita ex titulo juris *De eo qui duxit*, cap. 1, 2, 4, 5, 6, 8. — Requiritur autem, ut adulterium et matrimonii promissio vel attentatio intercesserint, vivente alterutrius adulteri conjuge, atque ita cedant in matrimonii injuriam. Nihil autem refert, utrum matrimonii promissio vel attentatio adulterium praecesserit vel secuta sit, dummodo, si praecessit, non fuerit ante adulterium retractata[4]. — Requiruntur insuper peculiares conditiones, tum ex parte adulterii, tum ex parte sive promissionis sive attentationis.

Ex parte adulterii requiritur: — 1) ut fuerit *verum*, ideoque ut prius matrimonium fuerit validum, quamvis non fuerit consummatum, vel factum sit divortium; — 2) ut sit *utrinque formale*, perpetratum nempe ab utraque parte cum cognitione prioris matrimonii: quare, probabiliter, excusat ignorantia etiam culpabilis, si

[1] *Thesaur. Resol.* l. c. tom. 138. pag. 182. — [2] *Collect. S. Sed.* n. 875. — [3] L. VI. 1033. — [4] Ib. 1037.

Digitized by Google

non sit affectata; — 3) ut sit *perfecte consummatum*, i. e. de se aptum ad generationem: id vero semper, in dubio, supponitur [1].

Ex parte PROMISSIONIS, praeter memoratam connexionem cum adulterio, requiritur, ut fuerit *manifestata* et *acceptata*; unde, non sufficit, si adultera mere negative se habuerit [2]. — Probabilior etiam et communior sententia docet requiri, ut promissio sit *vera*, non ficta; *absoluta*, non conditionata; aliquo externo *signo*, et non sola taciturnitate acceptata, etsi repromissio non requiratur. — An vero sufficiat promissio conditionata, *si conditio verificetur, stante adhuc primo matrimonio*, communiter quidem affirmatur; sed S. Alphonsus non ausus est solvere quaestionem [3]. — « Qui autem, vivente sua conjuge, promittit alteri matrimonium, sed *sine adulterio* et matrimonio attentato, quamvis non incurrat impedimentum, non tamen excusatur a peccato mortali [4]. »

Ex parte ATTENTATIONIS matrimonii requiritur, ut fiat *utriusque consensu*; secus non esset vera attentatio. — Perinde vero est, utrum fiat in forma Tridentina an clandestina; sufficere etiam matrimonium *civile*, constat ex variis S. Poenitentiariae decisionibus [5].

2037. — II. Homicidio solo (UTROQUE PATRANTE) oritur impedimentum dirimens, quando vir et femina MACHINATI SUNT MORTEM alterius conjugis, eo fine, ut inter se contrahant matrimonium. — Constat ex can. *Si quis vivente*, 31. qu. 1.

Porro ad constituendum impedimentum ex solo conjugicidio (absque adulterio formali et completo) REQUIRITUR: — 1° Ut occisio sit realiter *secuta* ex actione physica vel morali (v. g. ex consilio vel mandato) alterutrius complicis; — 2° Ut sit secuta *ex mutua conspiratione*, seu ex communi viri ac mulieris consilio; nec sufficit si quis audiens conjugis occisionem eam ratam habeat; — 3° Ut facta sit *cum intentione matrimonii ineundi* cum complice homicidii; ita enim communissime docetur, quamvis in jure non sit expressum. Sufficit quidem, ut haec intentio sit ex parte unius; sed requiritur probabilius, ut fuerit prius aliquo modo *alteri manifestata* saltem per quaedam indicia, v. g. per epistolas amatorias, vel familiaritates [6].

2038. — III. Homicidio simul et adulterio (UNO PATRANTE homicidium) contrahitur impedimentum, quando, COMMISSO ADULTERIO, vir propriam uxorem, aut uxor proprium virum OCCIDIT, animo nubendi cum adulterii complice. — Ita ex titulo juris *De eo qui duxit* l. c.

[1] L. VI. 1036. — [2] Ib. 1037. — [3] Ib. 1038. sqq. — [4] Ib. 1043. — [5] Cf. De Angelis, lib. 4. tit. 4. n. 11. — [6] L. VI. 1034 et 1035.

Digitized by Google

Ad hoc autem REQUIRITUR: — 1° Ex parte ADULTERII, ut sit verum, utrinque formale, et perfecte consummatum, ut supra declaratum est. — 2° Ex parte HOMICIDII: 1) ut sit *consummatum*, i. e. ut mors vere secuta sit ex percussione, veneno, etc., dato a conjuge vel ex ejus mandato; 2) perpetratum *animo nubendi cum adulterii complice*, haecque nubendi intentio fuerit complici aliquo modo *manifestata*. Nec vero requiritur, ut communi consilio fuerit commissum: sufficit, si una pars, alterâ insciâ, mortem intulit[1].

« Hinc infertur, quod si vir uxorem occidat, ut liberius adultera fruatur, vel ob aliam causam, etiamsi ista consenserit ad homicidium, sed absque intentione matrimonii, impedimentum non contrahitur. — Imo, si vir occidat uxorem, ut aliam indeterminatam ducat, potest deinde ducere adulteram. Secus tamen, si occidat, ut aliquam ex adulteris ducat[2]. »

Super tertio autem casu NOTANDUM occurrit, quod impedimentum directe et principaliter incurritur a parte adultera, quae mortem conjugi intulit. Quare si haec impedimentum non contrahit, puta quia est infidelis, nec altera pars illo irretitur. — In caeteris vero casibus, incurritur impedimentum directe a parte fideli: unde et infidelis indirecte illo ligatur, cum matrimonium non possit claudicare[3].

QUAERITUR *An impedimentum criminis incurratur ab iis, qui illud suo delicto a jure adnexum esse* IGNORANT?

Resp. Nonnulli *negant*, hanc afferentes rationem: inductum est hoc impedimentum per modum poenae, et quidem extraordinariae; sed ignorantia excusat a tali poena incurrenda, ergo excusat etiam a contrahendo impedimento[4]. — Communis vero et valde probabilior opinio *affirmat*. Rationem affert cl. Giovine[5] scribens: « impedimentum criminis statutum ab Ecclesia fuit, nedum tanquam poena, sed vel maxime quia publice inhonestum ac perniciosum est contrahi matrimonium inter eos, qui tantorum flagitiorum rei sunt. » Et subjungit doctissimus De Angelis[6]: « Cum hac sententia maxime cohaeret praxis Poenitentiariae et Datariae Apostolicae,... quod satis indicat ea Tribunalia nolle recognoscere rationabilitatem praedictae sententiae negantis. »

Notandum PRO PRAXI: — 1° Multiplex esse potest impedimentum criminis, et quidem ex DUPLICI fonte: 1) quia plures casus verificantur, quoad idem matrimonium, v. g. si *adulterium* et *homicidium* suas proprias conditiones separatim habent; 2) quia delicta inferunt injuriam diversis matrimoniis, v. g. si in casu solius adulterii, *uterque complex* est matrimonio junctus, et si, re-

[1] L. VI. 1035 et 1036. — [2] Ib. 1036. fin. — [3] De Angelis, lib. 4. tit. 7. n. 4°. — [4] Vid. d'Annibale, *Summ.* III. 312 (2ª edit.); Lehmkuhl, II. n. 770. — [5] *De disp. matrim.* I. §. 228. — [6] L. 4. t. 7. n. 5°; cf. *Nouv. rev. théol.* t. XIII. p. 382.

Digitized by Google

spectu utriusque matrimonii, adulterium fuit utrinque formale. Duplex tunc oritur impedimentum necessario exprimendum in supplici libello, pro obtinenda dispensatione [1].

2° Confessarius debet prudenter illos conjuges *interrogare*, quos hujus criminis reos esse suspicatur. — Jam vero, suspecti sunt tum ille, qui confitetur se, tempore anterioris matrimonii, in adulterium incidisse: tum ille qui post mortem prioris conjugis, sine mora, ad novas nuptias cum aliqua persona ad domum familiamve pertinente, avide convolavit. — Ut autem prudenter interroget, *sciscitetur:* an cum praesenti conjuge multum familiariter vixerit, an ejus nuptias multum appetierit, an prioris conjugis pertaesus fuerit, an ejus mortem optarit, an credat, se in causa esse, cur mortua sit, etc.

X. — Disparitas cultus.

2039. — Disparitas cultus est illa religionis disparitas, quae existit inter *baptizatum* et *non baptizatum*, etiam catechumenum.

Principia. I. Disparitas cultus dirimit matrimonium jure ecclesiastico consuetudinario [2]. — Ita omnes, et certum est ex Constitutione Benedicti XIV *Singulari Nobis*, edita die 9 febr. 1749. §. 10. Nihil autem interest, an pars fidelis sit catholica vel acatholica; an pars infidelis sit Judaea, Pagana, vel alii sectae addicta.

II. Matrimonia fidelium cum infidelibus, extra casum urgentis causae, jure divino vetantur. — Constat: 1° ex positiva prohibitione Hebraeis facta, Deut. 7, 7; et ex verbis Apostoli (2. Cor. 6, 14): « nolite jugum ducere cum infidelibus. » 2° Ex ratione: nam jus naturale dictat peccandi periculum vitandum esse; atqui ex praefatis conjugiis periculum perversionis imminet tum conjugi fideli, tum proli nasciturae; ergo.

Dictum est: *extra casum urgentis causae;* hoc enim extante, et remoto perversionis periculo, possunt fieri licita, ut constat ex variis historiae sacrae exemplis. — Hinc est quod S. Sedes, quando in hoc impedimento, ex gravi causa, dispensat, easdem fere *conditiones* imponit, quas pro matrimoniis mixtis exigere solet [3]. — Recole dicta n. 1986.

Nota. Cum Baptisma aliquando apud sectas acatholicas *dubium* sit, atque idcirco, quoad matrimonii validitatem magna difficultas oriatur, sequens quaestio Congregationi S. Officii proposita est: « An Calvinistae et Lutherani illis partibus degentes, quorum Baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?

Et S. Tribunal die 17 nov. 1830 respondit: « 1° Quoad haereticos, quorum sectae Ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. — 2° Quoad alios, qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est Bap-

[1] Cf. Feije, n. 455. — [2] L. VI. 1044. — [3] Cf. Vecchiotti, lib. V. §. 97.

Digitized by Google

tisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. — 3° Si autem certo cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium [1]. » Confirmatur ex alio responso S. O. dato die 1 Aug. 1883 [2]. (cf. n. 1477, *Nota*).

§. 3. *De impedimento dirimente ob defectum formae praescriptae,* SEU DE CLANDESTINITATE.

2040. — CLANDESTINA dicuntur matrimonia, quae non contrahuntur in facie Ecclesiae. — Haec omni quidem tempore S. Ecclesiae odiosa fuerunt, donec tandem sub poena nullitatis ea proscripsit Concilium Tridentinum, per celebre Decretum *Tametsi* [3]: quo scilicet « irritat matrimonium eorum, qui contrahunt aliter quam coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius vel Ordinarii licentia, et duobus ad minimum testibus, vultque graviter puniri eos, qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint [4]. »

Est igitur CLANDESTINITAS impedimentum *juris ecclesiastici* in hoc consistens, quod matrimonium contrahitur *sine assistentia parochi et testium:* quo fit, ut partes reddantur ad contrahendum inhabiles, utque initae nuptiae sint invalidae.

In alio etiam sensu, dicitur matrimonium *clandestinum*, quando scilicet malitiose contrahitur sine denuntiationibus: sed hoc in casu non est invalidum, sed solummodo illicitum [5].

Quaenam autem requirantur, ut satisfiat PRAECEPTO tum denuntiationes praemittendi, tum formam Tridentinam servandi, infra dicemus, ubi *de celebratione Matrimonii* (n. 2056. sqq. et 2068. sqq.).

CAPUT IV.

DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS MATRIMONII DIRIMENTIBUS [6]

2041. — Ante omnia opportunum ducimus praemittere genuinam *significationem* verborum, quae frequenter in materia dispensationum occurrunt [7].

1° ORATOR, ORATRIX, EXPONENS, EXPONENTES dicuntur, qui dispensationem sibi efflagitant. — *Libellus supplex* vel *supplica* vocantur litterae quibus dispensatio petitur.

[1] *Collect. S. Sed.* n. 897; cf. n. 885 (Instr. S. C. de PROPAG. FIDE, 13 sept. 1760) et n. 887. — [2] *Monitore ecclesiastico*, vol. IV. p. 2. p. 82. — [3] Sess. 24. *de. ref. matrim.* cap. 1. — [4] L. VI. 1078. — [5] Ib. 1079. — [6] De dispensatione *ab impedim. impedientib.* jam diximus ubi singula impedimenta exposita sunt. — [7] Vid. Van de Burgt, *de dispens. matrim.* n. 6 et sqq.

Digitized by Google

Stylus Curiae, in hac materia, denotat complexum eorum, quae in supplici libello servanda sunt, ex voluntate et praxi Congregationis Romanae, apud quam res geritur.

Subreptio est reticentia veri, alicujus nempe circumstantiae necessario aperiendae. — Obreptio est expressio falsi, v. g. in causis allegandis, quae dispensationem concedendam suadent.

Rescriptum dispensationis dicitur epistola seu litterae, quibus petita dispensatio conceditur. — Clausulae sunt conditiones rescriptis appositae, referentes se tum ad dispensationis executorem, tum ad ipsos nupturientes; aliae uniformiter in omnibus dispensationibus occurrunt, aliae diversae sunt, pro diversitate impedimentorum.

2° Dispensatio pro foro interno, seu pro foro *conscientiae*, seu pro foro *poli*, ea est, quae petitur fictis nominibus, quaeque efficit, ut impedimentum sit ablatum, et matrimonium valide contrahi possit; sed non sufficit ad nuptiarum celebrationem probandam coram judice ecclesiastico. — Dispensatio, quam dicunt pro foro externo seu pro foro *fori*, petitur, expressis oratorum nominibus, efficitque ut matrimonium valide contrahi, et valide contractum esse, probari possit coram judice ecclesiastico.

3° Dispensatio dicitur data in forma gratiosa, quando Superior ecclesiasticus, rogatus ut dispensationem concedat, eam per se ipsum, directe, oratoribus applicat. — Dicitur concessa in forma commissoria, quando Superior facultatem dispensandi cum oratoribus alteri committit, v. g. parocho, confessario. — Dispensatio datur in *forma ordinaria*, cum occasione dispensationis certa pecuniae summa (taxa, componenda) solvenda est. — Datur in *forma pauperum*, quando pecuniae taxa non exigitur; quo in casu, Rescripto adjici solet haec clausula: « dummodo oratores pauperes et miserabiles existant, et ex solo labore et industria tantum vivant. » Nam, si non sunt pauperes, debent statutae taxae satisfacere.

4° Fulminatio dispensationis dicitur actus, quo impedimentum tollitur. Alio etiam nomine vocatur *dispensationis applicatio, executio*, quamvis haec ultima vox latiorem etiam significationem admittat, juxta quam comprehendit omnia, quae occasione fulminationis peragenda sunt.

5° Impedimentum aliud dicitur occultum, aliud publicum; et haec quidem distinctio est, in praesenti materia, maximi momenti.

Occultum aliquando strictius, aliquando latius sumitur[1]: Occultum *stricte dictum*, seu *omnino occultum*, illud est, quod per duos testes probari non potest. Occultum *late dictum*, seu *quasi-occultum*, seu *occultum* simpliciter, est illud, quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquos testes probari valeat. — *Quot vero personis impedimentum notum esse possit, quin idcirco* occultum *esse desinat*, prudentis judicis arbitrio ac sententiae relinquendum est. Maxime, hac in re, attendendum est ad circumstantias loci ac personarum. *Occultum* adhuc censetur, quod in oppido sex, in civitate septem vel octo personis, innotuit. Imo S. Poenitentiaria aliquando ut occultum habuit impedimentum notum decem circiter personis. — « Attendi igitur debet non tantum quot personis, sed *qualibus*, impedimentum sit notum: quia bene fieri potest, ut respectu quinque prudentum et timentium Deum, qui impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis; et e contra respectu duorum vel trium, v. g. garrulorum, aut inimicorum, etc.,

[1] Cf. L. VI. 1111. et 593. v. *Hic autem.*

Digitized by Google

divulgationis periculum revera adesse videatur, praesertim si etiam aliae circumstantiae tale periculum minentur [1]. » Cum autem verum divulgationis periculum adest, impedimentum non potest amplius ut occultum haberi [2].

PUBLICUM impedimentum est illud, quod ita innotuit, ut nulla jam tergiversatione celari possit.

6° *Notandum:* — 1) Factum, quod inducit impedimentum potest esse publicum materialiter, et *occultum formaliter:* puta si factum occisionis sit notum, lateat vero culpabilitas, eo quod occisio fortuito accidisse credatur. Et in tali quidem casu impedimentum censetur adhuc occultum. Item, si res ipsa sciatur, sed ignoretur secundum rationem impedimenti, i. e. si impedimentum non sit publicum quatenus impedimentum, licet a duabus vel tribus personis cognoscatur [3]. — 2) Alia impedimenta sunt *natura sua* PUBLICA, ut consanguinitas, affinitas ex copula licita, publica honestas, cognatio spiritualis. Et quamvis *per accidens* lateant, in ordine ad matrimonium contrahendum ut publica habenda sunt.

7° Dispensationis CAUSAE aliae dicuntur *infamantes* seu *inhonestae*, quae scilicet originem habent ex oratorum delicto, vel quae in eorum infamatione nituntur: aliae *non infamantes* seu *honestae*, illae nimirum, quae nullam sibi nec delicti nec infamationis notam appositam habent. — His praemissis,

Agemus: 1° de potestate dispensandi; 2° de causis legitimae dispensationis; 3° de modo impetrandi dispensationem; 4° de servandis in eadem exsequenda.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE DISPENSANDI

Potestas dispensandi in Ecclesia est penes eos, quibus competit potestas legislativa, penes Papam scilicet et Episcopum. — Quid igitur, in hac materia, valeat tum Romanus Pontifex, tum Episcopus, paucis inquirendum est.

§. 1. *Quid possit Romanus Pontifex.*

2042. — I. SUMMUS PONTIFEX potest DISPENSARE in omnibus impedimentis juris ecclesiastici, non vero in impedimentis juris naturalis et divini; sed et super his DECLARARE potest, ea in certis circumstantiis non obligare. — Solent quidem hujusmodi declarationes appellari dispensationes; sed talis appellatio est impropria. Haec omnia constant ex dictis in Tractatu *de Legibus* (cf. n. 135 et 234).

[1] Reiffenstuel, Append. *de Dispensat. super Impedim.* n. 46. — [2] L. VI. 1111. — [3] L. VI. 1111; cf. *Acta S. Sed.* XIV. 155. et sqq.; Bonacina, *de Legib.* qu. 2. punct. 2. n. 7.

Digitized by Google

Ut vero dispensatio sit *licita*, REQUIRITUR causa justa, causa videlicet quae sit gravitati impedimenti proportionata. — Praeterea sunt quaedam impedimenta, in quibus, tametsi sint juris ecclesiastici, Papa *non solet* dispensare.

Ex his facile colligitur quid *de singulorum impedimentorum dispensatione* sentiendum sit.

1° *Error* et *vis* sunt omnino indispensabilia. — *Conditio* et *raptus* sunt quidem absolute dispensabilia, sed nunquam dispensatio conceditur. — Similiter *aetas* est impedimentum dispensabile; sed Pontifex perraro, et nonnisi ob causam publicam, in eo dispensat. — *Impotentia* et *Ligamen* sunt indispensabilia. Ecclesia solvit aliquando matrimonium ratum, ita ut novis nuptiis non obstet (cf. n. 1982); stante autem matrimonio valido, etiam rato tantum, nunquam aliud toleravit, nec tolerare potest. — In *Voto* atque *Ordine*, nonnisi ob gravissimam causam, ideoque rarissime, conceditur dispensatio.

2° Super *crimine* dispensatio obtinetur; sed si uterque vel alteruter necem machinatus est, nonnisi raro, et ex gravissima tantum causa, conceditur; nunquam vero, si machinatio est publica[1]. — In *disparitate cultus* conceditur pariter dispensatio, sed difficillime in regionibus christianis[2]. — In *clandestinitate* denique nunquam datur dispensatio pro contrahendo matrimonio (cessat vero lex, si generalis in loco est impossibilitas, sive physica sive moralis, eam servandi[3]); sed datur, quamvis rarissime, post contractum jam matrimonium, hocque per sanationem in radice[4].

3° *Cognatio*, pro diversitate casuum, est impedimentum vel dispensabile vel indispensabile. Etenim dispensatio dari nequit super *consanguinitate* in linea recta; sed nec in primo gradu lineae collateralis Ecclesia unquam dispensavit. (cf. n. 2019 fin.). In remotioribus autem gradibus potest haberi dispensatio. — Ecclesia dispensat in *cognatione spirituali;* facilius vero inter levantem et patrem vel matrem levati, quam inter levantem et levatum. — Dispensat similiter in *cognatione legali*, difficillime tamen in paternitate.

4° In *affinitate*, quae est in linea collaterali, conceditur dispensatio, sive affinitas proveniat ex copula licita, sive ex illicita; imo, si proveniat ex copula illicita, conceditur in primo gradu lineae rectae, quamvis difficilius, et « dummodo nullum subsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita. » Si vero proveniat ex copula licita, Ecclesia nunquam in linea recta dispensavit[5] (cf. n. 2031. qu. 2°). — In impedimento *publicae honestatis* dispensatio conceditur facilius, caeteris paribus, quam in praecedenti impedimento.

Ex dictis patet, impedimenta, quorum frequentior habetur dispensatio, esse *cognationem*, *affinitatem* et publicam *honestatem*.

2043. — II. Romanus Pontifex solet suam dispensandi potestatem exercere per tribunalia DATARIAE et S. POENITENTIARIAE. Ita ex variis documentis spectantibus ad dictorum tribunalium erectionem et jurisdictionem, atque in primis ex Benedicti XIV Constitutionibus *Pastor bonus*, 13 april. 1744, et *Gravissimum Ecclesiae* 26 nov. 1745. — Dicitur *solet exercere*, quia dispensationes super

[1] Cf. Giovine, §. 229. — [2] Id. §. 235. — [3] Cf. id. §. 318. — [4] Cf. id. §. 317. — [5] Cf. Mansella, *de Impedim. matr.* cap. 3. a. 2. n. 12 et 13.

Digitized by Google

disparitate cultus (et mixta religione) conceduntur per S. Officium; dispensationes pro supremis principibus per *Secretariam Brevium;* pro regionibus autem, quae S. Congregationi de Prop. Fide subjiciuntur, omnia negotia per hanc eamdem Congregationem tractantur. — Praeterea S. Pontifex utitur quandoque, ob peculiares circumstantias, opera alicujus determinatae Congregationis.

Dataria dispensat pro foro externo, in impedimentis scilicet *publicis*, sicut et in illis, quae mox publica futura esse praevidentur: cujusmodi sunt consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis, honestas publica. — Quare, ad hoc Sacrum Tribunal per Ordinarios locorum securius et efficacius recurritur.

Sacra autem Poenitentiaria dispensat pro foro interno, seu in impedimentis *occultis:* qualia saepe sunt illa, quae ex crimine, et quidem potissimum ex copula illicita, proveniunt. — Item, *convalidat* dispensationem a Dataria concessam, sed invalide ob reticitum occultum delictum necessario declarandum, si hoc adhuc sit secretum (cf. n. 2051 6°).

Dispensat etiam quandoque in impedimentis, quae sua quidem natura publica sunt, sed *quae adhuc latent.* — Hinc: 1) Dispensat super impedimento publicae honestatis ex sponsalibus occultis. — 2) Quoad matrimonia *jam contracta et revalidanda*, dispensat super impedimentis occultis cognationis spiritualis, consanguinitatis et affinitatis in tertio et quarto gradu; imo et in secundo gradu, si impedimentum per decennium occultum remanserit, et conjuncti publice contraxerint ac tanquam legitimi conjuges reputati fuerint. — 3) Potest insuper in iisdem tertio et quarto gradibus publicis, *revalidare* matrimonia, ex causa subreptionis et obreptionis occultae Litterarum Apostolicarum, invalide contracta; praeterquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserat[1].

Pro foro quoque externo, seu in impedimentis *stricte publicis* dispensat S. Poenitentiaria quoad *supplicantes pauperes*, de quorum paupertate constat Litteris testimonialibus Ordinarii. Quod si detur *casus extraordinarius et urgens*, potest etiam recursus ad S. Poenitentiariam fieri pro non pauperibus, omnibus ad rem facientibus nitide expositis: si S. Tribunal precibus expositis providere non possit suis ordinariis facultatibus, eisdem tamen prospicit vi facultatum, quas a S. Pontifice implorat in consueta audientia, quam singulis hebdomadis habet Cardinalis Poenitentiarius Major[2].

2044. — *Notetur:* 1° Sede Apostolica vacante, cessat jurisdictio Datariae; nec vero jurisdictio S. Poenitentiariae, quoad forum internum.

2° In Dataria *solvenda est* taxa ex natura impedimenti et Oratorum conditione pecuniaria determinanda, non quidem tanquam pretium dispensationis, quae *gratis* conceditur, sed tam pro stipendio Officialium Datariae et expensis subeundis, quam pro eleemosyna dicta *componenda:* quae ea ratione imponitur, ut inserviat aliquatenus resarciendo vulneri disciplinae inflicto, atque imminuendis matrimoniis inter consanguineos et affines, praesertim in gradibus primo et secundo, in quibus major compositio imponitur. — In Poenitentiaria *nulla solvitur* taxa. Si vero de impedimentis publicis agatur, nec oratores sint omnino pauperes, aliqua levis eleemosyna exigitur ad Datariam transmittenda, ut illius jura sarta tectaque maneant.

[1] Const. *Pastor bonus* §. 40. — [2] Cf. *Acta S. Sed.* I. 63.

Digitized by Google

3° Juxta praxim Datariae, *vere pauperes* reputandi sunt illi, quorum fortuna circiter tria millia francorum non excedit, si ultra Montes sint; mille quingentos, si citra Montes; ii vero quorum fortuna decem millia francorum valorem non excedit, dicuntur *fere* pauperes [1].

§. 2. *Quid possit Episcopus.*

2045. — **Principia.** I. Episcopus NON POTEST, ex sua potestate ORDINARIA, dispensare super impedimentis dirimentibus. — Constat ex Litteris Pii VI ad Archiepiscopum Trevirensem datis die 2 febr. 1782 [2], atque ex Rescripto Pii VII ad Episcopos et Vicarios generales Galliarum, de die 27 febr. 1809 [3]. — Ratio est, quia episcopalis auctoritas non extenditur ad faciendas, jure proprio, in generalibus Ecclesiae legibus, dispensationes, sine expressa vel tacita saltem concessione Superioris, a quo illae sancitae sunt.

Communissima tamen sententia docet Episcopum posse super impedimentis *dubiis* dispensare [4]. — In dubio JURIS sufficit declaratio *tuto procedi posse;* in dubio autem FACTI datur dispensatio ad cautelam (cf. n. 1997. q. 4°).

2046. — II. Episcopus POTEST, ex potestate QUASI-ORDINARIA, dispensare, urgente necessitate, super impedimentis OCCULTIS, in quibus Papa dispensare solet. — Ita DD. communissime. Urgente enim necessitate, « praesumendus est Pontifex delegare Episcopo facultatem, quam requisitus certe non denegaret [5]. »

REQUIRITUR autem: 1° Ut adsit *urgens necessitas*, quae adesse censetur, si nec Papa adiri absque nimia dilatione, nec matrimonium differri potest absque scandalo, infamia vel alio gravissimo damno: puta si de matrimonio in extremis agatur, vel omnia jam sint ad nuptias parata. — Item, si conjuges, *post contractum matrimonium*, sine periculo scandali vel infamiae separari nequeunt, et sub eodem tecto commorantes in incontinentiae periculo versantur. — Quod si in bona fide sint, in ea relinquendi sunt, donec dispensatio a S. Sede fuerit obtenta [6].

2° Ut impedimentum sit *occultum*, prout constat ex declarationibus S. C. Concilii editis die 13 martii 1660 et die 19 jan. 1661 (item S. OFF. an. 1660 et 3 aug. 1873, et S. POENIT. 10 aug. 1872) [7]. Ratio est, « quia cum impedimentum est publicum, cessat ratio

[1] Cf. Feije, n. 690. sqq.; cf. et Giovine, tom. 2. §. 18 et 37. sqq.; Planchard, *Dispens. matrim.* n. 80. — [2] Roscovany, *Matrimon. in Eccl. cathol.* vol. I. p. 169. Monum. 47. — [3] Moser, *de Impedim. matr.* App. n. XVII. — [4] L. VI. 902. v. *Caeterum; De Priv.* n. 54-58; cf. Scavini, III. n. 1029. — [5] L. VI. 613. — [6] L. VI. 1122. 1123. — [7] Planchard, *Dispens. matr.* n. 94; Feije, n. 633.

Digitized by Google

scandali, si sponsi a tali matrimonio desistunt; imo, praesertim ad vitandum scandalum tenentur a nuptiis desistere [1]. » — Probabiliter tamen potest Episcopus dispensare ab impedimento natura sua publico, sed ratione circumstantiarum occulto, dummodo sit de numero eorum, pro quibus Major Poenitentiarius ordinarias facultates habet [2].

3° Ut Papa *dispensare soleat;* secus enim nequit ejus consensus praesumi. Atque ex hoc sequitur, Episcopum non gaudere potestate quasi ordinaria dispensandi ab illis impedimentis, in quibus nec ipse Major Poenitentiarius, vi ordinariarum suarum facultatum, dispensare potest [3].

Alia insuper requiritur conditio, si de matrimonio JAM CONTRACTO agatur, nempe ut fuerit *contractum bona fide*, saltem ex parte unius conjugis, cum praescriptis solemnitatibus, v. g. proclamationibus, nisi fuerit dispensatum. « Ratio, tum quia in Tridentino dicitur: » si quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendae careat; « tum quia alias daretur occasio, ut quotidie spe dispensationis matrimonia celebrarentur, contemptis impedimentis [4]. » — A mala autem fide excusat ignorantia impedimenti etiam crassa, modo non sit adeo crassa, ut temeritas esse videatur [5].

Nota. Cum praefata Episcopi potestas non sit annexa personae, sed dignitati et officio, ideoque quasi-ordinaria dicenda sit, sequitur, illam posse delegari non solum pro casu particulari, sed etiam *pro omnibus* occurrentibus, tam praesentibus quam futuris. — Requiritur tamen *specialis* delegatio, etiam pro Vicario generali, qui hanc facultatem non obtinet ex generali commissione Vicariatûs [6].

2047. — III. Episcopus accipit ordinarie a S. Pontifice DELEGATAM potestatem dispensandi a certis impedimentis, in quibus frequentius occurrunt difficultates. — Concedi solet haec potestas per *facultates quinquennales*, aut *triennales*, aut *annuales*, et pro certo numero casuum. Non omnibus Episcopis eaedem facultates conceduntur; quare quisque debet tenorem facultatum sibi commissarum, appositas conditiones, et clausulas sub quibus dispensatio concedenda est, apprime perpendere, opportunasque instructiones clero sibi subjecto communicare [7] (cf. Append. I).

Atque hic non alienum videtur *de usu* Indulti Apostolici NOTARE sequentia:

1° Eaedem regulae, quae in Curia Romana habentur ut necessariae, necessario etiam servandae sunt ab Episcopo, qui dispensationem vi Indulti con-

[1] L. VI. 1122. fin. — [2] Cf. Feije, n. 634. 7°; cf. *Acta S. Sedis*, vol. XIV. p. 155. — [3] Feije, ibid, 6°. — [4] L. VI. 1124. — [5] Ibid. — [6] Ib. 1125. — [7] Facultates, quae communiter concedi solent, egregiis commentariis illustratas reperies apud *Feije*, n. 614. sqq. et *Planchard*, n. 96. sqq.

Digitized by Google

cedit. Talis est enim mens S. Pontificis, ut constat ex Responso S. POENITENTIARIAE dato die 1 maji 1858 [1].

2° Clausulae praescriptae, v. g. adnotatio Indulti Apostolici, omnino servandae sunt; non tamen sub poena nullitatis, nisi hoc clare in Indulto exprimatur, v. g. per verba: *alias nullae sunt.* — Ita ex Resp. S. OFFICII 15 junii 1875 [2].

3° Episcopus potest, vi Indulti, dispensare ab impedimento sive consanguinitatis sive affinitatis, etiamsi gradus sint multiplices (S. OFF. 15 junii 1875 [3]; S. POENIT. 18 jan. 1883 [4]); non vero a pluribus impedimentis in eodem casu concurrentibus, nisi hoc expresse in Indulto concedatur. — Eruitur ex verbis Indultorum, atque ex Resp. S. C. C., 26 april. 1873, et S. POEN. 14 julii 1881 [5].

4° Episcopus potest sua dispensandi facultate uti, v. g. in affinitate, tametsi incestus commissus fuisset cum intentione obtinendi facilius dispensationem. — Ita S. Poenit. die 10 maji 1876 [6]. (cf. n. 2051, *Nota*).

5° Non potest dispensare Episcopus, nisi cum suis subditis, qui nempe domicilium vel quasi-domicilium habent in sua dioecesi; vel cum vagis, qui in sua dioecesi morantur, et alibi domicilium non habent (cf. n. 235 q. 2).

2048. — Quaesita. QUAER. 1° *Quaenam sit potestas Episcopi super impedimentis* PROHIBENTIBUS?

Resp. Potest dispensare a bannorum proclamationibus, et a voto S. Pontifici non reservato. Quoad caetera, requiritur dispensatio pontificia, ut constat ex dictis n. 1987. 1989 et sqq. [7]. — Hac in re, valent etiam illa, quae dicta sunt de Episcopi potestate quasi-ordinaria, in casu necessitatis (n. 2046).

QUAER. 2° *An si contrahentes sint* DIVERSAE DIOECESIS, *unusquisque deleat a proprio Episcopo dispensari?*

Resp. Dist. 1° Impedimenta *omnino personalia* et absque relatione ad alteram partem, v. g. impedimentum impediens voti, possunt a *proprio* tantum nupturientis Episcopo dispensari; quare si utraque pars tali impedimento detineatur, dispensatio requiritur ab utriusque Episcopo [8] (cf. n. 2064).

2° Si vero impedimentum est *utrique commune*, v. g. cognatio, affinitas, satis est si dispenset Episcopus *alterutrius* partis, « quia sublato impedimento ex una parte, etiam pars altera libera evadit, quum ligamen non amplius inter utramque partem existat. » — Convenit autem, ut dispensatio, regulariter, concedatur ab illo Episcopo, in cujus dioecesi matrimonium *de jure* contrahendum est, hoc est, ab Episcopo sponsae. Ita ex Responsis S. Poenitentiariae datis die 4 sept. 1839 et die 15 april. 1853 [9]; confirmatis per Responsum S. Officii, die 22 novemb. 1865 [10].

[1] Cf. *Nouv. Rev. Théol.* t. V. 444. — [2] Ap. Konings, n. 1628. qu. 6°; cf. et *Collect. S. Sed.* n. 1019 et 1021. — [3] Konings, II. p. 397. μ. — [4] *Nouv. Rev. Théol.* t. XV. 53. — [5] Ap. Planchard, n. 131 et 129 in nota; cf. et Konings (Edit. 5ª), II. p. 399. 10°. — [6] Planchard, n. 99. — [7] L. VI. 1126. — [8] Feije, n. 638. 2°. — [9] Planchard, n. 103. — [10] *Acta S. Sed.* II. 671.

Digitized by Google

QUAER. 3° *Quid* PAROCHO *vel* CONFESSARIO *agendum sit, si impedimentum deprehendat, quando* OMNIA JAM PARATA *sunt ad nuptias, nec tempus superest pro dispensatione obtinenda?*

Resp. 1° Si impedimentum est *publicum, differendum est omnino* matrimonium, donec dispensatio obtineatur, cum ex dilatione nullum scandalum oriri possit.

2° Si impedimentum est *occultum*, et ex illis super quibus S. Sedes *non solet* dispensare, abstinendum est a matrimonii celebratione, cum legis cessatio in tali casu supponi nequeat.

3° Si impedimentum est *occultum*, et ex illis, in quibus dari *solet* dispensatio, nec matrimonium differri potest absque scandalo vel sponsorum infamia: permittenda est matrimonii celebratio: sponsique interea relinquendi sunt in sua invincibili ignorantia, donec dispensatio, aut sanatio in radice, obtineatur.

4° Si, stantibus iisdem circumstantiis, alteruter sponsus vel uterque in ignorantia *vincibili* versatur, aut impedimenti *scientiam* habet: magna oritur difficultas, ad quam declinandam alii alias vias ineundas esse docent: alii videlicet praecipiendo dilationem matrimonii, alii permittendo simulationem Sacramenti (cf. n. 1430), alii demum suadendo celebrationem sub conditione dispensationis obtinendae (cf. 1973, q. 3°). — Est et quorumdam opinio, quam S. Alphonsus non infundatam dicit, quae tenet, legem Ecclesiae de impedimentis non obligare in tantis angustiis, ac proinde permitti posse matrimonii celebrationem, et dein quantocius recurrendum esse ad S. Poenitentiariam, ut ab ea, vel dispensatio, vel sanatio in radice obtineatur [1].

IN PRAXI, omnis difficultas cessaret, si Episcopus facultatem quam pro hujusmodi casu habet (n. 2046), expresse delegaret omnibus sacerdotibus, quibus animarum cura commissa est [2].

ARTICULUS II.

DE CAUSIS LEGITIMÆ DISPENSATIONIS

2049. — Cum dispensatio sit juris communis relaxatio, non potest licite concedi nisi ob JUSTAM CAUSAM, quae nimirum in ipsius dispensationis *necessitate* aut certa *utilitate* innitatur. — Nec sine tali causa ipse Superior unquam dispensare velle praesumitur, cum id licite fieri nequeat. Valida quidem foret talis dispensatio scienter facta; sed non idem dicendum de dispensatione concessa *ab*

[1] L. VI. 613; H. A. XVI. 114; Konings, n. 1556. qu. 3°; Planchard, n. 547. sqq.; Feije, n. 640. sqq. — [2] *De Priv.* n. 58.

Digitized by Google

inferiore in lege Superioris, ex potestate delegata, vel quasi-ordinaria; deficiente enim justa causa, dispensatio non modo illicita esset, sed etiam invalida (cf. n. 237 et 238).

Nec vero omnis causa tanquam justa habenda est; nam Concilium Tridentinum [1] requirit *causam gravem*, et quidem *tanto graviorem*, quanto gravius est impedimentum quod nuptiis celebrandis refragatur. — PRAECIPUAE CAUSAE, quae juxta canonicas sanctiones pro sufficientibus haberi consueverunt, exponuntur in *Instructione S. C. de Propag. Fide* 9 maji 1877 [2], modo sequenti:

« 1° *Angustia loci*, sive absoluta, sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii, cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum. [Angustus reputatur locus qui *300 focos*, seu 1500 incolas catholicos non excedit, ex declaratione Pii IX edita die 30 augusti 1847 [3]. Quocirca S. Cong. Conc. declaravit [4] die 16 dec. 1876: « Angustiam loci non esse desumendam a numero focorum cujusque paroeciae, sed e numero focorum cujusque loci vel etiam plurium locorum, si non distent ab invicem ultra milliare, » seu 20 minuta].

« 2° *Aetas feminae superadulta*, si scilicet 24^{m} aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

« 3° *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit. [Est autem indifferens, utrum dos offeratur a sponso an ab alio, sed ea conditione, ut nubat consanguineo seu affini [5]].

« 4° *Lites super successionem bonorum jam exortae*, vel *earumdem grave aut imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit: dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur.

[1] Sess. 25. cap. 18. *de reform.* — [2] *Collect. S. Sed.* n. 1017; vel *Acta*, vol. X. p. 291. — [3] Cf. Giovine, §. 212. 3°; cf. et *Acta S. Sed.* IX. p. 571. sqq. — [4] In una *Oveten.* per summar. prec. sub n. III. — [5] Konings, n. 1625.

Digitized by Google

Huic proxime accedit alia causa, scilicet, *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

« 5° *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae, ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

« 6° *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos et affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerunt, et licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

« 7° *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

« 8° *Copula* cum consanguinea, vel affine, vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia, ideoque legitimatio prolis;* ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeiis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit *sub spe* facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda (cf. n. 2051 fin.).

« 9° *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa: cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

« 10° *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim feminae (cap. 7 *de consanguin.*). At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. sess. 24. cap. 5 *de reform. matrim.* [Ideo tunc difficilius dispensatio obtinetur, hodie tamen facilius, quam olim [1]].

« 11° *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimo-

[1] Feije, n. 678.

Digitized by Google

nium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis *ad ministrum acatholicum* accedent pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate: justa invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur... Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica *cum acatholico* matrimonium celebrare audeat.

« 12° *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex Instructione S. C. S. Officii 14 Aug. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

« 13° *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum, quod illi qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium duntaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

« 14° *Remotio gravium scandalorum.*

« 15° *Cessatio publici concubinatus.*

« 16° *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de religione sit optime meritus.

« Hae sunt communiores potioresque CAUSAE, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent[1] ». — Universim, expedit afferre omnes rationes matrimonium optabile facientes, quae, si ex enumeratis non sunt, *certae rationabiles causae* dicuntur.

Conceditur etiam quandoque dispensatio *sine causa* (i. e. expressa), cum scilicet ex pio opere, quod per modum compensationis imponitur, causa dispensationis exsurgit[2].

Atque hic NOTARE juvat, quod aliquando contingit, ut *una causa* seorsim sumpta non sit sufficiens, sed *cum altera* juncta gravis reputatur, ac proinde sufficiens; nam « quae non prosunt singula, multa juvant[3]. »

2050. — Quaesita. QUAER. 1° *An* CESSANTE CAUSA *dispensationis, cesset dispensatio?*

Resp. « Affirmative, si causa cesset antequam dispensatio expediatur, vel antequam fiat ab Episcopo (vel alio delegato, cui a Pontifice commissa fuerit). — Secus vero, si causa cesset, dispensatione jam expedita et facta ab inferiori (delegato), etiamsi cesset ante celebrationem matrimonii. — Ratio, quia per dispensationem

[1] Cf. Pyrrh. Corradus, *Praxis dispens.* lib. 7 et 8. — [2] L. VI. n. 1130. — [3] Arg. L. 5. C. *de probat.*; cf. Lib. VI. 1131.

Digitized by Google

jam tollitur impedimentum, sive lex relaxatur, cujus obligatio extincta, si cessat postea causa, minime reviviscit[1]. »

QUAER. 2° *Quid autem dicendum si dubitatur an falso allegata fuerit causa* FINALIS *aut* IMPULSIVA; *vel an causa fuerit* VERA *an* FALSA?

Resp. « In omnibus his et similibus dubiis, valida censenda est dispensatio, quia in dubio standum pro validitate actus[2] » (cf. n. 240).

ARTICULUS III.

DE MODO IMPETRANDI DISPENSATIONEM

2051. — Dispensatio impetratur per *Litteras supplices* directas ad DATARIAM vel ad S. POENITENTIARIAM, prout de dispensatione pro foro externo, vel pro foro interno, agitur (cf. n. 2043). — Si *Episcopus*, vi Indulti vel potestatis quasi-ordinariae, dispensare possit, ad eum fiat recursus, iisdem servatis quae servanda sunt apud Curiam Romanam (cf. n. 2047. 1°).

Dispensatio pro foro EXTERNO petitur a *parocho,* mediante Curia episcopali, ad quam etiam responsum Tribunalis Romani, partibus communicandum, dirigitur.

Dispensatio pro foro INTERNO petitur a *confessario*, mediante Curia episcopali, si nihil obstet, sed litteris clausis et sigillo munitis; per directum autem recursum ad S. Poenitentiariam, si adsit periculum aliter sigillum sacramentale aliquo modo laedendi.

Dispensatio petitur *nomine Oratorum:* iis etiam insciis, si ratio id suadeat.

« Sed jam (referentes iterum verba praefatae INSTRUCTIONIS S. C. de Propaganda Fide) deveniamus ad ea, quae praeter causas, in litteris supplicibus, pro dispensatione obtinenda *de jure vel consuetudine, aut stylo Curiae* EXPRIMENDA *sunt*, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. — Haec autem sunt:

« 1° *Nomen* et *cognomen* oratorum, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum. » [Si error in nomine est accidentalis, ita ut de identitate personae indubie constet, non est causa nullitatis; secus autem requiritur novus recursus. Dispensatio pro foro interno petitur fictis nominibus].

« 2° *Dioecesis originis vel actualis domicilii.* Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc

[1] L. VI. 1132. — [2] Ib. 1133.

Digitized by Google

habitant. » [Non est facienda mentio de oratorum dioecesi in supplicatione ad S. Poenitentiariam, pro foro conscientiae].

« 3° *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento *criminis*, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii; aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem. » [Error in specie reddit dispensationem invalidam].

« 4° *Gradus consanguinitatis* vel *affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex vel mixtus; non tantum remotior, sed etiam *propinquior;* uti et linea, an sit recta vel transversa; item, an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris quam ex parte matris. » [In linea inaequali, si gradus propior sit primus, exprimi etiam debet, utrum sponsus vel sponsa stipiti sit proximior: nam difficilius dispensatur, ut nepos ducat amitam, quam ut avunculus ducat neptem. Si error impedimenti gravitatem adaugeat, non est causa nullitatis; secus, si minuat. Hinc expresso minore gradu pro majore, invalida est dispensatio; expresso autem majore pro minore, communiter affirmatur valida].

« 5° *Numerus impedimentorum*, v. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas; vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens sive impediens... In petenda tamen dispensatione super impedimento affinitatis 1^{i} vel 2^{i} gradus lineae *collateralis*, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge oratoris vel oratricis, sed etiam ex copula antimatrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur: *necesse non est*, ut mentio fiat hujusmodi illicitae copulae: quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae, diei 20 martii 1842, probante s. m. Gregorio XVI, ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse idem Tribunal litteris diei 10 dec. 1874 edixit. »

« 6° *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam *contractum*, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item, an praemissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum, an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti. »

Digitized by Google

7° *Status demum fortunae oratorum* veraciter exponi debet, ut pro diversitate circumstantiarum, componenda vel taxa recte determinari possit, vel etiam ut dispensatio gratis expediatur (cf. n. 2044).

Nota. Olim, ad validitatem dispensationis « super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, necnon et publicae honestatis » *exprimi debebat* « COPULA INCESTUOSA habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. » Ita ex variis S. OFF. et S. POENIT. responsis, et ex cit. Instr. S. C. DE PROP. FIDE [1]. — Atvero, abrogatis his similibusque Decretis ac Declarationibus, SS. LEO Papa XIII, per Decretum 25 junii 1885, statuit et declaravit: « dispensationes matrimoniales *posthac* concedendas, etiamsi copula incestuosa, vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi, reticita fuerint, validas futuras [2] ». — *Sanatio* tamen praeteriti adhuc desideratur.

2052. — Quaesita. QUAER. 1° *Quomodo petenda sit dispensatio, si* PLURA *concurrant impedimenta, alia* PUBLICA, *alia* OCCULTA; *vel si impedimento publico adnexa sit* CIRCUMSTANTIA OCCULTA *necessario declaranda?*

Resp. 1° Si oratores in rei manifestationem *consentiant*, dispensatio petitur pro foro externo, omnibus expressis circumstantiis, sed facta mentione consensûs oratorum. — 2° Si oratores in manifestationem *non consentiant* (quod facere minime obligantur, cum nemo sese diffamare teneatur), *fit recursus* ad Datariam pro impedimentis *publicis*, reticitis impedimentis vel circumstantiis occultis; ad S. Poenitentiariam autem recurritur pro impedimentis vel circumstantiis *occultis*, simul tamen expositis impedimentis publicis, cum omnia apud unum Tribunal aperiri debeant, et facta insuper mentione de horum relaxatione jam petita vel petenda a Dataria [3]. — Consultius est primo ad Poenitentiariam recurrere, ne, dispensatione super impedimento publico concessa a Dataria, et a Poenitentiaria super occulto denegata, nascantur suspiciones, et expensae factae in Dataria inutiles evadant.

QUAER. 2° *An indigeat* NOVA DISPENSATIONE *qui, post obtentam dispensationem super impedimento occulto affinitatis, iterum rem habuerit cum eadem consanguinea sponsae, antequam eam duxerit?*

Resp. Negative, si dispensatio nondum fuerit fulminata ab eo cui commissa est; « quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die expeditionis, sed a tempore executionis. » Imo, si jam executa fuerit, S. Poenitentiaria negat, in Rescripto edito die 21 sep-

[1] Cf. et S. Alph. L. VI. 1134; H. A. XVIII. 85; *1 El. qq. ref.* n. 91. — [2] Ex copia auth. — [3] L. VI. 1139.

Digitized by Google

tembris 1752, novam requiri dispensationem. « Ratio est, quia affinitas illa jam sublata est per dispensationem quoad hunc effectum contrahendi matrimonium [1]. » — Quod si *cum alia* sponsae consanguinea rem habuerit, nova utique dispensatio requiritur, cum nova affinitas contracta fuerit (cf. n. 786).

QUAER. 3° « *Si quis petat* SECUNDAM *dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an debeat primam exprimere?* »

Resp. 1° « Affirmative, quando impedimentum est ex eodem crimine, quia relapsus retrahit Superiorem a dispensando. — 2° Negative, si impedimentum non sit ex aliquo crimine, vel sit ex crimine diverso. » Ita communiter [2].

QUAER. 4° *An* VALEAT *dispensatio petita tanquam* PRO PAUPERIBUS, *si oratores non sint pauperes?*

Resp. Affirm. uti declaravit S. C. C. die 9 sept. 1679 [3]; quia paupertas non est ratio, ob quam conceditur dispensatio, sed ob quam conceditur *gratis*. Deficiente igitur causa gratuitatis, non propterea deficit causa dispensationis. — Attamen, falsa paupertatis allegatio reddit dispensationem INVALIDAM: 1) si concessa est ab Episcopo vi Indulti habentis clausulam: « in eorum tantum favorem, qui vere pauperes sunt; » 2) si concessa est a S. Poenitentiaria *pro foro externo;* quo casu, juxta praxim hujus S. Tribunalis, vel alia dispensatio, vel sanatio requiritur. Patet utraque exceptio ex declaratione S. C. C. 26 aprilis et 28 junii 1873 [4].

ARTICULUS IV.

DE MODO DISPENSATIONEM EXEQUENDI

2053. — Cum dispensationes matrimoniales non nisi in *forma commissoria* a S. Sede concedi soleant, sequitur, impedimentum nondum per Rescriptum favorabile tolli, sed requiri insuper hujus executionem seu dispensationis *fulminationem*. — Ad fulminationem pro foro quidem EXTERNO delegatur Officialis, Episcopus, vel generice Ordinarius; pro foro autem INTERNO, confessarius ab oratore electus, vel eligendus.

I. Delegato in primis constare debet, ex authentico documento, de Rescripti *validitate*. — Vitiatur autem Rescriptum, tum per substantialem subreptionem vel obreptionem, quae ex hucusque dictis facile dignosci possunt; tum etiam per accidentalem, v. g. circa causam impulsivam, si mala fide fuerit allegata [5]. — « Quare (ita

[1] L. VI. 1140. — [2] L. VI. 1137. — [3] H. A. ib. 87. — [4] *Thesaur. S. C. C.* tom. 132. 26 apr. n. II; 28 jun. n. III; cf. et *Acta S. Sed.* VII. 290 et 423. — [5] Cap. *Super litteris* 20 de rescriptis.

Digitized by Google

Benedictus XIV [1]), qui Litteras exequitur omnem curam ac diligentiam impendere debet, ut cognoscat, an verum sit, quod Majori Poenitentiario (vel Datariae) fuit expositum. An res ipsa, circumstantiae, et causae, ac rationes ad obtinendam dispensationem prolatae veritati prorsus consentaneae sint. » — Si Litterae Apostolicae reperiantur invalidae, statim de earumdem sanatione est curandum, novo obtento Rescripto, *Perinde valere* dicto, quo priores Litterae declarantur validae, *perinde ac* si nullo vitio laborarent. — Si post sanationem novum vitium detegitur, nova sanatione opus est, quae conceditur per aliud Rescriptum, quod dicitur *Perinde valere super Perinde valere* [2].

Pro sanationis Rescripto, recurrendum est ad DATARIAM vel ad S. POENITENTIARIAM, juxta rei naturam: tota causa summarie exponitur, prior gratia concessa memoratur, vitium detectum declaratur, et gratia expostulatur ut, eo non obstante, priores Litterae valeant. — Firma etiam manet lex de omnibus ad rem facientibus apud unum tribunal aperiendis; quare, si recursus habitus fuerit tum ad Datariam, tum ad Poenitentiariam, et novum impedimentum sit publicum, duplex PERINDE VALERE requiritur: unum a Dataria, quia de publico impedimento agitur; alterum a Poenitentiaria, quia huic tribunali tota causa declarari debet [3].

2054. — II. Delegatus, posteaquam omnia, quae in Litteris Apostolicis adimplenda praescribuntur, adimplevit, debet *oratores*, nomine Pontificis, ab impedimentis in Rescripto memoratis SOLVERE, eisque declarare matrimonium, impedimentis non obstantibus, posse libere iniri [4]. — Quamobrem DELEGATUS: — 1° Debet, et quidem sub gravi, omnia in Litteris Apostolicis praescripta fideliter adimplere, tum quia rationem veri praecepti habent, tum quia plura in eis continentur, a quorum executione dispensationis validitas pendet, uti legenti Rescriptum facile patebit. — 2° Debet *declarare*, se agere vi delegationis Pontificiae. — 3° Debet solvere oratores ab impedimentis in Rescripto designatis, in specie ea *exprimendo*, quia ad ea sola sese extendit dispensandi facultas.

Hic actus, qui FULMINATIO dicitur, fit in scriptis pro foro externo; viva voce, et ordinarie in confessione sacramentali, pro foro interno. — Requiritur quidem dispensationis *acceptatio*. Haec vero sufficienter habetur, si recursus, oratoribus petentibus, factus est. Quodsi ipsis insciis factus sit, nequit, nisi ipsis acceptantibus, fulminari [5].

NB. De spectantibus ad forum *externum* nihil addimus, cum delegato in hoc foro multa sint scitu necessaria, pro quibus addiscendis adeat necesse

[1] Instit. 87. n. 34. — [2] Feije, n. 729. — [3] Feije, ibid. — [4] Feije, n. 731 sqq. (i. e. cap. 34 per totum). — [5] Ib. n. 730.

Digitized by Google

est auctores hac de re in specie tractantes [1]. — In commodum vero *confessariorum* pauca adjicienda videntur quae spectant ad executionem in foro interno. — Unde sequentia.

2055. — Quaesita. [2] QUAER. 1° *Quinam exequi* POSSINT *Litteras S. Poenitentiariae?*

Resp. Id ex earum inscriptione dijudicandum est. — Si, ut communiter fit, inscribantur: *Confessario ex approbatis ab Ordinario loci* sufficit ut confessarius sit approbatus. Si autem, quod raro evenit, addatur *magistro in Theologia et Decretorum doctori*, doctoris laurea requiritur. — Si confessarius electus Litteras exequi nolit, potest alius eligi.

QUAER. 2° *Quaenam* CLAUSULAE *soleant in Litteris S. Poenitentiariae apponi?*

Resp. Praecipuae sunt sequentes:

1° *Si ita sit, si preces veritati nitantur.* Haec verba imponunt necessitatem investigandi, ut supra diximus. — Cum autem de foro interno agatur, tota investigatio in hoc consistit, ut confessarius poenitentem iterum interroget, serio eum admonendo de gravissima, quae urget, obligatione sincere respondendi.

2° *Discretioni tuae committimus, quatenus... latorem, audita prius ejus sacramentali confessione..., a quibusvis sententiis, censuris et poenis ob praemissa quomodolibet incursis absolvas.* — Juxta hanc clausulam dispensatio non potest valide pronuntiari, nisi praemissa confessione sacramentali, et in ipso actu confessionis. Non requiritur tamen absolutio sacramentalis, si poenitens forsan non sit dispositus. — Nec validitati dispensationis officit absolutio sacrilege suscepta, sicut pluries declaratum est a S. Poenitentiaria [3]. Ita etiam S. C. de Prop. Fide, 16 jan. 1797 [4]. — Si vero urgens aliqua necessitas suadeat, ut, denegata absolutione sacramentali, dispensatio fulminetur: confessarius nihilominus absolvat a poenis et censuris ob delictum forsan incursis, puta si in dioecesi casus foret reservatus. Ast, vi Rescripti, non potest absolvere ab aliis poenis et censuris, quibus poenitens irretitus foret.

3° *Sublata occasione peccandi:* intelligitur, si occasio sit voluntaria; quia, si esset necessaria, sufficit ut media eligantur, quibus, ex proxima fiat remota.

4° *Injuncta pro modo culpae poenitentia salutari*, quae a poenitentia sacramentali sit distincta. — « Quamobrem confessarius (ita Benedictus XIV [5]), ut suo muneri recte satisfaciat, neque severitatis, neque humanitatis fines excedat. Rationem quoque habebit conditionis, aetatis, et sexus illius, cui poena irrogatur. » Si poenitentia ab ipsis Litteris determinata sit, v. g. confessio semel in mense, haec a confessario omnino imponenda est. — Quandoque praescribitur poenitentia gravis, gravissima, longa, diuturna, perpetua. *Gravis* erit, si suo pondere ita reum premat, ut ipse sentiat et cognoscat per eam sui delicti gravitatem: hujusmodi poenitentia, teste S. Alphonso [6], foret, si ad sex menses imponeretur jejunium semel in hebdomade servandum; rosarium ter in hebdomade recitandum; item frequens confessio, saltem semel in mense; habito semper respectu ad vires poenitentis. — *Gravissima* erit, si reum ita premat, ut acriter sentiat delicti atrocitatem. *Longa*, si singulis hebdomadibus per integrum annum continuanda sit; *diuturna*, si ad tres annos; *per-*

[1] Egregie hanc materiam pertractant Pyrrhus Corradus, Vincentius de Justis, Giovine, Feije, Planchard. — [2] Cf. L. I. 205, Append I. Busembai; et L. VI. 1131. — [3] Feije, n. 749. — [4] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 858. — [5] *Instit.* 87. n. 38. — [6] L. VI. 1143.

Digitized by Google

penua, si usque ad mortem extendatur, non quidem quotidie, sed statutis dielus peragenda.

5° *Injunctis aliis de jure injungendis,* quae nempe caeteroquin praescribenda forent.

6° *Dummodo impedimentum praefatum sit occultum* (vel *omnino occultum*). Haec conditio supra declarata est (cf. n. 2041. 5).

7° *Neque aliud obstet canonicum impedimentum,* super quo nempe non concessa fuisset dispensatio. — Si cum impedimento occulto publicum concurrat, solet insuper haec clausula apponi: « dummodo, seu postquam super publico impedimento dispensationis Litterae obtentae fuerint. »

8° *Apostolica auctoritate misericorditer dispenses;* expressis verbis, et facta mentione delegationis acceptae. — Nec omittenda est, quae ordinarie praescribitur, legitimatio suscipiendae vel jam susceptae prolis.

9° *Nullis super his datis Litteris, sed praesentibus sub poena excommunicationis latae sententiae per te post executionem penitus laceratis.* Cum enim impedimentum sit occultum, debet et dispensatio remanere occulta. Haec laceratio statim facienda est, sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum. — Nec vero prohibetur confessarius dispensationis textum descriptum, pro sua instructione apud se retinere, omissa tamen diei et anni mentione, quae facile argumentum foret cognoscendi poenitentem dispensatum.

QUAER. 3° *Quaenam sit fulminationis* FORMA?

Resp. Nulla determinata requiritur.—Hinc, impertita absolutione sacramentali, confessarius poterit hanc vel similem, mutatis mutandis, statim adjicere: « Et insuper, auctoritate Apostolica mihi in hac parte commissa, dispenso te « cum super impedimento... (primi, primi et secundi, secundi) affinitatis gradus, « exinde proveniente, quod copulam illicitam habueris cum sorore mulieris, cum « qua contrahere intendis, ut, eo non obstante, matrimonium cum dicta muliere « publice, servata Concilii Tridentini forma, contrahere, et in eo postmodum « remanere valeas. In nomine Patris † etc. — Insuper eadem auctoritate Apo« stolica prolem suscipiendam legitimam nuncio. In nomine Patris †... etc. »

Si absolutio sacramentalis deneganda videatur, poterit FORMULA hoc modo *immutari:* « Auctoritate Apostolica mihi in hac parte commissa, absolvo te « a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis propter copulam illi« citam cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis, forsan incursis et « ab excessibus hujusmodi, et dispenso tecum super impedimento primi affi« nitatis gradus exinde proveniente, ut eo, non obstante... etc. » ut supra [1].

QUAER. 4° *Quomodo exequenda sit dispensatio, si in Rescripto mentio fiat,* DELICTI, *quod utrique contrahenti est* COMMUNE?

Resp. « Prior confessarius, post dispensationem ad formam Litterarum concessam, debet Litteras S. Poenitentiariae poenitenti tradere, ut per illum alteri parti tradantur, quae similiter easdem Litteras secum exequi faciat per alium confessarium.... Mens enim S. Poenitentiariae est, ut erga utramque personam Litterae executioni mandentur, sin minus ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum una dispensationem jam ablatum praesupponitur, saltem ad congruas poenitentias salutares utrique imponendas, quas non convenit ab una tantum exigi, ubi communis est culpa. » Ita S. POENITENTIARIA, 15 nov. 1748 [2].

[1] Varias FORMULAS habes apud Planchard, n. 529-536. — [2] Ap. Planchard, n. 475.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE MATRIMONII CELEBRATIONE

2056. — Duo sunt quae proxime ad matrimonii celebrationem pertinent, videlicet: praemittendae sunt *proclamationes*, et *forma Tridentina* servanda est. — De utroque separatim tractabimus.

ARTICULUS I.

DE PROCLAMATIONIBUS MATRIMONIO PRÆMITTENDIS

Agemus 1° de praecepto et forma proclamationum; 2° de dispensatione ab iisdem faciendis; 3° de impedimentorum revelatione.

§. 1. *De praecepto et forma proclamationum.*

PROCLAMATIONES (quae *banna* etiam dicuntur) sunt publicae denuntiationes, quibus fideles admonentur de matrimonio inter certas personas contrahendo, eo fine, ut si quis aliquod dirimens aut prohibens impedimentum inter contrahere volentes existere cognoscat, illud tempore opportuno manifestet. — Has vero praecedere debet privata parochi INVESTIGATIO, atque opportuna nupturientium ADMONITIO de iis, quae requiruntur ad matrimonium valide et licite contrahendum. — Quae quo melius innotescant, sint sequentia

2057. — **Principia.** I. Parochus, antequam ad proclamationes deveniat, tenetur diligens instituere EXAMEN, quo cognoscat, an nihil validae ac licitae matrimonii celebrationi obstet. — Debet enim, ratione sui muneris, advigilare, ut subditi Sacramenta digne suscipiant. Atque hoc plurimum commendat tum Rituale Romanum [1], tum Benedicti XIV Constitutio *Nimiam licentiam* [2]. — Congruenter his praescriptionibus:

1° « Parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat [puta ex parentibus vel aliis cognatis, et in primis ab ipsis sponsis], qui et quales sint qui matrimonium contrahere volunt. An inter eos sit *aliquod canonicum impedimentum* (impediens vel dirimens): utrum sponte, et *libere*, et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere ». Ita RITUALE.

[1] Tit. VII. *De matrim.* cap. 1. — [2] De die 18 maji 1743. §. 10.

Digitized by Google

2° Si una pars sit extera, omnino requiritur, juxta Instructionem S. Inquisitionis a Clemente X approbatam die 21 augusti 1670 [1], testimonium seu mandatum *de statu libero:* qua in re, attendendum est etiam ad Statuta dioecesana.

3° Inquirat, an filii filiaeque familias contrahant *de consensu parentum* [2]. Matrimonia enim, parentibus rationabiliter invitis, sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis, semper detestata est, atque prohibuit [3] (cf. n. 1973. q. 6°). — Si filii autem a matrimonio desistere nolint, et majora mala timenda sint, parochus ministerium suum non deneget; sed rem totam, si possit, Episcopo exponat.

4° Non praetereat, si salva conscientia servari possint, praescripta *legis civilis.* Quamvis enim lex civilis circa Sacramenta nihil statuere valeat, parochus nihilominus contra faciens, multis se tricis implicaret, quas semper, quantum divinae et ecclesiasticae leges sinunt, debet pro viribus prudenter declinare [4].

5° Monet RITUALE, « ut uterque (conjux) sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeat. » De his igitur sponsi *examinandi* sunt, prudenter tamen et discrete, prout conditio personarum et variae circumstantiae suadebunt.

6° Exploret parochus, num *separati vivant,* tam die quam nocte; vel, si prius sub eodem tecto habitaverint, an ex tempore sponsalium vel proclamationum separati sint [5].

7° « Admoneantur praeterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter *confiteantur,* et ad Sanctissimam *Eucharistiam,* atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant; et quomodo in eo recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae, verbisque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere [6]. »

Quocirca ANIMADVERTIMUS: 1° Status gratiae omnino requiritur ad digne suscipiendum matrimonii Sacramentum, ut palam est. *Confessio* autem et *Communio* nulla lege stricte praecipiuntur: quare PAROCHUS instanter quidem et paterne sponsos hortari debet, ut horum Sacramentorum susceptione ad matrimonium se disponant; sed stricte praecipere nequit, nisi forsan *Statuta dioecesana* id requirant. — 2° In exponendis *conjugum officiis,* et in inquirendo de impedimentis *ex copula* illicita, ejusmodi orationis genere PAROCHUS utatur, quod singularem quamdam gravitatem et mentis integritatem prae se ferat; ea tamen quae ad usum matrimonii pertinent, vix non remittenda erunt ad tempus proxime antecedens matrimonium, et ordinarie praestat in ipso actu confessionis ea tradere [7] (cf. n. 2119).

[1] Cf. Lucidi, vol. 3. p. 605 (Docum. LXXII. 3). — [2] Bened. XIV. loc. cit. — [3] Trid. Sess. 24. cap. 1. *de ref. matr.* — [4] Berengo, *Theol. past.* n. 127. pag. 223. — [5] Trid. ibid; Ben. XIV. l. c. — [6] RIT. ROM. l. c. — [7] Konings, n. 1543.

Digitized by Google

2058. — II. Proclamationes matrimonio sunt NECESSARIO PRAEMITTENDAE: idque ex praecepto ecclesiastico SUB GRAVI obligante. — *Sunt praemittendae;* sancta enim Tridentina Synodus[1] « sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia, inter Missarum solemnia, publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. » — Nec tamen invalidum foret matrimonium si, proclamationibus omissis, contraheretur, dummodo non aliud obstet impedimentum.

Quod autem lex obligat *sub gravi*, evincitur tum ex ejus fine, qui est, ut cognoscantur impedimenta, utque matrimonia clandestina vitentur: tum ex poenis in violantes latis, quae similiter sunt graves, videlicet: PAROCHUS matrimonio interesse praesumens, cui legitimae non praecesserint denuntiationes, suspensione ab officio, triennio duratura, aut etiam graviori poena *plecti jubetur*[2]. TESTES etiam, si scienter agant, condigna poena afficiendi sunt. — Ad CONTRAHENTES vero quod spectat, si matrimonium ex latente impedimento fuerit invalidum, filii ex putativo matrimonio nati erunt illegitimi, de parentum ignorantia nullum habituri subsidium[3]. — Difficilius etiam conceditur dispensatio super impedimento postea detecto[4], et insuper poenitentia arbitrio Episcopi definienda injungenda est[5] (cf. n. 2061).

2059. — III. Proclamationes fieri DEBENT tribus continuis diebus festivis, in ecclesia, inter Missarum solemnia, a proprio contrahentium parocho. — Ita Tridentini decretum.

Fieri igitur debent: 1° *diebus festivis*, i. e. festis de praecepto, quibus annumerari possunt festa suppressa, si functiones et solemnia adhuc, ut ante suppressionem, peragi soleant, et concursus populi habeatur[6]. — Imo, ob justum motivum, quod ut tale ab Episcopo approbatur, ipsis diebus ferialibus fieri possunt, si ex aliqua causa fieret magnus concursus in ecclesia[7].

2° *Tribus continuis* diebus festivis, i. e. nullo die festo omisso a prima proclamatione ad ultimam. — Proclamationes facere tribus diebus festivis non continuis, modo plures dies festi non intercedant, juxta veriorem sententiam, non est mortale, quia non videtur gravis transgressio; sed non excusatur a veniali, quia jam transgreditur praeceptum Concilii. — Si autem occurrerent tres dies fe-

[1] Loc. cit. — [2] Bened. XIV. *de Syn.* L. 12. c. 6 n. 2. — [3] De Angelis, lib. 4. tit. 3. n. 3° fin. — [4] Trid. sess. 24. cap. 5. *de ref. matr.* — [5] Bened. XIV. l. c. — [6] Cf. Feije, n. 241. sqq. — [7] Decr. S. C. C. in *Ravennaten.* ap. Giraldi, p. II. sect. 114. pag. 989; cf. L. VI. 992.

Digitized by Google

stivi immediati, praxis fert, ut unus alterve praetermittatur, quia tempore tam brevi non satis obtineretur finis Concilii [1].

3° *In ecclesia inter Missarum solemnia*, i. e. in Missa parochiali vel conventuali, ad arbitrium parochi. — Juxta decretum S. C. C. e die 20 sept. 1828 [2] idipsum fieri potest alio tempore, quo populi concursus esset frequentior. — Imo, probabile est, fieri posse *extra ecclesiam*, occasione sacrae alicujus functionis, in loco magni concursus, « saltem sine mortali, et si adsit aliqua causa, sine ulla culpa [3]. »

4° *A proprio contrahentium parocho*, i. e. ab illo, ad cujus parochiam sponsi pertinent, titulo domicilii aut quasi-domicilii (quoad domicilium vid. infra n. 2074).

Hinc: 1) Si sint diversarum parochiarum, in utraque faciendae sunt proclamationes. — 2) In utraque pariter, si quis habeat duplex domicilium i. e. domicilium in una parochia, et quasi-domicilium in altera. Atque hoc clare colligitur ex Statuto Urbis (11 jan. 1762), praescribente, ut denuntiationes fiant tam in paroecia domicilii, quam collegii, monasterii, conservatorii, ubi sponsi commorantur [4]. — 3) Si quis recenter in aliquam parochiam advenerit, proclamationes tum in ea fieri debent, tum in parochia prioris habitationis, si *per sex saltem menses* ibi commoratus sit. Quale autem a mutato domicilio temporis spatium requiratur, ut in actuali parochia solum proclamationes faciendae sint, a jure non definitur: res igitur dignoscenda est ex consuetudine, atque ex dioecesanis statutis. — 4) Faciendae sunt insuper in loco originis, nisi a pluribus jam annis fuerit derelictum. — 5) Si nupturientes sint vagi, faciendae sunt in parochiis tum actualis habitationis, tum originis, vel etiam praecedentis habitationis, si alteruter sponsus diutius ibi commoratus sit. — 6) Milites proclamandi sunt in loco, ubi sunt in praesidiis et insuper in parochia parentum si sunt minores; et si sint majores, in loco ubi residebant ante militiam susceptam [5].

Nota. — Quando proclamationes in duabus parochiis faciendae sunt, *neuter parochus* matrimonio assistere poterit, nisi accepta alterius parochi ATTESTATIONE, quod tres proclamationes in sua parochia rite factae fuerint, et quod nullum inde impedimentum detectum fuerit.

2060. — IV. In proclamationibus faciendis, ea teneri debet FORMA, quae earum fini correspondeat. — Ratio est, quia aptitudo ad finem, i. e. impedimentorum manifestatio, intenditur principaliter a legislatore. — Quare 1) vulgari sermone, alta atque intelligibili voce faciendae sunt denunciationes, et accurate indicandae personae contrahere intendentes, earumque parochia, ita ut nulli errori sit locus. — 2) Commemorandum est in singulis denunciationibus, num ea sit prima, an secunda, an ultima; imo si una tantum foret facienda, vel duae, ex dispensatione Ordinarii, debet id populo

[1] L. VI. 992. — [2] *Thesaur.* tom. 87. pag. 240 in *Sarzanen.* — [3] L. VI. 991. — [4] Vecchiotti, lib. 5. §. 71. pag. 106. — [5] Cf. in hanc materiam Feije, cap. X. a n. 240. sqq., Vecchiotti, cit. §. 71; Berengo, 131. sqq.; Giraldi, P. II. sect. 114.

Digitized by Google

adstanti notificari — 3) Praestat etiam populum admonere de gravi obligatione cuique fideli incumbente manifestandi impedimenta sibi nota, prout habetur in formula Ritualis Romani. — 4) Consultum est, variisque in provinciis praescriptum habetur ut matrimonium non nisi integra die post ultimam proclamationem elapsa celebretur. — 5) Si vero infra duos menses post factas denunciationes, matrimonium contractum non fuerit, repetendae sunt denunciationes, nisi aliter Episcopo videatur (RIT. ROM.).

2061. — QUAERITUR. *An sit peccatum grave omittere denunciationes, si, facta diligentia, omnino* CONSTET *nullum subesse impedimentum?*

Resp. 1° Affirmative, si *tres denunciationes* omittuntur. « Ratio, tum quia, esto per diligentiam parochus impleat finem Tridentini, transgreditur tamen diligentiae formam, quam Concilium praescribit: quod cum sit in re gravissima, non excusatur a mortali, nisi urgens adsit necessitas, quae moram non patiatur; tum quia alias non adaequate satisfit fini praecepti denunciationum; nam, diligentia parochi non satis supplet effectum denunciationum ad impedienda mala, quae alioquin evenire possunt » (cf. n. 2058) [1].

Resp. 2° *Duas denunciationes* omittere, probabilius, est mortale; sed *unius* tantum omissio, probabiliter, non est nisi culpa venialis, quia respectu ad totum praeceptum non videtur gravis materia [2].

Nota. Quod de denunciationibus, si omissae fuerint, *ante matrimonii consummationem* supplendis dicit Tridentina Synodus, id jam passim in desuetudinem venit. — De caetero, ipsa Synodus rem Ordinariorum prudentiae et judicio remiserat.

§. 2. *De dispensatione a proclamationibus.*

Dispensatio in matrimonii proclamationibus, quae olim difficilius et perraro obtineri poterat, faciliori nunc negotio obtinetur, sicut sequentia exponent

2062. — **Principia.** I. Facultas DISPENSANDI, justa de causa, in PROCLAMATIONIBUS, competit Ordinariis locorum. — Constat ex Tridentino (sess. 24. cap. 1. *de ref. matr.*). Quocirca NOTANDUM:

1° Nomine *Ordinarii* intelliguntur Episcopus, et, Sede vacante, Vicarius capitularis; Praelatus habens jurisdictionem quasi-episcopalem, et probabilius etiam Vicarius generalis, ut communissime docetur (cf. n. 2259) [3].

2° Ad dispensandum requiritur *causa justa*, i. e. proportionata dispensationis amplitudini. — Hinc requiritur minus gravis ad dispensandum ab una tantum denunciatione; gravior ad dispensan-

[1] L. VI. 990. — [2] Ib. v. *An autem.* — [3] Ibid. 1007; H. A. XIII. 59.

Digitized by Google

dum a duabus ; ad dispensandum autem licite ab omnibus, « non satis est, ait Benedictus XIV [1], obvia quaevis, et vulgaris causa, sed gravis, urgens et urgentissima requiritur. » — Et notandum insuper, « quod Episcopus, dispensando in denunciationibus, semper tenetur diligenter aliunde inquirere de impedimentis, nisi communiter constaret non adesse [2]. »

2063. — II. Pro varietate causarum, Ordinarius POTEST aliquando, et aliquando TENETUR a proclamationibus dispensare. — Constat ex iis, quae de dispensatione in Tractatu *de Legibus* dicta sunt (cf. n. 234. 2°). — Hinc :

1° Potest dispensare, si causa sit *sufficiens*, nullumque grave incommodum ex denegatione sit timendum : puta « si nuptiae sint contrahendae inter magnates ; si sponsi sint valde senes, aut valde dispares in conditione, aetate, divitiis aut qualitate [3]. »

2° Tenetur dispensare, si causa sit *urgens*, si nempe vitandum sit grave damnum commune vel privatum, spirituale aut temporale ; vel si dispensatio conductura sit ad notabile bonum spirituale aut temporale communitatis vel alterius privati. — Hujusmodi CAUSAE sunt : 1) Probabilis timor, ne matrimonium malitiose impediatur. 2) Matrimonii necessitas ad vitandum damnum sive infamiam contrahentium vel prolis : v. g. si concubinarii reputarentur conjuges ; vel si praecesserit defloratio, et sponsus jamjam esset moriturus, aut discessurus in longinquam regionem, aut mutatio voluntatis in eo timeretur. 3) Mala voluntas sponsi recusantis, post civile jam contractum matrimonium, tres fieri proclamationes ; et similia [4].

2064. — Quaesita. QUAER. 1° *An dispensatio, cum sponsi sunt ex diversis dioecesibus, ab* UTROQUE EPISCOPO *obtinenda sit ?*

Resp. Communior hodie est sententia affirmans, et, spectatis rationibus intrinsecis, probabilior etiam videtur. Ubi tamen contraria consuetudo viget, servari potest [5] ; sed mandatum status liberi omnino requiritur [6] (cf. n. 2048 1°).

QUAER. 2° *An* PAROCHUS *possit aliquando dispensare in denunciationibus ?*

Resp. Negative, « quia parochus nullam habet jurisdictionem in foro externo. — Valde probabiliter tamen dicunt AA., quod esto parochus non possit dispensare, nihilominus in casibus in quibus Episcopus dispensare tenetur, et adiri non possit, poterit declarare

[1] Const. *Satis vobis*, §. 6 ; cf. etiam Const. *Nimiam licentiam*, §. 12. — [2] L. VI. 1006. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 1005 ; H. A. XVIII. 58. — [5] Ibid. 1006. — [6] Feije, n. 266 ; Giovine, §. 355. 4° sqq. ; De Angelis. lib. IV. tit. 3. n. 3.

Digitized by Google

praeceptum proclamationum non obligare, modo certus sit nullum adesse impedimentum [1]. »

§. 3. *De revelatione impedimentorum.*

Quemadmodum parochi officium est, contrahenda matrimonia publice denuntiare: ita et *fidelium* officium est, impedimenta, quae eorum celebrationi obstare noverint, manifestare. — Quae ad hanc obligationem spectant, declarabunt sequentia.

2065. — Principia. I. Omnis Christifidelis, qui NOVERIT aliquod impedimentum esse inter sponsos, quod matrimonii celebrationi obstet, TENETUR, et quidem sub gravi, illud DENUNTIARE. — Obligatio procedit ex lege charitatis, qua jubemur avertere damnum, quod sive privato, sive communitati imminet (cf. n. 479 et 483): quale profecto damnum ex non manifestatis impedimentis utrique immineret [2]. — Accedit insuper positivum Ecclesiae praeceptum [3].

Dicitur 1° *Omnis*; quia nemo, nisi legitime excusatus, ab hac lege eximitur; in primis vero ipsi contrahentes tenentur impedimentum occultum fateri, et impetrare dispensationem [4].

2° *Qui noverit*, i. e. qui habuerit notitiam saltem probabilem de impedimento, tametsi illud probare non possit; tum quia talis denuntiatio ad ulteriores investigationes conducit, tum quia ob solam denuntiationem matrimonium quandoque impediri potest, si nempe denuntians est testis omni exceptione major [5]. Quod « si noveris impedimentum ex auditu, sed non recordaris a quo, vel si accepisti a persona non fide digna, non teneris denuntiare [6]. »

3° *Aliquod impedimentum*, « sive sit dirimens, sive impediens, esto sit occultum et infamatorium, nempe quod ortum habuerit ex peccato. Quivis enim tenetur manifestare peccatum occultum alterius, quando praelatus legitime id praecepit, » prout in hoc casu [7] (cf. n. 1186).

4° *Quod obstet*, i. e. in quo non sit dispensatum. Unde « si impedimentum sit occultum, et jam fuerit pro eo obtenta dispensatio quoad forum internum, illud sciens non tenetur denuntiare [8]. »

5° *Illud denuntiare sub gravi tenetur*; agitur enim de re gravissima, in qua stricte obligare Ecclesia intendit. — Excusatur tamen ab hac obligatione, qui sine gravi suo damno, aut aliorum scandalo, denuntiare non potest [9]. Hinc, nemo tenetur propriam illicitam

[1] L. VI. 1007; H. A. XVIII. 59. — [2] L. VI. 994; H. A. XVIII. 56. — [3] RIT. ROM. tit. VII. *de matrim.* cap. 1. n. 13. — [4] L. VI. 994. 1000. — [5] Ib. 995. 996. — [6] Ib. 994. fin. — [7] Ib. 994. — [8] Ibid. — [9] Ib. 995.

Digitized by Google

copulam manifestare, nisi ipsi nupturientes, qui debent aut abstinere a matrimonio, aut dispensationem sibi procurare. — Excusatus vero debet, si potest, impedire matrimonium.

An, quaeres, *excusetur a denuntiatione qui impedimentum cognovit* SUB SECRETO? — *Resp.* Negative, etiam si secretum fuerit commissum, et accesserit juramentum non propalandi. — Ratio est, quia promissio etiam jurata non obligat, quando grave damnum communitati vel tertiae personae imminet [1] (cf. n. 616). — Excipe probabilius, si impedimentum quis noverit sub *secreto consilii*, ratione publici officii, quod exercet, v. g. parochus, medicus, advocatus, etc. Ita enim bonum publicum postulare videtur [2]. — Tenentur tamen, si possunt, nupturientes admonere.

2066. — II. Revelatio, QUAMPRIMUM moraliter fieri potest, facienda est PAROCHO sponsorum, vel EPISCOPO, servato tamen ordine charitatis. — Hinc, si impedimentum sit *infamans*, et monitio probabiliter sit profutura, prius admonendi sunt sponsi, ut sibi provideant. Secus, adeatur statim parochus vel Episcopus, quia in hujusmodi circumstantiis ordinarie est periculum in mora [3].

2067. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Quid* PAROCHUS, *cognito impedimento, agere debeat?*

Resp. « Si impedimentum *denuntiatur ab aliis*, certum est ex cap. fin. *de cland. desp.* teneri parochum interdicere nuptias, et rem ad Ordinarium deferre, ut ille cognoscat. » — Atque idipsum affirmandum, *si ille solus impedimentum sciat*, extra confessionem. « Ratio, quia, si quilibet tenetur impedimentum revelare, etiamsi ipse solus id sciat, a fortiori tenetur parochus, cui ex officio incumbit consulere saluti suarum ovium. — Nec obstat, quod peccatori occulto, publice petenti Sacramentum, illud non sit denegandum; nam respondetur, quod hoc procedit, quando impedimentum duntaxat reddit illicitam Sacramenti susceptionem; secus vero, si impedimentum (praeter susceptionem) praebet occasionem aliorum damnorum et culparum [4]. »

QUAER. 2° *An et quandonam* UNIUS TESTIS *denuntiatio sufficiat ad impediendum matrimonium?*

Resp. 1° Communissima et verior sententia affirmat sufficere unum testem, etiamsi non sit omni exceptione major, modo habeat QUALITATES infra explicandas. — Probatur ex cap. *Super eo* 22. *de test. et attest.*, necnon ex cap. *Praeterea* 12. *de sponsal.* « Ratio est, quia, licet quando agitur de praejudicio tertii, plena requiratur

[1] Lib. VI. 994. — [2] Gury, II, 742 et alii ibi citati. — [3] Lib. VI. 994. — [4] Ib. 1002.

Digitized by Google

probatio, attamen cum hic agatur de vitando periculo animae, nempe si forte matrimonium contraheretur cum impedimento, minori probatione jus contentum est [1]. »

Resp. 2° Qualitates REQUISITAE, ut unus testis possit matrimonium impedire, hae sunt: — 1) ut ipse non tantum denuntiet, sed etiam *deponat;* nisi talis testis denuntiando probaret *de fama* impedimenti, quia tunc sufficit ut denuntiet; — 2) ut deponat aut denuntiet *cum juramento*, quia in iis quae sunt in praejudicium tertii, non creditur nisi testi jurato; — 3) ut deponat *ex certa scientia*, non ex auditu: nisi sit impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis; quia tunc sufficit, ut deponat se illud scivisse a personis certis et fide dignis; — 4) ut testis *non sit persona vilis;* dummodo factum non sit adeo occultum, ut aliter probari nequeat; nam ubi deest facultas probandi, admittitur etiam probatio per se non sufficiens. Ita communiter [2].

Atque hic notandum, quod *fama impedimenti* satis sit ad impediendum matrimonium, nisi consanguinei sponsorum, aut ipsi sponsi, jurarent non adesse impedimentum [3].

ARTICULUS II.

DE FORMA TRIDENTINA SERVANDA

Dicendum hic venit: 1° de necessitate formae Tridentinae; 2° de requisitis ad formam Tridentinam; 3° de ritu in matrimonii celebratione servando.

§. 1. *De necessitate formae Tridentinae.*

2068. — Jure naturae perficitur quidem matrimonium mutuo consensu externe manifestato; sed Tridentina Synodus gravibus volens occurrere malis et peccatis, quae ex clandestinis conjugiis ortum habent, stabilivit formam solemnem, sub qua consensus praestandus est, nempe *coram parocho et testibus*, ita ut aliter praestitus consensus sit informis, et proinde invalidus. — Hinc statuuntur sequentia

Principia. I. Matrimonium clandestinum est ubique locorum GRAVITER ILLICITUM. — Id veteres canones statuêre, id Innocentius III in Concilio IV Lateranensi confirmavit [4], atque id ipsum Tridentina Synodus [5] sua sanctione munivit, cum dixerit Ecclesiam ea

[1] L. VI. 996. 4ª sent. — [2] Ib. 997. — [3] Ib. 999; cf. H. A. XVIII. 56-59. — [4] Decretal. IV. III. 3. — [5] Sess. 24. cap. 1. *de ref. matr.*

Digitized by Google

semper detestatam fuisse. — Quod si, ob temporum locorumve adjuncta, lex integre servari nequeat, servanda est quoad partem possibilem, juxta normam pro missionibus apud infideles praescriptam [1].

Hinc: 1° graviter peccant sponsi, quamvis validae sint alicubi nuptiae, si extra casum necessitatis, contrahant inter se solos, vel coram solo magistratu civili. 2° Gravius peccant, atque rei sunt participationis in cultu haeretico, si contrahant coram ministro acatholico.

2069. — II. Matrimonium clandestinum, in locis ubi promulgatum est TRIDENTINI decretum de adhibenda solemnitate, est omnino INVALIDUM. — Sic enim ab ipso Concilio definitum est: « Qui aliter quam praesente *parocho,* vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et *duobus* vel *tribus testibus* matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino *inhabiles* reddit, et hujusmodi contractus *irritos* et *nullos* esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat... Decernit insuper, et hujusmodi decretum in *unaquaque parochia* suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos. »

Porro requiritur, ut haec PUBLICATIO facta fuerit in singulis parochiis (vel quasi parochiis) [2], vel de mandato Ordinarii tanquam decreti Concilii Tridentini promulgatio, vel, ex speciali Indulto, nomine et auctoritate Romani Pontificis, ut fuse explicat Benedictus XIV [3]. — Et factum promulgationis debet esse indubium. Ad *probationem* autem quod attinet, S. C. C. die 29 sept. 1602, definivit: « publicationem *praesumi,* ubi decretum fuerit aliquo tempore in parochia, tanquam decretum Concilii observatum [4]. »

Diximus *in locis ubi promulgatum est,* etc.; nam certum est clandestina matrimonia « RATA et FIRMA consistere iis in *locis,* in quibus Concilii Tridentini decretum vel nunquam publicatum fuit, vel nunquam observatum tamquam ejusdem Concilii decretum; vel si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit [5]; » vel demum si ex Pontificia auctoritate dispensatio super eo concessa est.

Hic etiam NOTANDUM est, quod (ut ait Benedictus XIV [6]) « cum conjugum alter, tum ratione loci in quo habitat, tum ratione societatis in qua vivit, exemptus sit a Tridentinae Synodi lege, *exemptio,* qua ipse fruitur, alteri parti *communicata* remanet, propter individuitatem contractus, vi cujus exemptio, quae uni ex par-

[1] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 983. sqq.; in specie n. 984. — [2] Cf. *Monit. eccl.* t. X. p. 28; ubi Resp. S. OFFIC. 14 nov. 1883, pro regione Canadensi. — [3] *De Synodo,* lib. 12. cap. 5. n. 6. — [4] Relat. in Instr. Pii VI ad Episc. Lucionensem 28 maji 1793 (ap. Perrone, *de matrim.* II. p. 210. Ed. Leod.). — [5] Pius VII ad Archiep Maguntin. 8 oct. 1803 (ap. Perrone, II. 236). — [6] *De Syn.* L. 6. c. 6. n. 12.

Digitized by Google

tibus competit, ad alteram, secundum etiam civiles leges, extenditur eidemque communicatur. »

2070. — III. Lex Tridentina irritans matrimonia clandestina, est LOCALIS simul et PERSONALIS. — Ita Instructio ad Archiepiscopum S. Francisci in California a S. C. de PROP. FIDE data, ex resolutione S. OFFICII in fer. IV. 14 dec. 1859[1].

Quatenus LOCALIS, lex afficit territorium, et obligat illos omnes, qui ibi matrimonium jungendi sunt, etsi non habeant ibidem domicilium vel quasi-domicilium. — Hinc si duo catholici domiciliati in Anglia, ubi lex non viget, peregrinantur in Gallia ubi viget, ibique clandestine contrahunt, invalidum est matrimonium.

Quatenus vero PERSONALIS, lex obligat illos omnes, qui domicilium vel quasi-domicilium habentes in loco, ubi Tridentinum decretum publicatum est et viget, vellent in altero, ubi non viget, contrahere matrimonium. — Atque hoc indubitatum est, si nupturientes IN FRAUDEM LEGIS, i. e. solo animo contrahendi matrimonium, in locum exemptum transeant, *nisi alteruter ibi domicilium vel quasi-domicilium acquisiverit*[2]. Nec apposita restrictio tamquam legis exceptio habenda est, sed exprimit conditionem, quae adimplenda est, ut quis privilegiorum, quibus loci incolae gaudent, particeps esse possit. — *Utrum vero lex illos etiam obliget, qui, non nubendi quidem animo, sed alia de causa, in locum exemptum transierunt:* CONTROVERTITUR; magna, pro utraque parte, auctorum copia disputante. — Stante hac controversia, matrimonii validitas nobis quidem affirmanda videtur, ex iis, quae supra de impedimentis dubiis exposuimus[3] (cf. n. 1997 q. 4°).

2071. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An* HAERETICI *teneantur lege Tridentina de clandestinitate?*

Resp. Cum certum sit, haereticos legibus Ecclesiae generatim subjici; quaestio in eo toto versatur, utrum Ecclesia eos *velit* hac sua lege devinctos (cf. n. 198). — Quaestioni autem sic respondendum est: Communior et valde probabilior sententia affirmat, haereticos clandestinitatis lege teneri, non secus ac catholicos, nisi habeatur declaratio Ecclesiae aliter statuentis. — Ratio petitur ex multis a S. Sede editis documentis, quae non nisi per vim, in alium sensum detorqueri possunt[4].

Celeberrima est hac in re DECLARATIO et concessio BENEDICTI XIV quoad matrimonia contracta in HOLLANDIA, facta die 4 nov. 1741,

[1] Ap. Konings, II. p. 396. — [2] Decret. S. C. C. confirmat. ab Urbano VIII 14 aug. 1627 et a Bened. XIV innovatum 19 martii 1758. Litteris *Paucis ab hinc.* — [3] Cf. Feije, n. 338. — [4] Ea vid. ap. Perrone, *de Matrim.* II. p. 209; cf. Vecchiotti, III. §. 107.

Digitized by Google

per quam Pontifex « declaravit statuitque matrimonia, in dictis foederatis Belgii provinciis, *inter haereticos* usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, *pro validis* habenda esse[1].» Atque hoc ipsum declaravit de *matrimoniis mixtis*, de iis nimirum, quae a *catholicis* cum *haereticis* contrahuntur[2].

Quoad hujus Declarationis EXTENSIONEM Congr. S. Officii, die 19 julii 1818, edixit: « Decretum Benedicti XIV, an. 1741 editum super matrimoniis Hollandiae, taxative respicere tantum matrimonia *in iis provinciis contracta*, non autem alia matrimonia in aliis locis et provinciis inita, quibus idcirco applicari nequit *absque nova et speciali S. Sedis declaratione*[3]. » — Constat autem, praefatam declarationem subinde, ex Apostolica clementia extensam etiam fuisse ad *alias regiones*, quae in eadem, ac Hollandia, necessitate versabantur.

Ex his colliges: 1° Si constet, Tridentinum decretum non fuisse in aliquo loco publicatum, vel post ejus publicationem ad illum locum extensam fuisse Benedictinam declarationem: certum est *haereticorum* connubia, sive inter se, sive cum catholicis, ibidem clandestine inita esse valida. — 2° Idem dicendum, si peculiari S. Sedis Indulto id expresse concessum fuerit.

Atque hic apposite NOTANDUM venit, *ad effectum matrimonii*, sub appellatione HAERETICORUM comprehendi in Benedicti XIV declaratione QUINQUE sequentes CLASSES: — « 1) Illos, qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur, ac haeresim profitentur. — 2) Qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet, vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu *non frequentato*, licet *aliquoties participato*. — 3) Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adjunguntur. — 4) Apostatas ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes. — 5) Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt, quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis etc. » Ita C. S. OFFICII 6 apr. 1859[4].

De haereticorum matrimoniis haec etiam MONET S. C. Concilii, in Instr. ad Episc. Rosnaviensem (16 martii 1780)[5]: ea « ita a te oportet dissimulari, ut super eorumdem validitate sive invaliditate ab omni *prorsus abstineas* nedum ferendo judicio, verum etiam promovenda disputatione, ex qua non tam utilitatis fructus, quam offensionis et periculi motus in catholicae religionis perniciem foret exspectandus. » — Praeterea, « Si qui in haeresi conjugium invalide inierint, forma Tridentini non servata, subindeque ad catholicam religionem conversi, *bona fide* in eo perseverant, suoque conjugio adhaerent, relinquendi potius videntur in eadem bona fide, quam de nullitate monendi. » Ita S. C. C. in causa Iprensi, 17 aug. 1737[6]. — Addit insuper S. Congrega-

[1] Declar. cit. §. 2. — [2] Ib. §. 3. — [3] Ap. Perrone, loc. cit. — [4] Ap. Feije, n. 319. — [5] Roskovany, *de matr. mixtis*, II. 539. — [6] Cf. Perrone, l. c. II. 232.

Digitized by Google

tio: « peculiares vero casus et circumstantias eorum, qui scrupulis super horum matrimoniorum validitate anguntur, oportere ab Episcopo distinctim exponi. »

QUAER. 2° *An, in locis ubi viget Tridentini decretum, valida haberi possint matrimonia sine parochi assistentia celebrata, si partibus* ACCESSUS *ad eum* NON PATEAT?

Resp. 1° *Affirm.*, si GENERALIS in aliquo loco sit impossibilitas, quae *per mensem* saltem duratura praevidetur. Constat ex Responso C. S. Officii, die 1 julii 1863, ad Episcop. Vallispratensem dato [1], in quo haec leguntur: « Iidem EE. Patres declararunt: Quando difficilis nec tutus est accessus, et ignoratur quandonam Parochus haberi possit, et praevidetur spatium saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit, qui vices Parochi suppleat: matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo, quo potest, forma Concilii, nempe *adhibitis saltem duobus testibus.* »

Resp. 2° *Neg.*, si PARTICULARIS nupturientibus sit necessitas, cum lex irritans non cesset ob incommodum privati [2]. Ita opinio communior, contra alios aliter sentientes.

QUAER. 3° *An matrimonia contra legem Tridentini inita* ALIQUOS *habeant* EFFECTUS?

Resp. Ex istiusmodi matrimoniis nascitur impedimentum PUBLICAE HONESTATIS, ut supra dictum est (n. 2033). — Quod si matrimonium consummatum fuerit, patet peculiares oriri ex hoc capite obligationes. — Praeterea, non desunt qui talibus matrimoniis adjudicant *vim sponsalium*, eo quod actus, qui non valet ut fit, valeat tamen ut fieri potest. Hoc vero plane negandum est, saltem si de puberibus agatur, ut liquet ex variis S. C. C. decisionibus [3].

2072. — Juvat hic adjicere ELENCHUM *praecipuorum locorum*, in quibus promulgatum vel non promulgatum habendum est Decretum Tridentinum [4].

A) Matrimonia clandestina omnia, i. e. sive catholicorum, sive haereticorum, sive mixta, sunt INVALIDA in *Hispania* (Gibraltariae tamen valent matrimonia haereticorum et mixta), in *Lusitania*, *Italia* et insulis adjacentibus, in *Gallia* (prout ante bellum 1870 existebat), in *Germania* (exceptis infra excipiendis), in *Belgio* hodierno, magno ducato *Luxemburgensi*, Provincia ecclesiastica *Goana;* Republica *Mexicana*, et regionibus AMERICAE centralis et meridionalis, exceptis indicandis sub *C* 12°; denique in omnibus Lusitanorum vel Hispanorum coloniis.

B) In variis Europae regionibus septentrionalibus, quae anno 1564, quo Concilium Tridentinum fuit confirmatum, jam defecerant a fide, Decretum de

[1] Ap. Konings, II. p. 395 (z); cf. Epist. Pii VI. ad Episc. Lucionen. 28 maji 1793 et ad Episc. Genev. 5 oct. 1793 (ap. Moser, p. 164). — [2] L. VI. 1079 (cf. *Vind. Alph.* P. VII. q. 5ª). — [3] Ap. Feije, 282; cf. L. VI. 841. — [4] Konings, n. 1611; cf. Feije, 320. sqq.; Perrone, lib. 2. sect. 1. cap. 6. art. 3 (II. p. 239 et sqq.); et praecipue Zitelli, *Apparatus juris ecclesiastici*, pag. 394.

Digitized by Google

clandestinitate NON OBLIGAT. — Ita se res habet in Anglia, Scotia, Dania, Norvegia, Suecia (non confundenda cum Suevia, ut nonnulli confundunt), et in majori parte Germaniae septentrionalis. — Idem communiter traditur de primitivis Borussiae provinciis, et de Saxonia. — In nonnullis Helvetiae pagis, ut Tiguri, non obligat. — Idem valet, quoad Bavariam, in locis acatholicis Onoldinae et Pappenhemiensis, atque in districtu urbium quondam imperialium Norimbergensis et Weissemburgicae. — In Russia, una alterave forte dioecesis non obligatur. — In nonnullis partibus Turciae remotioribus vigere non videtur. — In nonnullis Persiae aliarumque in illa Orientis parte regionum parochiis, etiam catholicis, nulla Decreti publicatio vel observantia locum habuit. — Idem dicendum de Graecia. — In Sinis, Tunkino, Cocincina non viget, paucis tantum locis exceptis. — In Japonia nunc nullibi viget, ex declaratione S. C. S. Officii 11 martii 1868 [1]. — Nec viget in Abyssinia, aliisque ferme omnibus Africae regionibus.

C) Ex declaratione BENEDICTI XIV pro Hollandia ejusque extensione, aut ex aliis Pontificiis actis, *valent matrimonia clandestina* sive *haereticorum* inter se, sive *mixta;* non vero (exceptis enumeratis sub *B*) Catholicorum inter se: — 1° In tota Neerlandia, excepto Limburgo [2], ubi tamen valent quoad incolas civitatis Mosae-Trajectensis et suburbii S. Petri, et exceptis pariter quibusdam locis dioecesium Ultrajectensis et Buscoducensis. — 2° Argentorati, in Alsatia. — 3° In Hibernia universa. — *Nota.* Ex directorio anni 1851 ab omnibus Hiberniae Episcopis approbato, Catholici inter se contrahentes Decreto ligantur, et quidem a 1° jan. 1828 ubique [3]. — 4° In Silesia Borussiae subjecta ac in ducatu Cliviensi, et, inde a die 25 martii 1830 inclus., in dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbornensi, et Monasteriensi: data Episcopis facultate pro revalidandis matrimoniis ante hanc diem contractis. — 5° In regno Würtembergico *certe* extensa fuit declaratio Benedictina ad civitatem Ulmam. De aliis quoque provinciae ecclesiasticae Rheni superioris locis dubitari potest [4]. — 6° In Russia et in tota Poloniae parte Russis subjecta. — 7° In Hungaria et Transylvania, intra limites, quos anno 1841 habebant. — 8° In Turcia, Moldavia et Valachia; in Servia, Albania, Bulgaria, Bosnia Turcica. — 9° In Persia aliisque in illa Orientis parte regionibus. — 10° In Graecia. — 11° In Vicariatu Pondiceriano et in universa ora Malabarica, in Vicariatibus Apostolicis Bombaini et Calcuttae, et in possessionibus Indicis (nonnullis tantum locis quoad Catholicos exceptis) Anglorum et Gallorum. — Item in Algeria. — 12° In Americae centralis vel meridionalis insulis aliisque locis, olim sub dominio Catholicorum existentibus, sed nunc subjectis dominio Anglorum, Hollandorum, Danorum.

§. 2. *De requisitis ad formam Tridentini.*

Essentialis solemnitas a Tridentino praescripta consistit in praesentia parochi et testium. Quae ad utramque spectant praesentiam, dilucidabunt sequentia

2073. — Principia. I. Solus PAROCHUS PROPRIUS alterutrius contrahentium potest VALIDE eorum matrimonio assistere. — Constat

[1] *Collect. S. Sed.* n. 998. — [2] Vide tamen Feije, n. 320 (1). — [3] Ib. n. 325. — [4] Cf. Feije, n. 329.

Digitized by Google

tum ex ipso Tridentino decreto, tum ex variis S. C. Concilii declarationibus [1], tum denique ex constanti Ecclesiae praxi atque ex communi interpretatione.

Dicitur 1° PAROCHUS, quo nomine intelligitur non solum parochus proprie dictus, sed omnis Superior ecclesiasticus habens ordinariam jurisdictionem in contrahentes : ut Papa in universa Ecclesia, Episcopus et Vicarius generalis in propria dioecesi, et, Sede vacante, Vicarius capitularis ; demum Abbates habentes jurisdictionem quasi-episcopalem, in proprio territorio.

VALIDE etiam assistit matrimonio parochus *putativus*, qui nempe jurisdictione parochiali caret ob defectum occultum, sed qui, suffragante titulo saltem colorato, ex communi errore verus parochus habetur. — Ast « quoniam *intrusus* (ab auctoritate non legitima nominatus) minime est parochus (ut ait Pius VI [2]), neque ullum habet titulum, seu verum, seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est. »

Similiter, VALIDE assistit matrimonio parochus *excommunicatus*, etiam vitandus, *irregularis* et *suspensus*, vel *sacerdotio nondum initiatus* ; quia assistendo nullam exercet jurisdictionem, sed intervenit tantummodo ut *testis qualificatus*, et parochus adhuc est [3]. — Gravissima tamen requiritur CAUSA, ad petendam assistentiam a parocho nominatim excommunicato, aut interdicto [4]. — Si vero *publicus et declaratus* haereticus aut schismaticus factus est, nequit amplius valide assistere, propterea quod beneficio parochiali, ipso jure privatur, ex Const. Nicolai III *Noverit* [5].

Hic quoque NOTANDUM est, posse parochum, etiam *extra parochiam* (et idem dic de Episcopo extra suam dioecesim) assistere matrimonio sui subditi, tametsi parochus loci, ubi matrimonium celebratur, contradiceret [6]. Idque, justa de causa, *licite* etiam facit : omissa tamen benedictione solemni, quam sine licentia parochi vel Ordinarii loci impertire sub gravi prohibetur [7].

Dicitur 2° PROPRIUS, qui nempe sit parochus domicilii vel quasi-domicilii contrahentium. — Ita pluries definitum est [8].

2074. — Ad perfectam rei intelligentiam opportune hic repetenda videntur quae supra, in Tractatu *de Legibus*, diximus de domicilio et de quasi-domicilio.

DOMICILIUM igitur quis ibi habere dicitur, ubi habitat cum voluntate perpetuo manendi. Cum autem talis voluntas sit res interna,

[1] L. VI. 1081 ; cf. Bened. XIV. *Instit.* 33 ; Giraldi, p. II. sect. 115 ; Richter, *Decreta Conc. Trid.* sess. 24. post decreta *de ref. matr.* — [2] Instr. ad Episc. Galliae, 26 sept. 1791 (Moser, p. 162). — [3] L. VI. 1082. — [4] Ib. 1083. — [5] Vecchiotti, III. §. 106. p. 204. — [6] L. VI. 1081. — [7] Ib. 1087. — [8] Vide Resp. S. OFF. ad postulata Synodi Manutianae 2 maj. 1877 (ap. Konings, II. p. 412).

Digitized by Google

debet manifestari verbis vel factis, vel argui praesumptione juris, ex habitatione decennali, modo de contrario animo non constet. — Porro, domicilium semel acquisitum *non amittitur* per actualem discessum, nec per diuturnam absentiam, sed tantum per formalem ei renuntiandi voluntatem. Atque haec eadem renuntiatio requiritur, ut uxor sui defuncti mariti domicilium amittat. — Qui vero sui juris non est, ut minor, retinet domicilium patris vel tutoris, quamdiu illud, post sui emancipationem, sive verbis sive factis non dimiserit (cf. n. 203).

Quasi-domicilium communiter ab auctoribus *definitur:* habitatio in aliquo loco, cum intentione ibi manendi, per majorem anni partem, aut saltem per semestre. — « Quapropter si legitime *constet*, vel ambos vel alterutrum ex sponsis *animum habere permanendi per majorem anni partem*, ex eo primum die, quo duo haec simul concurrunt, nimirum et hujusmodi animus et actualis habitatio, judicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse, et matrimonium, quod proinde contrahatur, esse validum. — Verumtamen, si de praedicto animo *non constet*, recurrendum est ad indicia, quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem occulta et interna, difficile est hujusmodi indicia habere, quae judicem securum faciant: inde est quod adhiberi maxime debet regula a S. Pontifice Benedicto XIV confirmata, ut inspiciatur, utrum ante matrimonium, *spatio saltem unius mensis* vel *ambo* vel *alteruter* in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex praesumptione juris intentionem permanendi per majorem anni partem extitisse, et domicilium fuisse acquisitum, proindeque matrimonium esse validum. — At si praesumptio haec juris, quae ex menstrua habitatione oritur, *contrariis elidatur probationibus*, quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto extitisse: tunc profecto contrarium proferri debere judicium manifestum est, quia praesumptio cedere debet veritati. — Praeterea, manifestum quoque est, actualem habitationem *ineptam* esse ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione *more vagi ac itinerantis* commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet caeteri solent, qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent [1]. »

Vagorum (qui nempe nullum habent domicilium aut quasi-domicilium) parochus proprius, quoad assistentiam matrimonii, est ille, in cujus parochia *actu* versantur. « Possunt igitur contrahere coram

[1] Instr. S. Off. 7 junii 1867. ap. Konings, l. c. (cf. *Acta S. Sed.* vol. XI. p 565).

Digitized by Google

quovis parocho [in sua parochia assistente], et hoc etiamsi *alteruter* sponsorum tantum sit vagus... Parochus vero, *antequam vagos conjungat*, tenetur de illorum conditione diligenter inquirere (ut praescribit Tridentinum [1]) an alibi sint conjuncti; ac deinde petere licentiam ab Episcopo assistendi, sine qua, licet valide assistat, graviter tamen peccat assistendo [2]. »

Ex dictis resolves: 1° Pro validitate matrimonii, nihil refert utrum assistat parochus sponsi, vel sponsae. — Matrimonium tamen contrahitur convenientius coram parocho *sponsae.*

2° Qui habet duo domicilia, vel domicilium et quasi-domicilium, potest coram alterutrius parocho contrahere; decentius tamen coram parocho *actualis* habitationis.

3° Ex *quasi-domicilio* parochiale jus sibi acquirunt quoad celebrationem matrimonii: officiales publici, judices, professores, discipuli, famuli, ancillae, etc., qui ratione officii, muneris, studii, vel negotii gerendi causa, in aliquem locum se conferunt, cum intentione per majorem anni partem ibi degendi; item, milites et carcere detenti, qui ad sex menses saltem in locum mittuntur, non autem si breviori tempore ibi sint mansuri. — Et hic notandum, quod illi qui in aliqua communitate, sub spirituali cura alicujus *capellani* vivunt, v. g. in hospitio, brephotrophio, non possunt coram illo contrahere; sed requiritur praesentia parochi loci, in quo est hospitium, vel alia domus ubi degunt [3].

Verumtamen, omnibus praedictis fas est etiam contrahere *coram parocho* LOCI, ubi *verum* habent domicilium; quinimo puellae, quae, educationis causa, in monasterio vel conservatorio degunt, et quae matrimonium inire volunt, remittendae sunt ad domum paternam; prout faciendum esse ostendunt et ratio decori, et decretum S. C. Ep. et Reg. 7 octobris 1723, relatum a Benedicto XIV [4]. — Atque hoc idem faciendum est cum juvenibus in seminario, collegio, aliave domo, educationis causa degentibus.

2075. — II. Parochus (vel Ordinarius) gaudet facultate DELEGANDI sacerdotem, qui sui vice matrimonio assistat. Ita expresse Tridentini decretum. — Ut vero delegatio VALIDA sit requiritur:

1° Ex parte *delegati*, ut sit sacerdos, et factae delegationis notitiam habeat; nam delegatio ignorata nihil prodest [5]. — Subdelegare potest, si delegatur ad universitatem causarum, v. g. ad omnia munera parochialia peragenda; secus, si delegatur ad casum, nisi concedatur expressa etiam subdelegandi facultas: quae opportune additur, ut variis difficultatibus forsan non praevisis occurratur.

[1] Sess. 24. cap. 7. *de ref.* — [2] L. VI. 1039 (cf. Craisson, n. 1576. sqq.). — [3] Ib. 1090. 1091; Bened. XIV. *Instit.* 33. n. 11. sqq. — [4] L. c. n. 15. — [5] De Angelis, lib. 4. tit. 3. n. 5. v. fin.

Digitized by Google

2° Ex parte *delegantis*, ut delegatio sit expressa, vel in scriptis (quod est optimum), vel viva voce, vel saltem aliquo signo, quod consensum de praesenti manifestet; unde, sufficit aliquando delegatio tacita, nunquam vero interpretativa. — Valet tamen delegatio etsi metu extorta, modo non sit retractata; est enim sufficienter voluntaria (cf. n. 232, 286).

Quanam autem facultate hac in re *coadjutores parochorum* seu *Vicarii* polleant, regula quidem generali definiri non potest, sed ex consuetudine ac dioecesanis statutis cognosci debet. Episcopus enim constituendo Vicarios, potest ipsis, vel immediate conferre jus assistendi matrimoniis, vel illud jus ex delegatione parochi ipsis committendum relinquere.

2076. — III. Praeter parochum, DUO saltem TESTES debent necessario matrimonio assistere, idque sub poena nullitatis. — Constat ex saepius citato Tridentini decreto.

Communis est autem sententia, *quoslibet testes* esse ad hanc assistentiam *idoneos*, etiam mulieres, pueros (modo sint rationis capaces), infideles, infames, parentes, servos, et etiam illos, qui casu illac transeunt, aut vi detinentur [1]. — Praeferendi tamen sunt catholici honesti, qui contrahentes cognoscant.

2077. — IV. Parochi et testium PRAESENTIA debet esse non tantum materialis, sed etiam FORMALIS, ita ut quid agatur advertere illudque testificari valeant. — Constat ex fine legis, et ex multis S. C. Concilii declarationibus [2].

Hinc: 1° « Si non bene intelligerent sponsorum consensum (puta quia sunt diversi idiomatis), non satis est unus interpres de consensu affirmans.

2° « Non est necesse, ut videant contrahentes, dummodo *audiant* verba contractus, si voces contrahentium noverint. Sufficit etiam, si videant signa consensus.

3° « Nec refert, etiamsi per metum, vim, dolum aut injuriam nolentes detineantur, vel etiam contradicant ac resistant [3].....Graviter autem peccant contrahentes coram parocho, vi aut dolo detento, aut casu transeunte, ob injuriam quae irrogatur Sacramento et Ecclesiae, cum parochus tunc ut persona publica assistat. » — Excipe si, urgente necessitate contrahendi, parochus nollet assistere, nec posset adiri Superior: quia parochus tunc ex officio assistere tenetur. — Attamen, veniale tantum esset contrahere coram testibus sic praesentibus, id est dolo detentis [4].

[1] H. A. XVIII. 70; L. VI. 1085. — [2] Cf. Bened. XIV *de Syn.* L. 13. c. 23. n. 1. — [3] L. VI. 1092. — [4] Ib. 1093.

Digitized by Google

§. 3. *De ritu celebrandi matrimonium.*

2078. — Quum res prorsus sancta sit matrimonium, utpote Sacramentum, et sancta sancte tractanda sint, sancta Dei Ecclesia instituit RITUM, qui in hujus Sacramenti celebratione servandus est. — Reperitur descriptus in Rituali Romano [1], cujus praescripta, hac in re, TRIA respiciunt: copulationem nempe, benedictionem, et inscriptionem. De singulis pauca [2].

I. COPULATIO in eo consistit, ut parochus, « viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum [3]. — In copulatione SERVANDA sunt sequentia:

1° Debet peragi *publice* seu *in facie Ecclesiae,* idque sub gravi: prout colligitur ex Benedicti XIV Constitutione *Satis vobis,* qua contraria consuetudo tanquam gravis abusus damnatur. — Nequit proinde peragi in Oratoriis vel in privatis domibus, nisi de licentia Ordinarii: quae tunc solum praesumi potest, cum urget quaedam necessitas, v. g. in mortis periculo.

2° Debet parochus utrumque contrahentem *interrogare* de consensu. Interrogationis tamen omissio, si de utriusque libero consensu constat, venialis tantum est [4].

3° Debet similiter proferre verba: *Ego vos conjungo,* etc. Hanc obligationem alii probabiliter dicunt esse levem; alii autem adhuc probabiliter, et forte probabilius, eamdem gravem esse affirmant, quia videtur transgressio in re magni momenti [5].

4° Accedit tandem *benedictio annuli,* quae est sacramentale, et cujus omissio esset tantum veniale. Nec est omittenda in secundis nuptiis [6]. Potest autem fieri in plurali, (item reliquae benedictiones) si plura simul matrimonia celebrantur [7].

5° « Si (ritum Copulationis) immediate sequitur Missa, Sacerdos praeter Albam et Stolam induere debet etiam Planetam [8]. »

QUAERITUR. *An parochus possit assistere matrimonio eorum qui sunt* PUBLICI *peccatores, vel excommunicati?*

Resp. ad 1um Neg., per se, tum quia de jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, tum quia parochus tenetur ex justitia incumbere saluti spirituali suarum ovium, avertendo eas a

[1] Tit. *de Sacr. matrim.* cap. 2. — [2] Cf. *Collect. S. Sed.* n. 1027. sqq. — [3] Trid. sess. 24 c. 1. *de ref. matr.* — [4] L. VI. 1094. — [5] Ibid. — [6] C. S. OFF. 1 sept. 1841. — [7] S. R. C. 27 aug. 1836 (Gard. n. 4780). — [8] S. R. C. 31 aug. 1867 (Gard. 5382).

Digitized by Google

peccatis. — Dicitur *per se;* quia excusatur, si assistat ad vitandam mortem, vel alia gravia mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato [1] (cf. n. 1429. q. 1).

Resp. ad 2um Si contrahentes sint *notorie* excommunicati, non tamen vitandi, « parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione. » — Resp. S. Poenitentiariae 10 dec. 1860 [2].

2079. — II. Benedictio nuptialis legitur in missali (*Missa pro sponso et sponsa*), et pertinet ad Nuptiarum solemnitatem. — Obligat sub veniali, ut communiter docetur [3]. — De ea sequentia notanda sunt:

1° « Statuit S. Synodus benedictionem a *proprio parocho* fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso parocho vel ab Ordinario, licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse. — Quod si sacerdos sponsos sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere aut benedicere *ausus fuerit*, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur [4] » (cf. n. 1373).

2° Congr. S. Officii, die 31 Aug. 1881, decrevit benedictionem illam « *semper* impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem juxta Rubricas, et extra tempus feriatum, *omnibus* illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint: etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si *vidua*, benedictionem ipsa in aliis nuptiis, non acceperit [5]. — Insuper, *hortandos* esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante Conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii [6]. »

3° Nuptiarum benedictio non potest conferri nisi *in Missa* [7]: in qua sponsi ut *communicent*, a parochis et confessariis adhortandi quidem sunt, non vero vi praecepti cogendi [8].

[1] L. VI. 54. — [2] *Acta S. Sed.* I. 563. n. 18. — [3] L. VI. 988. — [4] Trid. l. c. cap. 1. — [5] Nec refert an mulier sit virgo, an corrupta. S. C. C. 2 oct. 1593. — [6] Ex cop. auth.; cf. *Acta S. Sed.* Vol. XIV. p. 513. — [7] S. R. C. 23 jun. 1853 (Gard. in *Limburgen.* n. 5190. item n. 5275. 5289. 5514); (cf. Schober, pag. 235). — [8] S. R. C. 21 martii 1874 (Gardell. n. 5582).

Digitized by Google

4° Missa, in nuptiarum celebratione, debet semper esse votiva *pro sponso et sponsa*, ut in Missali [1]: praeterquam in Dominicis et Festis de praecepto, in duplicibus 1ae et 2ae classis, infra Octavam privilegiatam Epiphaniae et Pentecostes, in Vigilia Pentecostes, in die octava Corporis Christi, aliisque diebus duplicia secundae classis excludentibus [2]. — Diebus vero, quibus Missa *pro sponso et sponsa* non permittitur, celebranda est Missa diei, cum commemoratione ex illa Missa.

5° Missa *pro sponso et sponsa* est votiva *privata;* cum sit pro privato nubentium bono, et proinde semper celebranda est sicut quaevis alia Missa votiva privata (sine *Gloria* et *Credo*), etiamsi celebretur in cantu et cum solemni apparatu [3].

6° Quando (sine Indulto Apostolico) nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, non debet in Missa fieri Commemoratio pro sponsis per Collectam, Secretam et Postcommunionem; nec licet recitare Orationes in Missali positas post Orationem Dominicalem et *Ite Missa est;* nec debent eaedem orationes recitari extra Missam, elapso tempore prohibito [4].

7° In eadem Missa possunt *plures sponsi* benedici [5]; preces tamen non dicuntur in plurali, sed recitantur prout leguntur in Missali. — « Si quae provinciae aliis ultra praedictis laudabilibus *consuetudinibus et caeremoniis* hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. » Huc pertinet v. g. caeremonia, qua junctae manus sponsorum infima stolae parte teguntur, vel ligantur [6].

8° Quando, ratione impertiendae benedictionis, celebranda est Missa *pro sponso et sponsa*, sacerdos non tenetur illam *applicare* pro sponsis, nisi stipendium accipiat: quare liberum illi est pro alio offerente applicare [7].

2080. — III. Inscriptio matrimonii, quam Tridentinum et Rituale praescribunt, *sub gravi* facienda est; cum, post obitum testium ac parochi, ex hac sola inscriptione de peracto matrimonio constare possit. — Formulas vide in ipso Rituali.

Nota. De Matrimonio *secreto*, seu *conscientiae* (de quo n. 1962, 3°), sequentia hic notasse juverit.

1° Non potest hujusmodi Matrimonium celebrari nisi *de licentia Ordinarii:* ad quam legitime impetrandam, praerequiruntur: 1) Causa gravis et

[1] Decr. cit. *Limburgen.* (Gard. n. 5190). — [2] Schober, p. 238. — [3] S. R. C. 28 febr. 1818 (Gard. n. 4544) et 28 jul. 1832 (n. 4691). — [4] S. R. C. 31 aug. 1839 in Montis Pessulan. (Gardell. n. 4868). — [5] S. Off. 1 septemb. 1841 (ap. Schober, p. 241). — [6] Bangen, III. 55. — [7] S. C. Propag. Fid. 23 mart. 1844 et 7 junii 1853 (cf. *Collect. S. Sed.* n. 1047 et 1048).

Digitized by Google

urgentissima, v. g. revocandi a statu damnationis occultos concubinarios, qui legitimi conjuges reputantur; 2) diligens rei et circumstantiarum *inquisitio* v. g. an sponsi sint sui vel alieni juris, an parentes juste dissentiant, etc.; 3) indubia *documenta* de libero sponsorum statu.

2° Celebratur matrimonium, omissis denuntiationibus, *insciis omnibus,* coram parocho tantum ac duobus testibus (v. g. duobus aliis presbyteris) secretum fidelissime servaturis. — Debet autem parochus sponsos *admonere* de gravissima obligatione consulendi futurae proli quoad educationem, legitimitatem et haereditatem, maxime vero de obligatione denuntiandi Episcopo (infra mensem a die nativitatis computandum), prolem susceptam et baptizatam; quae si facere neglexerint, amittent utique jus secreti.

3° Attestationes, tum de celebratione Matrimonii, tum de collato Baptismo, non in libris parochialibus, sed in libris apud Curiam episcopalem asservatis sigillisque munitis transcribantur, et in secretiori loco caute serventur. — Ita ex Const. *Satis vobis* Benedicti XIV, die 9 nov. 1741 edita [1].

CAPUT VI.

DE MATRIMONII INVALIDI REVALIDATIONE

2081. — I. Matrimonium INVALIDUM dicitur viri et feminae conjunctio, quae matrimonii quidem formam prae se fert, sed quae, deficiente consensu, vel obstante aliquo impedimento dirimente, non habet veri matrimonii substantiam. — In foro *externo* matrimonii nullitatem pronuntiat judex ecclesiasticus, confecto processu ad tramites juris [2]. In foro *interno* compertam nullitatem declarare, nisi aliter suadeat prudentia, munus est confessarii. — Quam caute vero in hujusmodi re procedendum sit, declarant gravissimae consequentiae ex prolata sententia profluentes; atque hinc est cur, *in dubio,* semper pro matrimonio standum sit, et cur, in omni *casu difficili,* ab Ordinario, vel saltem a docto et prudente viro, consilium sit petendum.

II. — Comperta autem matrimonii invaliditate, debet CONFESSARIUS pro circumstantiarum diversitate, putativum matrimonium vel permittere, vel separationem urgere, vel procurare revalidationem [3].

1° Debet matrimonium putativum PERMITTERE, si, partibus in bona fide versantibus, nonnisi damnosum remedium afferri possit, i. e. remedium, ex quo mala majora, atque in primis peccata formalia orirentur. — Casu igitur, quo validitati matrimonii obstat impedimentum occultum sed *indispensabile,* et quo putativi conjuges

[1] Vecchiotti, lib. 5. §. 83; Berardi, *De Occas.* n. 117-119. — [2] Cf. Bened. XIV. Const. *Dei miseratione;* item Instr. C. PROP. F. *De Processu matrim.* (*Rev. des sc. ecclés.* t. 52e, p. 126. — [3] Cf. Benger, *Past. Theol.* §. 191. n. 31-32 (III. 849); *Compend.* n. 641. sq.

Digitized by Google

absque scandalo separari, et absque incontinentiae periculo cohabitare nequeunt, in bona fide omnino sunt relinquendi (cf. n. 1810. Reg. 2ª).

2° Debet SEPARATIONEM URGERE, si, matrimonii nullitate utrique vel alterutri parti manifesta, *revalidatio haberi nequit*, aut respuitur. — Quandoque requiritur *separatio juridica*, quae fit per sententiam judicis declarantis nullitatem matrimonii. — Quandoque facienda est separatio a toro et habitatione, *sub specie divortii*, si nempe matrimonii nullitas probari non possit, neque obtineri possit revalidatio, et cohabitatio incontinentiae periculo non carere censeatur. — Quandoque sufficit *separatio a toro*, ita ut putativi conjuges tamquam frater et soror cohabitent: et hoc quidem remedium est omnium optimum, dummodo (quod rarum est) ex neutra parte incontinentiae periculum immineat.

3° Debet REVALIDATIONEM PROCURARE, quoties obtineri potest, et partes non contradicunt. — Quum autem revalidatio, ob impetrandam dispensationem, sibi moram deposcat, quid *interim* servandum sit, paucis indicandum est.

1) Si nullitas matrimonii sit *publica* et *notoria*, urgenda est separatio quoad torum et habitationem, donec matrimonium, impetrata dispensatione, publice in forma Tridentina revalidari possit. Id requiritur ex necessitate vitandi scandalum [1].

2) Si nullitas *partibus tantum* sit nota, sufficit separatio a toro, dummodo absit proximum peccandi periculum; secus, momentanea separatio ab habitatione, sub honesto praetextu, v. g. itineris, praescribitur.

3) Si nullitas *uni tantum parti* sit nota, haec, ubi nullum subest incommodum, compartem moneat, et agant ut in casu praecedenti; aut sub aliquo praetextu recuset debitum etiam cum quocumque incommodo; cum nunquam matrimonio uti liceat, dum de ejus invaliditate constat. Atque interim, abjecta omni mora, petatur vel simplex dispensatio, si possit pars inscia moneri; vel dispensatio *in radice*, si monitio praevideatur futura impossibilis (cf. n. 2084).

4) Si nullitas *neutri* sit nota, et majora ex monitione praevideantur incommoda (ut plerumque praevideri debent), partes in bona fide relinquendae sunt, donec, obtentis per confessarium necessariis facultatibus, et nullitas declarari, et *statim* sanari, possit. — Et sic quidem semper agendum est, quando conjux confitetur peccatum ante nuptias commissum, ex quo *soli confessario* matrimonii nullitas innotescit (cf. n. 2041 et 2051) [2].

[1] Cf. *Acta S. Sed.* vol. II. p. 19 et. 52. — [2] Cf. *De Priv.* n. 56-57.

Digitized by Google

Cura etiam sit confessario, ut conjuges, tempore quo matrimonium revalidatur, sint *in statu gratiae*, cum eo temporis puncto Sacramentum suscipiant. — Deficiente vero recta dispositione, non idcirco procrastinanda est revalidatio, cum majus plerumque malum ex procrastinatione eveniret.

III. — Pro revalidatione matrimonii DUO regulariter REQUIRUNTUR: dispensatio ab impedimento, et novus consensus. — 1) Ad *dispensationem* quod attinet, sedulo in petitione attendenda sunt quae supra monuimus (cap. IV, speciatim n. 2049, 10° et 2051, 6°). — 2) Novus *consensus* in forma Tridentina praestandus est, si haec omissa fuerit, vel si *publice* de nullitate constet. Nec tamen publicationes necessario praemittendae sunt; sufficit, si consensus occulte renovetur coram parocho, et duobus fidis testibus; dummodo per opportunam divulgationem scandalum praecaveatur. — Si vero nullitas est *occulta*, et matrimonium jam in facie Ecclesiae celebratum est, sufficit iterari consensum secreto, omissa Tridentina forma. Ratio est, quia Concilium vult parochi et testium praesentiam ad probandam validitatem matrimonii secundum externam apparentiam; cum autem matrimonium prius contractum jam externe validum reputetur, cessat ratio, cur praedicta praesentia denuo requiratur[1]. — Et sic quidem statuit S. Poenitentiaria ex oraculo S. Pii V, et ipsa constanter hunc agendi modum tenuit.

Porro, MODUS AGENDI in revalidatione matrimonii *pendet a natura impedimenti*, quod validitati obstat, et quod provenit sive 1° ex defectu veri consensus, sive 2° ex defectu habilitatis partium, sive 3° ex defectu formae Tridentinae. — De diverso igitur revalidandi modo, pro diversitate impedimenti, nonnulla subjicienda sunt.

ARTICULUS I.

DE REVALIDANDO MATRIMONIO INVALIDO OB DEFECTUM VERI CONSENSUS

2082. — Matrimonium est invalidum OB DEFECTUM CONSENSUS, si una vel utraque pars, sive ficte, sive ex errore, sive ex vi et metu, consenserit. — Tale matrimonium, remoto errore vel metu, revalidatur *per solum consensum* rite praestitum. — Jam vero,

1° Si verus consensus ex UTRAQUE parte defuit, ab utraque parte expresse renovandus est, ut per se patet.

2° Si defuit ex UNA tantum parte, certum est, eum debere ex hac parte renovari. — *An autem renovandus sit et ab altera parte*, ita scilicet ut haec de matrimonii nullitate *admoneri debeat*, contro-

[1] L. VI. 1110.

Digitized by Google

vertitur quidem ; sed communior et verior sententia negat cum D. Thoma [1]. — Sane, si nullum timendum esset incommodum (quod perraro abest), praestaret (propter Sacramenti reverentiam) consensum utrinque renovari ; sed mutua haec renovatio non est necessaria Sufficit igitur, si ille, qui prius non consensit, praestet suum consensum sive per verba, sive per signa, puta per conjugalem copulam et per cohabitationem. « Ratio est, quia certum est, quod in contractu matrimonii non requiritur simultas physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, nempe si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius. In nostro autem casu..., cum jam praecesserit verus consensus alterius, et virtualiter perseveret, per cohabitationem (aut aliud signum), satis est quod accedat consensus istius metum passi vel ficte consentientis [2]. » Suffragatur jus positivum [3].

« Neque obstat timor, ne pars, quae liberum consensum praestitit, si rursus esset requisita de novo consensu, forte illum negaret; nam hic interpretativus dissensus non est verus dissensus, sed interim consensus olim inpertitus perseverat [4]. »

QUAERITUR. « *An qui* FICTE *contraxit matrimonium, teneatur* EX JUSTITIA *illud revalidare per verum consensum?*

Resp. « Affirmant Salmanticenses et alii, quia alter jam tradidit corpus suum per verum consensum ; unde, ut servetur aequalitas, tenetur ficte consentiens etiam per verum consensum corpus suum tradere. — Negant vero *probabilius* Sanchez (et alii), quia cum contractus matrimonii non possit claudicare, quando unus ficte consentit, nulla adest traditio alterius, et ideo nulla remanet inaequalitas: ille enim, qui verum apposuit consensum, aeque liber remanet ac si nullum consensum apposuerit. — Omnes tamen consentiunt, teneri ficte consentientem revalidare matrimonium per verum consensum, si aliter reparare non possit damna ex illa deceptione alteri illata [5]. »

ARTICULUS II.

DE REVALIDANDO MATRIMONIO INVALIDO OB INHABILITATEM PARTIUM

Matrimonium invalidum propter impedimentum *juris divini*, v. g. propter ligamen, eo sublato, convalidatur per novum utriusque consensum, juxta dicta n. 2014. 3°. — Matrimonium autem

[1] Suppl. q. 47. a. 4. ad 2. — [2] L. VI. 1114; *1. Elench. qq. ref.* n. 90. — [3] Cf. S. A. ibid. — [4] Ibid. (a 6ª edit.); H. A. XVIII. 80; cf. *Acta S. Sed.* vol. XI. p. 345. — [5] L. VI. 1113; H. A. l. c. 79.

Digitized by Google

invalidum propter impedimentum *juris ecclesiastici* convalidatur, obtenta prius dispensatione, vel *per novum consensum,* vel *per prioris sanationem*, qui modus SANATIO IN RADICE appellatur.

§. 1. *De revalidatione matrimonii per novum consensum.*

2083. — *Regula* 1ª Si impedimentum obstans validitati notum sit UTRIQUE parti, revalidandum est matrimonium per consensum *ab utraque parte actu exprimendum.* In hoc enim casu, non tam revalidatio quam simplex celebratio, etsi secreta, habetur.

Regula 2ª Si impedimentum UNI tantum parti sit notum, *neque alteri*, absque gravis damni periculo, REVELARI *possit*, admonenda est pars impedimenti conscia de consensu, necessario, at secreto, renovando cum putato conjuge, *certiorata altera parte de nullitate prioris consensus,* sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur. — Hic MODUS praebet omnimodam securitatem de valore Sacramenti, cum ambae partes, factae jam habiles per dispensationem, novum consensum, huncque a priori independentem, scienter emittant: quare in primis optandus est.

Potest autem consensûs renovatio *exquiri* a parte conscia sic compartem alloquente: « quando nupsi, non habui verum consensum; nunc eum praestare volo: vis et tu eum praestare? » vel: « confessarius mihi dixit meum consensum non fuisse rite praestitum, eia, mutuo eum nunc renovemus [1]. » — Quod praefata certioratio plerumque multum difficultatis habeat et plena sit periculis, nemo non videt. Atque hinc est cur S. Poenitentiaria, stante magna difficultate, rem non amplius urgeat, sicut ex sequenti regula colligitur.

Regula 3ª Si impedimentum UNI tantum parti sit notum, et *altera pars*, absque gravi periculo, de nullitate matrimonii CERTIORARI *nequeat*, potest omitti certioratio, et matrimonium revalidari « renovato consensu, juxta regulas a probatis auctoribus traditas. » — Ita ex stylo, quem hodie communiter servat S. Poenitentiaria in facultatibus concedendis [2].

Hujusmodi modus est, si pars conscia *dicat:* « Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum; » *vel*: « pro mea consolatione volo de novo contrahere, eia contrahamus: » *vel:* « prae meo in te amore te sumo in conjugem, nonne et tu vicissim? »

Imo, si nullus ex his modis adhibendus videretur, sufficeret consensus partis consciae *per copulam conjugalem* expressus cum consensu alterius virtualiter perdurante. — Ille enim cum impedimento praestitus consensus fuit naturaliter validus, et proprio effectu ob solum obicem caruit; sublato igitur obice et accedente consensu alterius, consensus fit mutuus, et matrimonium convalidatur [3].

[1] L. VI. 1117. — [2] Cf. (in fine operis) *Folium S. Poenit.* N. XII. — [3] L. VI 1115-1117.

Digitized by Google

Nec obstat, quod hic fiat usus opinionis probabilis circa valorem Sacramenti; etenim: 1) in casu urgentis necessitatis, hoc licitum est juxta dicta n. 82 et n. 1407; 2) agitur hic de materia, in qua Ecclesia potest supplere, et stante justa causa, certe supplet: quod luculentius ex mox dicendis patebit.

§. 2. *De revalidatione matrimonii per sanationem in radice.*

2084. — SANATIO IN RADICE est abrogatio legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, in casu particulari, cum vi retroactiva, ita ut dispensatio ab impedimento nunc concessa habenda sit, ac si ante contractum matrimonium concessa fuisset, et matrimonium absque novo consensu revalidetur.

Et re quidem vera, sicut propter dispensationem ante initas nuptias concessam, mutuus consensus rite praestitus validum effecisset matrimonium: ita per dispensationem nunc cum vi retroactiva concessam efficitur, ut idem prior consensus virtualiter perseverans vim suam exerceat efficiatque matrimonium, quod idcirco eosdem effectus sortitur perinde ac si a principio validum fuisset [1]. — Dispensatio enim, fictione juris, retrotrahitur ad radicem matrimonii, et reponit res in illum statum, in quo fuissent, si impedimentum nunquam extitisset; atque hinc est, cur *sanatio in radice* appelletur.

Ex dictis sequitur, sanationem in radice habere geminum EFFECTUM: unum ex *nunc*, i. e. matrimonii validitatem vi primi consensus; alterum ex *tunc*, irritationem nempe omnium effectuum ex nullitate secutorum, in primis quoad filios, qui plenissimam obtinent legitimitatem, ita ut omnino habendi sint tanquam ex legitimo matrimonio nati. Qui quidem effectus, defunctis etiam genitoribus, obtineri potest.

Hinc patet *discrimen* inter sanationem in radice et revalidationem ordinariam, cum haec novum consensum requirat, suosque effectus tantummodo ad tempus futurum, non vero ad praeteritum extendat.

2085. — I. Ecclesiam pollere POTESTATE revalidandi matrimonium *per sanationem in radice*, certi juris est [2], et evincitur tum ex constanti praxi, tum ex natura rei. Sicut enim legislator civilis suam legem ita tollere potest, ut ejus effectus etiam quoad tempus praeteritum irritet: ita similiter S. Pontifex potest propriam legem, quoad omnes ejus effectus, abrogare.

2086. — II. CONDITIONES requisitae, pro sanatione in radice, sunt QUATUOR, videlicet [3]:

[1] Bened. XIV. *de Syn.* L. 13. c. 21. n. 7. — [2] Cf. Giovine, §. 323. sqq. — [3] Cf. Feije, n. 767. sqq; *Acta S. Sed.* vol. I. p. 182. sqq.

Digitized by Google

1° Ut impedimentum sit *juris ecclesiastici.*

2° Ut *verus*, in principio, matrimonialis *consensus* datus fuerit; sanari enim non potest radix, quae non extitit. Quapropter requiritur ut, saltem tempore celebrationis, conjunctio speciem matrimonii habuerit, et non fuerit manifesto fornicaria. — Matrimonialis utique consensus non consistit regulariter cum impedimenti notitia, cum nullus serio velle valeat, quod fieri non posse cognoscit; potest tamen consistere, si ad illius vim irritantem non sufficienter attenditur, vel si haec vis ignoratur, vel non creditur, vel non satis perspecta habetur. — Si una pars *in bona fide* est quoad validitatem matrimonii, hujus consensus sanari potest, renovato alterius partis consensu. Hinc concluditur, matrimonium civile posse in radice sanari, dummodo vere matrimonialis consensus praestitus fuerit.

3° Ut consensus *utriusque perseveraverit.* Solet haec conditio, ut plurimum, exprimi in Rescripto Pontificio: quod si non expressa fuerit, debet pleno jure supponi. Nam si consensus, matrimonio nondum convalidato, revocatus fuerit, non potest amplius sanari, cum jam destructus sit; secus enim dicendum foret, matrimonii Sacramentum posse a formaliter invito suscipi. — Dissensus vero interpretativus non impedit sanationem in radice, quia non pugnat cum vero consensu (cf. n. 2082). De caetero non est anxie de consensus perseverantia inquirendum; sufficit, si de revocatione non constet.

4° Ut adsit *gravis atque urgens causa:* quae habetur, si matrimonium aliter, vel nullo modo, vel saltem non sine gravis damni periculo, revalidari possit. — Valida tamen foret dispensatio, si Papa scienter absque causa illam concederet; secus, si Ordinarius illam concederet (cf. n. 238).

2087. — Pro praxi adhuc NOTANDA veniunt sequentia: — 1° Sanatio in radice communiter pro foro tantum interno conceditur; necessitate tamen postulante, obtineri potest etiam pro foro *externo;* quo in casu, inscriptio convalidati matrimonii facienda est, vel in libro parochiali, si prudentia id sinat, vel in libro secreto in Curia episcopali servando, juxta dicta, n. 2080 (Not. 3). — 2° Quoquo modo fiat revalidatio, *scandalum*, si forte adsit, removendum est per validi matrimonii notitiam prudenter divulgatam. — 3° Sanatio potest fieri *inscia utraque parte,* et ita est facienda, quoties ex monitione gravis damni periculum timetur. — 4° Si *una pars* moneri prudenter possit, fulminari debet dispensatio in radice ad normam supra descriptam pro dispensatione ordinaria (n. 2054), mutatis mutandis, et iis sedulo servatis quae in Rescripto praescribuntur.

Haec vel similis FORMULA adhiberi potest: *Ego, auctoritate Apostolica mihi concessa, matrimonium a te contractum cum N. in radice ejus sano et consolido, prolem susceptam vel suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris, etc.*

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE REVALIDANDO MATRIMONIO INVALIDO OB DEFECTUM FORMÆ TRIDENTINÆ

2088. — Matrimonium invalidum OB DEFECTUM FORMAE interdum convalidatur, eo ipso quod sponsi legi Tridentinae legitime subtracti (per acquisitionem nempe domicilii in loco ubi lex non viget) formaliter renovent consensum, saltem per signa, v. g. conjugaliter vivendo. — Extra hunc casum, debet *servari* forma Tridentina, vel *obtineri* dispensatio. — Prae omnibus autem perpendendum est, quonam animo sint conjuges, utrum nempe *utraque* pars, vel *altera* tantum, vel *neutra* sit rite disposita [1].

1° Si UTERQUE contrahentium sit *rite dispositus*, servanda est forma Tridentina, vel *occulte*, si nullitas matrimonii sit occulta; vel *publice*, si sit publica. — Quod si Ordinarius, ob peculiares circumstantias, expedire judicaverit, ut matrimonium secreto coram parocho et duobus testibus celebretur, secreto celebrari poterit: dummodo alia ratione publicum scandalum removeri possit, et quamprimum removeatur (cf. n. 2080. *Nota*).

2° Si ALTER contrahentium *renuat* convalidare matrimonium in facie Ecclesiae, satagendum est, ut ipse, per specialem procuratorem vel epistolam, consensum de praesenti coram parocho et testibus exprimat, sicque matrimonii validitati consulatur. — Si neque hoc obtineri possit, consensus vero matrimonialis nullo modo fuerit revocatus, ad sanationem in radice deveniendum est, servatis conditionibus, ut supra (n. 2086).

3° Si NEUTER contrahentium matrimonium in forma legitima revalidare *consentiat*, dispensationi non est locus, cum contumaces minime Ecclesiae indulgentiam sentire mereantur (cf. n. 2086. 2).

Nota. 1° Nuptiae revalidatae, si revalidatio fuerit publica, sunt iterum *benedicendae;* quia revera nunquam benedictae fuerunt; secus, si revalidatio fuerit secreta [2]. — 2° Revalidatio *publica* INSCRIBITUR in solito libro parochiali. — Quodsi jam olim matrimonium fuerit in forma Tridentina celebratum, tunc vel nova fit inscriptio cum remissione ad priorem, vel ad hanc tota res debite adnotatur. — Revalidatio *secreta*, si fiat in forma Tridentina, inscribitur in libro matrimoniorum secretorum; secus, nulla fit inscriptio [3].

[1] Instruct. Card. Caprara, *de revalid. matr.* (apud Moser, append. N. XVI). — [2] Catalani, *Theol. mor.* p. III. q. 14. c. 10. n. 10. — [3] Feije, n. 775-778.

Digitized by Google

Scholium.

De matrimonio civili.

2089. — Quemadmodum Ecclesiae munus est ea statuere, quae pertinent ad matrimonium, prout in se consideratur et unum est ex septem Sacramentis; ita jus est penes societatem civilem determinare EFFECTUS matrimonii CIVILES. — Huc spectant causae dotis, atque haereditatis, item causae successionis, admissionis aut exclusionis ab officiis ac muniis publicis aut privatis, illegitimitatis prolis in foro civili, aliaeque ejusmodi, quae in codicibus uniuscujusque gentis, aut provinciae, descriptae reperiuntur.

Hanc civilis societatis auctoritatem Ecclesia nunquam non agnovit, quin etiam aperte propugnavit; idque recentissime praestitit Papa LEO XIII, in Encyclica *Arcanum*, hisce verbis: « Item non ipsa (Ecclesia) ignorat, neque diffitetur, Sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui rei publicae praesunt. »

Nec vero pari aequitate erga Ecclesiam civilis auctoritas usa est. Ipsa enim non modo ecclesiasticam auctoritatem non agnovit, sed sacrilego etiam ausu eam oppugnavit, leges edicendo de spectantibus ad matrimonii naturam aut validitatem, de vinculi firmitate, de forma in contrahendo necessario servanda. — Inde illud pactum, quod MATRIMONIUM CIVILE dicitur, quod solum a legislatore civili habetur ut verum matrimonium, et quod in mutuo viri et feminae consensu, juxta legis civilis praescripta expresso, consistit.

Haec porro legis praescripta respiciunt tum ad *impedimenta* sive prohibentia sive dirimentia, tum ad *formam* necessario servandam [1]. — Quae nunc temporis magis universaliter vigent, paucis hic indicare juvat.

Impedimenta PROHIBENTIA fere communiter recepta, haec sunt: — 1) defectus denuntiationum in foro civili; — 2) conditio militaris, nisi veniam concedat qui rei militari praeest; — 3) status viduitatis: vidua scilicet non potest ad novas convolare nuptias, nisi post decem menses a morte prioris conjugis, vel nisi interea pepererit; partus enim tollit statim impedimentum.

Impedimenta DIRIMENTIA plurima desumpta sunt a legislatione ecclesiastica, sub limitatione tamen ex civilistis dignoscenda. Sunt autem sequentia: — 1) Vis et metus; — 2) error et amentia, etiam si amens lucida intervalla habeat; — 3) defectus pubertatis, si nempe vir nondum decem et octo annos, femina decem et quinque compleverit; — 4) ligamen (nisi alicubi per legale divortium matrimonium civile solutum fuerit); — 5) consanguinitas, affinitas, et cognatio legalis: prohibentur nempe nuptiae inter omnes ascendentes, et descendentes, sive legitimos, sive naturales; inter fratres et sorores, sive legitimos, sive naturales; inter affines ejusdem gradus; inter patruum et neptem, atque inter materteram et nepotem; item inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes; inter fratres et sorores ex adoptione; inter adoptantem et conjugem adoptati. [In Codice ITALICO recensetur insuper: *homicidium*,

[1] Cf. Scavini, lib. 4. append. 75; Aichner, §. 179 et 180; Vecchiotti, III. append. I; Feije, cap. 36. a n. 780. sqq.; Moullart, p. 214.

Digitized by Google

etiam mere attentatum, quod dirimit matrimonium inter homicidam et superstitem interfecti conjugem; item *impotentia* manifesta, perpetua et antecedens. — Memoratis impedimentis fere ubique alterum superadditum est impedimentum, *defectus* scilicet *consensûs parentum*, vel eorum qui parentum vices tenent, si filius 25^{m}, filia 21^{m} annum nondum compleverit. — CAETERA canonica impedimenta a legislatore civili NON AGNOSCUNTUR, nullamque vim in foro civili obtinent.

Ad FORMAM matrimonii civilis quod attinet, lex praescribit, ut contrahatur publice coram officiali civili ac testibus.

2090. — Ex his impiis legibus quae canonicae disciplinae plane adversantur profluunt *luctuosissimae consequentiae*, videlicet: Honores et commoda veri matrimonii tribuuntur huic contra Ecclesiae leges factae viri et feminae copulationi, quae proinde nihil aliud est ac turpis concubinatus. E contrario, effectus civiles denegatur vero, i. e. juxta leges Ecclesiae contracto, matrimonio, nisi huic et civile matrimonium accedat. Imo, subinde ipsa libertas contrahendi in facie Ecclesiae tyrannice coarctatur. — *Quid vero in hisce angustiis agendum sit*, edocet S. POENITENTIARIA in Instr. data die 15 januarii 1866[1], cujus praecipua capita hic referre opportunum censemus.

I. Ex vera de matrimonio doctrina facile deducitur, civilem actum coram Deo ejusque Ecclesia, nedum ut Sacramentum, verum nec ut contractum haberi ullo modo posse; ideoque fore *verum concubinarium*, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret, atque ipsum absolutione indignum esse, donec haud resipiscat, ac praescriptionibus Ecclesiae se subjiciens ad poenitentiam convertatur[2].

II. « Quamvis autem pro matrimonii valore minime opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur, aut confirmetur: attamen, *ad vexationes poenasque vitandas*, et ob *prolis bonum*, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad *polygamiae periculum* avertendum: opportunum et expedíens videtur, ut iidem FIDELES, postquam matrimonium legitime contraxerunt coram Ecclesia, se sistant, actum lege decretum exequuturi, ea tamen intentione (uti Benedictus XIV docet in Brevi diei 17 sept. 1746 *Redditae sunt Nobis*) sistendo se Gubernii officiali nihil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exequantur[3]. » — Non desunt auctores, qui praedictam obligationem (in certis Regnis) sub gravi exequendam esse affirment, maxime ob detrimentum, quod secus sive partibus sive proli immineret.[4]. Secus tamen dicendum, si lex alicubi tantam vim nondum obtineat.

III. « Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis executioni cooperentur, PAROCHI ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi conjuges, non ita facile ac promiscue admittant. — Hac in re, multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis non sit ad annuendum; sed in gravioribus casibus hoc sacrum Tribunal consulat[5].

IV. « Quod si opportunum est ac expedit, ut Fideles sistentes se ad actum civilem peragendum se probent legitimos conjuges coram lege: hunc tamen actum, *antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint*, peragere nequaquam debent. — Et si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admit-

[1] *Acta S. Sed.* I. 508. — [2] Instr. cit. n. 4. — [3] Instr. cit. n. 5. — [4] D'Annibale, *Summula*, III. n. 360. — [5] Instr. n. 6.

Digitized by Google

tenda non est, ejusmodi ordinis invertendi causa esset; tum omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia *quamprimum* contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant [1]. »

NB. Quod ad SYNDICOS et OFFICIALES CIVILES attinet, vide dicenda n. 2126 et 2291 sqq.

2091. — QUAERITUR. *Utrum matrimonium mere civile nullum in foro ecclesiastico effectum producat?*

Resp. Matrimonium civile, tametsi matrimonii natura careat, ejusdem tamen *quamdam speciem* et externam formam prae se fert; unde, si verus adfuerit consensus matrimonialis, potest validitatem per sanationem in radice assequi (cf. n. 2086). — Insuper est aliqua matrimonii attentatio: atque ex hoc capite inducit poenas statutas contra matrimonium attentantes, et accedente adulterio, parit impedimentum criminis (cf. n. 2036). Ex eo tamen non oritur impedimentum publicae honestatis (cf. n. 2034.) — Et haec quidem valent pro locis, ubi lex Tridentina de matrimonii forma viget; in locis vero ubi dicta lex non viget, matrimonium civile, vero praestito consensu, habendum est tanquam matrimonium clandestinum [2].

CAPUT VII.

DE CONJUGUM JURIBUS ET OFFICIIS

Quae conjugum JURA sint atque OFFICIA, summatim in Tractatu *de quarto Praecepto*, exposuimus (n. 703 et 704). — Restat ut hîc speciatim *de debito conjugali* et *de cohabitatione* tractemus.

ARTICULUS I.

DE DEBITO CONJUGALI

2092. — Actus conjugalis nuncupari solet a theologis *debitum conjugale*, tum quia conjuges hunc actum sibi mutuo debent, tum maxime quia sic eum appellavit Apostolus, dicens (I. Cor. 7, 3): *Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro.*

Hoc praenotato, ut omnia quae ad hanc materiam spectant expendantur, tractabimus: 1° de actus conjugalis liceitate; 2° de actus conjugalis obligatione; 3° de variis in actum conjugalem delictis, seu de cónjugum peccatis.

NB. Antequam injucundam materiam aggrediamur, juvat lectorem ad ea remittere, quae dicta sunt n. 762, ubi S. ALPHONSUS alumnos admonet, ne haec legant *nisi cum debitis cautionibus*, et tunc solum, cum *necessitas proxime confessiones excipiendi* lectionem suaserit.

[1] Instr. cit. n. 7. — [2] Cf. *Acta S. Sed.* XII. 168.

Digitized by Google

§. 1. *De actus conjugalis liceitate.*

2093. — Actum conjugalem *per se* licitum esse atque honestum, jam constat ex dictis de honestate matrimonii (cf. n. 1967). Ut autem talis actus, ex omni parte, licitus sit ac legitimus, debet certis vestiri conditionibus, quae se tum ad *personas* matrimonio utentes, tum ad ipsius actus *finem* et *circumstantias* referunt.

I. — De requisitis ex parte personarum

Ad actus conjugalis liceitatem requiritur ex parte personarum jus verum, hocque expeditum.

Dicitur 1° *jus verum*, hoc est, jus quod ex valido matrimonio oriatur; secus enim actus conjugalis foret vera fornicatio. — Unde: si matrimonium est certe nullum, nunquam licet parti id scienti vel petere, vel reddere debitum alteri ignoranti [1]. — Dicitur 2° *jus expeditum;* connubiali enim jure privari possunt conjuges ob quaedam impedimenta prohibentia, quae matrimonium vel praecesserunt, vel subsecuta sunt. — Praecipua, de quibus hîc agendum est, sunt quatuor, scilicet: 1° Dubium de valore matrimonii; 2° Impotentia corporis; 3° Votum simplex castitatis; 4° Affinitas post initum matrimonium contracta. — Quocirca statuuntur sequentia

2094. — Principia. I. Conjux dubitans de sui matrimonii valore, potest et debet comparti bona fide petenti debitum reddere; sed non potest petere, nisi suum dubium, post factam debitam diligentiam, prudenter deposuerit. — Ratio *primi* est, quia si, post primum bimestre, vel post consummationem matrimonii, comparti bona fide petenti obtemperare renueret, gravi periculo illius jus violandi se committeret. Unde, quamdiu ex validis rationibus de nullitate matrimonii cum morali certitudine non constiterit, urget compartis possessio certa. — Ratio *secundi* est, quia in dubitante suspenditur jus possessionis, donec veritas fuerit diligenter investigata (ut visum est n. 46); dubio autem post factam diligentiam perseverante, manet possessio pro valore matrimonii, ideoque pro illius usu [2].

Haec eadem admittit satis probabiliter *S. Alphonsus* cum aliis contra plures, etiam si matrimonium fuisset in *mala fide* seu *in dubio* contractum; quia etsi dubitans nequeat deponere dubium ex titulo possessionis, cum in mala fide inceperit possidere, potest tamen illud ex alio principio deponere, nempe ex principio, quod in dubio standum est pro valore matrimonii, in cujus favorem,

[1] H. A. XVIII. 35; L. VI. 900. — [2] L. VI. 903-905.

Digitized by Google

in foro tam interno quam externo, semper judicandum est, ratione boni communis societatis [1].

Attamen, duo casus excipiendi sunt, in quibus dubium ex praedictis principiis deponi nequit, videlicet: — 1° Si quis prudenter dubitet *de morte prioris conjugis;* tunc enim possidet prius matrimonium, donec certo moraliter constet de illius solutione; interim, tamen reddendum est debitum comparti in bona fide petenti, ut supra diximus [2]. — 2° Si constet de impedimento juris ecclesiastici, et non constet *de impetrata dispensatione;* tunc enim pariter possidet impedimentum. Secus vero, si constet de dispensatione et dubitetur de ejus valore; quia standum est pro valore actus [3] (cf. n. 1810).

QUAERITUR. *Quid in casu matrimonii* BONA FIDE *contracti, si* PROBABILITER *invalidum sit, nulla stante probabilitate pro valore?*

Resp. Controvertitur. Prima sententia NEGAT jus petendi debitum; quia possessio suffragatur quidem *dubitanti,* non autem *opinanti* pro nullitate matrimonii. — Secunda sententia satis probabilis AFFIRMAT; quia possessio confert jus certum petendi, donec *constet* de nullitate matrimonii. Confirmatur ex cap. *Laudabilem de frigid. et malef.;* si namque, post biennium, conjuges nondum potuerint consummare, probabilissimum sane est matrimonium invalidum esse; et nihilominus possunt copulam tentare usque ad finem triennii, non alia certe ratione, nisi quia nullitas matrimonii nondum certa est (cf. n. 45) [4].

2095. — II. Impotentia certa SUPERVENIENS matrimonio reddit hujus usum illicitum, quatenus subest periculum pollutionis [5]. — Ratio est, quia effusio seminis non licet, nisi in actu per se ad generationem apto. Consentiunt AA. communiter.

Dicitur 1° impotentia *certa;* nam si dubia sit, tamdiu licet conari ad copulam, quamdiu est probabilis spes illam, prout natura exigit, perficiendi (cf. n. 2011. Resp. 2°).

Dicitur 2° *quatenus subest periculum pollutionis,* quia citra tale periculum, licitus est actus conjugalis, non secus ac tactus (de quibus infra n. 2110).

Unde, ab usu matrimonii non prohibendi sunt conjuges, si, ob senectutem vel aliam causam, plerumque accidat, ut semen extra vas effundatur, « modo adsit spes probabilis seminandi intra vas; quia semper ac adest talis spes, jus habent ad copulam, et si semen effunditur, hoc per accidens evenit [6]. »

2096. — III. Qui VOVIT castitatem post matrimonium, NON POTEST PETERE debitum; TENETUR tamen illud petenti REDDERE. —

[1] L. VI. 906. — [2] Ib. 903; cf. *Istruz.* XVIII. 37. — [3] L. VI. 901. — [4] Ib. 905; Aertnys, n. 30. qu. 2. — [5] L. VI. 1095. Dixi 2°. — [6] Ib. 954. Dub. 2°.

Digitized by Google

Ratio *primi* satis patet ex obligatione voti. — Ratio *secundi* est, quia votum non potest praejudicare juri alterius conjugis [1]. — Quod si conjux non solum permisit votum compartis, sed in ipsum consensit, *intendens cedere juri suo*, neutri jam licet debiti petitio, aut redditio. — Sed si « *ad invicem voverint*, non intendentes cedere juri suo, adhuc tenetur alter petenti reddere », ut communiter docetur. Et ratio est, quia petitio est adhuc justa, et ex parte actûs honesta, licet ex parte petentis illicita, et quia sic petenti nunquam denegari potest res, quae illi ex justitia debetur [2] (cf. n. 216 et 519). Si autem votum *praecesserit* matrimonium, recole dicta n. 1992, Hinc 2°.

QUAERITUR *An conjux voto obstrictus possit aliquando debitum petere? Resp.* POTEST, imo DEBET, in duplici caso: — 1° Si alter sit *in periculo incontinentiae;* quia tunc obligatio oritur ex ipso fine matrimonii, qui praecipit, ut alter alteri subveniat. — 2° Si alter *tacite petat,* puta quando uxor non audet prae verecundia petere, et vir sentit ab ea copulam appeti; quia tunc petitio est revera redditio. — Ita communiter [3] (cf. n. 1992).

2097. — IV. Conjux, qui, durante matrimonio, contraxit AFFINITATEM cum suo consorte, patrando scilicet completum ac formalem incestum cum consortis consanguineo, vel consanguinea, in primo vel secundo gradu, privatur jure petendi debitum, donec legitimam dispensationem obtinuerit. — Recole dicta n. 2031 q. 3.

Nota. De *adulterio*, quatenus privat jure petendi debitum, vide n. 2031. quaer. 3.

II. — DE REQUISITIS EX PARTE FINIS.

Actus conjugalis ut licitus atque honestus sit, debet exerceri OB FINEM HONESTUM. — Constat ex dictis de honestate actuum humanorum (cf. n. 306 et 307). — Unde,

2098. — I. Licet actum conjugalem exercere ob VARIOS FINES, qui matrimonium COHONESTANT, videlicet: — 1° Ad *generandam prolem;* quia hic est finis ab ipso matrimonii Auctore intentus. Nec tamen prolis generatio necessario intendi debet, dummodo non positive impediatur; imo, licet conjugibus simplici affectu optare, ut non nascatur proles, puta propter eam alendi difficultatem. — 2° Ad *reddendum debitum;* quia haec redditio est actus justitiae emanans ex ipsius matrimonii institutione. — 3° Ad *vitandam incontinentiam* in se, vel in comparte; quia post lapsum protoparentum, matrimonium etiam ordinatum est *in remedium concupiscentiae.* — Imo, si de compartis vitanda incontinentia agitur, actus non solum est licitus, verum etiam ex praecepto charitatis obligatorius. — Atque hi sunt fines PRIMARII.

[1] L. VI. 930. 949. — [2] Ib. 944. — [3] Ib. 930; H. A. n. 41.

Digitized by Google

Praeterea, licite exercetur ob *quemcumque* finem honestum, v. g. ad fovendum amorem conjugalem, ad corporis sanitatem; quia nihil vetat, quominus ad finem honestum adhibeatur medium in se licitum, et ad illum finem utile [1].

2099. — II. Non licet exercere actum conjugalem OB SOLAM VOLUPTATEM. Constat ex 9ª propositione ab Innocentio XI damnata: « Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali. » Ratio damnationis datur, quia est quaedam perversio ordinis delectationem intendere ut finem, quam natura intendit ut medium. — Sed VENIALIS tantum culpa est, quia inordinatus usus rei licitae *per se* non est gravis, nisi quis in ipso ceu in ultimo fine quiescat [2] (cf. n. 342. q. 3°).

Dictum est: *ob solam voluptatem,* i. e. excluso quocumque alio fine: quia, nisi talis exclusio fiat, actus ceu licitus apprehensus, et rite exercitus, virtualiter et natura sua ad proprios fines intrinsecos refertur. Quare et omni culpa caret, licet delectationis appetitus ad eum impellat (cf. n. 1966).

Hic etiam obiter notamus, graviter peccare conjugem, qui copulam maritalem exercet *cum affectu adulterino* ad aliam personam, quam sibi praesentem imaginatur vel exoptat [3] (cf. n. 356).

Ex his resolves: — 1° Licitus est actus conjugalis, quamvis ob sterilitatem nulla sit spes prolis: id enim fit per accidens, et caeteri matrimonii fines actum cohonestant.

2° Conjuges, qui copulae voluptatem assumunt in remedium concupiscentiae, seu ad vitandam incontinentiam, potius agunt ex amore virtutis, quam ex amore voluptatis: quippe qui servare continentiam et peccatum vitare intendunt. — Qui vero voluptatem *propter seipsam* appetunt, ducuntur amore, non virtutis, sed voluptatis: quod honestum non est. [4]

3° In praxi, quoad usum matrimonii propter solam delectationem, conjuges solent esse in bona fide, nec plerumque fructus ex monitione sperari potest. Unde, consultius est, ut confessarius eos in sua bona fide relinquat [5].

III. — De requisitis ex parte aliarum circumstantiarum.

2100. — Debitae conjugalis actus circumstantiae respiciunt potissimum ad ejus *modum*, *locum*, et *tempus* [6].

I. Modus seu situs naturalis in usu matrimonii est, ut mulier sit succuba et vir incubus; cum sit aptior ad effundendum et recipiendum semen: unde, *per se* nefas est hunc situm mutare; cum talis mutatio sit inversio ordinis naturae. — Dicunt tamen communiter AA. cum D. Thoma, non esse per se mortale, si actus exer-

[1] L. VI. 882. 883. 927. — [2] Ib. 912. — [3] Ib. 913. — [4] *Vindic. Alph.* p. 7. q. 8. art. II. 2. — [5] Berardi, *Praxis Conf.* n. 334. q. 12; cf. Aertnys, *De usu matrim.* n. 3 et 4. — [6] Cf. A. E., *Disp. physiol. theol.*, Disp. I. cap. 9.

Digitized by Google

ceatur situ indebito, vel stando, vel sedendo, vel a tergo more pecudum, vel viro succumbente, modo semper fiat in vase naturali. Nam mutatio situs generationem ordinarie non impedit, cum semen virile in matricem mulieris ex se naturaliter attrahatur. — Ideoque nullum erit peccatum, si modus naturalis mutetur ob aliquam justam causam, v. g. periculi abortus, scandali, difficultatis [1].

Diximus 1° *per se non esse mortale;* docet enim Angelicus, per accidens posse in hoc graviter peccari, si agatur ex prava concupiscentia, v. g. affectu bestialitatis, aut sodomiae [2]. — 2° *modo semper fiat in vase naturali;* secus enim violaretur essentialiter ordo naturae, et finis matrimonii prorsus frustraretur (cf. n. 2112).

An mortale sit, *quaeres*, mutare situm, si propterea aliqua pars seminis deperdatur? — Communius negant DD.; quia si semen infundatur in vas, *partialis* ejus post infusionem perditio, quae in aliquibus sitibus accidere potest, evenit casu, nec praepedit conceptionem. Constat enim ad generationem exiguum seminis satis esse. — E contrario, si experientia constaret, feminam ob mutatum naturalem situm *nihil seminis* retinere, tunc mortale esset; sed hoc perraro accidit [3]. Et idcirco confessarius non debet de hoc periculo interrogare.

2101. — II. Locus actui conjugali conveniens, non potest esse, sicut ipse naturalis pudor dictat, nisi secretus. — In loco publico seu coram aliis, et maxime coram filiis, actus conjugalis foret gravissimum scandalum. — Si autem fieret in loco sacro (praeter casum necessitatis), esset juxta probabiliorem et communiorem sententiam, irreverentia gravis et sacrilega [4] (cf. n. 788).

Nota. Admonendi sunt conjuges, ne pueros rationis compotes (aut alicujus malitiae jam capaces) secum in lecto aut in cubiculo decumbere sinant [5]. — Quod si propter paupertatem ad id cogantur, caveant saltem ne pueri quidquam deprehendant.

2102. — III. Tempus per se, est circumstantia indifferens; potest tamen quandoque, ratione aliorum adjunctorum, reddere actum conjugalem leviter graviterve illicitum. Ita communius cum S. Bonaventura. — Ratio *primi* est, quia nulla lex assignari potest, qua unquam prohibeatur hujusmodi actus, et antiquae legis Mosaicae praescriptiones sunt per Legem novam penitus abrogatae. Unde si canones et SS. Patres usum conjugii diebus festis vel poenitentiae temporibus prohibere videantur, intelligenda est prohibitio de consilio, non autem de praecepto [6] (De diebus Communionis vide n. 1561. 2°). — Ratio *secundi* habetur ex lege naturali, quia juris con-

[1] L. VI. 917; H. A. XVIII. 39. — [2] Ibid. — [3] Ibid.; Capellmann, p. 147; Aertnys, n. 15. fin. — [4] L. VI. 620 et III. 458. — [5] *Praxis*, n. 211. — [6] L. VI. 223.

Digitized by Google

jugalis usus potest suspendi, vel impediri, ob concursum alius juris praedominantis, v. g. ob periculum abortus, vel nocumenti valetudinis, tempore praesertim menstruorum, praegnationis, purificationis post partum, lactationis, et infirmitatis. — Unde RESOLVES:

1° Tempore *fluxus menstrui* interdicitur copula conjugalis, sub veniali, ut tenet communissima et probabilior sententia; tum quia involvit quamdam indecentiam; tum quia, ut testantur medici, nocere potest genitalibus feminae partibus, atque inde, si concipiat, aliquod postea abortus periculum adducere; tum quia quaedam intemperantia est non expectare tempus aptum brevi adfuturum. — Tempore *extraordinarii fluxus sanguinis*, qui ex morbo provenit, et diuturnus vel perpetuus est, copula tum evadere potest illicita, cum experientia constaret fluxum post copulam augeri; id si accidat, copula ordinarie aliquantum nocebit, raro tamen graviter. — Si leviter tantum noxia erit, copula licita evadet, eo quod secus vir perpetuo abstinere deberet, quod et grave incommodum et ordinarie grave incontinentiae periculum ei allaturum esset: quae duo contra leve nocumentum uxoris certe praevalent[1].

2° Tempore *praegnationis*, copula, secluso abortus periculo, communius licita censetur; quia nullo jure prohibetur, onusque gravissimum foret, si tanto tempore tenerentur conjuges se continere. — Nihilominus *S. Alphonso* magis arridet sententia illorum, qui censent concubitum cum praegnante, per se loquendo, non carere culpa veniali; quia semen fine suo frustratur; per accidens tamen cohonestari, accedente honesta causa, v. g. periculo incontinentiae, vel alia: quae cum vix unquam absit, in praxi haec sententia cum priori fere coincidit[2].

Periculum abortus tanto minus erit, quanto longius copula a die conceptionis distat. — Unde existere duntaxat potest intra primos praegnationis menses, et hoc tempore tum solum, cum copula aut saepius aut impetuosius peragitur; quare, conjugibus moderatio quoad numerum et modum commendanda est. — Caeterum, ob periculum abortus, copula minime vetari potest; tum quia de incipiente praegnatione nemo quidquam scit, saltem nihil certi; tum quia abortus multo saepius ex morbosa dispositione, quam ex causa directa proveniunt[3].

3° Tempore *purgationis*, ex communiori et probabiliori sententia, copula est illicita; tum propter indecentiam, tum propter periculum nocumenti pro uxore. — Si leve nocumentum timeatur, erit culpa venialis; si grave, culpa mortalis. Nova conceptio timenda non est, nisi post sex fere hebdomadas, cum scilicet uterus

[1] L. VI. 925; Capellmann, p. 148; Aertnys, n. 8. — [2] L. VI. 924. — [3] Capellmann, p. 152; Aertnys, n. 9.

Digitized by Google

restituitur et menstruatio recurrit [1]. — Porro, ex sententia *S. Alphonsi* [2], qui medicum valde peritum consuluit, grave nocumentum prudenter timeri potest intra biduum post partum; et, juxta recentiores medicos, adhuc diutius, per unam, puta vel duas hebdomades, perstante scilicet fluxu puerperii, aut magna mulieris debilitate, aut aegritudine.

4° Tempore *lactationis*, copulam licere communissime affirmant; quia quamvis lac plerumque, incipiente nova graviditate, mox diluatur ac brevi desinat, alia via poterit proles lactari, ne tamdiu conjuges cogantur abstinere cum tanta difficultate. Cui accedit feminam tempore lactationis vulgo non concipere [3].

5° Tempore *morbi*, illicitus est actus conjugalis, quando prudenter inde timeri potest notabile nocumentum sanitatis. — Idcirco, DISTINGUENDUM EST inter morbos *contagiosos* et *non contagiosos*.

1) In morbo *contagioso* unius conjugum, si sit morbus venereus seu syphilis, graviter illicita est copula, propter horrendas sequelas, quas pro comparte et pro prole secum trahit. Hunc morbum pars infecta comparti manifestare non tenetur, ob infamiam; dummodo, dum tacet, debitum nec petat, nec reddat (Vide tamen n. 2108, 2°). — In aliis morbis, pariter prohibita est copula, si *brevi* mortem inferre apti sint; secus vero, si chronici seu diuturniores sint; quia periculum incontinentiae, quod tamdiu vix abesse potest, praevalere videtur. Tenetur porro pars infecta morbum manifestare comparti.

Monendum hoc loco est, phthisim non morbum contagiosum, sed *haereditarium* esse; proli autem melius fore infirmam esse, quam penitus non esse. — Contra, fluxus seminis, qui in viris *gonorrhea* vocatur, plerumque species quaedam syphilis est, et idcirco contagiosus, ut medici testantur. — *Leucorrhoea*, seu *fluor albus*, quo feminae praegnantes saepe laborant, copulam non vetat, cum maleficus non sit.

2) In morbo *non contagioso*, concubitus valde noxius est in morbo multum debilitante, cum febri et summo dolore conjuncto. In levi morbo, concubitus non est noxius; excipiuntur tamen genitalium aegrotationes, quae in muliere per copulam ingravescere possunt et difficulter postea sanari.

Nota. Post balneum, venae sectionem, prandium vel coenam, concubitus non solet esse notabiliter periculosus, ut hodierni medici testantur [4].

§. 2. *De obligatione actus conjugalis.*

Duo sunt hîc expendenda: 1° qualis sit obligatio pro conjugibus sive reddendi, sive petendi debitum; 2° quaenam sint a tali obligatione causae excusantes.

[1] Capellmann, p. 149. — [2] L. VI. 926. — [3] Ib. 911; Capellmann, p. 151; Aertnys, n. 11. — [4] L. VI. 909. 910. 950; Capellmann, p. 155. 158; Aertnys, n. 12.

Digitized by Google

I. — De obligatione sive reddendi sive petendi debitum.

2103. — Principia. I. Uterque conjux tenetur ex justitia, et sub gravi, reddere debitum alteri conjugi rationabiliter ac serio petenti. — Constat ex Apostolo (I. Cor. 7, 3): « Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro. » Ratio est, quia vi contractus matrimonialis « mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier » (ibid). Et ideo non possunt usum conjugii sibi invicem denegare sine injustitia, quae est, per se, peccatum mortale; quia est denegatio ex natura sua gravis, saltem si saepius, vel obstinate fiat [1].

Diximus 1° *rationabiliter petenti;* nam, si petens non sit sui compos (ut amens, vel perfecte ebrius), quia non petit humano modo; vel si petat injuste, immoderate, intempestive, et quoties generatim legitima intervenit denegandi causa: cessat obligatio, saltem justitiae [2]; etsi tunc adhuc dari potest obligatio charitatis, nempe ad vitandum in petenti periculum incontinentiae, irae, blasphemiae, etc., ut infra explicabitur (n. 2104. 2°).

Diximus 2° *serio petenti;* nam, si conjux remisse petat, vel facile precibus denegantis cedat, ex communi sententia non est mortale, nisi petens versetur in periculo incontinentiae; imo, nec veniale, si qua detur denegandi causa. — Nihil tamen refert, utrum expresse petat an tacite; sufficit enim, si manifestet quibusdam signis se illum actum desiderare, etsi eum prae verecundia exigere non audeat [3].

2104. — II. Neuter conjux tenetur per se, seu ex justitia petere debitum; bene vero per accidens, ex charitate, vel alia virtute, ad id obligari potest [4]. — 1° *Non tenetur ex justitia*, quia nemo tenetur uti jure suo. Quod etiam probabilius, admittit *S. Alphonsus* [5], etsi compars sit in periculo formali incontinentiae; quia si nulla fit petitio expressa vel tacita, nulla adest obligatio justitiae ad reddendum. Obligavit se quidem conjux ad non frangendam fidem, non vero ad impediendum alterum, nè fidem frangat. — 2° *Obligari potest* per accidens, nempe *ex charitate* vel *ex alia virtute*, graviter aut leviter, prout urget haec vel illa virtus. Communiter autem docent AA., *gravem* esse obligationem petendi ex charitate, quando hoc judicatur necessarium ad vitandam incontinentiam in alterutro conjugum, vel ad fovendum mutuum amorem. Idem admit-

[1] L. VI. 938; H. A. n. 44. — [2] H. A. ibid; L. VI. 948. — [3] L. VI. 928. 938. 940. — [4] Ib. 938. — [5] Ib. 928. 929.

Digitized by Google

tunt, si generatio prolis sit valde necessaria bono publico vel paci familiae [1].

Possunt conjuges PACISCI de non utendo matrimonio, et tunc neuter cogi potest ad reddendum debitum; sed hoc pactum (quod raro expedit) potest ex mutuo consensu rescindi: imo, superveniente incontinentiae periculo, remitti debet ex charitate, saltem ad tempus, ut incontinentia vitetur.

2105. — *Ex dictis resolves* [2]: — 1° Mortaliter peccat uxor, si *obstinate* neget etiam pro una vice duntaxat, dum vir serio et instanter petit.

2° Similiter, si in redditione *magnam morositatem* ostendat, cum periculo aut etiam cum animo virum deterrendi a petitione; si debitum non concedat, nisi *coacta;* si viro *dure et contumeliose* suas petitiones exprobret. Ita communiter.

3° Graviter delinquunt illi pessimi viri, qui, sive ex avaritia ut prolem evitent, sive ex malevolentia, sive ex amore concepto erga alias, proprias uxores nunquam aut fere nunquam cognoscunt, quamvis bene praesumere debeant, quod ipsae id aegerrime ferant [3].

4° Debiti denegatio EXCUSATUR a *gravi* culpa, ob parvitatem materiae, si fiat raro, v. g. semel in mense saepe petenti, citra periculum incontinentiae vel gravis dissidii; item, si nonnihil differatur redditio, puta a die ad noctem, a nocte ad mane [4].

II. — De causis a debiti redditione excusantibus.

2106. — CESSAT in uno OBLIGATIO reddendi debitum, cessante JURE exigendi in altero. Haec quippe correlativa sunt.

Jus autem exigendi INCIPIT post bimestre a matrimonio celebrato, vel post primam redditionem debiti, ut dictum est (n. 1981 et 2087); et CESSAT omnino per legitimas divortii causas, maxime per adulterium, ut infra dicetur (n. 2124. 1°). — Potest etiam cessare ob plurimas alias causas, tum ex parte *petentis*, tum ex parte *reddentis:* quae causae nunc exponendae veniunt.

2107. — I. Ex parte PETENTIS obstare potest in primis ILLICEITAS ipsius petitionis; qua in re, *S. Alphonsus* [5] sic distinguendum esse docet:

1° Si illiceitas se tenet *ex parte actus* et est *gravis*, puta quia unus petit in loco sacro, aut publico, aut cum proximo abortûs vel mortis periculo: alter non potest reddere sine gravi culpa; cum actus in se graviter malus nulla unquam causa cohonestari, nec propterea exigi possit. — Si vero illiceitas est *levis*, quia petitur v. g. situ innaturali, vel tempore menstrui aut puerperii: licet reddere cum justa causa, quae actum cohonestet, v. g. ne incurratur indignatio

[1] L. VI. 938. — [2] Aertnys, n. 32. — [3] Berardi, *Prax.* n. 336. — [4] L. VI. 940. — [5] L. VI. 943-946; H. A. n. 46-48.

Digitized by Google

consortis. Quin etiam, si petens habet justam sic petendi causam, alter tenetur reddere. Deficiente autem omni rationabili causa, reddere non tenetur, imo non potest citra culpam venialem.

2° Si illiceitas se tenet *ex parte solius petentis*, v. g. quia habet votum castitatis, vel quia petit ob pravum finem, compars ex communiori et probabiliori sententia *tenetur* reddere; praemissa tamen, si speretur fructus, *monitione*, ut petens desistat [1]. — Si vir sit onanista, vide n. 2118. q. 2°.

2108. — II. Ex parte REDDENTIS, justa habetur causa denegandi debitum, si GRAVE DAMNUM vel PERICULUM inde immineret [2]. — Ratio petitur ex ordine justitiae et charitatis, ex quo non censentur conjuges se obligasse ad reddendum debitum cum gravi damno. — Si adsit grave et proximum *periculum vitae* pro alterutro conjugum, neuter potest petere aut reddere; quia nemo est dominus propriae vitae suae, aut vitae alterius.

Hinc: 1° A redditione debiti eximitur *uxor*, quae proprio experimento, vel peritorum judicio, didicit se non posse partum edere sine gravi vitae periculo. — Posset tamen, ad vitandam sui vel conjugis incontinentiam, aut ad vitanda dissidia, se objicere periculo tantum probabili et remoto; quia, tametsi homo non sit propriae vitae suae dominus, potest tamen eam propter charitatem exponere [3].

2° Eximitur *conjux sanus*, si compars morbo contagioso, v. g. peste, morbo venereo laboret, et infectionis periculum immineat. — Potest tamen, justa de causa, periculum non omnino proximum subire ex motivo charitatis, adhibendo nempe media praeservativa [4].

3° Eximitur *conjux febricitans*, aut alio gravi morbo affectus; ob notabilem nempe corporis debilitationem; item *uxor*, si incipienti uteri cancro laboret, ita ut post actum conjugalem copiosae sanguinis effusioni subjiciatur; vel si coitum subeat cum dolore valde acuto, qui singulis vicibus repetatur [5]. — Non vero eximitur ob labores et dolores etiam insolitos praegnationis partus, lactationis, educationis, etc. [6].

2109. — QUAERITUR. *An damnum, quod* PROLI *timetur, eximat ab obligatione debiti conjugalis?*

Resp. Dist. 1° Si damnum timeatur proli *jam conceptae*, v. g. si constet, in casu particulari, per copulam ejus vitae vel formationi noceri, vel induci periculum abortus, conjuges non habent jus ad copulam [7] (cf. n. 2102).

2° Si vero de prole *concipienda* agatur, reddendum est debitum, quamvis timendum sit, ne proles infirma nascatur: cum huic melius sit, *sic* esse, quam penitus non esse. — Quod si uxor jam experta sit, se *filios mortuos* parere, communius tenent AA., illam, secluso periculo incontinentiae in se vel in comparte, non posse

[1] *Conf. diretto* XVII. 15. — [2] L. VI. 950. — [3] Ib. 950. — [4] Ib. — [5] Cf. Berardi, *Prax.* 342. — [6] L. VI. 952. — [7] Ib. 924.

Digitized by Google

debitum reddere, ob hanc potissimam rationem, quod ipsa periculum vitae subit ex morte foetus in utero[1]. — De quo periculo si constiterit, urgebit quidem praedicta sententia: sed quia raro de eo constat, et conjuges in magno incontinentiae periculo versarentur si ob hanc causam perpetuo eis ab usu matrimonii abstinendum esset[2]: vix aut ne vix quidem debitum ob praefatam rationem denegandum est.

3° Si demum nimia *multiplicitas prolis* timeatur, id, per se, videtur sufficiens ratio denegandi debitum: dummodo in neutro conjugum sit periculum incontinentiae. Cum vero tale periculum vix unquam absit, patet, conjugem non facile ob prolis multiplicitatem a reddendo debito excusari[3].

§. 3. *De peccatis conjugum.*

Praeter ea, quae jam dicta sunt de illis, qui actum conjugalem INJUSTE *petunt* vel *negant*, restat ut de eodem actu, quatenus adversatur CASTITATI, loquamur. — Hinc agemus: 1° de peccatis conjugum generatim; 2° speciatim de onanismo.

I. — De peccatis conjugum generatim.

2110. — Triplicis generis distinguuntur actus, qui in conjugali commercio exerceri possunt: nimirum alii sunt *juxta*, alii *praeter*, alii *contra* conjugii finem[4]. Inde triplex regula:

I. Quidquid est JUXTA finem conjugii, seu quidquid est necessarium vel utile, sive ad actum conjugalem exercendum, sive ad fovendum mutuum amorem, est conjugibus licitum. — Ratio est, « quia cui licitus est finis, etiam licent media; et cui licet consummatio, etiam licet inchoatio[5]. »

Hinc: 1° Tactus, oscula et amplexus *pudici* ad fovendum mutuum amorem culpa vacant, licet aliquando improvisa sequeretur pollutio; quia hoc esset per accidens, et justa adest causa adhibendi hujusmodi blanditias. — Ast vero, graviter culpabiles sunt, « si fiant cum periculo pollutionis in se vel in altero, casu quo nabeantur ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam: secus si ob causam gravem, puta si aliquando adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem; vel ut conjux avertat suspicionem ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus[6], » modo absit periculum consensus.

[1] L. VI. 951-953; H. A. n. 49. fin. — [2] Berardi, *Prax.* n. 346. — [3] L. VI. 941; cf. Frassinetti, tr. 18, not. 178. — [4] D'Annibale, *Summula*, III. 364. — [5] L. VI. 932. — [6] L. VI. 934; III. 484; H. A. n. 42.

Digitized by Google

2° Tactus, oscula, amplexus, aspectus, sermones *turpes*, omnesque actus *impudici* culpa vacant, si, secluso pollutionis periculo, referentur ad copulam hic et nunc consummandam. Id quoque verum est, quamvis pollutio subinde inculpabiliter copulam praeveniat[1]. — Debent tamen conjuges pro viribus hujusmodi effectum cavere, non diutius immorando in praedictis actibus[2].

2111. — II. Quidquid est PRAETER finem conjugii, seu quidquid non est per se necessarium vel utile ad actum conjugalem, solet esse culpa venialis, a qua tamen *excusare* potest finis honestus. Ita communiter juxta veriorem sententiam. — Et ratio est, quia sicut status conjugalis cohonestat copulam, ita etiam actus impudicos, qui non inducunt periculum pollutionis. « Alias enim cum sit tanta inter conjuges societas, et ipsi multoties non possint coire, jugibus periculis essent expositi, si tales actus eis forent graviter illiciti. Sicut autem delectatio quaesita in copula culpam venialem non excedit, ita etiam in his tactibus et aspectibus[3]. »

Hinc: 1° Peccant quidem conjuges, sed solum *venialiter*, si voluptatis causa, et secluso proximo pollutionis periculo, actus vel aspectus turpes, sine ordine ad copulam, sibi permittunt. « Et hoc, etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam quae supervenisset, ut dicunt Sanchez et alii; quia, cum copula sit licita inter conjuges, tactus inter ipsos non possunt esse graviter illiciti. — Secus vero dicendum, si conjux esset ligatus voto castitatis; quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream voluntarie captam. Ita communiter. » — Impeditus autem a copula *ob affinitatem* contractam, quamvis per se non teneatur sub gravi abstinere ab hujusmodi tactibus et aspectibus, cum lex poenalis prohibens copulam non sit ad tactus extendenda: attamen « in praxi, ordinarie se debet abstinere ab hujusmodi tactibus, praesertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis, vel petitionis copulae contra prohibitionem petendo[4]. »

2° « Licitum est (prout tenet sententia vere probabilis) conjugibus delectari, etiam carnaliter de copula *habita*, vel *futura*, semper ac absit periculum pollutionis. Ratio est, quia ipse status matrimonii haec omnia licita reddit; alias status matrimonialis nimiis scrupulis esset obnoxius[5]. » — Atvero, « si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, sentio eam non posse excusari a mortali, quia talis delectatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis[6]. »

[1] L. VI. 932-934; — [2] Aertnys, n. 37. — [3] L. VI. 933. — [4] Ibid.; Ninzatti, n. 1635. — [5] L. V. 25; *Istruz.* III. 43. fin. — [6] L. VI. 937.

Digitized by Google

2112. — III. Quidquid est CONTRA finem conjugii, seu quidquid adversatur prolis generationi, inducendo nempe per se, extra naturalem congressum, seminis effusionem: est graviter illicitum, imo, juxta probabiliorem sententiam, habet malitiam duplicis adulterii [1] (cf. n. 782. 2°). — Ratio *primi* est, quia effusio seminis non est licita nisi in ordine ad generationem, et proinde matrimonium non dat conjugibus facultatem nisi ad seminis effusionem, quae generationi de se inservire possit [2]. — Ratio *secundi* est, quia voluntaria pollutio conjugati violat jus compartis; unde habet sibi annexam malitiam adulterii, sicut pollutio obstricti voto castitatis malitiam sacrilegii. Cum igitur in actu conjugali, qui fit contra finem conjugii, uterque peccans sit conjugatus, sequitur utriusque pollutioni praedictam superaddi malitiam [3].

Hinc: 1° Sodomia *inter conjugatos* habet reatum majoris malitiae quam inter solutos, nedum, ob statum matrimonialem, aliquid de sua atrocitate amittat [4]. — Id valet etiam de peccato non consummato, puta si vir inchoaret copulam in vase praepostero, animo eam perficiendi in vase naturali; vel si perfricaret pudenda circa vas praeposterum uxoris [5]; vel si ea in illius os introduceret [6] (quae obscenitas *irrumatio* dicitur); quia in his habetur vel sodomiae inchoatio, vel affectus ad eam, vel aliud peccatum contra naturam.

2° Graviter illiciti sunt tactus turpes, qui habentur sine ordine ad actum conjugalem, *cum proximo pollutionis periculo* [7]. — Si vero istiusmodi actus sunt, sua natura, quasi dispositio ad copulam, possunt in reddente excusari, ob grave incommodum ei alioquin subeundum (ut infra de onanismo dicemus); dummodo non sint tales ut ex se periculum omnino proximum pollutionis inducant, atque ideo hujus quasi inchoatio esse videantur, v. g. morosae verendorum attrectationes [8]. Cum enim directa pollutio semper illicita sit, nunquam potest proximum ejus periculum permitti, nisi dentur illae causae, et serventur illae conditiones, quae pollutionem indirecte voluntariam sufficienter excusant (cf. n. 796).

3° Peccat graviter VIR, si, data opera, cohibeat seminationem, cum uxor jam seminavit (aut in probabili seminandi periculo versatur); quia causa est, cur semen uxoris, frustrato generationis fine, prodigatur. — Secus vero, si copulam abrumperet ex gravi causa, puta ad vitandum scandalum, etsi cum pollutionis periculo [9].

4° Si vir jam seminaverit, dubium fit, *an* FEMINA *lethaliter peccet si se retrahat a seminando, aut lethaliter* VIR *non expectando*

[1] L. VI. 954, 918. — [2] Gury, n. 918. — [3] L. III. 446. — [4] Ibid. — [5] L. VI. 916. — [6] Ib. 935. — [7] L. VI. 934. *His sententiis.* — [8] Ibid. — [9] L. VI. 918.

Digitized by Google

seminationem uxoris. — Sententia communior et (hodie multo) probabilior negat; et ratio est, quia hodie compertum est in femina non dari veram seminationem, quae sit generationi necessaria. Materia, quam femina generationi necessario subministrat, est ovum. Femina, si ovum maturum et reseratum habeat, foecundationi apta est, quamvis in actu copulae non commoveatur. Sane, secretio humoris, quae a Theologis seminatio vocatur, et concomitans organi commotio, conferunt aliquid ad foecundationem [1]; sed non tenentur conjuges aptiori modo coire, et satis est, si generationem non impediant. — Nihilominus, enixe suadenda est praxis contraria, tum quia praefata mulieris seminatio pertinet ad copulae complementum, tum ne refrigescat amor conjugalis. — Quodsi alteruter ita se gereret, ut generationem impediat, a parte intentionis culpa foret mortalis [2].

5° Est ordinarie peccatum mortale, si *ambo conjuges*, incepta copula, cohibeant seminationem; et ratio est, quia, etsi speculative loquendo, talis congressus, secluso pollutionis periculo, non sit graviter illicitus, et reputetur instar tactus verendorum; practice tamen vix abesse potest in utroque conjuge (quod requireretur) pollutionis periculum. — Excipe, si conjuges experti sint oppositum: quo tamen casu, a veniali non excusarentur [3].

6° Peccat mortaliter UXOR, quae, statim post actum conjugalem surgit aut aliquid facit eo animo, ut receptum semen expellat. Talis enim actus, etsi frustra fiat, ratione tamen perversae intentionis, habet malitiam abortûs [4].

2113. — QUAERITUR. *An liceant aliquando conjugi tactus turpes* CUM SEIPSO?

Resp. 1° Licent, si ordinantur ad copulam *immediate habendam*, ut fatentur omnes. — Imo, licent, probabilius, MULIERI *immediate post copulam*, in qua solus vir semen emisit, ut ita propriam procuret seminationem; quia etsi haec non sit absolute necessaria generationi, ad ipsam tamen conferre potest et pertinet ad complendum actum conjugalem [5]. — Ante copulam vero id nunquam licet, neque post congressum onanisticum, quia, eo casu, finis naturae omnino frustraretur.

Resp. 2° Exclusa necessitate aut utilitate praefata, *non licent:* imo, juxta probabiliorem omninoque suadendam sententiam, sunt, sicut caeteris non conjugatis, *graviter* illiciti, si habeantur propter voluptatem. Ratio est, tum quia conjux non habet jus per se in proprium corpus, sed tantum per accidens, nempe in ordine ad copulam; tum quia tactus pudendorum, quando fiunt morose et cum commotione

[1] Capellm. p. 137-140. — [2] Aertnys, n. 20. q. 5; Berardi, *Prax.* n. 334. q. 3. — [3] L. VI. 918. — [4] Ib. 918 et 954. — [5] Ib. 919.

Digitized by Google

spirituum, per se tendunt ad pollutionem, et connectuntur proxime cum ejus periculo [1].

II. — De onanismo inter conjuges.

2114. — Onanismus est copula incepta, vel peracta, cum effusione virilis seminis extra vas (n. 801).

Est copula *incepta*, quando vir in vas quidem naturale penetrat, sed statim ac seminis effusionem proximam esse advertit, sese retrahit; vel etiam quando mulier ante viri seminationem se subtrahit. — Est copula *peracta*, in vase scilicet naturali, sed cum majori malitia, quando vir utitur quodam levi involucro vel instrumento, ad impediendum, quominus substantia seminalis in locum generationi aptum deveniat.

Praeterea, inventus est nefandus modus conceptum destruendi statim post copulam, ope nimirum cujusdam injectionis in uterum. — Haec injectio, ut patet, homicidii reatum habet, sicut procuratio abortûs [2].

2115. — Principia. I. Onanismus inter conjuges est actus contra naturam; ideoque graviter illicitus [3]. — Constat tum ex Scriptura, quae (Genes. 38, 10.) hunc actum *rem detestabilem* appellat; tum ex ratione, quae dictat, onanismum esse veram pollutionem matrimonium suo fine directe fraudantem; tum etiam ex decisione Ecclesiae, quae (Decr. S. Offic. e die 21 maji 1851) istum matrimonii usum jure naturali prohibitum esse definivit, idque erui docuit ex damnata ab Innocentio XI propositione 49ª, quae sic sonat: « mollities jure naturae prohibita non est [4]. »

Hinc: 1° Onanismus *nulla causa* cohonestari potest, sive paupertatis, ne proles alenda multiplicetur, sive infirmitatis vitandae, sive periculi mortis in partu arcendi. — Potest tamen ob ejusmodi causam cum bona fide patrari; qua existente, prudentis Confessarii est judicare, utrum monitio expediat, necne.

2° Non modo *vir* onanismum exercens, verum etiam *uxor* ei formaliter cooperans vel consentiens peccat mortaliter, et ambo absolutione indigni sunt, nisi de peccato sincere doleant et emendationem promittant. — Formaliter cooperatur uxor, si querimoniis circa partûs dolores vel pericula, circa prolem numerosiorem, etc., marito ad onanismum impulsum praebeat, hunc effectum nimirum praevidens, vel etiam intendens [5].

2116. — II. Onanismus permitti potest ab uxore, si justa huic suffragatur causa debitum marito onanistae reddendi. — Ratio est, quia ipsa tunc peccato viri materialiter tantum cooperatur, per actum in se honestum, quod, sub certis conditionibus et justa accedente causa, praestare licet.

[1] L. VI. 936. — [2] Aertnys, n. 16. — [3] L. VI. 954. — [4] Cf. Aertnys, n. 17; Konings, n. 1657 (ubi varia Responsa). — [5] Aertnys, n. 18.

Digitized by Google

Conditiones autem sunt sequentes :

1° Ut uxor peccato viri *non consentiat*, utque semper sit parata illud efficaciter impedire, si posset (cf. n. 518. 519). — Dicimus *peccato ;* nihil enim prohibet, quominus delectationi carnali ex copula consurgenti consentiat, vel etiam simplici de non habenda prole complacentiae, juxta dicta n. 2098.

2° Ut non cesset prudenter *commonere* virum de obligatione desistendi ab hac turpitudine. Ita S. Poenitentiaria 13 nov. 1816. Ad talem enim admonitionem tenetur tum ex charitate erga virum, ut ipse nempe resipiscat, tum ex charitate erga seipsam, ut ipsa scilicet omne consensus periculum declinet. — Dictum est *prudenter ;* nam, admonitiones non debent esse continuae, nec intempestivae, sed opportunae ; cum nempe spes emendationis affulget, nec timendum est aliquod grave malum, puta, viri adulterium, indignatio, vel magnum dissidium.

3° Ut *ex justa* tantum et rationabili *causa* inordinatum actum permittat. Atque huc faciunt verba Poenitentiarii Majoris (in Responso cit.) : « Probati castigatique morales Theologi in hoc consentiunt, ut liceat uxori debitum reddere, si ex ejus denegatione male habenda sit a viro suo, et grave inde incommodum sibi timere possit ; neque enim, aiunt, hoc in casu censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari, sed illud tantummodo ex justa et rationabili causa permittere [1]. » — In praxi, negatio debiti a periculo gravis incommodi vix sejungi potest.

2117. — Concurrentibus igitur praedictis conditionibus, uxor potest licite, debitum reddere, dummodo actus recte inchoetur, et ipsa, quoad abruptionem, se omnino passive habeat. — Si autem vir ope instrumenti onanismum commissurus sciatur, non potest uxor, passive se habendo, actum permittere ; sed tenetur, haud secus ac virgo cui vis infertur, obfirmate, pro viribus, resistere. Ratio est, quia, in tali casu, copula *ex parte ipsius actus*, jam ab initio, penitus illicita est et contra naturam [2].

2118. — **Quaesita.** Quaer. 1° *An possit etiam uxor debitum a viro onanista* petere ?

Resp. Affirm., sed ex gravi tantum causa ; dicitur *ex gravi tantum causa*, quia tenetur ex charitate non dare viro occasionem peccandi. — Gravis autem causa foret periculum incontinentiae, diuturna privatio juris petendi, cum perpetuo scrupulo, an causa petendi justa sit necne ; quare non tenetur abstinere nisi per paucas vices [3] (cf. 2098).

[1] Konings, n. 1659. V. — [2] Cf. S. Alph. III. 368; VI. 943 ; Berardi, *Praxis* n. 827. — [3] H. A. XVIII. 47 : L. VI. 947.

Digitized by Google

QUAER. 2° *An onanismum committat vir, si penetret quidem in vas uxoris, sed parum, et in introitu vaginae totum semen effundat?*

Resp. Dist. 1° Opere *negative*, quia actus iste reddit foecundationem minus quidem facilem, sed non impedit; copula ergo sic exercita apta est ad generationem. Excipe tamen, si ita fieret, ut omne semen diffluat, et perdatur. — 2° Mente, *subdist.: affirmative*, si hoc modo generationem impedire intendat, tunc ex prava intentione delinquit mortaliter contra naturam; secus, *negandum.* Porro, si ita se gerat, quia modum generationi aptiorem evitare vult, ut minus certa sit proles, videtur non esse lethalis culpae reus; quia non tenetur certiorem modum ad prolem concipiendam eligere, nec carendi prole desiderium est mortale peccatum. Denique, si legitimam habeat causam sic se gerendi, eo quod v. g. uxor ob recentem partum, vel infirmitatem in verendis, coitum perfectiorem non patiatur, nullo modo peccat[1].

QUAER 3° *Quid censendum de conjugibus qui, ad vitandam numerosiorem prolem eo tantum tempore coeunt, quo foecundatio difficile accidere potest?*

Praenot. Constat ex plurimis medicorum testimoniis, prolis conceptum facile obvenire sub tempus quo mulier est in menstruis, tribus nempe quatuorve diebus antea, et quindecim circiter diebus postea; difficile autem alio tempore (*ageneseos* dicto), si sanguinis profluvium est, singulis mensibus, certum ac constans[2]. — Jam vero,

Resp. Per se, peccati non sunt arguendi: utuntur enim jure suo, cum opus conjugii, tempore quo major est probabilitas conceptionis, non praescribatur, nec prohibeatur, tempore quo minor vel nulla est probabilitas. Utrum vero *per accidens* culpa subintret, ex fine atque ex aliis circumstantiis dijudicandum est. — Ad rem sequens responsum, quod, variis de isto agendi modo expositis dubiis, S. POENITENTIARIA, die 16 junii 1880, dandum esse censuit: « S. Poenitentiaria, diligenter perpensis expositis, respondet: Conjuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis conjugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit[3]. »

QUAER. 4° *Quid vero de foecundatione* ARTIFICIALI, *v. g. inter conjuges steriles?*

Resp. Istiusmodi foecundatio, quae fit cum semine ex pollutione mariti obtento, est intrinsece mala, ideoque omnino illicita[4].

[1] Berardi, *Prax.* n. 334; Aertnys, n. 19. qu. 6°. — [2] Capellmann, p. 133. — [3] Cf. *Nouv. Rev. théol.* XIII. 460. — [4] Cf. *Disp. phys. th.* auct. A. E. Disp. 1. c. 4. a. 1.

Digitized by Google

2119. — Monitum. De officio confessarii in INTERROGANDO circa peccata conjugum (praeter dicta n. 1804 sqq.) notentur sequentia:

1° De iis quae ad usum matrimonii spectant, confessarius eos tantum interroget, quos, ob justam causam, *lethalis culpae* reos esse suspicatur. Idque faciat modo, quo potuerit, modestissimo, inquirendo v. g. ab uxoribus, an « fuerint semper obedientes in iis, quae ad statum conjugalem spectant. » — Si ex hujusmodi generali quaestione aliquid culpabilitatis deprehendat quin tamen naturam peccati sufficienter cognoscat, ita caute ad quaestiones particulares deveniat, ut poenitenti occasionem potius praebeat suam aperiendi conscientiam, quam ut eam curiosius investigare videatur. — De *venialibus* autem nullum ultro sermonem ingerat, quia, cum non sint necessario clavibus subjicienda, non est cur investigationes in tam lubrica materia instituantur. Attamen, interrogatus respondeat, ut ita conscientiarum paci consulere possit [1].

2° Debet confessarius nonnunquam interrogare de *Onanismo*, cum scilicet prudens timor subest, ne poenitens hujus peccati reus sit. Ratio est, quia tenetur ex judicis officio supplere defectum poenitentis, ut docet communis sententia [2]. — Atque hinc est cur S. C. INQUIS. die 21 maji 1851 declaraverit oppositam sententiam, nempe *nunquam* interrogandos esse conjuges de hac materia, « falsam, nimis laxam, et in praxi periculosam. » (Quae declaratio maxime spectat ad illas regiones, in quibus vastatrix onanismi lues late grassatur; multi enim occasionem ex eo sumunt perseverandi in pessima praxi, quod confessarius, *cum circumstantiae id suadent*, non interroget). — Generatim saltem inquirat, num aliquid sit circa matrimonii sanctitatem, quod conscientiam remordeat [3].

Ad *Quaesitum* autem: An suo muneri satisfaciant illi Confessarii, qui cum poenitente onanismi peccatum accusante « altum *silentium servant*, et finita confessione peccatorum, illum verbis generalibus ad contritionem excitant, illique asserenti se detestari omne peccatum lethale, sanctam absolutionem impertiuntur »..... S. POENITENTIARIA, die 14 Dec. 1876, respondit *Negative* [4].

Utile videtur et sequens adjicere documentum:

« Beatissime Pater — Episcopus N. N., ad pedes Sanctitatis Vestrae reverenter se sistens, Beatitudini Vestrae dubia quaedam elucidanda proponit, quae animarum Pastoribus et Confessariis jam diu gravem mentis et conscientiae anxietatem afferunt.

« Uti Sanctitati Vestrae compertum est, nefandum Onanis crimen in pluribus Galliae regionibus latius in dies diffunditur, atque altiores agit radices; adeo ut nulla fere Provincia ab hac peste immunis remaneat, ipsique scientiae socialis cultores de exitioso hoc morbo publice conquerantur. Ubique ferme rarescere cernuntur familiae, non quidem ex conjugiorum infrequentia, sed ex eorum voluntaria infoecunditate. Eo res jam devenit, ut, cum antea multi conjuges nimiam tantum vellent evitare prolem, nunc plurimi omnem vel fere omnem liberorum susceptionem scelesto consilio excludere audeant. — Hinc etiam, magna saltem ex parte, provenit lugenda illa imminutio ministrorum Ecclesiae qua dioeceses magis magisque laborant.

« Movet quidem animarum Pastores deploranda calamitas, quae in ipsam societatem ex pravo hoc matrimonii usu derivatur; movet tamen acrius, et simul ingenti tristitia afficit eos gravissima offensa Deo illata, et praesen-

[1] Cf. *Praxis*, n. 35. 41. — [2] L. VI. 629. — [3] Aertnys, n. 40; Konings, n. 1657. — [4] Ex copia auth. (*Andegavi*, 21 aug. 1878, et *Sagii*, die 19 oct. 1880).

Digitized by Google

tissimum animarum periculum. Atque haec eorum maestitia inde etiam augetur, quod non una sit omnium Confessariorum, in hac curanda plaga, agendi ratio; nec optata uniformitas sperari possit ex illis, quae hactenus prodierunt, S. Sedis Responsis et Declarationibus.

« Nodus difficultatis versatur circa necessitatem *interrogandi* et *monendi* poenitentes. — Omnes quidem Confessarii et Theologiae moralis scriptores maximam hujus peccati gravitatem agnoscunt; omnes similiter fatentur summam Confessario adhibendam esse in interrogando prudentiam ac modestiam, et satius esse ut deficiat confessionis integritas materialis, quam ut poenitenti ex indiscreta interrogatione scandalum obveniat, vel decus sacri ministerii offendatur. — Discrepant vero Confessarii in hoc capite: an necessaria sit, necne, interrogatio ipsa, licet castis modestisque verbis expressa?

« Alii enim Confessarii persuasum sibi habent, inter tot fideles qui detestandae Onanis praxi indulgent, aliquos saltem reperiri qui in bona fide versantur. — Ne igitur raros hosce poenitentes ex bona fide deturbent, consultius esse putant, *neminem* de hoc peccato *interrogare*, nisi forte ipse se poenitens accusare incipiat, et interrogatio confessionem tantummodo faciliorem reddat. — Iidem Confessarii arbitrantur, *moneri non debere* poenitentem de gravitate hujus peccati, eo quod forte rem non ita gravem esse existimet. Atque in ista opinione, hac etiam ratione confirmantur, quod plerique conjuges, de onanismi malitia aperte moniti, sacramenta deserturi praevideantur, atque adeo majus damnationis periculum incurrant.

« Alii Confessarii existimant, Ministris divinae legis, quibus ex officio incumbit propria Fideles munera docere *licitum non esse silentium*, cum vident ipsius naturae praecepta generaliter violari. Tunc enim (ut verbis utamur Benedicti XIV, in sua Bulla *Apostolica Constitutio*) « poenitens aut crimina ignorat, quae tamen nosse debet; aut in iis versatur circumstantiis, quae, Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirment, non sine aliorum scandalo; cum quis arbitretur, ea sibi licere quae ab iis qui Ecclesiae Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. » — Hinc praefati Confessarii censent, toties *discretam interrogationem* esse faciendam de Onanismo, quoties fundata *suspicio adest*, poenitentem huic crimini esse addictum; censent bonum commune postulare ut poenitens, qui probabiliter tantum in bona fide versatur, apertis, sed discretis, moneatur verbis; censent demum tunc solum ab interrogando et monendo esse abstinendum (nisi contrarium postulet bonum commune), cum ex praesentibus rei circumstantiis moraliter certum esse videtur, poenitentem in bona fide versari, et monitionem fore infructuosam.

« Ex Responsis a S. Sede hactenus datis, variae quidem suppeditantur regulae, quibus plura jam dubia ad hanc materiam pertinentia, dilucida sunt.

« Sic ex Responso S. Poenitentiariae diei 14 decembris 1876, dato ad Rectorem Parochiae in dioecesi Aldegavensi, constat, *non esse licitum* favere poenitentium errori, qui a multis bona fides dicitur, nec talem bonam fidem creare.

« Constat etiam, non satisfacere muneri suo eos Confessarios, qui, « quando poenitens solummodo accusat Onanismum, altum silentium servant, et finita confessione peccatorum, illum verbis generalibus ad contritionem excitant, illique asserenti se detestari omne peccatum lethale, sanctam absolutionem impertiuntur. »

« Constat praeterea, *omni reprehensione carere* eos Confessarios, qui (intra limites a Rituali Romano et probatis Auctoribus praestitutos se continentes,

Digitized by Google

quoad interrogationes de usu matrimonii conjugibus aliquando faciendas) « non omittunt quemcumque poenitentem, sive sponte sive ex interrogatione prudenter facta, confessum de onanismo reprehendere, non secus ac de aliis gravibus peccatis, quantum ejus bonum exigere videtur; nec illum absolvunt, nisi sufficientibus signis monstret se dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi. »

« Verum, cum ex superioribus S. Sedis Apostolicae Responsis, non omnia de hac materia dubia solvantur, atque interea diversimode a diversis Confessaris cum Onanistis agatur, non sine gravi animarum detrimento ac magno Pastorum moerore; hinc praefatus Orator Sanctitatem Vestram, verba vitae aeternae habentem, reverenter et fiducialiter adit, enixe supplicans ut Vestra Beatitudo ad sequentia dubia benignum dare Responsum dignetur, videlicet:

« I. Quando adest fundata suspicio, poenitentem, qui de ONANISMO omnino silet, huic crimini esse addictum, num Confessario *liceat* a prudenti et discreta INTERROGATIONE abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos multosque Sacramenta deserturos esse? — Annon potius *teneatur* Confessarius prudenter ac discrete interrogare?

« II. An Confessarius, qui, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione, cognoscit poenitentem esse Onanistam, *teneatur* illum de hujus peccati gravitate, aeque ac de aliorum peccatorum mortalium, MONERE, eumque (uti ait Rituale Romanum) paterna charitate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eumdem dolere de praeterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi?

« Sacra Poenitentiaria, attento vitium infandum de quo in casu late invaluisse, ad proposita dubia respondendum censuit, prout respondet:

« Ad I. Regulariter *negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

« Ad II. *Affirmative*, juxta doctrinas probatorum Auctorum.

« Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 10 martii 1886.

« CARD. MONACO, POENIT. M.

« HIP. CAN. PALOMBI, *S. P. Secret.*

ARTICULUS II.

DE CONJUGUM COHABITATIONE

Conjuges, ob individuam vitae consuetudinem, qua sibi vicissim devinciuntur, atque ob mutuum auxilium, quod alter alteri praestare debet, tenentur *simul cohabitare*, nisi legitima *separationis causa* eos ab hac obligatione solverit. — Unde, novum argumentum, cujus tractationem paucis expediemus.

§. 1. *De obligatione cohabitandi.*

2120. — Principia. I. « Certum est conjuges TENERI, ex obligatione justitiae, AD COHABITANDUM in eadem domo, mensa ac toro [1]. »

[1] L. VI. 939; H. A. XVIII. 51.

Digitized by Google

— Constat tum ex ratione, ex natura scilicet conjugii, tum ex verbis Domini: « Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae » (Matth. 19, 5).

Hinc infertur: 1° « Neuter conjugum potest alio discedere, altero invito, ad longum tempus, nisi adsint justae causae, nempe ob bonum publicum, vel ad alendam aut tuendam familiam, vel ad vitandum damnum ab inimicis. »

2° « Si vir diu deberet alibi manere, teneretur, si commode potest, uxorem eo adducere, ut secum cohabitet. »

3° Uxor tenetur, probabilius, sequi virum in exilium; quia tenetur ejus sufferre infortunium; similiter vir tenetur comitari uxorem, si necessitas eam ad mutandum domicilium cogit [1].

2121. — II. « Regulariter UXOR tenetur SEQUI VIRUM mutantem domicilium, etiamsi mutet sine justa causa, modo causa non sit turpis. Et hoc, etiamsi alicubi adsit contraria consuetudo, quae non potest derogare juri divino, quod constituit virum caput uxoris. Item etiam, si vir longe discedat, et ibi per multum tempus sit moraturus. — Secus vero, si brevi inde reversurus sit; tunc enim nec uxor tenetur sequi virum, nec vir secum ducere uxorem; prout neque tenetur vir eam secum ducere, etiamsi longe discedat, si magnae expensae requirerentur ad eam illuc transvehendam [2]. »

Diximus *regulariter;* etenim « uxor non tenetur sequi virum, si ille velit eam pertrahere ad peccatum, vel uxor per discessum exponeretur gravi periculo vitae, aut periculo gravis detrimenti. Sic pariter non tenetur uxor sequi virum vagantem, nisi ante matrimonium errabundam ejus vitam cognoverit [3]. »

QUAERITUR. *An liceat viro non cohabitare cum uxore, eamque expellere e domo,* OB DOTEM *promissam et non solutam?*

Resp. Affirmat Panormitanus cum aliis; sed alii cum Sanchez communius et probabilius negant. — « Ratio, quia obligatio cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex ipsa lege naturali et divina, qua vir tenetur debitum reddere uxori, et ideo cum ea habitare. — Unde dicunt AA., quod etiamsi vir non adhuc uxorem traduxerit in domum suam, tenetur traducere, non obstante quod dos non fuerit soluta [4]. »

§. 2. *De legitima conjugum separatione.*

2122. — Principia. I. DIVORTIUM, seu separatio a toro vel habitatione, justis de causis fieri potest, manente vinculo conjugii. — Constat ex Tridentino (sess. 24. can. 8): « Si quis dixerit, Eccle-

[1] L. VI. 939; III. 353. — [2] Ib. 977. — [3] Ib. — [4] L. VI. 939. dub. 1.

Digitized by Google

siam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit [1]. »

2123. — II. Plurimae sunt CAUSAE DIVORTII, seu separationis conjugum quoad torum et habitationem. — Constat ex diversis juris canonici locis, contra nonnullos Protestantes, qui adulterium ceu unicam hujus separationis causam agnoscebant. — CAUSAE vero a Canonistis enumeratae ad TRES revocari possunt:

1° Prima et principalis causa, ob quam licet facere divortium, et quidem perpetuum, est *conjugis adulterium.* — Constat tum ex jure divino, dicente Domino (Matth. 19, 9): « Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; » tum ex jure canonico, cap. *Significasti* et cap. *Gaudemus, de divortiis.* — REQUIRITUR autem, ut adulterium sit 1) moraliter certum; — 2) voluntarium, non vero ex illata violentia perpetratum; — 3) non condonatum, sive expresse, sive implicite, v. g. per actum conjugalem, vel per alia signa, ab innocente adulterii conscio et memore (pro foro interno, animo condonandi) exhibita; — 4) non mutuum, quia tunc existeret compensatio; — 5) copulâ consummatum, ut S. Alphonso probabilius est; — 6) sine consensu compartis commissum. — Atque hic notandum est quod, ex communiori et extrinsece saltem probabiliori AA. sententia, sub nomine adulterii etiam intelligitur omnis carnis divisio, qualis est sodomia et bestialitas [2]. Solet etiam *diuturna et injuriosa desertio* adulterio aequiparari [3]. Diximus *licet divortium facere;* pars enim innocens *non tenetur* dimittere ream, nisi hoc necesse sit ad correptionem atque ad emendationem, vel ad tollendum scandalum; et in his etiam casibus excusatur, quoties grave inde incommodum prudenter timeret [4]. — Nec vero sufficiens divortii causa est aliquod adulterium admissum *ante nuptias* et postea patefactum; nisi injuria inde inferatur marito, prout esset, si uxor, dum nuberet, ex alio jam gravida fuisset: tunc enim utpote illusus ac laesus potest a se amovere, ex Ecclesiae auctoritate, eam quae fraudem et dedecus sibi molita est. — Atque hoc idem dicendum videtur, si uxor meretricio vacavisset.

NOTANT insuper AA. sequentia: 1° Facta juridica separatione, conjux innocens *non tenetur* compartem adulteram, licet emendatam recipere; nam « ex una parte Christus eum perpetuo liberavit ab obligatione cohabitandi cum adultero, et ex altera parte non videtur charitas, per se, ad tantum onus obligare [5]. » — 2° *Potest* tamen conjugem adulterum (quamvis juridice separa-

[1] Cf. *Acta S. Sed.* I. 213. — [2] L. VI. 961. 962. 966; H. A. XVIII. 91. 93. 95. — [3] Cf. *Acta S. Sedis,* V. 12. — [4] L. VI. 963. 964, ubi plura; H. A. ib. 94. — [5] L. VI. 965.

Digitized by Google

tum) ad se revocare, quia potest renuntiare juri suo; sed mulieri adulterae vix consulendum aut praecipiendum est, ut ad virum redeat ob frequens malae tractationis periculum [1]. — 3° Si post divortii sententiam, evenit ut alter quoque conjux moechetur, probabilius est, *neutrum* ad compartem revocantem redire teneri; quia per judicis sententiam uterque a servitute liberatus fuit. Attamen, judex curare debet, ut ad invicem redeant, quo melius suarum animarum saluti consulant, et removeant aliorum scandalum [2].

2° Secunda divortii causa est *grave aliquod periculum animae vel corporis;* ratione cujus periculi: 1) Si unus conjugum labitur in haeresim vel apostasiam a fide, quae est adulterium spirituale, conceditur alteri divortium instituere, etiam perpetuum, post judicis sententiam [3]. — 2) Si conjux compartem trahat in peccatum, v. g. si eam sollicitet ad haeresim, sodomiam, adulterium, etc.: innocens potest discedere, imo tenetur, si periculum sit grave [4]. — 3) Denique si ex cohabitatione immineat grave periculum vitae vel sanitatis, aut si cohabitatio adeo molesta evadat, ut moraliter impossibilis reddatur: puta, si conjux saevitias pro conditione sua graves et frequentes pati cogeretur, aut uxor sine causa expelleretur [5].

3° Tertia causa est *mutuus consensus.* Ex hoc consensu conjuges separant se licite a toro, vel etiam ab habitatione, sive ad tempus, sive in perpetuum. — Porro, separatio ab habitatione in perpetuum non permitti solet, nisi uterque ingrediatur Religionem; aut saltem nisi, altero Religionem profitente, aut sacros Ordines suscipiente, compars castitatem voveat. Hoc vero non inconsiderate fieri debet; sed requiritur, ut, omnibus bene perpensis, omne absit incontinentiae periculum, et proles non indigeat parentum cura, etc.; consilia enim evangelica non liberant homines ab officiis, quibus lege naturae obstringuntur [6].

21 24. — Quaesita. QUAER. 1° *Quanam* AUCTORITATE *separatio conjugum fieri debeat?*

Resp. Facienda est, regulariter loquendo, auctoritate judicis, i. e. Episcopi, quoties agitur de separatione *a tecto;* quia talis separatio est publica, pertinetque ad gubernationem externam: et quamvis occulta remaneret, requireretur tamen Episcopi auctoritas.

Diximus 1° *regulariter;* privata enim auctoritate divortium fieri potest a conjuge innocente, in casu saevitiae, vel periculi perversionis, *si periculum sit in mora,* nec judex adiri, nec forsan factum juridice probari possit. Item, a viro fieri potest, probabilius, *in casu adulterii uxoris,* sive adulterium sit publicum, sive occultum;

[1] L. VI. 967; H. A. 96. — [2] Ibid. dub. 2. — [3] L. VI. 974. — [4] Ib. 973. — [5] Ib. 970-972; H. A. ib. 92; *Acta S. Sed.* III. 136. — [6] L. VI. 975.

Digitized by Google

modo sit certum, et modo separatio secum non trahat publicum scandalum. Dicitur enim in jure [1]: « Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor. » — Casu autem, quo per judicem cogeretur ad cohabitandum cum adultera, teneretur quidem obedire; minime vero debitum reddere [2].

Diximus 2° *quoties agitur de separatione a tecto;* conjuges enim, ex propria auctoritate et mutuo consensu, possunt ab invicem separari *quoad torum*, modo absit periculum incontinentiae, ut constat ex verbis Apostoli (1. Cor. 7, 5): « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram ». (Recole dicta n. 2103).

QUAER. 2° *An facto divortio juridico propter adulterium, possint conjuges* RELIGIONEM *ingredi, aut vir* SACROS ORDINES *suscipere?*

Resp. 1° Conjux innocens potest, etiam invita parte adultera, Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere.

2° Conjux adulter non potest Religionem ingredi, nec sacris Ordinibus initiari, nisi innocens consentiat, aut statum irrevocabilem ipse jam susceperit: alias, si sacerdotium susciperet, vel Religionem ingrederetur, posset ab innocente, etiam post professionem, revocari. — Sufficit tamen tacitus innocentis consensus: v. g. si innocens, sciens adulterum velle statum mutare, eum non impediat, dum commode posset; aut si rogatus ab adultero noluerit reconciliationem admittere [3].

QUAER. 3° *Facto divortio juridico, apud quem conjugem sint* FILII *educandi, et cujus expensis?*

Resp. 1° Spectato jure naturali, *filii omnes* sunt educandi apud conjugem innocentem. Excipe, si hic sit infidelis vel haereticus, quia tunc apud fidelem educandi sunt [4]. — Ex jure autem civili, filii generatim traduntur ei qui obtinuit separationem, nisi, ob majus filiorum commodum, judex aliter statuerit [5].

2° Expensae *totius educationis* regulariter solvendae sunt a conjuge qui est in culpa. Semper tamen in his requiritur judicis sententia, cui standum est.

2125. — REGULAE PRACTICAE. « Quoad conjuges, qui *non petita separatione legitima sejuncti vivunt,* parochus vel confessarius sequentia attendat: — 1) Non est a Sacramentis arcenda mulier, quam publice constat fuisse a suo viro inique depulsam; et maritus non

[1] Can. *Dixit Dominus.* caus. 35. qu. 1. — [2] L. VI. 968; H. A. ib. 96. — [3] L. VI. 969; H. A. ib. 97. — [4] L. VI. 976. — [5] Cf. Cod. Gall. art. 302. sqq.; Ital. 154.

Digitized by Google

est absolvendus, nisi vitae consortium cum uxore restituat. — 2) Non est inquietandus, qui causa adulterii notorii secessit a comparte; reus autem non est admittendus ad Sacramenta, nisi crimen et scandalum reparaverit. — 3) Absolutione indigni habendi sunt, qui causa matrimonii infeliciter initi, v. g. mutua aversione, se privato consilio separaverint. Ast, remoto scandalo, si sint *in bona fide,* nec moniti velint acquiescere, non sunt de hoc monendi[1]. »

Scholium.

De Divortio civili.

2126. — Ex JURE CIVILI, in multis locis vigente, haberi potest judiciaria sententia divortii vel separationis a toro et ab habitatione, ob varias CAUSAS, quae TRES communiter recensentur, videlicet: 1° *Adulterium* mulieris, et etiam viri, si is concubinam in domo conjugibus communi detinuit. 2° *Saevitiae,* vel *graves injuriae* ab uno conjugum in alterum illatae. 3° *Damnatio* unius ex conjugibus ad poenam infamantem[2]. — Et hic NOTANDUM est, quod separatio corporum semper importat *separationem bonorum,* sed non vice versa.

Quinimo, in pluribus locis, jus civile non tantum permittit imperfectam illam separationem (seu habitationis et bonorum), sed etiam DIVORTIUM PROPRIE DICTUM, nempe quoad vinculum civile, ita ut conjugibus liberum fiat ad alias nuptias transire. — Et in eo casu, tribus causis separationis jam adnumeratis, certis in locis additur 4ª, *nempe mutuus consensus.*

Quocirca referre juvat sequentia S. OFFICII Documenta.

1. Responsum ad Episcopum Sangallensem: « Lex Confoederationis Helveticae de statu et matrimonio civili lata sancivit: causas matrimoniales omnes et singulas, suppressa ex nunc et deinceps ecclesiastica jurisdictione, in tribunalibus laicorum ad normam tractandas esse, quae in causis civilibus statuitur, sententiasque in iis proferendas esse secundum praescriptiones juris communis et novissimae latae legis, qua matrimonia etiam catholicorum sub certis rationibus valde levibus perpetuo dirimi atque quoad vinculum dissolvi possunt, ita ut ejusmodi conjuges litigantes, post latam judicum saecularium sententiam divortii, ad alia matrimonia contrahenda si voluerint, possint transire. Quaeritur igitur: Utrum JUDICES catholici et ADVOCATI in ejusmodi tribunalibus laicis causas matrimoniales tuta conscientia suscipere ac defendere, sive cognoscere et judicare possint? — Item, utrum iidem judices catholici et advocati, secundum recentem Helvetiae legem, matrimonii vinculum ut *dissolvendum proponere* seu *ut dissolutum declarare tuta conscientia possint,* necnon declarare, ejusmodi conjuges ad aliud matrimonium contrahendum posse transire, sicut lex civilis, hoc in casu, judicare et declarare judices expresse jubet et urget? »

In disserenda hacce quaestione, obliviscendum non est quod tribunalia saecularia, quorum est judicare de causis civilibus, eadem sunt quibus nova lege incumbit causas matrimoniales cognoscere et judicare. Quodsi ergo judicibus catholicis vetitum fuerit ejusmodi tribunalibus interesse, in magnum

[1] E. Müller, lib. III. §. 227. v. fin. — [2] Cod Gall. art. 230. sqq.; Ital. 148. sqq.

Digitized by Google

damnum civium ea tribunalia iis judicibus privari experiemur, qui timore Dei repleti pie et juste judicant.

Sacra autem Congr. feria IV, die 3 aprilis 1878 respondit: « Quoad *Judices,* recurrat in casibus particularibus. — Quoad *advocatos* dentur responsa jam data *Episcopo Suthwariensi*, nempe feria III loco IV, die 22 maii 1860, ad DUBIUM: utrum advocatus catholicus possit defendere causas partis conventae, contra actorem vinculi solutionem exquirentem? *Responsum fuit:* « Dummodo Episcopo constet de probitate advocati, et dummodo advocatus nihil agat, quod a principiis juris naturalis et ecclesiastici deflectat, posse tolerari. » — Et ad aliud DUBIUM: utrum liceat advocati et actoris partes agere, quando finis litis est simplex separatio, absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa trahente? *Responsum fuit:* « Provisum in praecedentibus; » et feria IV, die 19 decembris ejusdem anni: « dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit, a quo sententiam obtineat separationis *quoad thorum et mensam*, et dummodo sententia hujus tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem praedictam, posse tolerari, ut catholici, in eo foro actoris et advocati partes agant, et dummodo adsint justae separationis causae, judicio Episcopi; et si quid habeat praeterea dubii, recurrat, exponens omnes circumstantias et legis dispositiones. » *J. Velamie,* S. Rom. et Univ. Inquisitionis Notarius [1]. »

2. Epistola ad omnes in Gallica ditione Ordinarios: « Post nuper restitutas penes Gallos anno 1884 divortii leges plura a nonnullis Episcopis Galliarum dubia huic S. R. et U. Inquisitioni proposita sunt, utrum nempe fas esset judicibus laicis in causis de separatione conjugum sive circa vinculum sive circa habitationem tantum jus dicere; utrum advocatis et procuratoribus hujusmodi causas agere penes judices laicos; utrum his ad quos de jure pertinet defensores officiosos, quos vocant, deputare, utrum denique syndicis (vulgo maires) divortium pronunciare.

« Eminentissimi PP. una mecum Inquisitores generales, re mature perpensa, in feria V. loco IV die 25 junii 1885 ita decernendum esse censuerunt:

« Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis tolerari posse, ut qui magistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem, et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque Ordinarium adeat, ejus judicio se dirigat, et quatenus opus sit per eius medium ad apostolicam Poenitentiariam recurrat. »

« Hoc decretum Sanctissimus Pater ratum habuit: ideoque omnibus in Gallia Archiepiscopis et Episcopis notum fit pro eorum norma per has litteras ceteroquin non evulgandas. *R. Card.* MONACO. »

3. Decretum ad excludendas falsas praecedentis Epistolae interpretationes: « A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et Univ. Inquisitioni proposita sunt: « In Epistola S. R. et U. I. 25 junii 1885 ad omnes in Gallica „ Ditione Ordinarios circa civilis divortii legem ita decernitur: *Attentis gra-*

[1] Apud Aug. de Roskovany, *Matrimonium in Eccl. Catholica,* tom. IV. pag. 64.

Digitized by Google

„ *vissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis, tolerari posse ut qui ma-*
„ *gistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant quin*
„ *officio cedere teneantur* », conditiones adiecit, quarum secunda haec est: *Dum-*
„ *modo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum*
„ *circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut num-*
„ *quam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam*
„ *provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem.* »Quaeritur:

I. « An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data,
„ juxta quam satisfacit conditioni praecitatae judex qui, licet matrimonium
„ aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti
„ omnino abstrahit, et applicans legem civilem pronuntiat locum esse divortio,
„ modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente
„ intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis,
„ an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico juri non repugnans?

II. « Postquam judex pronuntiavit locum esse divortio, an possit Syn-
„ dicus (gallice, le maire) et ipse solos effectus civiles solumque civilem con-
„ tractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis ma-
„ trimonium validum sit coram Ecclesia?

III. « Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus conjugem ad alias
„ nuptias transire attentantem civiliter cum alio jungere, quamvis matrimo-
„ nium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars? »

« Feria V, loc. IV, die 27 maji 1886. In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito Voto DD. Consultorum, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi DD. rescribi mandarunt. — Ad primum, secundum et tertium dubium Negative.

« Eadem feria ac die facta de his Sanctissimo Dño Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum PP. adprobavit et confirmavit. Ios. Mancini *S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.* »

Utile videtur, et has addere S. Poenitentiariae decisiones:

1. Responsum ad quemdam Italiae Episcopum: « Rñe Domine. Retuli ad Eñum Poenitentiarium Majorem quod scribis de quodam tuae dioecesis Syndico, qui vi muneris sui assistere deberet matrimonio civili cujusdam alio jam matrimonio in facie Ecclesiae celebrato obstricti; et debeo, jubenti praelaudato Eño Poenitentiario, tibi significare praefatum syndicum non posse ullo pacto operam suam praestare actui, qui tantopere matrimonii sanctitati adversatur. Proinde quaecumque sint casus circumstantiae debet suam assistentiam omnino denegare, tametsi futurum esset ut suo ideo muneri renuntiare cogeretur.

« Ex S. Poenitentiaria, die 28 nov. 1833. Luigi Martini *Sostit. della S. P.* »

2. Instructio ad Episcopos Italiae, de die 29 martii 1885.

Q. Utrum possit officialis civilis, tum *assistere* matrimonio quod civile appellant, tum ejusdem matrimonii *instrumentum legale* praeparare ac conficere, quamvis verum matrimonium non praecesserit, imo, quamvis habeatur suspicio vel etiam certitudo, fore ut illud minime coram Ecclesia celebretur?

« *R.* Posse *tolerari,* dummodo officiales civiles in conficiendis hujusmodi actis intendant exercere caeremoniam mere civilem, et nihil peragant aut suadeant contra sanctitatem matrimonii, et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia, quinimo hortentur ad illud coram ipsa Ecclesia contrahen-

Digitized by Google

dum; habitis prae oculis sanctissimis religionis nostrae legibus, et litteris Benedicti XIV *Redditae sunt Nobis,* de quibus ad scandalum removendum, contrahentes moneant. — Quod vero attinet ad casus, in quibus appareat, fideles, ad caeremoniam civilem accedentes, *male esse dispositos,* neque matrimonium (quod regulariter praemitti debuisset) coram Ecclesia esse celebraturos, sed sub praetextu contractus civilis in concubinatu permansuros, ipsos officiales dirigendos esse juxta regulas a probatis auctoribus, ac praesertim a S. ALPHONSO DE LIGUORI (Lib. 2. tr. 3. cap. 2. dub. 5. art. 3) circa cooperatores traditas [1]. »

Ex his resolves: — 1° Causae matrimoniales spectant *unice* ad forum ecclesiasticum, et proinde nequeunt, nisi Ecclesia id permittat, ad forum civile deferri: ita ex constanti Ecclesiae doctrina.

2° Permittit quidem Ecclesia, in variis regionibus, ut hujusmodi causae in foro civili tractentur, sed semper sub conditione *ne quid agatur quod juri sive divino sive ecclesiastico repugnet.*

3° Possunt, ubi legitimae et canonicae (cf. n. 2123) divortii causae habentur, *habitationis ac bonorum separationem* conjuges petere, et advocati promovere, et judices pronuntiare. Nec vero conjugibus licet causam prius ad forum civile deferre quam ab ecclesiastico judice definita fuerit, cum ad hunc solum spectet dijudicare utrum sufficientia adsint separationis motiva. Nihilominus si conjuges, ecclesiastico judice posthabito, judici civili se sistant, potest hic, ob graves rationes, eorum causam cognoscere, justisque existentibus motivis, ferre separationis sententiam.

4° Divortium quoad vinculum matrimonii civiliter tantum contracti potest in foro civili et peti et pronuntiari, ut patet. Idem dicendum de matrimonio coram Ecclesia quidem, sed invalide contracto, dummodo sententia fori ecclesiastici quoad matrimonii invaliditatem praecesserit.

5° Sententiam divortii, qua valide contracti matrimonii vinculum solutum declaratur, nec conjuges petere possunt, nec advocati promovere. Actores enim in tali causa petunt rem manifeste injustam et impiam. — Nec licet judici proferre divortii sententiam, etiamsi, dum illam pronuntiat, intendat a vero matrimonio abstrahere et civilem tantummodo contractum abrumpere, nec aliud termini prolatae sententiae respiciant.

Utrum vero id liceat si ipse hanc suam mentem aperte manifestet, veramque Ecclesiae de matrimonio doctrinam profiteatur, non desunt qui controversiam adhuc movent. Nobis vero omnino negandum videtur. Ratio est, quia judicis sententia, quoad suum esse et quoad suos effectus, neutiquam ab ejus intentione aut ab intentionis declaratione, sed a lege quam ipse applicat, pendet. Unde divortii sententia, velit nolit judex, est ex se, haud secus ac ipsa divortii lex, mala atque iniqua, praebetque iniquitati adjumentum et praesidium.

6° Utrum possit civilis officialis ritu civili *copulare personas,* si una ex iis vel utraque jam veri matrimonii vinculo ligatur nondum una est omnium sententia: attamen ex supracitato S. Poenitentiariae documento, videtur negandum. Potest autem, ob gravissimas rationes, eorum civili matrimonio assistere, qui male dispositi habentur, etsi futurum esse praevideat, ut matrimonium coram Ecclesia non celebretur [2].

[1] *Monit. eccles.* Vol. 4. P. I. pag 274. — [2] Cf. de his: Bucceroni S. J., *Enchiridion morale,* App. Commentarius tertius; *Nouv. Rev. théol.* tom. XVIII. pag. 473 sqq.; *Monitore eccles.* loc. cit.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS QUARTA

DE PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS

PROLOGUS

2127. — Rerum ordo jam postulat ut QUARTAM *Theologiae moralis* PARTEM aggrediamur, quam inscripsimus *de Praeceptis particularibus*. Evolutis enim in PRIMA PARTE generalibus Ethicae christianae principiis, declaratis in SECUNDA legibus juris naturalis, quae ad universos homines respiciunt, quasque lex humana plus minusve sancivit; et expositis demum in TERTIA legibus positivis divinis, quas Christus Dominus, instituendo Sacramenta, condidit ac nobis servandas proposuit: id unum superest, ut de illis legibus et obligationibus sermonem instituamus, ad quas se nonnulli homines adstringunt, cum peculiare vivendi genus, *statum* scilicet aut *publicum officium* libere suscipiunt.

Nec vero parvi momenti haec QUARTA PARS esse censeatur; nam, sicut omnes fideles sufficientem de praeceptis Decalogi ac de suscipiendis Sacramentis notionem habere tenentur: ita pariter quilibet homo tenetur cognoscere caetera praecepta, quae ad proprium statum officiumve pertinent, ita quidem ut ipsa eorum ignorantia vincibilis, tametsi nulla sequatur transgressio, mortale jam peccatum in se involvat [1] (Recole dicta n. 319).

Porro, pro triplici in humana societate consequenda perfectione, distinguitur TRIPLEX statuum particulariumque officiorum species, videlicet: 1° *Status Religiosus*, cujus finis est conducere hominem, qui eum suscipit, ad propriam suam, hancque spiritualem, perfectionem. — 2° *Status clericalis*, cujus finis est perducere societatem spiritualem seu Congregationem Christifidelium ad suam perfectionem supernaturalem. — 3° *Status laicalis*, cujus finis est, pro diversis suis officiis, perducere societatem civilem ad suam perfectionem naturalem seu temporalem.

Hinc, TRIPLEX erit TRACTATUS: 1us De Statu Religioso; — 2us De Statu clericali; — 3us De Statu laicali.

[1] S. A. lib. IV. *Prooem.*

Digitized by Google

TRACTATUS I.

DE STATU RELIGIOSO

Quinque sunt, de quibus in hoc Tractatu agendum venit, nimirum: — 1° De natura Status religiosi; — 2° De ingressu in Religionem; — 3° De obligationibus Religiosorum; — 4° De privilegiis Regularium; — 5° De Religiosis in statu dispersionis.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI

2128. — Tria breviter expendenda sunt, scilicet STATUS RELIGIOSI *notio*, *origo* et *distinctio*.

1. — *Notio Status religiosi.*

DEFINITIO. — In genere, *Status* est certae vitae conditio, in qua quis persistit perpetuo, vel ad tempus. — Ejusmodi est status innocentiae, status naturae lapsae, status gratiae, status peccati, status ecclesiasticus, laicus, etc.

Strictiori modo, STATUS est immobilis vitae conditio, qua quis alteri firmiter obstringitur. *Immobilis* absolute, vel difficulter mobilis; nam status significat persistentiam et stabilitatem quamdam. — Ejusmodi status est TRIPLEX: episcopalis, religiosus, et conjugalis. *Episcopi* enim obligantur Ecclesiae suae obsequio; *Religiosi* obsequio divino; *conjugati* obsequio mutuo. — Duo priores status sunt spirituales; et illorum primus est status perfectionis acquisitae, secundus acquirendae, tertius autem est status saecularis [1]. — Jam vero,

STATUS RELIGIOSUS est *incompletus* vel *completus* prout nempe in sensu lato vel stricto sumitur.

Status religiosus INCOMPLETUS et in sensu latiori sumptus, est status fidelium ad divinae charitatis perfectionem tendentium. — Sub hac definitione non pauca comprehenduntur Instituta improprie Religiosa dicta, sicut ex dicendis patebit.

[1] Polman, 2. 2. n. 864 et 865.

Digitized by Google

Status religiosus COMPLETUS et stricte dictus *definitur:* Modus vivendi stabilis, quo ad perfectionem divinae charitatis tenditur per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae, sub regula vitae communis ab Ecclesia approbata [1].

Dicitur 1° *modus vivendi stabilis:* alioquin non esset status proprie dictus, ut jam notavimus.

Dicitur 2° *quo ad perfectionem divinae charitatis tenditur;* finis enim status religiosi est CHARITAS, non illa quidem communis, quae christianis etiam imperfectis, qui sunt in statu gratiae, convenit; sed illa eximia, qua quis proxime disponitur ad agendum facile, et ordinarie, juxta Dei praecepta et consilia [2]: ad imitationem nempe Christi Domini dicentis (Joan. 8, 29). *Ego quae placita sunt Ei, facio semper* (cf. n. 467, III et 690).

Dicitur 3° *per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae;* quia, juxta omnes Theologos, non intelligitur status religiosus completus, nisi faciat complete ac permanenter tendere ad perfectionem. — Atvero, ut homo *complete* ad perfectionem tendat, requiritur, tum ut e medio tollat omnia, quae hanc perfectionem praepediunt, concupiscentiam scilicet oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam vitae; tum ut Deo in perpetuum holocaustum offerat totum quod habet, bona scilicet externa atque interna, corpus et animam. Fit autem utrumque, ut patet, per observantiam trium consiliorum evangelicorum, voluntariae nimirum paupertatis, castitatis, et obedientiae. — Deinde, ut ad perfectionem *permanenter* et firmiter tendat, requiritur VOTUM; cum enim praememorata perfectio sit liberae electionis, vix aliud stabilitatis medium excogitari potest quam votum perpetuum, quod, ex religionis virtute, vere perseverabilem legem condit [3].

Hinc, Religiosi *proprie dicti* non sunt, qui tria quidem evangelica consilia observant, sed qui nullum de iis votum nuncuparunt; neque illi, qui ex tribus unum solum aut duo voverunt; neque illi, qui omnia tria voverunt, sed solum ad tempus. — Dissidet quidem Suarez [4], docens, cum solius voto castitatis conjugalis existere posse statum religiosum proprie dictum, ita ut status religiosi essentia remaneat, casu quo S. Pontifex aliquem dispensaret, ex parte, a voto solemni castitatis, cum facultate utendi matrimonio jam contracto, vel contrahendi futurum matrimonium. Sed huic doctrinae Doctores communius adversantur [5].

Dicitur 4° *sub regula vitae communis.* Atque in hoc consistit accidentale seu secundarium elementum, quo status religiosus constituitur. — Etenim, quamvis tria vota, quibus evangelicorum con-

[1] Cf. L. IV. n. 1; H. A. XIII. 1. — [2] Cf. S. Thom. 2. 2. q. 184. — [3] Ibid. 2. 2. q. 186. a. 7. — [4] *De religione*, tr. 7. lib. 9. cap. 26. n. 7. — [5] Cf. Bouix, *de jure Regularium*, tom. 2. pars 6. sect. 2. cap. 1. Propos. 4ª et 5ª.

Digitized by Google

siliorum observantia promittitur, Dei nomine ab aliquo ad hoc potestatem habente acceptata ad essentiam status religiosi per se sufficiant: spectato tamen hodierno *jure ecclesiastico*, ille status coram Ecclesia non existit, nisi in vita communi seu coenobitica, sub uno capite et sub una regula, quae ad consequendam perfectionem idonee conducat.

Hinc: « Religiosi non sunt, qui edito voto perpetuae paupertatis et castitatis, obedientiam vovent confessario, aut Episcopo [1]; nec tales reputantur Eremitae, nisi cum aliis ejusdem Instituti sodalibus communem praelatum et regulam habeant, secundum hodiernam Ecclesiae consuetudinem.

Dicitur 5° *approbata ab Ecclesia*, scilicet a Sancta Sede, cui hodie res, utpote majoris momenti, reservatur. — Etsi enim haec approbatio non sit, per se, de essentia status religiosi, ut sentiunt plerique Theologi contra quosdam, est tamen requisita ex jure ecclesiastico. Antiquitus quidem, ad fundanda religiosa Instituta, v. g. S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, etc., sufficiebat expressa propriorum Episcoporum institutio atque approbatio (non repugnante nempe sed potius collaudante Romano Pontifice); sed in Concilio Lateranensi IV [2] (ac deinde in Concilio Lugdunensi [3]), statutum est, ne novus Ordo induci aut in eo habitus sumi posset, nisi fuerit expresse a S. Pontifice approbatus.

Approbatio autem Ecclesiae DUO importat, *judicium* scilicet de Ordinis vel regulae honestate atque utilitate, et *potestatem* concessam Superioribus recipiendi Candidatos ad habitum et professionem, caeteraque peragendi, quae sunt juxta Regulam vel Institutum [4].

Hinc: 1° Non sunt religiosi *proprie dicti*, qui, licet tria vota emittant et vitam in communi ducant, regulam tamen a S. Sede approbatam non profitentur: quales sunt alumni variarum Congregationum, quas Episcopi propria tantum auctoritate instituerunt. Quamquam eorum coram Deo meritum potest esse plane idem ac meritum caeterorum, qui proprie religiosi sunt, cum eamdem sui abnegationem Domino exhibeant.

2° Institutum, quod a S. Sede reprobaretur seu prohiberetur, foret eo ipso irritum, excluderetque status religiosi essentiam. Esset enim non jam perfectionis status, sed potius status rebellionis, cum Deus numquam acceptum habere possit, quod improbat Ecclesia.

2129. — Quaesita. QUAER. 1° *Quodnam sit discrimen inter vota* SOLEMNIA *et* SIMPLICIA, *et an simplicia vota ad religionis status essentiam* SUFFICIANT?

Resp. 1° Non consentiunt AA. circa discrimen, quod intercedit inter vota solemnia et vota simplicia. Juxta sententiam S. Thomae [5],

[1] L. IV. 1. 3°. — [2] Cap. fin. *de religiosis domibus*. — [3] Cap. un. ejusd. tit. in 6°. — [4] Cf. Lucidi, tom. 2. pag. 255. De disciplina quam servat S. C. EP. et REG. in Institutorum approbatione. — [5] 2. 2. q. 88. a. 7.

Digitized by Google

Bellarmini, etc., quam S. Alphonsus docet ceu probabiliorem [1], solemnitas voti (castitatis) est a lege ecclesiastica quoad ritum (i. e. formam essentialiter requisitam ut ab Ecclesia ceu solemne habeatur), sed a lege divina positiva quoad essentiam et effectum, i. e. dirimendi matrimonium. — Ratio est, « quia in voto simplici corpus promittitur tantum Deo, sed in solemni per acceptationem legitimam Praelatorum, corpus insuper Deo traditur. » Haec S. Alphonsus [2]. Et similis ratio pro voti paupertatis et obedientiae adduci potest [3]. — Attamen, sententia *contraria* videtur hodie apud Canonistas evasisse communior. Quod testatur Philippus de Angelis [4] dicens: « Haec est doctrina canonica, solemnitatem non esse votis intrinsecam vel essentialem, ut votum simplex et solemne differant specie; sed eam esse votis extrinsecam et accidentalem, provenientem ex Ecclesiae dispositione. » Et adjecta ex variis documentis demonstratione, cl. Canonista concludit: « trium votorum SOLEMNITATEM consistere in vi per dispositionem Ecclesiae illis addita, irritos vel saltem irritabiles faciendi certos quosdam actus Religiosi votorum accidentali perfectioni contrarios. » Utrum vero haec sententia et intrinsece sit probabilior, judicent alii. (Cf. dicenda n. 2156, 2160, 2176).

Resp. 2° « Ad essentiam Religionis non requiruntur vota solemnia. Ratio est, quia qui in Societate Jesu vota simplicia edunt, sunt veri Religiosi: uti definivit Gregorius XIII in Bulla *Ascendente Domino* [5]. » Et Benedictus XIV scribit [6]: « Ex Romani Pontificis auctoritate fieri potest, ut *vera Religio* ea quoque sit, in qua simplicia tantummodo vota emittuntur. »

Nec obstat, quod *majus sit votorum solemnium vinculum:* quia, ut recte advertit Suarez [7], majus et minus non variant speciem. — Et re quidem vera, quamvis vota simplicia non inducant per se, sicut solemnia, *inhabilitatem* ad matrimonium, *incapacitatem* dominii et *stabilitatem* absolutam seu immutabilem; reddunt tamen matrimonium illicitum in perpetuum, spoliant voventem omni usu independenti atque omni dispositione arbitraria rerum temporalium, quod perinde est ac si Religiosus nihil omnino possideret; inducunt denique sufficientem stabilitatem, dum statuitur quod professus nunquam possit propria sponte recedere, et Ordo non debeat, nisi de gravi et justa causa, eum dimittere [8].

QUAER. 2° *An ad essentiam status religiosi stricte sumpti requiratur* TRADITIO SUI *Deo facta, et nomine Dei ab aliquo homine* ACCEPTATA?

Resp. Affirm., juxta communem AA. sententiam. Etenim status religiosus proprie dictus semper in Ecclesia Dei habitus est tan-

[1] Op. in Trid. sess. 24. n. 21. — [2] L. VI. 1025. — [3] Cf. Suarez, *De religione*, tr. 7. lib. 2. cap. 14. n. 4; item Gregor. a Valentia, disp. 6. q. 4. p. 8. — [4] L. III. tit. 31. n. 4. — [5] L. IV. 1. 1°. — [6] *De Synodo*, lib. 13. c. 11. n. 29. — [7] Loc. cit. — [8] Cf. Gury-(Cretoni), tom. I. pag. 578.

Digitized by Google

quam vera *traditio* seu *donatio*, per quam homo se mancipat penitus Deo, abdicando nimirum jus illud naturale, quod quisque, servatis praeceptis, habet de se suisque rebus pro arbitrio disponendi. — Et quamvis praedicta traditio ipsam votorum emissionem comitari soleat, est tamen aliquid a votis diversum, quod eis superadditur. Votum enim, ex sua natura, non est nisi *promissio*, vi cujus non ipsius rei dominium, sed jus solummodo ad eam habendam confertur; *traditio* autem, quae legitime nomine Dei ab aliquo *acceptatur*, est vera ac perfecta donatio, quae efficit, ut res seu persona oblata irrevocabiliter sub acceptantis dominium transferatur.

Quod autem hujusmodi acceptatio sit *necessaria*, colligitur ex eo quod per donationem bonorum, jus in alterum nondum transfertur, nisi donatio a donatario acceptetur, quemadmodum vidimus in Tractatu *de Contractibus* (n. 1063 sqq.). « At vero traditio vel donatio, licet possit immediate fieri intuitu Dei, non tamen acceptatur ab ipso, nec est illi grata, nisi fiat alicui homini, a quo acceptari vel repudiari possit, et qui jus acquirat in rem traditam ad utendum illa, vel illi imperandum, curamque gerendi ejus. Hujus autem ratio est, quia Deus, secundum ordinariam providentiam suam, non suscipit peculiarem curam gubernandi privatam personam immediate per seipsum, nec indiget rebus sensibilibus, ut eis immediate et sine interventione causarum secundarum utatur. Et ideo donatio sic facta Deo, vel esset vana, et odiosa, vel quasi tentans Deum, ab illo immediatum regimen exigendo; et propterea illi non placet, nec ab ipso immediate acceptatur [1]. »

2130. — *Ex his colliges:* 1° Vota, quae fiunt soli Deo et *a nemine acceptantur*, non inducunt essentiam Status religiosi. — Atque hinc fuit cur Papa Alexander VII in Constitutione *Ex commissa* 22 sept. 1655 edita in favorem Congregationis Missionis seu *Lazaristarum* (quae quamvis tria, haecque perpetua, vota emittere intenderet, noluit tamen accenseri religiosis Ordinibus) haec notatu dignissima statuerit, videlicet: « ut, in eorum votorum emissione nemo intersit, qui ea acceptet nomine Congregationis, sive Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis nomine... Utque dicta Congregatio non censeatur propterea in numero Ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri saecularis. » Quod nisi Pontifex hanc clausulam adjecisset, Lazaristarum Congregatio non esset saecularis, sed proprie religiosa, habens nempe Status religiosi essentiam et veritatem [2].

2° Traditio sui, de qua diximus, non praesupponit *necessario* emissionem votorum solemnium. Atque hoc confirmatur ex Gregorii XIII Bulla *Ascendente Domino* §. 18, ubi Pontifex advertit: « tria Societatis vota (i. e. Scholasticorum) tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in Statu religionis vere constitui, quippe

[1] Suarez, *de Religione*, tr. 7. lib. 2. c. 4. n. 7, 8. — [2] Cf. Bouix, *de jur. Reg.* tom. I. p. 228 et 236; Craisson, n. 2538.

Digitized by Google

qui per ea ipsa se Societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant. »

3° Potest ex parte Ordinis fieri aliqua acceptatio, quin idcirco *reciproca* obligatio inter eum et religiosum exoriatur. — Ad rem ita Schmalzgruber [1]: « Dicendum, ad hoc ut aliquis sit vere ac proprie Religiosus, sufficere si saltem ex parte voventis detur obligatio perpetuo manendi in Religione, licet Religio non habeat vicissim obligationem absolutam eum perpetuo retinendi. » — Et hoc confirmatur exemplo Societatis Jesu, in qua « Scholastici votis se adstringunt ad perpetuo manendum in Ordine; Societas autem sibi potestatem servat eos dimittendi, si ita magis ipsi expedire videatur [2]. »

2. — *Origo Status religiosi.*

2131. — Nonnulli scriptores docuerunt, Statum religiosum esse institutionis mere ecclesiasticae, ac proinde minime ad Ecclesiae essentiam aut integritatem pertinere. Ita praesertim Novatores Religiosis infensissimi, contra quos sequentia statuimus

Principia. I. Status religiosus, QUOAD SUBSTANTIAM, etsi non quoad accidentales formas, fuit a Christo Domino institutus; unde dici debet, illum esse de JURE DIVINO, non praecipiente sed CONSULENTE. — « Haec est, inquit Suarez [3], sententia omnium catholicorum recte sentientium » (cf. n. 133). Et revera Christus dicendus est auctor Status religiosi quoad substantiam, si ipse est auctor perfectionis religiosae, per paupertatis, castitatis atque obedientiae observantiam acquirendae: tota enim religiosi Status materia seu substantia in hoc consistit. — Jam vero, rem ita se habere, constat ex tribus Domini oraculis; quorum primum est: « *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo* » (Matth. 19, 21); — alterum: « *Et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere capiat.* » (ib. 19, 12); mentem vero Salvatoris explicat Apostolus (1. Cor. 7); — tertium demum: « *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.* » (Luc. 9, 23); quod idem obedientiae consilium his etiam verbis datum est: « *Et veni, sequere me.* » (Matth. 19, 21).

Idem evincitur ex SS. Patribus; hi enim, teste Suarez [4], communiter docent, Christianorum statum in duos ordines a Christo fuisse distributum: in ordinem profitentium communem vitam mandatorum, i. e. vitam conjugalem seu saecularem; et in ordinem profitentium altiorem et angelicam vitam sublimiorum consiliorum, i. e. vitam religiosam. — Atque haec fuit vita, quam Apostoli pro-

[1] Lib. 3. tit. 31. n. 18; cf. Suarez, loc. cit. L. 2. c. 14. n. 12. — [2] Bouix, l. c. tom. I. p. 65. — [3] Loc. cit. L. 3. c. 2. n. 3. — [4] Ibid. n. 4.

Digitized by Google

fessi sunt, ut testatur S. Thomas [1], scribens : « Apostoli intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus, secuti sunt. »

Ex his colliges: — 1° Etsi Papa, qua Dei Vicarius, possit in votis Religionis dispensare, non potest tamen efficere, ut quis sit simul Religiosus, et votis substantialibus solutus: quia haec ad essentiam Status religiosi divinitus instituti pertinent [2]. — 2° Nulla in terris Auctoritas valet Statum religiosum abolere, quin eo ipso jus divinum laedat [3].

2132. — II. Status religiosus est Ecclesiae quoad substantiam, connaturalis atque ita NECESSARIUS, ut ad ejus integritatem pertinere dicendus sit. — Hoc eruitur non solum ex Evangelicis verbis, sed ex ipsius Ecclesiae natura. Christus enim indidit Ecclesiae suae proprietatem ac notam sanctitatis, ita scilicet ut non solum sanctitate interna per gratiam sanctificantem et dona Spiritus Sancti adornaretur, sed ut niteret etiam sanctitate externa et publica, qua posset facile ab omnibus falsis ac spuriis religionibus discerni. Jam vero, haec Sanctitatis nota complectitur non solum exercitium illarum virtutum, quae ad salutem consequendam sufficiunt, sed etiam consiliorum observantiam et publicam professionem, seu Statum religiosum. — Aliud argumentum desumi potest *ex necessitate operariorum evangelicorum;* asserere enim non dubitat S. Alphonsus [4], Episcopos et parochos esse impares, qui omnibus spiritualibus populorum necessitatibus subveniant. Hinc, si Deus ipsis non alios, a quibus adjuventur, sacerdotes mitteret, Ecclesiae suae non sufficienter providisset.

Hinc: 1° Quovis tempore in Ecclesia extiterunt Religiosi, quamvis forsan nulla peculiari communique disciplina, per duo priora saecula fuerint obstricti. — 2° Status religiosus est in Ecclesia indefectibilis, quamvis aliquis Ordo vel Congregatio in particulari deficere possit [5].

Nota. De EXCELLENTIA Status religiosi disserunt Ascetici [6].

3. *Distinctio Status religiosi.*

2133. — Ad majorem Ecclesiae decorem atque utilitatem varii a Deo suscitati sunt religiosi Ordines, qui idcirco in varias species dividi possunt.

I. Ratione FINIS PECULIARIS, dividuntur in Ordines contemplativos, activos et mixtos. — *Contemplativi* sunt illi, qui praecipue ad contemplationem ac propriam suorum membrorum perfectionem

[1] 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3. — [2] L. IV. 1. 4°. — [3] Cf. PII VI Breve *Aliquantum* 10 martii 1791; et PII IX Epist. ad Card. Antonelli 16 junii 1872 (*Acta S. Sed.* VII. 3). — [4] *Selva*, p. 1. c. 9. n. 7. (Opp. ascet III. 67). — [5] Cf. Craisson, n. 2509 sqq.; Rouix, *de Regul* tom. 1. p. 165. — [6] Cf. S. A. *Vera Sposa*, cap. 2; et Opusc. *De Vocatione religiosa.*

Digitized by Google

intendunt; — *activi*, qui potissimum ad opera charitatis erga proximum incumbunt; — *mixti*, qui pari studio ad assequendum utrumque finem tendunt[1].

Vita CONTEMPLATIVA praeeminet ACTIVAE, juxta illud Christi Domini: *Maria optimam partem elegit.* — Perfectissima autem est VITA MIXTA, in qua Religiosus ita vacat contemplationi, ut ex hujus plenitudine effluant, quae per doctrinam aliaque spiritualia officia proximis juvandis impendit. Sicut enim praestabilius est lucere simul atque illuminare: ita praestabilius est copulare actionem cum contemplatione, et ex charitate, quae in contemplatione hauriuntur, in alios diffundere, ad eorum procurandam salutem. Haec fuit vita Apostolorum atque ipsius Domini nostri Jesu Christi, qua nulla perfectior excogitari potest [2].

2134. — II. Ratione VOTORUM, dividuntur in Religiones, in religiosas Congregationes, et in Religiosa Instituta.

1° Religionem (vel *Ordinem religiosum*), in sensu canonico et strictiori, constituunt sola vota solemnia, ita ut illi soli, qui hujusmodi vota emittunt, stricte appellandi sint *Regulares.*

2° Ad *Congregationem religiosam* requiritur et sufficit essentia Status religiosi cum votis simplicibus, ut constat ex dictis n. 2129. q. 1. — Alumni talium Congregationum nonnunquam sub nomine *Religiosorum* in Pontificiis documentis comprehenduntur.

3° Vox *Institutum religiosum* latius patet quam Congregatio religiosa; extenditur enim ad illos etiam vivendi modos, qui Statum religiosum absque votis imitantur, v. g. Oratorium S. Philippi Nerii[3].

Ex his clarescit MODUS LOQUENDI SS. Pontificum, qui Instituta religiosa cum votis simplicibus nominant modo *Congregationes religiosas, familias religiosas,* etc., modo *Congregationes saeculares,* prout nempe voces illas vel in sensu naturali, vel in sensu canonico usurpant. — *Canones* vero, quibus jus commune Regularium constituitur, supponunt et respiciunt Religiones proprie dictas, ita ut nec leges, nec privilegia Regularibus data, per se, ad Instituta votorum simplicium pertineant.

2135. — III. Ratione Regulae, QUATUOR sunt praecipuae Ordinum SPECIES, prout sequuntur regulam *S. Basilii*, vel *S. Augustini*, vel *S. Benedicti*, vel *S. Francisci.* — Unam ex his quatuor amplexati sunt plerique fundatores Ordinum religiosorum, adjectis statutis peculiaribus, quibus suum quisque Institutum ad proprium finem aptius perduceret.

2136. — *Nota.* Ordines religiosi *stricte dicti,* in quibus emittuntur VOTA SOLEMNIA, reducuntur ad supremas has species:

1° Ordines MONACHALES, qui, vi proprii instituti, non ordinantur ad ministeria clericorum, sed profitentur in primis vitam contemplativam ac soli-

[1] Cf. Craisson, n. 3104. — [2] Cf. S. Th. 2. 2. q. 182. — [3] Cf. Suarez, *de Relig.* tr. 7. lib. 2. c. 16. n. 22. ubi explicat Decretum Gregorii X inhibens novum Ordinem aut Religionem.

Digitized by Google

tariam. — Hujusmodi sunt: *Basiliani, Cassinenses, Camaldulenses, Vallumbrosiani, Cistercienses, Trappistae, Olivetani, Sylvestrini, Hieronymitae, Carthusiani, Antoniani,* etc.

2° Ordines CLERICALES, qui ex proprio instituto detinentur mininisteriis spiritualibus, ad quae ordinatione ecclesiastica deputantur. — Tales sunt: Canonici Regulares v. g. *Basilicae Lateranensis,* et Clerici Regulares, v. g. *Theatini, Barnabitae, Somaschi, Jesuitae, Clerici minores, Ministri infirmorum, Clerici Matris Dei, et Piarum Scholarum.*

3° Ordines MENDICANTES, sub quo nomine comprehenduntur ii, quibus ex regula, vel constitutionibus a Sede Apostolica approbatis, interdictum est, redditus et possessiones in communi habere, quamvis illa habeant ex Pontificis dispensatione, sicut hodie ex Tridentino, sess. 25 *de Regul.* cap. 3, dispensatur cum omnibus Mendicantibus, praeter Minores de Observantia et Capucinos. — Quare, ad Ordines Mendicantium pertinent quatuor antiquiores Ordines *S. Dominici, Minorum, Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum,* de quibus fit mentio in *cap. unic.* §. *sane, de Relig. domibus in* 6°; ac praeterea Ordines *Servorum Mariae, Minimorum S. Francisci a Paola, S. Hieronymi,* ut (declaravit S. Pius V in Constit. 35ª *Romanus Pontifex,* et 48ª *Apostolicae Sedis); Societas Jesu,* ex Bulla *Dum indefessae.* Item, *Trinitarii* a beato J. B. Conceptionis reformati (Paul V. 15 dec. 1609); *Mercedarii* (Bened. XIII, 8 jul. 1725); *Carmelitani discalceati* (Clem. VIII, 20 aug. 1603), etc. [1].

4° Ordines MILITARES, ut milites S. Joannis et Teutonici, qui ordinantur ad militandum pro defensione Ecclesiae adversus Infideles, aliosque ejusdem hostes.

5° Ordines HOSPITALARII, v. g. S. Joannis de Deo, qui ex scopo Instituti ordinantur ad exercitium hospitalitatis, quoad receptionem peregrinorum, curationem infirmorum, etc. [2].

NB. Variis Ordinibus, speciatim S. Francisci, S. Dominici et B. V. M. de Monte Carmelo, accedunt *Tertiarii,* qui vel in communi sub regula, vel privatim in saeculo vivunt. — *De tertio Ordine* S. Francisci Assis. vide Const. SS. LEONIS Papae XIII, *Misericors Dei Filius,* die 30 maji 1883 editam [3].

CAPUT II.

DE INGRESSU IN RELIGIONEM

In hoc capite agemus: 1° de iis qui ingredi possunt; 2° de iis qui tenentur; 3° de Novitiatu; 4° de Professione.

ARTICULUS I.

DE IIS QUI RELIGIONEM INGREDI POSSUNT

2137. — Principia. I. « Omnes illi et soli POSSUNT ingredi Religionem, qui sunt *sui juris,* nec aliis obstricti; qui vero *aliis* obstricti

[1] *Acta S. Sed.* I. 727; Konings (Edit. 5ª) I. p. 477. — [2] Cf. De Angelis, lib. 3. tit. 31. n. 6. — [3] Cf. *Acta S. Sed.* vol XV. p. 513.

Digitized by Google

sunt, NON POSSUNT sine eorum consensu [1]. » — Utrumque per se patet.

Hinc: 1° Non licet ingressus IMPUBERIBUS, quia subsunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitae dispositionem. — Eis adnumerandi sunt *servi* proprie dicti, renuentibus eorum heris; et in multis locis, propter leges civiles, minores, nisi cum parentum consensu, qui, ad praecavendas futuras molestias, litteris consignatus prudenter exigitur.

2° Non licet ingressus, regulariter, FILIIS (etiam Religionis voto obstrictis), qui deberent *relinquere parentes constitutos in necessitate* sive extrema, sive duntaxat gravi. — Secus autem, si horum necessitas esset communis, vel si modicam solummodo status diminutionem passuri essent, vel si filius, tametsi remaneret in saeculo, eorum tamen necessitati nullo modo subvenire posset; secus etiam, si ipse in saeculo manere non posset sine gravi ac proximo peccati periculo; quia spiritualis ejus salus praeferenda est temporali vitae parentum [2].

An, quaeres, *filius jam professus teneatur* OB PARENTUM NECESSITATEM *egredi e Religione?* — Resp. 1° Si necessitas sit *gravis* tantum, non tenetur, nec potest; quia sicut ducta uxor, ita suscepta Religio est parentibus praeferenda. — 2° Si vero necessitas sit *extrema*, tenetur, casu quo nequeat e claustro subvenire. In dubio de gravitate necessitatis, judicium est penes Superiorem [3].

« Extra casum necessitatis, dicebat Lutherus, peccare filios ingrediendo Religionem *sine parentum consensu*. — Sed oppositum docuerunt omnes SS. Patres et omnes catholici, dum certum est, ut ait Angelicus [4], filios circa Status electionem liberos esse. Et licet deceat (ut dicunt DD.), ut filii nisi prius patris benedictionem susceperint, non discedant; hoc tamen intelligitur, cum nullum subest periculum, quod pater eos a sancto proposito avertat; sed quia hoc periculum plerumque semper adest, ideo S. Thomas absolute hortatur filios, ne consanguineorum consilio utantur, cum res agitur de *vocatione religiosa*. Sed ab hoc consilio (ait Sanctus [5]) primo quidem amovendi sunt carnis propinqui. Propinqui autem carnis in hoc proposito amici non sunt, sed potius inimici [6]. »

3° Non licet ingressus PARENTIBUS, qui habent filios constitutos in gravi necessitate, aut sufficienti destitutos educatione, « non proviso qualiter educari possint » ut loquitur S. Thomas [7]. — Sed hoc non intelligitur de filiis emancipatis, nisi in gravi sint necessitate [8].

4° Non licet ingressus ILLIS, qui deberent *relinquere fratres* aut *sorores* in *extrema* necessitate. — Si horum necessitas sit dun-

[1] L. IV. 65. — [2] H. A. XIII. 23; L. VI. 65-66. — [3] L. IV. 67. — [4] 2. 2. q. 104. a. 5. — [5] Opusc. 17. cap. 9. v. fin. — [6] H. A. XIII. 24; cf. L. IV. 68. — [7] 2. 2. q. 189. a. 6. — [8] L. IV. 69.

Digitized by Google

taxat gravis, in hoc casu, frater *qui vovit* Religionem indiget dispensatione, ut ingressum per longum tempus differre possit. — Secus, si non vovit; quia « ratione charitatis posset quis differre et etiam omittere statum Religionis ad subveniendum fratribus graviter indigentibus [1]. »

5° Non licet ingressus CONJUGIBUS, consummato jam matrimonio, nisi cum consensu compartis, aut nisi propter hujus notorium adulterium; vinculum enim matrimoniale pertinet ad ordinem justitiae, contra quam virtus religionis non praevalet. — Quod matrimonium *ratum* solemni professione solvitur, et quod duo menses conceduntur conjugibus ad deliberandum de ingressu in Religionem, seu in Ordinem stricte regularem, jam diximus in Tract. *de Matrimonio* n. 1981 [2].

6° Postremo non licet ingressus in Religionem EPISCOPIS. — Hi enim non possunt, sine justa causa, suas Ecclesias relinquere, tum propter votum quod emiserunt in earum acceptatione, perpetuo eis inserviendi, tum propter spirituale cum propria Ecclesia conjugium, quod, ut ait Innocentius III, « non humana, sed potius divina potestate dissolvitur. » — Quod si justa causa interveniat, S. Pontifex potest utique ingressum in Religionem eis permittere [3].

2138. — II. Licite Religionem ingredi POSSUNT omnes clerici, parochi aut beneficiati, etiam *contradicente Episcopo*, nisi alio detineantur vinculo. — Constat tum ex canone *Duae sunt leges* [4], in quo Urbanus Papa II statuit: « Si quis horum (clericorum) in ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, et saeculariter vivit, si afflatus Spiritu sancto in aliquo monasterio... salvare se voluerit..., etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate; » tum ex unanimi Canonistarum sententia, quam in Bulla *Ex quo dilectus* refert Benedictus XIV [5].

Nec obstat obedientia promissa Episcopo; quia haec promittitur juxta libertatem a Christo Domino donatam, et juxta leges Ecclesiae. — Parochus tamen, quia officium dimissurus est, debet, ex jure naturali, *Episcopum* de suo suscepto consilio *certiorem facere*, ne grex sine custode deseratur. — Ad idem tenentur Clerici et alii Beneficiati, ex honestate et officio, nisi excusentur ob metum reverentialem [6]. Beneficium tamen non vacat nisi post professionem. Imo, si beneficium non sit *residentiale*, retineri potest, sed sine usu et administratione, ab illis qui vota simplicia emittunt [7].

[1] L. IV. 70; H. A. ib. 24. — [2] L. IV. 65. fin. — [3] Ib. 65 et 76; H. A. ib. 28. — [4] Can. 2. caus. 19. q. 2. — [5] L. IV. 74; cf. Craisson, n. 2616 et 2617. — [6] L. IV. 75. — [7] Bizzarri, pag. 475.

Digitized by Google

Diximus: *nisi alio detineatur vinculo:* v. g. justitiae, quali detineretur clericus, qui fuisset gratuito educatus sub conditione, ut ministerium in dioecesi, per determinatum tempus, postea exerceret; vel vinculo charitatis, puta si Ecclesia grave passura esset damnum ex ejus discessu; imo, Episcopus posset, in tali casu, hujusmodi presbyterum a Religione repetere[1]. — Sic similiter missiones deserere prohibentur qui *titulo missionis* cum juramento fuerunt ordinati (cf. n. 1923).

2139. — QUAERITUR. *An Religionem ingredi possint* AERE ALIENO *gravati?*

Resp. 1° Spectato jure naturali, sententia, quae videtur S. Alphonso probabilior, docet tales *non posse* licite ingredi, si sit spes probabilis, fore ut brevi tempore, v. g. intra biennium, creditoribus satisfacere possint. — Si vero haec spes absit, vel si ex brevi illa in saeculo mansione immineat probabile periculum incidendi in gravia peccata, aut amittendi vocationem, *possunt* statim ingredi, facta creditoribus cessione suorum bonorum. « Ratio est, quia praeceptum naturale non obligat, quando debitor nequit satisfacere nisi cum tanto detrimento suae libertatis, et cum onere subeundi periculum aeternae salutis. » — Quod si *debita* sint *incerta*, ita ut pauperibus vel locis piis restitui possint, ne tantillum quidem expectare tenetur, cum nihil sit tam pium, quam se, suaque omnia, Deo in Religione dicare.

Resp. 2° Ex jure canonico, est quidem *valida*, sed *illicita* professio eorum, qui per bonorum suorum dilapidationem in ingens aes alienum inciderunt; — nec non eorum, qui deponere rationes debent, v. g. tutorum, procuratorum, executorum testamenti, si rationes reddendae sint valde litigiosae, intricatae, fraudulentae, et praebiturae ansam litibus[2].

ARTICULUS II.

DE IIS QUI RELIGIONEM INGREDI TENENTUR

2140. — Principia. I. Religionem ingredi in primis TENETUR qui id LEGITIMO VOTO promisit[3]. — Constat ex dictis de obligatione voti in genere (n. 627). — Hinc sequitur:

1° Qui vovit Religionem *in genere*, i. e. non determinando Ordinem, sive locum, sive disciplinam laxiorem aut severiorem, tene-

[1] L. IV. 74. 75; H. A. ib. 29. — [2] Ibid. 71; H. A. ib. 27. — [3] L. IV. 72; cf. L. III. 221. quoad causas differendi.

Digitized by Google

tur mediis ordinariis quaerere aliquem Ordinem, vel aliquam approbatam Congregationem religiosam, in qua disciplina, saltem quoad observantias principaliores, vigeat: et si ab illo Ordine repellatur, tenetur, probabilius, aliquam aliam Religionem ingredi; quia voto generali ad ingressum in aliquam Religionem obstringitur.

2° Qui vovit Religionem *in specie*, tenetur aliquam illius Ordinis domum ingredi, et ab una repulsus debet uti mediis ordinariis, ut in aliam admittatur. — Sed post tertiam quartamve repulsam, culpa jam vacat, si in saeculo remanet; quia voti expletio facta est impossibilis.

3° Qui vovit Religionem *in individuo*, ita determinando locum, ut nullum alium intenderit, liber est a suo voto, si in illam domum non admittitur; quia sub hac tantum conditione se ligavit.

4° Qui vovit Religionem in eamque *ingressus est*, tenetur in ea PERSEVERARE; « quia votum Religionis non tantum obligat ad suscipiendum habitum religiosum, sed etiam ad Deo, toto vitae tempore, obsequendum[1]. » — Unde, peccat graviter, si sine justa causa recedit; « nisi intellexisset tantum de ea periculum facere. Caeterum esset justa causa egrediendi, si ibi inveniret talem vivendi modum, cui suae vires pares non essent; aut ibi gravem et longum moerorem experiretur. — Si vero etiam vovisset profiteri, tenetur etiam cum gravi suo incommodo id exequi, modo Status religiosus illi penitus intolerabilis non succedat[2]. »

2141. — II. Omnis qui DE SUA ad vitam religiosam VOCATIONE moraliter CERTUS EST, tenetur Religionem ingredi, nec potest, salva conscientia, remanere in saeculo. — Sane, divinae vocationi non obsequi, per se loquendo, non est peccatum; consilia enim ex se non ligant ad culpam. — Verumtamen, infelix, qui talem vocationem negligit! Etenim « si peccat graviter quicunque alium a vocatione abducit propter damnum, quod illi infert: quomodo a culpa erit immunis, *qui novit se certe vocari a Deo ad Religionem*, et in mundo vult remanere cum suae salutis aeternae periculo? Tali *periculo sese exponere*, subjungit S. Doctor, numquam mihi suadere potero vacare culpa. Utrum vero haec culpa sit gravis an levis, sapientum judicio relinquo[3]. »

2142. — Ad uberiorem rei explanationem, non abs re erit quasdam generales quaestiones, DE DIVINA VOCATIONE ad aliquem vitae statum hîc adjungere.

Quaesita. QUAER. 1° *Quid sit* VOCATIO *ad aliquem statum?*

Resp. Vocatio *definiri* potest: Actus providentiae supernaturalis,

[1] L. IV. 72. — [2] H. A. V. 34. — [3] H. A. XIII. 26; cf. Damanet, *Manuale per eleggere uno stato di vita*.. (Venezia 1869).

Digitized by Google

quo Deus unumquemque hominem ad aliquod vitae genus eligit, congruisque dotibus atque auxiliis exornat ad digne et laudabiliter obeunda officia, quae illi vitae generi sunt propria. Sane, multi status, v. g. advocati, judicis, etc. si in seipsis considerantur, non supergrediuntur ordinem mere naturalem; sed si considerantur, quatenus sunt status hominum destinatorum ad finem supernaturalem, nullus est qui ordini supernaturali non subditur. — Unde *S. Paulus:* « Unusquisque, inquit, proprium donum habet ex Deo » (I. Cor. 7, 7) [1]. Et *S. Cyprianus:* « Ordine suo, non nostro arbitrio, virtus Sancti Spiritus ministratur. »

QUAER. 2° *Quaenam sint* SIGNA *divinae vocationis ad aliquem statum?*

Resp. TRIA potissimum recensentur, videlicet; — 1° Constans quaedam ac deliberata PROPENSIO ad illam vitae conditionem, de qua deliberatur: propensio, inquam, *constans;* nam quem Deus ad aliquod vitae genus destinat, hunc modo permanenti ad illud suaviter ac fortiter allicit, quamvis possit simul adesse quaedam repugnantia naturalis; propensio dein *deliberata*, ita ut in vocati intellectu sit divinae gratiae illustratio, in qua contueatur ineundum statum sibi fore accommodatum ad consequendam suam aeternam salutem. — 2° IDONEITAS, seu APTITUDO ad illius status officia convenienter obeunda. (Haec aptitudo pro statu religioso consistit potissimum in recto judicio, in indole bona, in animo jugo obedientiae submisso, in scientia relative sufficienti, et in carentia defectuum corporis et animi, qui vitae religiosae, aut fini Instituti, repugnant). — 3° ABSENTIA IMPEDIMENTORUM, ut esset inopia parentum, mala valetudo corporis, etc. Hoc ultimum signum, etsi negativum, est tamen maximi momenti; cum Deus suam voluntatem per rerum etiam circumstantias externosque eventus manifestare soleat [2] (Recole dicta n. 1849. 3°).

QUAER. 3° *Quomodo peccet qui non vocatus Clericatus vel Religionis statum amplectitur?*

Resp. 1° Si statum *sacerdotalem* (praesertim in saeculo commoraturus) sine vocatione, i. e. sine aptitudine, vel sine recta intentione, amplectitur, peccat gravissime, quia conjicit se et alios in grande salutis periculum.

Resp. 2° Si statum tantummodo *religiosum* amplectitur, magnae profecto temeritatis arguendus est, quia suscipit obligationes, quibus difficile satisfacere poterit, ob defectum auxiliorum specialium,

[1] Cf. S. A. opusc. *De vocatione religiosa,* §. 1. (Opp. IV. 396). — [2] Cf. *Praxis,* n. 92.

Digitized by Google

quae solis a Deo vocatis conceduntur. Unde Christus Dominus (Matth. 19, 11) dixit: « Non omnes capiunt verbum istud. » — Attamen, si non vocatus firmam habet voluntatem suis obligationibus satisfaciendi, non videtur graviter peccare; quia status religiosus, suapte natura, talia ei suppeditabit auxilia, quibus poterit hanc suam exequi voluntatem [1]. Excipe si novit sibi deesse eas animi corporisve conditiones, sine quibus vota et regulas certe non poterit servare, aut de facto non servabit [2].

QUAER. 4° *Quid agendum sit illi, qui certo in status electione* ERRAVIT?

Resp. Si adhuc liceat, alium competentem statum de consilio confessarii sibi eligat. — Si vero id Religio prohibeat, illud *D. Augustini* sibi dictum putet: « Si non es vocatus, fac ut voceris, » i. e. ita vivito ac si ad praesentem vitae statum vocatus fuisses. Scilicet necessitas convertenda est in virtutem, et per orationem impetranda sunt a Deo specialia auxilia; *facienti enim quod in se est Deus nunquam deerit* [3].

QUAER. 5° *An et quomodo peccet, qui* ALIUM *a Statu religioso* RETRAHIT?

Resp. 1° Si retrahit *mediis injustis*, vi scilicet, fraude, vel metu gravi, delinquit graviter peccato injustitiae, tum in illum privatum, quem injuste magno bono privat, tum in Religionem, quae jus habet, ne vi aut dolo a consecutione sui boni impediatur. — Hinc, ad reparationem tenetur, tum scandali quod praebuit, tum damni quod intulit, juxta dicta n. 514, et 921.

Resp. 2° Si retrahit *precibus aut consiliis*, non peccat quidem contra justitiam, sed peccat per se graviter contra charitatem, nisi adsit justa causa. — Parentes tamen possunt a mortali excusari (saltem per aliquod breve tempus) « ratione ignorantiae vel inadvertentiae, quae de facili eis inesse potest ob vehementem carnis affectionem erga filios [4]. »

ARTICULUS III.

DE NOVITIATU

2143. — NOVITIATUS est vitae religiosae probatio, seu mutuum experimentum, quo Religio qualitates atque indolem Novitii, et Novitius Ordinis austeritatem seu observantiam explorat. — Hinc diversae obligationes, spectantes una ex parte ad Ordinis *Superiores*

[1] Cf. *Praxis*, n. 93. — [2] Konings, I. p. 483. Not. *s.* — [3] Cf. Scavini, IV. 493; cf. S. A. *Vera Sposa*, cap. 24. § 8. — [4] L. IV. 77; cf. III. 662.

Digitized by Google

qui novitios admittunt, altera autem ex parte ad ipsos *novitios* qui admitti postulant. — De his obligationibus nonnisi pauca dicenda sunt. Sufficit enim, ut hîc communia Juris Regularium principia breviter exponamus, quae particularibus Statutis vel Indultis modificari possunt [1].

I. Jus admittendi novitios pertinet ad Ordinem, in quem quis ingredi cupit, ita nempe ut non a solo Praelato, sed a Conventu seu capitulariter exercendum sit. — Jam vero,

1° Ad viros quod attinet, est de jure communi, ut Religiones a S. Sede approbatae, etiam non exemptae, non pendeant ab Episcopo in admittendis novitiis; facultas enim eos admittendi in ipsa approbatione continetur [2].

Atvero, in decreto S. Congr. super Statu Regularium (die 25 jan. 1848, *Romani Pontifices*) [3] Pius IX statuit, et quidem sub poena privationis officiorum (non tamen sub poena nullitatis professionis), ut: « In quocumque Ordine, Congregatione... sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, nemo ad habitum admittatur absque *testimonialibus litteris* tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans, post expletum decimum quintum annum aetatis suae, ultra annum moratus fuerit; Ordinarii, postquam diligenter exquisiverint de postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia. » Et subjungitur: « Sciant Ordinarii, eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis liberum esse hujusmodi litteras denegare. »

Si Ordinarius de qualitatibus postulantis *testificari renuat,* sive quia illum non cognoscit, sive quia ab auctoritate civili praepeditur etc.; supplendum est per aliam accuratam informationem, et postulantes, *antequam ad* habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in Conventu, ibique diligenter probentur. Ita S. Congr. *super Statu Relig.* die 1 maji 1851 [4].

In alio autem Decreto ejusdem diei (*Regulari disciplinae*), idem S. Pontifex duplicem edixit legem de servandis 1° *in probandis iis qui ad habitum Religiosum admitti postulant,* 2° *in admittendis Novitiis ad Professionem.* — Ratio decreti est, quia « necessarium visum est in admissione Novitiorum ad habitum et professionem partes concedendas esse nedum inferioribus Praelatis et Superioribus generalibus, verum etiam nonnullis aliis Religiosis viris ...consilio et gravitate praestantibus, ut eorum qui religiosae familiae nomen daturi sint, indolem, ingenium, mores, caeterasque necessarias dotes accurate explorent etc. »

Hoc secundum decretum solummodo « *pro Italia et insulis adjacentibus* » edictum est; optimam vero normam exhibet pro aliis etiam regionibus.

2° Quoad Moniales jus Tridentinum (Sess. 25. *de Regul.*) vigere pergit. — Episcopus igitur vel per se vel per alium tenetur, tum ante susceptionem habitus, tum ante professionem, etiam in monasteriis exemptis, *voluntatem virginis explorare:* « an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, an idonea monasterio, an hoc

[1] Cf. Lucidi, *Visit. sacr. liminum* (edit. 3ª), vol. III. doc. XLVII, XLVIII. — [2] Craisson, n. 2641. — [3] Ap. Bizzarri, p. 882. — [4] Ibid. p. 891.

Digitized by Google

monasterium idoneum ipsi [1]. » — Quae quidem EXPLORATIO praecipitur sub gravi, saltem ante professionem. Professio tamen, si examen omissum fuerit, valida est.

Atque hic NOTANDUM, praedictum examen constringere solas moniales *votorum solemnium;* expedire autem, ut illud etiam instituatur cum monialibus, quae simplicia duntaxat vota nuncupant, tametsi, ex jure saltem positivo, sub gravi non praecipiatur.

Insuper notandum est, moniales, licet non exemptas et vota solummodo simplicia professas, nunquam ab *Ordinario* cogi posse, ut aliquam novitiam admittant; nec cogi posse, ut causam, cur aliquam non admiserint, manifestent [2]. — Ipsae vero *peccant*, et quidem graviter, si aliquam evidenter non idoneam admittant; vel si aliquam excludant, quae « habuerit conditiones requisitas juxta monasterii et Ordinis regulam. »

Nota. Ex Tridentino loc. cit. novitiae ad habitum admitti poterant completo anno duodecimo. — Hodie vero, ex decreto S. C. Episc. et Reg. edito die 23 maji 1659, requiritur ut expletus sit annus *decimus quintus.* Tum vero debet moniali imponi nomen sanctae, non gentilis feminae...; item, appellari titulo sororis, et non dominae [3].

2144. — II. NOVITII, antequam ad professionem admittantur, debent per UNUM saltem, hunceque integrum et continuum ANNUM, in probatione stare, et quidem in habitu religioso, et in domibus ad hoc destinatis, sub poena nullitatis professionis. — Ita ex Tridentino [4].

Novitius debet *tempore probationis* Religionis regulam observare, saltem ex decentia; fruitur Religionis privilegiis; nec potest absque justa causa dimitti; quamvis ipse plena semper gaudeat libertate inceptum deserendi propositum, et revertendi ad saeculum [5].

Imo, ad consulendum ejus libertati, Concilium Tridentinum [6] sub anathematis poena PROHIBET, ne ipse, ejusque parentes, et propinqui *aliquid tribuant monasterio*, excepto victu, et vestitu; simulque praecipit, ut ipsi abeunti omnia, quae sua erant, restituantur. — Vetat praeterea sub poena nullitatis, ne, post vestitionem, aliquam renuntiationem irrevocabilem faciat, aut obligationem contrahat (etiam in favorem cujuscumque causae piae, et etiamsi juramentum accesserit), nisi, cum licentia Episcopi, *intra duos menses proximos* ante professionem, et dummodo professio sequatur. — Atque haec sapientissime statuta fuerunt, ne ob dictas renuntiationes et obligationes bonis suis spolietur, atque ita invitus in monasterio commorari cogatur, cum spoliatum sola mendicatio in saeculo maneret. — Plura vide apud Canonistas.

2145. — QUAERITUR. *Quandonam annus probationis* INTERRUMPI *censeatur?*

Resp. 1° Censetur interrumpi praecipue, cum novitius ex mo-

[1] Cf. Trid. sess. 25. *de Regul.* cap. 17. — [2] Ferraris, v. *Moniales,* art. 1. n. 107. — [3] Ib. art. 1. n. 72-75. — [4] Sess. 25. *de Reg.* cap. 15. — [5] Cf. Bouix, *de jur. Reg.* tom. I. p. 600. — [6] Loc. cit. cap. 16.

Digitized by Google

nasterio sine licentia *egreditur*, cum animo non revertendi, etiamsi statim revertatur, ut ex decreto S. C. C. [1] constat: — cum dimittitur absolute a Superioribus, ac postea iterum admittitur; — cum discedit privata auctoritate, ut aliam domum, vel aliam, licet ejusdem Ordinis, provinciam ingrediatur.

Resp. 2° Nec vero interrumpi censetur, si novitius in monasterio aegrotet, etiam notabili tempore, licet novitiorum exercitiis minime interesse possit; — si violentia coactus e monasterio discedat; — si, accepta licentia, ad parentes vel alios brevi tempore divertat sanitatis recuperandae aut negotiorum agendorum gratia; — si ob falsam accusationem dimittatur, et postea, cognita veritate, rursus admittatur: — si iter agat jussus a suis Superioribus, quia tunc sub eorum dependentia remanet [2].

ARTICULUS IV.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

2146. — Definitio. Professio religiosa, in sensu canonico, definiri solet: « Promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita aetate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certae Religioni ab Ecclesia approbatae, cum solemni votorum emissione. » — In sensu latiori atque improprio, etiam emissio votorum simplicium Professio dicitur.

Divisio. Professio alia est *expressa*, quae verbis enuntiatur; alia *tacita*, quae exprimitur factis, v. g. cum novitius, tempore probationis elapso, gestat scienter habitum professionis et actus professis proprios exercet. Haec hodie est fere insolita, imo expresse abrogata, si agatur de emissione votorum solemnium facienda a viris Regularibus [3].

2147. — I. Ad valorem professionis sive Religiosorum, sive Monialium, tria requiruntur, nempe voventis aptitudo, liber consensus, et Superioris acceptatio [4].

Requiritur 1° *aptitudo voventis*, nempe: ut non sit juris alterius, ut compleverit annum XVI ad horae momentum, ut per annum integrum in probatione steterit (in anno bissextili expectandus est omnino lapsus 366 dierum); ut nullum habeat impedimentum quod, per Statuta a R. Pontifice confirmata, in illo Ordine substantiale censeatur [5].

[1] Cf *Thesaur. Resol.* tom. 6. p. 393. — [2] Gury, II. 141. — [3] Cf. Declarationes 12 junii 1858. n. XI. ap. Bizzarri, p. 907. — [4] H. A. XIII. 3. — [5] L. IV. 5; cf. Craisson, n. 2639.

Digitized by Google

Requiritur 2° *liber consensus*, i. e. ut adsit in vovente intentio professionem faciendi, ab omni dolo, fraude vel errore circa substantialia expedita; et absit vis aut metus gravis, tam ex parte profitentis, quam ex parte monasterii acceptantis (cf. n. 1044. sqq.). — Atque hic adnotandum venit Tridentini decretum, vi cujus excommunicationem (nemini reservatam) incurrunt « quicumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem [1] » (cf. n. 1359, ubi de casibus in jure expressis, seu exceptis).

Requiritur 3° *Acceptatio Superioris Ordinis*, cum consensu vel saltem cum consilio Capituli, juxta Statuta cujuscumque Religionis: nam, professio religiosa consistit in quodam contractu bilaterali, cui necessarius est, ex utraque parte, verus et legitimus consensus [2]. — In Italia, Decreta S. Sedis (de quibus n. 2143) sunt praeterea observanda.

Porro, Religiosus *injuste* denegans suffragium novitio, non solummodo peccat, sed insuper *tenetur ad restitutionem*, ut communissime dicunt: nisi adsit gravis causa reprobandi, nempe causa infirmitatis, malae indolis, defectus talentorum, et similium, ita ut novitius putetur futurus gravis (i. e. onerosus) Religioni. Ita S. Alphonsus [3].

2148. — II. Ad valorem professionis virorum cum votis solemnibus, requiritur insuper, juxta praesentem disciplinam, ut ipsi prius vota simplicia emiserint. — Ex decretis scilicet Pii IX (19 martii 1857 et 7 febr. 1862 [4]): Religiosi omnes eorum Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum, absoluto tirocinio, tantum vota simplicia emittunt, *saltem ad triennium;* deinde anno aetatis suae saltem *decimo nono* expleto, ad vota solemnia admittuntur, si a Superioribus suis digni reperiantur. — Justis autem de causis, professio solemnis etiam *diutius poterit differri*, quanquam non ultra aetatem *viginti quinque* annorum expletorum. — Decretum non spectat ad moniales.

Ex declarationibus autem S. Congr. super statu Regularium datis die 12 junii 1858, et ad praefatum decretum 19 martii 1857 spectantibus, vota simplicia de quibus agitur, *perpetua sunt ex parte voventis*, eorumque dispensatio S. Pontifici reservatur. — Ex parte tamen Ordinis, possunt per dimissionem Professorum solvi, ita ut, data dimissione, eo ipso professi ab omni dictorum votorum vinculo liberi fiant. Nemo vero ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium exortae dimitti poterit. — Caeterum, pro-

[1] L. VII. 212, ubi lex explanatur. — [2] Cf. Panzuti, lib. 3. c. 1. n. 2. — [3] In *Indice theol. mor.* (edit. 7ª) V. *Novitius*. — [4] Ap. Bizzarri, pag. 904 et 912.

Digitized by Google

fessi horum votorum, fiunt participes omnium gratiarum et privilegiorum, quibus solemniter professi in eodem Ordine fruuntur [1].

2149. — III. Circa professionem MONIALIUM speciatim notanda sunt sequentia:

1° Ad professionem LICITE admitti NON POTEST novitia: — 1) Si Episcopus, per se aut per delegatum (etiam in monasterio exempto) eam non praevie *examinaverit:* quare Superiorissa tenetur, sub poena suspensionis ab officio, eum monere, uno saltem mense ante professionem; Ordinarius autem tenetur, infra quindecim dies a die certiorationis, instituere examen juxta regulas Tridentinas (cf. n. 2143. 2°) [2]. — 2) Si expleto anno probationis, Ordinarius professionem, ex justa causa, *distulerit.* — 3) Si *dos* choristae ab Episcopo taxata, et quae aere solvenda est, non fuerit praestita (cf. n. 589. 5°). Dos autem non potest alienari, nec, si transfertur monialis in aliud monasterium, eodem transferri, nisi hoc monasterium monialem admittere cogatur. Verum restituenda est egredienti e monasterio, si in eo emittantur vota duntaxat simplicia. — Aequum tamen est, ut expensae factae deducantur (cf. n. 2144) [3].

2° INVALIDA est professio, si novitia, infirmitatis causa, e monasterio egressa, et, posteaquam convaluit, reversa, novitiatum non denuo inceperit. — Si novitia annorum sexdecim, atque in *mortis periculo* constituta, velit emittere professionem, potest utique eam emittere; sed debet, si convalescit, completo anno suae professionis, denuo profiteri [4].

3° Professio monialium debet fieri principaliter *in manu Ordinarii* aut ejus delegati, non autem in manu Superiorissae. — Valida tamen est, si fiat in manu Superiorissae, de consensu majoris partis Capituli. Excipe, si consuetudo vel Statuta Ordinis approbata aliud exigant [5].

2150. — **Quaesita.** QUAER. 1° *An possit* RECLAMARE, *qui professionem* INVALIDAM *emisit?*

Resp. Potest, ex Concilio Tridentino [6], modo id agat intra quinquennium: quo elapso, non amplius auditur, nisi a Sede Apostolica restituatur in integrum. — Processus autem fieri debet tum a Praelato locali, tum ab Ordinario dioecesis, cum assistentia defensoris professionis. Porro professus, licet habeat in sui favorem primam sententiam, non potest ideo a Religione recedere, sed debet expectare secundam, si pendet appellatio. Quodsi jam fugam arripuerit, repellitur a judicio, donec Religionis habitum reassump-

[1] Bizzarri, p. 906. n. I-VI. — [2] Cf. Craisson, n. 2725, sqq. — [3] Cf. ib. n. 2733. sqq. — [4] Craisson, n. 2649. — [5] Ib. n. 2706. — [6] Sess. 25. c. 19. *de Reg.*

Digitized by Google

serit. Ita Benedictus XIV, Bulla *Si datam hominibus* [1]. — Vide plura apud Canonistas.

QUAER. 2° *Quinam sint* EFFECTUS *professionis validae?*

Resp. Praecipui effectus sunt sequentes [2]:

1° *Remissio peccatorum quoad poenam*, si professus sit in gratia, et ab omni prava affectione, etiam leviter peccaminosa immunis; professio enim est holocaustum Deo oblatum, et excedit omne genus satisfactionis [3]. — 2° *Extinctio votorum antea emissorum*, veluti per quamdam commutationem in melius [4]. — 3° *Liberatio a patria potestate*, non obstante lege civili: quo fit, ut parentes, qui, saeculari lege innixi, filium filiamve post emissam professionem e conventu extrahunt, gravi peccato se coinquinent. — 4° *Solutio sponsalium*, juxta dicta n. 1957. — 5° *Dissolutio matrimonii rati* jam contracti, atque *inhabilitas ad matrimonium* contrahendum, si professio sit solemnis (cf. n. 1981). — 6° *Cessatio irregularitatis ex defectu natalium;* sed tantummodo ad effectum suscipiendi Ordines, non vero quoad Praelaturas vel Dignitates obtinendas (cf. n. 1935). — 7° *Vacatio Beneficiorum*, juxta dicta n. 2138. — 8° *Participatio omnium privilegiorum Regularium*, speciatim exemptionis, si monasterium habeat requisitas conditiones (cf. n. 2183). — 9° *Obligatio tendendi ad perfectionem et servandi vota:* de qua jam plura.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM

2151. — Obligationes Religiosorum sunt: 1° tendere ad perfectionem; 2° servare vota emissa; 3° servare regulam proprii Ordinis; 4° perseverare in suscepto vitae instituto. — De obligatione recitandi *Horas canonicas* vid. n. 2204, 3° et 2205.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM

2152. — Principia. I. Religiosus tenetur, SUB GRAVI, tendere ad perfectionem. — Vi enim suae professionis tenetur velle servare suum Statum, qui est status perfectionis, sive status tendentium ad per-

[1] H. A. XIII. 3. fin.; L. IV. 8. ubi plura. — [2] Cf. Bouix, I. p. 416. sqq.; Craisson, n. 2707. sqq.; De Angelis, L. III. Tit. 31. n. 12. — [3] S. Th. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3. — [4] Cf. Salm. tr. 15. c. 4. n. 50.

Digitized by Google

fectionem; etsi haec perfectio, per se, non sit de praecepto, sed de consilio [1].

2153. — II. Religiosus tenetur conniti ad perfectionem: — 1) per media ESSENTIALIA, quae sunt exercitium virtutum, orationis assiduitas, et frequentatio Sacramentorum; — 2) per media GENERALIA vitae regularis, i. e. per observantiam votorum: his enim radices mundanae vitae abscinduntur; — 3) per media SPECIALIA sui Ordinis, i. e. per imperfectam saltem observationem regularum, quae non modo sunt velut antemurale votorum, verum etiam media necessaria ad consequendum specialem finem, quem quaelibet Religio, ad inserviendum Deo, suosque alumnos perficiendos, sibi habet propositum [2].

Hinc, peccat *graviter* Religiosus contra obligationem tendendi ad perfectionem: 1° Si omnia perfectionis media abjiciat; tunc enim non est in via salutis. — 2° Si vota frequenter infringat, in re gravi; quia vota servanda sunt non solummodo ratione sui, sed etiam quatenus sunt essentialia media perfectionis. — 3° Si Ordinis regulas violet ex contemptu, vel cum gravi communis disciplinae detrimento, ut infra explicabitur (cf. n. 2170).

2154. — QUAERITUR. *An peccet graviter Religiosus qui vult observare eas duntaxat regulas, quae obligant* SUB MORTALI, *et alias negligere?*

Resp. S. Alphonsus: « Multi eum excusant; multi vero non. — Sed scite dicit Sanchez, difficulter futurum esse, ut iste excusetur a mortali, saltem ex aliis capitibus, nimirum ob periculum, cui se exponit, aut delinquendi contra vota, aut inducendi regulae relaxationem in Communitatem [3] » (cf. n. 343).

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE SERVANDI VOTA

2155. — Religiosus vi votorum tenetur ad *paupertatem, castitatem*, et *obedientiam;* sique *alia* in professione *vota* emisit, ad illa similiter tenetur, pro regularum praescripto, atque Ordinis consuetudine.

§. 1. *De voto Paupertatis.*

DEFINITIO. Paupertas religiosa sita est in quadam abdicatione dominii, sive radicalis, sive utilis, in bona temporalia [4].

[1] L. IV. 9. 10; H. A. XIII. 2. — [2] Cf. Panzuti, lib. 3. n. 1; cf. S. A. *Vera Sposa*, cap. 3-6. — [3] H. A. XIII. 2; L. IV. 11. — [4] Cf. S. A. *Vera Sposa*, cap. 9.

Digitized by Google

Divisio. Distinguitur QUADRUPLEX gradus, quo evangelica paupertas voveri potest: primus gradus excludit usum rerum superfluarum; secundus, rerum temporalium usum liberum atque independentem; tertius, harum rerum dominium; quartus denique, ipsius dominii capacitatem. — Ultimus hic gradus proprius est *Regularium*, qui se voto solemni obstrinxerunt. Ad essentiam vero voti paupertatis, in statu religioso proprie dicto, requiritur et sufficit secundus gradus, ut constat ex praxi Ecclesiae in approbandis variis Institutis [1]. — Hinc sequentia statuimus

2156. — Principia. I. Religiosus, per votum SOLEMNE paupertatis, ita jus proprietatis in omnem rem temporalem, pretio aestimabilem, ABDICAT, ut 1) nec usum nec dispositionem independentem licite habere possit; 2) nec quidquam ut proprium possidere valeat; 3) nec ipsam possidendi capacitatem retineat. — Constat tum ex cap. *Cum ad monasterium* 6 *de Statu monach.*, et ex Tridentino sess. 25, c. 2 *de Regul.*, tum ex communi Canonistarum interpretatione quoad dominii capacitatem. — Retinet autem dominium bonorum spiritualium, v. g. famae, honoris, etc. Atque idem communiter docetur de *sacris Reliquiis* inclusis in thecis parvi valoris, et de *manuscriptis* sive propriis sive ab alio acceptis: tum quia sunt fructus ingenii licet alieni, atque idcirco aliquid spirituale; tum quia pertinent ad scientiam, quae non cadit sub voto paupertatis; tum quia talis est communis consuetudo [2]. Secus vero, si opus fuerit typis quomodocumque impressum.

Dicitur 1° *nec usum nec dispositionem independentem...*; hoc enim primum atque essentiale est in omni voto paupertatis, sive solemni, sive simplici, ut *liberum* bonorum usum auferat; nec potest proinde vovens absque Superioris consensu, ulla re uti, vel de ulla re, etsi ad proprium usum sibi concessa, disponere. — Quin etiam, ut Regulares et Moniales possint, post emissa vota solemnia, *testamentum* condere, livella sua aut pecuniae summam consanguineis cedere, aut vicissim pingues census ab eis accipere, indigent non Superioris tantum, sed etiam S. Sedis licentia [3].

At vero, NOTANDUM est: 1) Quamvis Religiosus nec *donare* possit, nec *remittere*, quae sibi sunt debita, v. g. legata sibi relicta, mercedem suis laboribus debitam, pensionem annuam a parentibus solvendam; quia jus ad haec est penes monasterium: potest tamen oblata sibi munera *recusare*, quin paupertatis votum laedat; sed recusans sine justa causa peccat contra charitatem, impediendo scilicet bonum suae Religionis. — 2) Non prohibetur Religiosis,

[1] Cf. Suarez, *de Relig.* tr. 7. lib. 8. cap. 7. n. 7. — [2] H. A. XIII. 5; L. IV. 14. — [3] H. A. ib. 7; L. IV. 22; cf. Bouix, *de jure Reg.* p. 1. sect. 3. cap. 3. fin. et p. 3. c. 3.

Digitized by Google

quominus *extraneos* ad convivia invitent, ipsisque munera moderate elargiantur, si justa causa id suadeat: v. g. ut monasterium ab aliqua vexatione liberent, ut benevolentiam ei concilient, imo ut ipsi suam benevolentiam amicis testificentur [1].

Dicitur 2° *nec quidquam ut proprium possidere valeat.* Concilium enim Tridentinum (loc. cit. c. 2) sic decrevit: « Nemini Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. » — Atque haec est antiqua regula, ut nemo proprietarius reputetur, sed ut universa proprietas ad ipsum monasterium pertineat. — Nec vero paupertatis voto repugnat, si Religiosi bona etiam immobilia *in communi* habeant. Excipe Capucinos et Minores de Observantia, ex Tridentino l. c. c. 3. *de Reg.* (cf. n. 2136. 3.°)

Dicitur 3° *nec possidendi capacitatem retineat.* Hoc enim, ex unanimi DD. consensu, importat ipsa voti solemnitas: non quod vota solemnia professus non possit acquirere, v. g. ex labore, ex donatione aut etiam ex haereditate (est enim capax acquisitionis); sed quod non sibi acquirit, verum monasterio aut Religioni, juxta celebre illud juris: « Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit. »

Et haec quidem dominii incapacitas in Religioso solemniter professo est ita *absoluta* atque *immutabilis*, ut nunquam ab Ordinis Superiore tolli valeat; propterea quod annexa est, ex lege Ecclesiae, ipsi solemnitati voti, cujus effectus a solo S. Pontifice, per dispensationem de urgentissima causa, auferri possunt [2] (cf. n. 2176).

2157. — II. Religiosus, per votum SIMPLEX paupertatis, jus proprietatis talibus sibi circumscribit finibus, ut quamvis bonorum suorum dominium directum retineat, de ipsis tamen ad suum arbitrium, et absque legitima licentia, licite *disponere* aut iisdem *uti* non possit. — Constat ex variis Regulis a S. Sede approbatis, et ex jam citatis (n. 2148) Declarationibus factis die 12 junii 1858, in quibus [3] haec leguntur: « Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint. »

[1] H. A. 9-10; L. IV. 20-21. — [2] Cf. De Angelis, lib. 3. tit. 35. n. 4 de facultatibus a S. Sede concessis. — [3] Ap. Bizzarri, p. 907. n. IX.

Digitized by Google

Diximus 1° *quamvis dominium directum retineat:* quod quidem dominium se extendit: 1) ad bona temporalia, quae possidebat ante vota; 2) ad fructus seu reditus eorumdem bonorum; 3) ad ea quae ipsi *de jure* adveniunt, ut haereditas paterna, legata propinquorum, etc.; 4) ad omnia bona, quae a parentibus, cognatis, amicis accipit, de Superiorum et Constitutionum licentia [1]. — Tale autem dominium eo potissimum fine a Religiosis retinetur, ut Institutum cum majori libertate possit illos dimittere, quando necesse fuerit, ut dixit Gregorius XIII in Constitutione *Ascendente Domino* [2]. — Hodie et alius finis accessit, finis nempe evitandi difficultates, quas creat lex civilis, cum vota religiosa non agnoscit.

Diximus 2° *non possunt ad arbitrium disponere;* etenim, quae dicta sunt (n. 2156) de Regularibus et de Monialibus, valent etiam de Religiosis vota simplicia emittentibus; cum hac tamen differentia, quod illi illicite simul atque invalide, hi vero illicite tantum absque licentia disponunt. — Irritabiles tamen per Superiorem videntur esse hujusmodi dispositiones, eo quod omnes Religiosi dominativae Superiorum potestati subjiciuntur [3].

Diximus 3° *nec possit ad suum arbitrium uti;* Religiosis enim (cujuscumque Ordinis vel Congregationis) interdicitur cujuslibet rei usus activus, seu usus tanquam rei propriae; sed ipsis solum conceditur *usus facti*, et quidem precario, id est quamdiu Superiori videbitur. — Hinc peccat Religiosus, quando re utitur tanquam sua, vel ultra usum ipsi legitime concessum [4].

2158. — Quaesita. QUAER. 1° *Quid sit* PECULIUM *Religiosorum, et utrum sit licitum?*

Resp. 1° Per PECULIUM intelligitur quidquid ex bonis stabilibus vel mobilibus, v. g. ex livellis, pensione, eleemosynis, concionibus, Missarum stipendiis, a Superiore, alicui Communitatis membro conceditur, ipsique habere permittitur, sine ullo proprietatis jure (in solemniter professis), et ad merum usum facti, ideoque revocabiliter ad nutum concedentis.

Resp. 2° Illud quidem prohibuit Concilium Tridentinum, vetando ne Religiosus, *etiam nomine Conventus, possideat* etc.; item Clemens VIII Const. *Nullus*, 25 julii 1599. — Ex consuetudine vero jamdiu a Sede Apostolica *tolerata*, licet (in aliquibus Religionibus) habere peculium moderatum, pro usibus necessariis atque honestis, v. g. pro victu, vestitu, et libris comparandis; modo subditus illud non teneat occultum, et paratus sit, ad Superioris nutum, se eo

[1] Gury, II, 155. q. 3. — [2] Cf. Lugo, *de Justit.* disp. 3. n. 74-77. — [3] Craisson, n. 2778. — [4] L. IV. 19.

Digitized by Google

privare. Sic enim usus rei temporalis non est independens, et substantia paupertatis remanet salva [1].

Monet vero *S. Alphonsus*, dicens [2]: 1) « In praxi, omnes Praelati tanquam certum sibi persuadeant, quod si usum peculii in monasteriis de novo *introducant*, vix nomen paupertatis ibi supererit, et ex hoc innumera mala Communitati quoad observantiam supervenient. — Quapropter, etiamsi ipsi a peccato gravi excusari possunt, usum peculii concedendo, respectu voti paupertatis; non tamen excusabuntur ob regulae relaxationem, cui hac concessione procul dubio operam dabunt. » — 2) Non possunt subditi *vitam communem* recusare, si Superiores illam erigere velint; quia licet vitam communem non servare, non sit contra votum paupertatis, est tamen contra votum, vitam communem respuere, cum a Conventu nihil quod necessarium sit denegatur; quia est habere bona independenter a voluntate Superiorum [3].

Neque hic silentio praetereundum est quod PIUS IX in decreto 22 april. 1851, hac super re edixit [4]: « In omnibus *novitiatus domibus* vita perfecte communis introducatur; in aliis vero domibus pecunia *in capsa communi* deponatur. »

QUAER. 2° *Qualis debeat esse Superioris* LICENTIA, *ut Religiosus ea legitime uti possit?*

Resp. 1° Nihil difficultatis secum afferre potest licentia expresse concessa, dummodo sit vera ac rationabilis: *vera*, i. e. a legitimo Superiore, immediate, vel mediate per alium, concessa, et a concedente nec metu nec fraude extorta; *rationabilis*, i. e. concessa ad usus honestos. — *Utrum autem concessa ad usus illicitos aut vanos valeat?* — Sententia absolute probabilior *negat*, cum Superior non sit bonorum monasterii dominus, sed eorum duntaxat administrator, nec Religio unquam aliquid in spirituale suorum exitium concedere velle censenda sit. Unde, si Praelatus alicui Religioso concedit licentiam generalem expendendi, ad libitum, pecuniae summam, hic neutiquam ad usus illicitos aut vanos eam expendere potest. — Potest tamen eam, valide, ex illa licentia, ludo exponere, modo ludus sit licitus, nec merae sortis, et summa modica, et modo ipse non pertineat ad Ordinem strictioris observantiae [5].

2° Communiter dicunt, sufficere licentiam *tacitam*, seu *praesumptam de praesenti:* quando nempe Superior scit et videt subditum aliquid accipere, dare, expendere, etc., nec prohibet, cum facile posset: tunc enim tacendo censetur consentire. — Excipe, si aliud ex circumstantiis colligi debeat [6].

3° Dubitatur quidem, an valeat licentia *interpretativa* seu *praesumpta de futuro*, illa nimirum cui Superior assensurus praesumitur, si rogaretur; sed probabilior sententia tenet illam sufficere, quo-

[1] H. A. XIII. 6; L. IV. 15; cf. Panzuti, lib. 3. n. 14-16. — [2] L. IV. 15. v. *Caeterum.* — [3] H. A. XIII. 6. fin.; cf. Lucidi, vol. 2. p. 176. — [4] Ap. Bizzarri, p. 903; cf. De Angelis, lib. 3. tit. 35. n. 3. — [5] H. A. ib. 13. 14; L. III. 873; L. IV. 30. 31; *1. El. qq. ref.* 44. — [6] H. A. ib. 11; L. IV. 17. 18.

Digitized by Google

tiescumque praesumptio est rationabilis; « quia tunc subditus jam procedit cum dependentia a voluntate Superioris, et hoc efficit quod ipse liberetur a culpa proprietatis [1]. » Atque huic sententiae suffragatur *D. Thomas* [2], cum docet: « Monachus non debet dare (eleemosynam), nisi in extrema necessitate, vel absente Abbate aliquid modicum *sub spe ratihabitionis.* » — « Caeterum, ait *S. Alphonsus*, tales subditi dispositiones ex licentia praesumpta, ut plurimum, sunt illicitae saltem venialiter; quia Superiores, saltem quoad modum, sunt inviti, et non raro etiam graviter, et praecipue quando illae sunt expresse ab ipsis prohibitae [3]. »

4° Licentia *petita* et *immerito negata* non excusat a transgressione voti; nisi periculum gravis damni sit in mora, quia, in tali casu, praesumitur saltem adesse licentia Superiorum majorum, vel agi posse ex epikeia, quia necessitas non habet legem.

QUAER. 3° *Quaenam communiter permittantur Religioso ex licentia* PRAESUMPTA ?

Resp. Generatim permittuntur sequentia: — succurrere pauperi ad magnam inopiam redacto, quando aditus ad Superiorem non patet; — largiri egenis moderatas eleemosynas, si versetur cum debita licentia extra Conventum; et si sit in Conventu, dare eis aliquid cibi; — facere leves donationes amicis et consanguineis in signum gratitudinis, vel debitae amicitiae, vel ad conciliandam benevolentiam erga Religionem; — item, facere ex bonis ipsi ad usum concessis donationes remuneratorias, quia sunt quasi debiti solutiones; — donare (juxta probabiliorem sententiam) quae ipse sibi, parcius vivendo, subtrahit, si certa quantitas singulis subditis assignetur, ita ut nec monasterium majorem praestare, nec subditi teneantur de assignata rationem reddere; — acceptare ab extraneis (nisi de contraria Superioris voluntate constet) rem Superiori tradendam; — emere rem, quam Superiori gratam fore existimat, si non facilis ad eum pateat recursus, v. g. in itinere; — dare aliquid Petro, si habeat licentiam dandi Paulo; nisi Superior dederit licentiam pro Paulo ob peculiarem rationem, negaturus, si pro Petro fuisset petita. — Ita communiter [4].

NB. Circa LICENTIAM Superioris sequentia etiam notare juvat: — 1° In ea impetranda, vel concedenda, habenda est ratio cujusque Instituti; quod enim in uno permittitur, in alio saepe reprobatur. In strictioribus non admittuntur facultates quaedam generales et tacitae, quae in mitigatis tolerantur. — 2° Quando Superior dat uni licentiam dandi, quamvis in rigore juris, requiratur etiam in recipiente licentia accipiendi, de facto censetur eam dare

[1] H. A. ib. — [2] In. 4. dist. 15. qu. 2. art. 5. in fine. — [3] H. A. ib. 11; L. IV. 18, ubi fusius. — [4] L. IV. 21-23; Konings, n. 1163.

Digitized by Google

suo subdito. — 3° Licentia ab uno Superiore concessa perseverat sub ejus successore, nisi ab hoc explicite vel implicite fuerit revocata [1].

QUAER. 4° *Quaenam* QUANTITAS *requiratur ad peccatum* GRAVE *contra paupertatis votum?*

Resp. 1° Quoad bona *monasterii*, vel *aliorum*, regula haec est: ea quantitas, quae sufficit in furto ad constituendum peccatum mortale contra justitiam, sufficit etiam ad constituendum peccatum mortale contra Religionem, seu contra votum. — Attamen, advertendum est, plus requiri in his furtis quam in furtis extraneorum, minus tamen quam in furtis filiorum; hi enim habent saltem spem dominii, non vero Religiosi; et Praelati certe magis inviti sunt quam parentes, quia detrimentum, quod monasterio infertur, temporale simul est ac spirituale. — Attendendum est praeterea ad ipsum materiale damnum reipsa illatum, quod quidem minus habetur: 1) si monasterium sit opulentum; 2) si Religiosus rem Communitatis non det extraneis, sed in proprium usum convertat; vel si rem elargiatur Religiosis ejusdem monasterii, quia sic res remanet domi [2]; 3) si agatur non de pecunia, sed de esculentis, vel de aliis rebus usu consumptibilibus; furta enim minuta in hoc ultimo casu non coalescunt, nisi magnum afferant monasterio detrimentum [3]. — Et « regulariter non peccat graviter Religiosus clam accipiens, ex. gr. librum ad usum temporalem etiam diuturnum, sed non in perpetuum; quia tunc Praelatus non censetur invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum [4]. »

2° Quoad bona, quorum Religiosus cum voto simplici *retinet dominium*, gravis materia pro violatione voti non facile determinatur; hoc enim in casu, non ipsa justitia, sed solum votum violatur. — Hac de re sic *S. Alphonsus:* « Si vero accipiatur aliquid ab extraneis, ad aliis praestandum (ergo absque laesione justitiae), adhuc plus requiritur; tunc enim Hieronymus Garcia cum aliis apud Salmanticenses assignant pro materia gravi valorem majorem sexaginta argenteis [5]. » Hodie diceremus: majorem 60 francis.

QUAER. 5° *An violet votum paupertatis Religiosus, qui erogat pecuniam* NOMINE ALIENO?

Resp. Dist. 1) Si accepit pecuniam cum aliqua saltem designatione personarum, quibus distribuenda sit, non violat votum, quia tunc est nudus minister et instar famuli: potest tamen contra regulam sui Ordinis delinquere; — 2) si accepit cum indeterminata erogandi facultate, ita ut illam, pro suo arbitrio, ad quodcumque

[1] Cf. Lugo, Disp. 3. n. 163-165; Croix, L. 4. n. 115. — [2] L. IV. 24; H. A. XIII. 10. — [3] L. IV. 25. — [4] Ib. 24. fin.; cf. Craisson, n. 2784. — [5] Ib. 24. v. fin.

Digitized by Google

bonum opus, vel ad quemcumque egenum conferre valeat, violat votum: « nam, ut ait Azorius [1], etiam voto paupertatis repugnat usus vel administratio, in qua Abbas nutu suo monachum amovere non possit [2]. »

QUAER. 6° *An et quando monasterio sit* RESTITUENDUM?

Resp. 1° Qui sine licentia, in re gravi, monasterii bona donat, vel absumit, etc., tenetur certo ad restitutionem; non tenetur tamen restituere ex sibi datis ad usum, nisi sint superflua; quia Praelatus non praesumitur velle subditum obligare cum tanto incommodo.

Resp. 2° Accipiens a Religioso donum magni momenti, tenetur illud restituere, non quidem Religioso a quo accepit, sed monasterio [3] (cf. n. 1772 de casu S. Pontifici reservato).

2159. — *Ex dictis resolves:* 1° Peccat PRAELATUS, contra votum paupertatis, « si permittat subdito, ut bona ex quacumque causa aut titulo provenientia in usus vanos, aut illicitos expendat; aut *superflua*, pretiosa et statum suum decencia penes se habeat [4]. » Imo probabilius est, hanc licentiam esse de se invalidam, juxta dicta n. 2158 q. 2°. — Item, peccat *procurator, oeconomus,* administrator vel officialis, si quidquam expendat contra statuta vel consuetudinem Ordinis, vel contra voluntatem Superioris [5].

2° Peccat RELIGIOSUS: — 1) *Illicite accipiendo vel possidendo:* si nimirum aliquid pretio aestimabile, etiam ad victum, vestitum pertinens, tanquam proprium accipiat, possideat, retineat; vel si dona accipiat (si sit Religiosus non solemniter professus) absque debita licentia; — item, si sine licentia ab extraneis mutuo aut commodato accipiat pecuniam, vel alia pretio aestimabilia; — item, si peculium, vel res ex eo comparatas, tanquam proprietarius retineat, contra legitimam Superioris voluntatem; — item, si quid occultet eo fine, ut illud Superioris dispositioni subtrahat: nec in eo excusari potest, quod licentiam prius obtinuerit.

2) *Illicite disponendo:* scilicet, si quid pretio aestimabile sine regulae Superiorisve licentia alienet, commutet, commodet, vel donet; — si quae sibi debentur, aliis remittat, v. g. mercedem sui laboris, vel (si habeat vota solemnia) haereditatem, legatum sibi relictum; — si res ad usum sibi concessas culpabiliter amittat vel destruat; est enim actus proprietarii, rem negligere, vel ad libitum deteriorem facere; — si res sibi usui datas, commodato aut mutuo det aliis: quod tamen est peccatum leve, si de restitutione certus sit, neque agatur de re Communitati hic et nunc necessaria.

[1] P. 1. L. 12. c 9. v. *Hoc posito.* — [2] Cf. S. A. *Circolare* 3 oct. 1757 (Opp. ascet. vol. 4. p. 830); H. A. XIII. 7. — [3] H. A. ib. 13. v. fin. — [4] L. IV. 29. — [5] Ibid. 23.

Digitized by Google

3) *Illicite utendo;* si nempe rebus contra vel citra voluntatem Superioris utatur, v. g. retinendo rem ultra limites temporis a Superiore praefixi; — adhibendo rem determinate concessam ad unum usum ad alium, etiam honestum: nam respectu alius usus deest licentia; — multo magis impendendo eam in usus vanos, turpes, aut Religiosum dedecentes. — Item, peccat contra votum, si apud extraneos comedat vel bibat, sine Superioris permissu; si declinet, iter agendo, extra viam rectam, ad videndas res curiosas; nisi forte brevis sit distantia, et nullae aut admodum modicae expensae fieri debeant[1].

Nota. Peccat Religiosus contra VIRTUTEM paupertatis, licet illaesum remaneat votum, si erga res, quas ex legitima licentia detinet, *nimium affectum* foveat; si suis commodis plus aequo indulgeat, etc. — Quo circa advertimus, votum, *per se,* ad solos actus externos respicere; virtutem vero, quae voti finis est, ad internos etiam actus extendi, atque allaborare exstirpationi omnis erga res terrenas inordinati affectûs. — Diximus *votum respicere tantum ad actus externos;* attamen, si quis desiderium vel propositum conciperet agendi externe contra votum, hoc ipsum violaret[2]: ut patet ex dictis de Peccatis internis (n. 347 et 348).

§. 2. *De voto Castitatis.*

2160. — Voto CASTITATIS Religiosus sibi interdicit omnem voluntariam delectationem veneream, etiam illam, quae in legitimo matrimonio licita fieri posset[3]. — Hinc,

I. Vi voti castitatis, Religiosus tenetur SUB GRAVI abstinere ab omni voluntario actu luxuriae, tum *interno*, ut a turpi gaudio, desiderio, delectatione morosa; tum *externo*, ut ab impudico sermone, aspectu, tactu, etc., simulque a periculo probabili peccandi contra castitatem. — Vovit enim et mentis et corporis castimoniam; et ideo, quotiescumque contra hoc votum delinquit, incurrit reatum duplicis malitiae in Confessione aperiendae, reatum nempe contra virtutem *castitatis*, et reatum sacrilegii contra virtutem *religionis*[4]. — « Et probabilissime peccat etiam contra bonum commune, si periculum sit, quod per suum peccatum Religio infametur[5]. »

Duo NOTATU DIGNA hic adjicienda sunt, quod videlicet 1) Ex voto *simplici* castitatis, matrimonium subsequens prohibetur, sed non dirimitur; unde si Religiosus, non obstante hoc voto, nuptias iniret, unum duntaxat peccatum (nempe contra religionem) in petitione debiti conjugalis committeret. — 2) Ex voto *solemni* prohibetur et dirimitur matrimonium, et idcirco tali voto obstrictus, in usu conjugii attentati inquinaretur duplici peccato, i. e. peccato fornicationis et peccato sacrilegii.

[1] H. A. ib. 7; (cf. Gury, II. 161-163). — [2] Cf. S. A. *Vera Sposa*, cap. 9. n. 4. — [3] De MERITO hujus sanctae virtutis, ibid. *Vera Sposa*, cap. 1. — [4] H. A. XIII. 15. — [5] L. IV. 37.

Digitized by Google

II. Ad castitatis custodiam, statuta est LEX CLAUSURAE pro monasteriis, tum virorum, tum monialium.

I. — De clausura virorum Regularium.

2161. — Lex CLAUSURAE, quatenus monasteria Regularium afficit, prohibet duo: Regularium nempe *egressum*, et *ingressum* mulierum.

1° EGRESSUS *virorum Regularium* non est licitus, nisi de legitima Superioris licentia. — Sic enim statuit *Clemens VIII:* « Nullus e Conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata a Superiore; qui non aliter eam concedat nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli concedantur [1]. »

Communiter dicunt AA. hujus praecepti transgressionem esse *gravem*, si egressus fiat nocte, furtive (atque hic casus est reservatus in pluribus Religionibus), vel repetitis vicibus per diem cum scandalo; *venialem* vero, si contingat semel aut bis, absque scandalo et contemptu [2].

2° INGRESSUS *mulierum* in septa monasterii virorum Regularium prohibetur, sub poena excommunicationis S. Pontifici reservatae: quam incurrunt tum ipsae mulieres violantes clausuram, sub quocumque praetextu, tum Superiores et alii eas admittentes. In Const. Pii IX *Apostolicae Sedis* (cf. n. 1334).

Dicitur 1) *ingressus mulierum;* cujuslibet sint conditionis. Excipiuntur solae Reginae, Electrices, et similes, earumque filiae; item Fundatrices, dummodo ex Constitutione *Regularis disciplinae* Benedicti XIV [3] habeant privilegium a Sede Apostolica in forma Brevi, illudque Ordinariis vel praesulibus monasterii exhibeant. — 2) *In septa monasterii Regularium*, i. e. vota solemnia emittentium. Poena enim excommunicationis non respicit alios conventus, nisi in ipsis sit clausura, ad instar clausurae regularis, ex privilegio constituta.

Quoad MODUM autem servandi clausuram, notat *S. Alphonsus* [4] attendendas esse legitimas ac rationabiles consuetudines, auctoritate Superiorum approbatas; non autem eas, quae potius abusus et corruptelae dicendae sunt.

II. — De clausura monialium.

2162. — Arctior est monialium, quam Regularium custodia; etenim,

I. QUOAD EGRESSUM, ipsae incurrunt excommunicationem R. Pontifici reservatam, si e monasterio, absque urgentissima necessitate,

[1] L. IV. 37. — [2] H. A. ib 15. — [3] Die 3 januar. 1742. §. 8. — [4] L. VII. 231. fin.

Digitized by Google

egrediantur, etiamsi hoc occulte fieret. Ita ex Constitutione *Decori* S. Pii V, et ex Constit. *Apostolicae Sedis* Pii IX (cf. n. 1333).

Advertendum est: 1° quod haec poena de jure communi non incurritur, nisi ex violatione *clausurae papalis,* quae ex Tridentini Concilii et SS. Pontificum decretis praescripta est monialibus vota solemnia emittentibus. — Potest tamen et clausura *episcopalis* (sicut et papalis, ex decreto speciali) monialibus vota simplicia nuncupantibus, sub simili poena, atque in eadem forma imponi [1].

Advertendum est 2° quod non datur in hac violatione clausurae *parvitas materiae,* etiamsi egressus fiat uno passu tantum, vel supra tectum, extra fenestram, in rota exterius vertente, vel in ecclesia exteriori, modo tota persona foras veniat [2].

Advertendum est 3° quod excusantur moniales, tam a censura, quam a peccato, in casu *urgentis necessitatis:* uti magni incendii, magnae inundationis, incursionis militum, ruinae aedificii, infirmitatis leprae, epidemiae, i. e. pestilentiae aut alicujus morbi contagiosi, ut loquitur S. Pius V; sed requiritur, si tempus suppetat, licentia Episcopi in scriptis, et etiam Praelati regularis, si monasterium sit exemptum [3].

2163. — II. Quoad ingressum. — Incurrunt excommunicationem Papae reservatam omnes fideles, cujuscumque generis seu conditionis, sexus vel aetatis fuerint, ingredientes monasteria monialium absque legitima licentia; pariterque moniales (vel alii) eos introducentes, vel admittentes, etsi non ad malum finem. Ita ex *Const.* Pii IX (cf. n. 1333) [4]. — Verumtamen,

1° Possunt ingredi monasteria: 1) Episcopi in casu necessitatis, aut visitationis, sed comitati paucis personis maturis. — 2) Praelati regulares, semel in anno, visitationis causa. — 3) Confessarius, ad Sacramenta in necessitate administranda, cum licentia scil. generali (nisi necessitas sit extrema), ac superpelliceo et stola indutus. Potest autem S. Eucharistiam toties ministrare aegrotis, quoties eisdem ministrabat sanis [5]. — 4) Medicus, seu chirurgus ordinarius. Hujus autem licentia, etsi generalis, renovanda est quolibet trimestri, et ingredientem debent semper comitari duae ex senioribus monialibus. Item, medicus extraordinarius in defectu ordinarii, sicut et alii medici cum quibus consilium ineundum est. — 5) Notarius, cum licentia speciali, ad quaerendam in archivo aliquam necessariam scripturam, vel ad conficiendum alicujus puellae testamentum. — 6) Fabri, hortulani, caementarii, pistores, bajuli, et alii id genus, ad praestandam aliquam operam necessariam, cum eadem licentia speciali. Operâ autem praestita,

[1] Cf. *Analecta J. P.* Serie 3. pag. 80. 101. 193. sq. — [2] H. A. XIX. 46; L. VII. 229; cf. Const. *Apostol. Sedis...* commentariis illustratam, Claromon. Ferrandi edita (auct. anonymo) n. 220. — [3] Ibid. - ibid.; cf. *Acta S. Sed.* vol. XVII. p. 255. — [4] Cf. Anonym. cit. n. 211. sqq. — [5] L. VII. 227.

Digitized by Google

debent sine mora egredi; nam omnis inutilis commoratio, quae notabiliter protrahitur, vetatur sub gravi [1]. Nec licitus est ingressus, si artem suam extra clausuram exercere possunt.

2° Licentiam *legitime*, per se vel per alium (v. g. abbatissam vel confessarium) ELARGITUR: 1) Episcopus, vel ejus Vicarius, si monasterium sit Episcopo subjectum; 2) Solus Episcopus, vel alius a S. Sede expresse delegatus, si monasterium sit subjectum Apostolicae Sedi; 3) Praelatus regularis, si monasterium ipsi subdatur, neque adversetur consuetudo [2]. — Olim, ex decreto Tridentino, licentia *in scriptis* danda erat. Hodie, ex communi interpretatione Const. *Apost. Sedis* Pii IX, sufficit data oretenus, saltem ad vitandam censuram.

3° Ad legitimam licentiam semper requiritur CAUSA RATIONABILIS, et probabiliter *justa*, i. e. moralis necessitas ex parte monasterii; minor tamen pro femina quam pro viro, pro ingressu diurno quam pro ingressu nocturno, pro primis aedibus quam pro internis [3]. — Non sufficit causa addiscendi aliquam artem, nisi ars esset monasterio necessaria; nec causa peragendi funus monialis defunctae, etiamsi talis jam invaluisset consuetudo; nec causa benedicendi cellas, aut exorcizandi aliquam monialem; nec causa consecrandi virginem; nec causa induendi novitiam, aut efformandi monialis aut puellae pictam imaginem; nec causa reponendi in locum tutum conjugatam a viro divertentem [4]. Nec demum, absque S. Sedis licentia, singulis vicibus impetranda, accipi possunt puellae in clausuram, educationis causa [5].

4° In casu *repentinae necessitatis*, v. g. periculi mortis, incendii, etc., nulla requiritur licentia; quia lex humana non obligat in tanto discrimine [6].

2164. — QUAERITUR. *Quid de* COLLOCUTIONE *ad crates cum monialibus?* *Resp.* 1° Ad moniales omni meliori modo tutandas, praeter arctissimam clausurae legem, editae sunt leges, quibus 1) *Laici* frequentantes, sine Ordinarii licentia, monasteria monialium, incurrunt excommunicationem ferendae sententiae; *Clerici* vero suspensionem per Episcopum imponendam. Porro, frequentia consistit in hoc, quod quis tribus diebus continuis, vel semel singulis mensibus per annum circiter, aut quater in hebdomada monasterium adeat [7]. 2) *Regulares* autem privationem vocis activae et passivae, atque officii subeunt, peccantque graviter, etiam si collocutio *semel* tantum fiat, ob quamcumque honestam causam, et per quodcumque modicum temporis spatium, juxta Decretum S. C. C. editum die 11 maji 1669 [8].

[1] H. A. XIX. 37-39; L. VII. 226-228. — [2] H. A. ibid. 35; L. VII. 224. — [3] H. A. ib. 36; L. VII. 225; cf. *Vera Sposa*, c. 23. §. 1. n. 2. — [4] L. VII. 225; cf. Lucidi, vol. 2. p. 143. sqq. — [5] Bened. XIV, Const. *Per binas*, 24 jan. 1747. — [6] L. VII. 225. — [7] Ib. 232-237; H. A. XIX. 40-41. — [8] Cf. Lucidi, vol. 2. p. 75.

Digitized by Google

Resp. 2° EXIMUNTUR ab hac prohibitione: 1) Conjuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis; exceptis diebus vetitis, exceptisque etiam Regularibus, qui nunquam possunt moniales aut alias personas in clausura degentes alloqui, sine Ordinarii licentia. — 2) Confessarii, sive ordinarii, sive extraordinarii. — 3) Pauperes, et publice mendicantes, ex tacita licentia Superiorum; item famuli deferentes dona, citoque se expedientes. — 4) Colloquentes cum sola Abbatissa; quia, haec, in odiosis, non comprehenditur sub nomine monialium [1].

Notandum est praeterea, quod hae leges non sunt in vigore, nisi in locis ubi lex ipsa de clausura papali plenissime viget.

§. 3. *De voto obedientiae.*

2165. — « Magna quidem paupertas, sed majus integritas bonum est, obedientia maximum, si custodiatur illaesa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo. » Ita Joannes XXII, in Extrav. *Quorundam, de verbor. signif.* v. f. [2].

Principium. Religiosus ex voto obedientiae obligatur ad omnia, quae Superior praecipit secundum Regulas et Constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite [3]. — Ratio est, quia Religiosus subjecit se per votum potestati Superioris, scilicet tum *jurisdictionis,* quam Superior habet quasi episcopalem a Papa Christi Vicario, in Ordinibus exemptis; tum *dominativae,* quam Superior habet in omni Instituto, ut paterfamilias, ad politicam gubernationem domus. — Hinc, Religiosus, professus, agendo contra praeceptum obedientiae, committit, probabilius, *duo peccata:* unum contra RELIGIONEM ratione voti, alterum contra VIRTUTEM OBEDIENTIAE, ratione promissionis et traditionis factae de seipso in professione, ob quam, per se, etiam sine voto, tenetur legitimo Superiori obedire [4] (cf. n. 690).

Dicitur 1° *Obligatur ad omnia quae Superior* PRAECIPIT; praeceptum enim est proprium objectum obedientiae, nec potest committi peccatum, ubi non est lex aut praeceptum. — Unde: 1) Si Superior suam voluntatem, suumve desiderium *optativis* tantum verbis manifestet, NULLA est *per se* obediendi obligatio; etsi subditus aliunde peccare possit, puta eum contristando, reverentiam ei debitam non servando, rem per se jam praescriptam omittendo, etc. — 2) Si Superior praecipiat *simpliciter*, v. g. utendo his verbis *jubeo, praecipio,* subditus tenetur SUB VENIALI obedire; quia jam adest praeceptum, etsi Superior tota sua potestate uti non intendat. — 3) Si Superior praecipiendo in materia certe vel dubie gravi

[1] H. A. XIX. 41-42; L. VII. 238 243. — [2] De MERITO Obedientiae religiosae, vide Lessium, *De jure et just.* Lib. 2. cap. 46. n. 37. — [3] L. IV. 38. — [4] Ib. 46.

Digitized by Google

utatur his verbis: *in virtute S. Obedientiae..., in nomine Domini..., in nomine Jesu Christi..., sub praecepto formali..., sub poena excommunicationis ipso facto*, aut similibus, tenetur subditus, et quidem SUB GRAVI obedire; quia ex hujusmodi formulis innotescit, Superiorem velle tota sua uti auctoritate [1].

Dicitur 2° *secundum Regulas et Constitutiones;* nam Religiosus vovendo obedientiam voluit se tantummodo obligare ad vivendum et obediendum juxta Regulas Ordinis, cui se libere consecravit. — Unde, NON POTEST Superior praecipere quae sunt *contra* regulam (nisi possit in ea dispensare, et adsit justa dispensandi causa) [2]; vel *supra* regulam, i. e. graviora, v. g. ut subditus acceptet Episcopatum, beneficium curatum, vel etiam beneficium simplex, aut se exerceat in magnis austeritatibus, etc.; vel *infra* regulam, i. e. laxiora aut vana. — POTEST tamen praecipere quae *indirecte* tantum ad regulam pertinent, vel quae faciunt ad pleniorem ejus observantiam. Imo, potest interdum, si necessitas, vel ipsius subditi spiritualis corporalisve utilitas id exigunt, praecipere quae sunt contra vel supra regulam: v. g. jejunium in poenam alicujus culpae, assistentiam praestandam infirmis proprii Ordinis infectis morbo contagioso; vel etiam extraneis, si deessent qui ipsis necessaria Sacramenta ministrarent [3]. (cf. n. 155.).

2166. — NOTAT praeterea *S. Alphonsus* sequentia: 1° Praelatus potest, probabiliter, praecipere sub peccato *actus internos*, etsi id consuetum non sit nec consultum [4]; item, « potest praecipere sub gravi, quod a regula praeceptum est tantum sub levi, si timetur quod regula aliter non observetur [5]. » — 2° Potest prohibere subditis, ne, se ipso inconsulto, *vota emittant;* vota tamen, intra limites regulae emissa, non sunt ex se invalida, quamvis irritari possint; materia enim voti est Deo accepta, tametsi modus ipsi displiceat (cf. n. 638) [6]. — 3° Non potest praecipere *revelationem secreti alicui Religioso commissi*, nisi talis revelatio necessaria sit ad damnum proprium, vel monasterii, vel tertii, avertendum [7] (cf. n. 1187. q. 2). — 4° LICENTIA negata a Praelato, sed concessa a Superiore inferioris ordinis est probabiliter *valida* quoties Praelatus non expressit se velle auctoritati inferioris derogare; quin etiam est *licita* si non positive subdito rem exequi, atque inferiori Superiori licentiam dare, prohibuit [8] (cf. n. 2158, q. 2°).

[1] L. IV. 38; H. A. XIII. 16-17. — [2] L. I. 194. — [3] L. IV. 40. — [4] Ib. 45. — [5] L. I. 141. — [6] L. IV. 48. — [7] Ib. 49. — [8] Ib. 50. Qu.; H. A. XIII. 20; *De Conditionibus boni Superioris* vide Nic. Lancicium, opusc. 12.

Digitized by Google

2167. — Quaesita. QUAER. 1° *Quibus teneantur obedire Religiosi et moniales?*

Resp. Tenentur, vi voti, OBEDIRE: — 1) *Summo Pontifici*, tanquam supremo omnium Religionum Praeposito, a quo omnis religiosae jurisdictionis potestas emanat. — 2) *Propriis suis Superioribus*, Superiori nempe Generali, Provinciali, et locali; moniales vero Abbatissae: servato autem hoc ordine, ut si diversi Superiores praecipiant, obediant potius illi, qui est altioris gradus[1]. — 3) *Ordinario loci*, si non sunt exempti, sed juxta regulas a S. Sede approbatas (cf. n. 2190).

QUAER. 2° *Quaenam potestas competat* ABBATISSAE *vel* SUPERIORISSAE *in moniales?*

Resp. 1° Abbatissa (vel Superiorissa) POTEST, ratione potestatis dominativae sibi per votum traditae, aut saltem tanquam ministra observantiae regularis, exigere (etiam *in virtute obedientiae*, juxta sententiam absolute probabiliorem) ut moniales adimpleant id, quod a regula praecipitur, vel quod ad earum juxta regulam profectum conducit. — Item, quamvis non sit capax jurisdictionis, nec possit, modo auctoritativo, circa vota et Religionis observantias contra regulam dispensare; potest tamen in iis dispensare ex commissione Praelati, vel etiam, ex justa causa, proprio nomine *declarare*, tale praeceptum, puta jejunium, non esse tali die vel hora obligatorium. — Potest demum ratione dominativae potestatis (si hac vere polleat), *irritare* vota monialium, sive de materia supererogatoria, sive de re circa regulas; vota autem novitiarum potest *suspendere* quoad executionem, si probationi officiant[2].

2° Non POTEST moniales obligare, ut *sacram Communionem* frequentius aut rarius suscipiant, quam ab earum confessario ordinario definitum est. Potest tamen eis, v. g. ob aliquod scandalum datum et nondum reparatum, aliqua die, sacram Communionem vetare, « si alioquin ejusmodi poena, ut loquitur Suarez[3], sit conformis suae regulae, ordinarium modum disciplinae religiosae non excedat... et non inferatur proprie ut est spiritualis privatio, sed ut inducit aliquam notam vel ruborem[4]. » — Si, vi regularum, *conscientiae rationem* ab eis exigit, ipsae non tenentur ei manifestare sua peccata, sive praesentia sive praeterita. Porro, S. Congreg. EPISC. ET REG. (10 mart. 1860), « ob abusus, qui irrepserunt, in praesens minime solet approbare aperitionem conscientiae Superiorissae; sed tantum permittitur, ut Sorores, si velint, pandere

[1] Cf. Can. *Quae contra*, Dist. 8. — [2] L. IV. 52-55. — [3] *De relig.* tr. 8. L. 2. c. 9. n. 10. — [4] Craisson, n. 3043; Sabetti, n. 702.

Digitized by Google

possint *defectus in regulae observantia et progressum quoad virtutes;* de aliis enim ab eis agendum est cum proprio confessario[1]. »

In variis Institutis, approbante S. Sede, *Moderatrix generalis* « debet exquirere votum deliberativum Consultricum, in rebus gravioribus; praesertim pro fundationibus et suppressionibus domorum, pro contractibus, pro vestitione et professione alumnarum, et aliis hujusmodi[2]. »

QUAER. 3° *An teneatur subditus obedire* IN DUBIO *de Superioris potestate, vel de liceitate rei praeceptae?*

Resp. 1° Si dubium sit *de legitimitate Superioris,* non tenetur obedire, nisi ille sit in pacifica possessione, et communiter ut Superior habeatur. — Et idem dicendum, si dubitetur de impositione praecepti (cf. n. 52, 693).

2° Si dubitetur *an res praecepta sit licita necne,* an *excedat* Superioris potestatem, tenetur obedire, etiamsi opposita opinio sibi probabilior videatur[3]. — EXCIPE 1) « si res sit valde difficilis et molesta; quia tunc difficultas operis *simul* cum opinione probabili, quod res praecepta sit illicita, vel quod praeceptum excedat potestatem Superioris, praevalet illius possessioni. — 2) Si subditus obediendo exponeret se, vel alterum, periculo gravis incommodi subeundi in vita, fama, honore, aut bonis. Ratio, quia subditus non tenetur tunc se privare jure suo certo quod possidet circa talia bona magni momenti, ne Superior privetur sua possessione, quae in eo casu est aliquo modo incerta[4]. »

2168. — *Ex his resolves:* 1° Religiosus professus PECCAT *graviter* contra VOTUM obedientiae: 1) quando recusat obedire, in materia gravi, Superiori praecipienti *in virtute sanctae obedientiae:* juxta dicta n. 2165; 2) quando Superiori praecipienti respondet: *nolo obedire, nolo facere, non faciam,* aut aliud simile, quod contemptum formalem auctoritatis praecipientis redoleat; 3) quando *ex inobedientia* sequitur grave scandalum, sive subditorum sive saecularium; aut grave incommodum, sive pro communitate, sive pro aliis, v. g. pro salute animarum, etc. — In caeteris casibus, inobedientia non excedit culpam venialem[5] (cf. n. 693, q. 2°).

2° Religiosus PECCAT solummodo contra VIRTUTEM obedientiae (plerumque solum *venialiter*): 1) quando renuit obedire Superioribus inferioris gradus penes quos non est potestas praecipiendi ex voto; 2) quando in externa praecepti executione murmurat in corde, aut interne se non submittit. — Item, contra solam virtutem obedientiae delinquunt, *graviter* vel *leviter* (pro gravitate praecepti), novitii, oblati, et alii omnes, qui in piis Institutis, absque votorum vinculo, vitam communem degunt[6] (cf. n. 690. sqq.).

3° Si regulae jubeant *in omnibus obedire* Superiori, (vel in omnibus, in quibus peccatum non apparet), « id non de obligatione voti, sed de obedientiae perfectione intelligitur[7]. »

[1] Bizzarri, pag. 832. n. 4. — [2] Ib. pag. 848; cf. Meynard, *Rép. can. et pratiq.* 1re Partie. — [3] Cf. L. I. 98-100. — [4] L. IV. 47. v. Limitant. — [5] Gury, I. 171. — [6] De virtute obedientiae disserit S. A. in op. *Vera Sposa,* cap. 7. §. 2. sqq. — [7] L. IV. 40; cf. Salmant. Tr. 15. c. 6. n. 55.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE SERVANDI REGULAM

2169. — Regula est illa vivendi norma, qua Religiosi in suis operationibus ita diriguntur, ut debito ac congruenti modo ad sui status perfectionem contendant. — Intelliguntur etiam sub nomine regulae Constitutiones et Statuta, quae a Religionum Fundatoribus vel Capitulis emanant [1].

Jam vero: 1° Regulae, quae *votorum* materiam ac conditiones definiunt, eamdem, ac ipsa vota, obligationem imponunt: de his supra jam satis diximus. — 2° Regulae, quae ad *regularem disciplinam* spectant, variis modis, obligare possunt. Hinc sequentia

2170. — Quaesita. Quaer. 1° *Quanta sit regularum ad disciplinam spectantium* obligatio?

Resp. 1° « Regula, inquit Suarez [2], non est merum consilium, » cum ejus violatio possit a Superiore puniri. — Excipe tamen illas regulas, quae *per modum consilii* vel *adhortationis* exprimuntur.

Resp. 2° Possunt esse regulae, quae obligant sub mortali; aliae, quae obligant sub veniali; aliae demum, quae obligant ad poenam. — 1) Si regula obligat *sub mortali*, ejus transgressio est contra votum, et sacrilega: ratio est, quia talis regula non est minus praeceptiva quam vox Superioris; unde Carthusianus v. g. edens carnes, vel Franciscanus non jejunans feria VI, peccant contra obedientiam, et contra temperantiam [3]. — 2) Si regula expresse declarat, se obligare *quantum potest*, ejus transgressio est peccatum mortale, aut veniale, prout materia est gravis vel levis; quia regula non est minus obligans quam vox Superioris; Superior autem potest obligare juxta gravitatem materiae [4]. — 3) Si regula declarat, se *non obligare sub peccato*, ejus transgressio est ex se nec mortalis, nec venialis; quia regula, quae non est praeceptiva, non censetur esse nisi ordinatio vel monitum, obligans tantum ad poenam, si imponatur [5]. — Merito tamen notant plures DD., hujusmodi transgressiones *raro omni culpa vacare*, propter negligentiam, contemptum, aliumve inordinatum affectum; imo, *graviter* peccaret, qui frequenter et quasi per consuetudinem regulam transgrederetur, religiosam disciplinam graviter perturbando: v. g. si « nollet unquam servare silentium, nec orare, nec modeste incedere; si ingrederetur omnium

[1] Cf. Salmant. tr. 15. cap. 4. n. 54-55. — [2] *De Relig.* Tr. 8. L. 1. c. 2. n. 2. — [3] L. IV. 41. — [4] Craisson, n. 2813. — [5] L. IV. 42.

Digitized by Google

Religiosorum cubicula, et similia Religionis statuta transgrederetur[1]. » GRAVITER quoque *peccat*, qui regulam infringit ex contemptu formali Superioris, ut v. g. ostendat Superiorem a se despici et pro nihilo haberi; item, si id faciat ex odio contra Religionem aut personas ejus, vel ex voluntate resistendi Praelato; item, si se exponat proximo periculo labendi in peccatum mortale, aut si praevideat se ideo expellendum fore. Si quis autem proponat, nunquam regulam servare, vix fieri potest, ut non adsit contemptus. Ita Suarez (apud D. Bouix[2]) et S. Alphonsus[3]. — Sola autem *frequentia infractionum* non videtur sufficienter probare contemptum; cum haec frequentia oriri possit ex magna desidia, in qua tamen desidiosus magni adhuc potest facere regulas, Superiores et Religionem[4] (Recole dicta n. 2153).

QUAER. 2° *An Religiosi teneantur se submittere* REFORMATIONI *Regulae?*

Resp. 1° *Affirm.*, si reformatio spectat ad *substantialia;* quia quilibet debet obedire in illis, quae sunt necessaria ad salutem; neque ulla consuetudo potest juri naturali aut divino praevalere. Unde, obligatio se submittendi urgeret, si Religio talis esset, ut « nisi reformetur, esset potius nocumento Religiosis quam utilitati[5]. »

Resp. 2° Si reformatio non spectat ad substantialia, DISTINGUENDUM est: vel *mitigatio* introducta est a S. Pontifice, et in tali casu unusquisque potest se illi conformare; est enim nova lex; vel introducta est a consuetudine, et in hoc casu, licet eam introducentes peccaverint, possunt tamen eorum successores tuta conscientia eam sequi. — Quod si Capitulum generale vel major pars professorum reformationem statueret, sunt AA. qui negant, privatos teneri hujusmodi reformationi se submittere; quia professionem juxta statum regulae, qualis erat tempore suae professionis, emiserunt, nec proinde ad amplius quam ad relaxatam regulam se obligare voluisse censentur. Probabilis est quidem haec sententia; sed sententia probabilior docet, eos ad obediendum teneri[6].

QUAER. 3° *An Praelatus, negligens aliquando corripere* LEVES DEFECTUS *subditorum, peccet graviter?*

Resp. « Affirmative (contra Lorca) cum Lugo et aliis communiter, casu quo defectus plures sint, et tales (v. g. circa silentium, jejunium, etc), ut disciplinam valeant relaxare. Ratio, quia licet quisque religiosus deficiat in re levi, levem regulam transgrediendo,

[1] L. IV. 10. — [2] *De jur. Regul.* P. 6. Sect. 5. cap. 4. §. 3 (tom. 2. p. 576); cf. Suarez *De Relig.* Tr. 8. L. 1. c. 4. — [3] L. IV. 11. 42. — [4] Konings, n. 1176. — [5] H. A. XIII. 17. — [6] L. IV. 44; H. A. ibid.

Digitized by Google

Superior tamen negligens impedire, cum possit, observantiae relaxationem, deficit in re gravi. Et ideo tenetur defectus subditorum in damnum totius Communitatis vergentes non solum corrigere, sed etiam inquirere, ut corrigat, prout docet S. Thomas, sine tamen nimia sollicitudine... Expedit autem, ut aliquando corrigere *dissimulet*, si defectus scandalum non afferant, vel si praevideat subditum ex correctione pejorem fieri, vel si tempus opportunius sit expectandum. Et hic advertendum quod, si oportet ad corrigendum, Superior potest subditum etiam verberare et conviciis increpare, ex D. Thoma [1], modo non agat ex ira, vel coram saecularibus aut novitiis. — Et sicut Superior tenetur corrigere, sic de transgressionibus aliorum tenetur ipsum *admonere* qui officium *zelatoris* habet [2]. »

Nota. Tempore VISITATIONIS CANONICAE Religiosi (vel Moniales ab Episcopo aut a Praelato Ordinis interrogatae) tenentur visitatori *veritatem aperire* circa observantias regulae, etiamsi transgressiones sint leves; quia ordinarie ab istis incipit totius regulae relaxatio. — « Excipe, si delinquentes jam resipuerint, aut si delictum sit occultum, aut cognitum sub secreto naturali, aut posset occultari sine communi damno, aut si ab aliis jam sit manifestatum, aut si praevideatur quod revelatio profutura non esset, aut sibi obfutura, et occultatio non futura esset damno Communitati [3] » (cf. n. 1198).

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONE STABILITATIS

2171. — Obligatio permanendi in statu religioso enascitur tum ex natura rei (status enim a *stando* dicitur); tum ex perpetuitate votorum; tum denique ex jure canonico, quoad Regulares et Moniales votorum solemnium. Hinc illud effatum: *semel monachus, semper monachus.* — Ad Instituta autem votorum simplicium quod attinet, firmitas, quae non habetur ex jure canonico, suppletur quandoque, ut in Congregatione SS. Redemptoris, per votum et juramentum perseverantiae. Hoc enim voto ac juramento initur peculiaris contractus mutuus, vi cujus Religiosus se obstringit ad perseverandum in Congregatione usque ad mortem; et vicissim, Congregatio se obligat ad non dimittendum professum, nisi ex superveniente causa, quae foret gravissima [4].

Stabilitati opponuntur, vel aliquatenus opponi videntur: 1° Apostasia et fuga; 2° ejectio; 3° dispensatio a votis; 4° transitus ad

[1] 2. 2. q. 72. a. 2. ad 2. — [2] L. IV. 13; H. A. XIII. 2. — [3] H. A. ib. 21; *De Officiis Fratrum laicorum,* in specie, vide Lancicium, opusc. XV. — [4] L. III. 255; IV. 50.

Digitized by Google

aliam Religionem; 5° translatio ad Episcopatum. — De singulis jam pauca.

1. — *Apostasia et fuga.*

2172. — *Apostata* (a Religione) est ille, qui a monasterio vel Religione discedit animo totaliter deserendi Ordinem et ad illum non revertendi. — *Fugitivus* autem dicitur, qui sine licentia discedit cum animo revertendi. Unde, ex Tridentino (sess. 25. c. 4 *de Regul.*) fugitivis etiam adnumerantur, qui, absque licentia Superiorum localium, ad Superiores majores confugiunt, nisi ab iisdem missi fuerint aut vocati.

I. APOSTATAE et FUGITIVI (habitu vel dimisso vel retento, prout diverse cavetur ex Religionum constitutionibus), incurrunt, praeter lethalis peccati reatum, ipso facto, excommunicationem [1]. — Privantur insuper omnibus Regularium privilegiis, et subjiciuntur Ordinariis locorum, ex Tridentino l. c. cap. 19. *de Reg.* — Nec tamen solvuntur a derelicti status obligationibus, sed tenentur servare sua vota omnesque sui Ordinis constitutiones, ne scilicet emolumentum ex fraude consequantur. — Caetera vide apud Canonistas [2].

II. Praelati TENENTUR fugitivos et apostatas REQUIRERE, quia ex jure divino et naturali debent eorum saluti prospicere. — Excipe, si absque gravi Ordinis damno id fieri nequiret, vel si illi essent incorrigibiles; « quia, si ob justam causam possunt ejici, ob eamdem etiam, postquam exierunt poterunt non recipi [3]. »

2. — *Ejectio vel dimissio.*

2173. — *Ejectionis* vel *dimissionis* nomine intelligitur perpetua separatio Religiosi a suo Ordine, facta ex auctoritate competentis judicis. — Processus ejectionis debet fieri tum juxta Canones, tum juxta Constitutiones ac stylum cujusque Ordinis [4].

I. Regulares *solemniter professi* tribus de causis ejici possunt: 1) si in admissione impedimentum valde grave reticuerunt, v. g. lepram; 2) si diutius tolerari nequeunt sine Ordinis infamia; 3) si sunt notorie incorrigibiles, in gravi ac pernicioso crimine. — Olim licebat Religiosos, ob quodlibet grave delictum, licet semel admissum, ex Ordine ejicere; sed Urbanus VIII (21 sept. 1626. §. 6) de-

[1] De Angelis, lib. 3. tit. 31. fin. — [2] Cf. Lucidi, vol. 2. cap. IV. n. 12-29; Grandclaude, *Jus canon.* tom. 3. p. 341. sq. — [3] L. IV. 82; cf. Craisson, n. 1077-1084. — [4] Cf. Ferraris, verb. *Ejecti.*

Digitized by Google

claravit neminem (excepto membro Societatis Jesu), nisi sit incorrigibilis, posse ejici; disciplinam vero abjicientes posse puniri jejuniis et carcere: quod semper observandum est cum Monialibus incorrigibilibus, ubi non obstat potestas civilis [1].

Ejectus remanet semper Religiosus et obstrictus votis, quae observare debet, quantum circumstantiae id sinunt. — Hinc, 1) quoad *paupertatem*, habet rerum duntaxat quas acquirit usum, non autem dominium, quod manet penes monasterium, si hoc sit capax dominii [2]; secus, penes Cameram Apostolicam. — 2) Quoad *obedientiam*, *Officium divinum* (si non sit in Sacris), ac caeteras *regulas*, nulla jam obligatione adstringitur, cum sit a Praelato juridice dimissus. Sed tenetur obedire Episcopo, a quo tamen ordinari nequit; imo manet ab omni Ordinum exercitio suspensus, nec potest concionari, nec docere (cf. n. 1365). — 3) Tenetur *sese emendare*, ut iterum admitti mereatur; cum enim votis teneatur, debet illum statum repetere, in quo vota sua exequi possit. Si tamen, licet emendatus, non admittatur, potest tuta conscientia remanere in saeculo, et instar clericorum Sacramenta recipere [3].

2174. — II. Religiosi *votorum simplicium* possunt ejici pluribus de causis, quae determinantur tum a jure naturali, tum a regulis approbatis cujusque Instituti. — Ejecti seu *dimissi* in hoc casu, eximuntur communiter a status religiosi obligationibus, sive hae a voto sive a regula proveniant, et reducuntur ad vitam saecularem; pertinent ad jurisdictionem Episcopi cui subditi erant ante adscriptionem Instituto [4]. — Vide de Dispensatis (n. 2177).

2175. — QUAERITUR. *An Religiosi votorum simplicium possint*, SINE CAUSA, *licite et valide dimitti?*

Resp. 1° Si in Instituto reperiantur *saltem essentialia* Status religiosi, subditus professus non potest unquam sine gravi causa dimitti, etiamsi ipse suae dimissioni assentiret; quia, ubi status religiosus existit, ibi intervenit in professione traditio: qua, una ex parte, Religiosus se Deo atque Instituto in perpetuum mancipavit, et qua, ex altera parte, Institutum vicissim per professionis acceptationem sese obligavit, saltem implicite atque ex quasi-contractu, ad illum nunquam sine justa causa dimittendum. Non habetur autem justa causa in hoc solo, quod Religiosus suae dimissioni acquiescat. Quanquam in hoc casu causa minor sufficere poterit; potest enim subditus suo juri cedere [5].

[1] H. A. XIII. 4; L. IV. 79. — [2] Ita H. A. ib. 4, contra Busenbaum; cf. Ferraris, v. *Ejecti*, n. 67. sqq. — [3] L. IV. 81. — [4] Lucidi, vol. II. p. 644. — [5] Craisson, n. 3093.

Digitized by Google

Resp. 2° Si in Instituto non reperiantur quae sunt de essentia Status religiosi, et subditus suae dimissioni *assentiat*, videtur eum posse sine gravi causa dimitti: v. g. ob infirmam valetudinem; quia in talium rerum adjunctis, nec religiosus status, nec subditi reclamatio obstant [1]. — Adverte tamen, justam semper causam requiri, si ipse Religiosus velit a suis votis dispensari, ut notum est.

Resp. 3° Si emittatur a vovente *votum* vel *juramentum perseverantiae*, enascitur specialis obligatio ex utraque parte standi promissis; sive reperiatur in Instituto verus status religiosus, sive non: quia tale votum vel juramentum, a Congregatione acceptatum, habet rationem veri contractus bilateralis: ex quo fit ut, sicut subditus non potest, quacumque adveniente nova circumstantia, Institutum relinquere (nisi ad transeundum in strictiorem Ordinem), ita nec Institutum, dum subditus suis stat promissis, potest eum dimittere [2].

3. — *Dispensatio a votis.*

2176. — I. Quoad VOTA SOLEMNIA. Olim, plures quidem opinabantur, neminem posse a votis solemnibus dispensari, religiosaeque professionis vinculum esse de jure divino indissolubile. Sed haec opinio minus probabilis evasit; nam communis hodie sententia docet, Religiosum etiam solemniter professum posse, sive ex parte sive ex integro, a suis obligationibus solvi. Atque huic sententiae suffragatur praxis SS. Pontificum, qui non semel, etsi plerumque, ob publicam duntaxat causam, ejusmodi dispensationem concesserunt [3] (cf. n. 135, 642). — Sic Romanus Pontifex dispensat aliquoties Religiosos etiam solemniter professos, ut penes ipsos sit verum *dominium bonorum temporalium;* aut ut proprietariorum *saltem actus* exercere valeant, quando scilicet eorum inhabilitas a civili potestate non agnoscitur. In hujusmodi tamen Indultis semper salva remanet voti substantia, propterea quia dispensati non plus agere possunt, quam quod a Pontifice *permittitur*, indigentque insuper *Superiorum venia* [4]. — Sic pariter, tempore perturbationis Gallicae, Papa non paucos sacerdotes tum saeculares tum regulares a voto castitatis, ex parte saltem, dispensavit. Dicimus *ex parte*, i. e. in ordine ad matrimonium invalide jam contractum; nam dispensationi plerumque hujusmodi clausulae adjectae sunt: « cum eadem duntaxat muliere, non vero ad contrahendum cum alia, neque ad secundas

[1] Cf. Bouix, *de jur. Reg.* tom. 2. p. 517. Qu. V. — [2] Cf. H. A. XIII. 19; L. IV. 50. v. *Et idem.* — [3] L. III. 256; cf. Bouix, P. 6. Sect. 2. cap. 1. (II. 481). — [4] Cf. De Angelis, lib. 3. tit. 35. n. 4; cf. et *Nouv. Rev. théol.* tom. X. pag. 610.

Digitized by Google

nuptias ineundas, et si... extra licitum matrimonii usum deliquerit, sciat (orator) se contra sextum praeceptum sacrilege facturum [1]. »

Jure communi, quando in unius voti solemnitate dispensatur, caetera vota *solemnia esse desinunt;* nisi aliter Papa statuerit [2].

2177. — II. Quoad VOTA SIMPLICIA. Emittuntur haec vota vel in Institutis a S. Sede approbatis, vel in Institutis approbatis ab Episcopis. — Si *primum*, dispensatio conceditur a solo Romano Pontifice, quamvis, ex Apostolico privilegio, eadem potestas etiam competere possit Superiori Generali, si agatur de Congregatione virorum. Ratio est, quia vota facta sunt quasi in manu Pontificis [3]. — Si *secundum*, — vel illa Instituta, in varias domos distributa, subsunt generali Superiori vel Superiorissae; et in hoc casu nequeunt Episcopi singuli in subjectis sibi domibus dispensare, quia Superioris generalis jus violarent; — vel singulae domus per se subsistunt, et in hoc casu potest Episcopus solvere subditos a votis paupertatis et obedientiae, non autem a voto castitatis perpetuae, utpote S. Sedi reservato. — Ex Resp. S. POENIT., 2 jan. 1836 [4] (cf. n. 2190 et 2194).

NOTANDUM est: — 1° Pro valida dispensatione votorum simplicium requiritur *levior causa*, quam pro dispensatione votorum solemnium; item, *levior* ex parte Instituti, quam ex parte subjecti: sive quia in multis Institutis vinculum non est utrinque aequaliter obligans, sive praesertim quia bonum commune Instituti semper anteponendum est bono privato subjecti.

2° Si quis talis Instituti alumnus, absque justa causa, dispensationem a votis petierit et obtinuerit, dispensatio *valida* censenda est, etsi fuerit *illicite* petita. Ratio est, quia licet justa causa defuerit ex parte petentis, adfuit tamen optima ex parte concedentis, cui jus et officium competit procurandi bonum commune, dimittendo subditos, qui non sunt bono exemplo caeteris [5].

4. — *Transitus ad alium Ordinem.*

2178. — NOTENTUR tantum sequentia: — 1° Jure communi (i. e. ex Innocentii III Decretali *Licet*) transitus a Religione laxiore *ad strictiorem* (seu austeriorem) est licitus; modo fiat ex justa causa, sine damno gravi relinquendae Religionis, et modo petatur, quin etiam (si Ordo, qui relinquitur, speciali ad hoc concesso privilegio gaudeat) modo obtineatur Superioris vel Papae licentia [6].

2° Transitus ad Ordinem *aequalis rigiditatis* est etiam licitus, sed cum majori causa, et cum Superioris licentia; vel, deficiente hac majori causa, cum venia S. Pontificis [7]; quae semper habenda

[1] Cf. Roskovany, *Caelibatus*, tom. 3. p. 184. *Monum.* 1969. fin.; cf. et *Nouv. Rev. théol.* tom. XVI. p. 441. — [2] Craisson, 3067 et 2504; Lucidi, vol. 2. cap. 5. n. 298. — [3] Cf. Gury, II. n. 180; cf. Lucidi, l. c. n. 333-351. — [4] Bouvier, *De Decal.* cap. 2. art. 4. sect. 6. — [5] Cf. Gautrelet, tom. II. pag. 141. sqq ; Craisson, *Communautés relig.* cap. 21. n. 898. sqq. — [6] L. IV. 73, ubi plura (a 6ª edit.) — [7] Craisson, n. 3098.

Digitized by Google

est, si transitus fiat ad Ordinem *laxioris observantiae*, vel si agatur de moniali *claustrata* [1].

In quolibet ex his casibus, ex Constitutione *Pastor bonus* Benedicti XIV, Poenitentiarius Major valet transitum concedere, « ob justas tamen et graves respective causas, ab eodem Majori Poenitentiario probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, et cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus [2]. » — Recole dicta n. 638. Hinc 1° et 642. 3°.

5. — *Translatio ad Episcopatum.*

2179. — Regularis ad *Episcopatum* (vel *Cardinalatum*) assumptus [3], non eximitur a professione, neque ab omnibus generatim regulis; sed ab illis duntaxat obligationibus, quae novo suo officio aut dignitati non conveniunt. — Ad *quaestionem* enim, « an et quomodo Episcopus Regularis teneatur ad regulam servandam, quam professus est: » — S. Congr. Episc. et Reg., die 6 maji 1864, respondere censuit: « Affirmative, ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII incipientis *Custodes*, nempe Episcopus Regularis tenetur observare Regulas suae Religionis, quae materiam voti paupertatis determinant. Item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur, antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen ut in peculiaribus casibus, prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant [4]. »

Hinc. — 1° Episcopus Regularis non potest, nisi *de licentia Papae* condere testamentum, et haereditates legatave capere pro seipso. Potest tamen legitime bona acquirere; usum scilicet sibimetipsi, proprietatem vero Ecclesiae, cui praeest, et cujus bonorum est dispensator [5]. — Nec votum *obedientiae* in eo cessat, cum ipsum S. Pontificem ut Superiorem nanciscatur.

2° Si sit de Familia *Minimorum*, tenetur adhuc ad votum victus quadragesimalis: si de Familia *S. Francisci*, ad jejunium feriae sextae, etc., nisi fuerit a S. Sede Apostolica specialiter dispensatus.

3° Ad *Officium divinum* quod attinet, tenetur ex declaratione S. C. Rituum facta die 11 junii 1605 [6] illud recitare, non quidem juxta ritum suae Religionis, sed juxta ritum suae dioecesis.

4° Quoad *habitum*, debet quidem conservare colorem sui Ordinis; sed potest, in habitus forma, vestiri more Episcoporum saecularium, ut concessit Clemens VIII [7].

NB. Decisiones S. C. Episc. et Regul. edictae pro Episcopis Regularibus debent extendi ad Episcopos Religiosos votorum simplicium, factis tamen debitis restrictionibus, v. g. quoad paupertatem [8].

[1] Craisson, n. 3097. 3100. — [2] Cf. De Angelis, L. III. tit. 33. n. 14. — [3] Cf. Bouix, P. 5. Sect. 1. cap. 8. (II. 65). — [4] Bizzarri, p. 774. — [5] *Acta S. Sed.* I. 227. — [6] Gardellini, n. 265. — [7] Cf. *Caeremoniale Episcop.* L. 1. c. 1. n. 4: Sanchez, *Decal.* L. VI. c. 6. n. 22. — [8] Cf. *Acta S. Sed.* Vol. I. p. 466. VI

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

Agemus: 1° De privilegiis Regularium in genere; 2° de privilegio exemptionis; 3° de variis Regularium privilegiis (Recole dicta n. 249-254).

ARTICULUS I.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM IN GENERE

2180. — I. Privilegia Regularibus CONCESSA sunt vel DIRECTE, scripto aut vivae vocis oraculo, vel INDIRECTE, per communicationem cum aliis privilegiatis.

Communicatio autem vel fit *in forma* COMMUNI, et complectitur ea sola, quae communiter et sine difficultate concedi solent; vel fit *in forma* SPECIALI, et comprehendit etiam insolita et quae rarae et difficilis sunt concessionis: *exceptis* tamen (nisi nominatim exprimantur) 1) *indulgentiis*, sub quibus etiam veniunt altaria privilegiata; 2) Officiis tum *propriis*, quae non communicantur Religiosis utentibus Directorio dioecesano; tum *novis*, ad quae Indulto egent, qui Kalendarium proprium habent; 3) *exemptione* a jurisdictione Ordinariorum.

NOTANDUM: In nulla vero, *quantumvis ampla*, communicatione comprehenduntur: — 1° Praerogativae quaedam *omnino specificae*, quas S. Sedes quibusdam Ordinibus exclusive ac privative concessit, facta eorum Superioribus Generalibus facultate ipsas communicandi aliis Religionibus, Congregationibus, vel etiam sacerdotibus *in particulari*. Sic v. g. Superior Generalis Dominicanorum communicat sacerdotibus petentibus facultatem benedicendi rosaria, rosas S. Dominici, cingula S. Thomae. — 2° Privilegia *odiosa*, et quae statutis propriis sunt contraria. — 3° Privilegia seu *Indulta* concessa ad determinatum tempus. — 4° Privilegia concessa ob specialem causam motivam cum conditione, sive expressa sive tacita: *quoadusque causa perseverat*. — 5° Privilegia concessa alicui conventui, provinciae, vel Religiosis alicujus Instituti *in certis terris* existentibus, nisi eadem vel similis ratio pro caeteris ejusdem vel alterius Instituti religiosis, conventibus, provinciis, militet. — 6° Privilegia *generaliter revocata* a Tridentino, vel per Constitutiones Apostolicas, nisi de novo fuerint concessa. Adverte tamen, illa sola privilegia esse a Tridentino revocata, quibus contrariatur Concilii Decretum cum illa expressa clausula: *non obstantibus quibuscumque privilegiis* [1]. — 7° Privilegia concessa cum clausula: *ne aliis communicentur*, aut declarata *incommunica-*

[1] Cf. Reiffenstuel, *de Privilegiis*, n. 135. sqq.

Digitized by Google

bilia; nisi succedens aliquis Pontifex, vel idem postea, amplissimam cum omnibus aliis Religionibus communicationem, in *forma speciali* concesserit, additis clausulis efficacibus, quibus omnibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis in contrarium, cunctisque aliis derogatoriis, derogetur [1].

2181. — II. Privilegiorum directae vel indirectae concessiones nonnunquam a S. Sede CONFIRMANTUR, idque in forma vel *communi* quae novum jus non tribuit et singula privilegia in eo statu, in quo antea erant, relinquit; vel *speciali*, quae non tantum, ut communis, valida corroborat, sed etiam invalidata revalidat, atque ita quidem, ut amissa, vel concessa cum clausula « ne aliis communicentur, » de novo censeantur acquisita. — Si autem privilegia *saepius* confirmantur, et in una confirmatione quaedam omittuntur, quae in alia habentur, omissa nequaquam censentur revocata; nisi forte Tridentino vel alicui Constitutioni Apostolicae adversarentur, quae hujusmodi privilegia, generaliter, revocasset [2].

2182. — III. Quidquid concessum est *Superioribus* unius Religionis, omnibus etiam Superioribus caeterarum Religionum, quae cum ipsis communicant, concessum intelligitur, quamvis officiorum denominationes sint variae [3]. — Similiter privilegia concessa *Praelatis inferioribus*, etiam Praelatis Superioribus concessa intelliguntur; sed non vice versa.

2183. — *Notetur:* 1° Si privilegium alicui Religioni concessum ab ipsa *non acceptetur*, vel in usum non deducatur, vel si renuntiatione aut speciali revocatione *cesset;* nullum inde praejudicium creatur alteri Religioni, quae cum ipsa communicat [4]. Atque hoc currit, quamvis Religio primitus privilegiata extingueretur.

2° Praelatus potest, ob justam causam, singulis suis subditis *usum* unius alteriusque privilegii LIMITARE; imo, Superior Generalis potest hujusmodi limitationem ad totum Ordinem extendere. — Quod si nulla limitatio, seu prohibitio intercedat, neque ulla conditio in Indulto adjecta fuerit, subditi possunt, absque Superiorum delegatione aut licentia, privilegia sua in usum deducere [5].

3° Privilegia 1) a *Superiore Generali,* sive per seipsum, sive per Superiores subalternos generaliter (i. e. non ad casum) subditis communicata, PERDURANT, donec ab ipso, aut ab ejus successore, revocentur; — 2) a *Superioribus subalternis* proprio jure communicata expirant, finito tempore eorum muneri praefixo, i. e. novo Superiore in munus suum ingresso; — 3) ad certum *numerum* casuum concedenda, cessant, exhausto tantum numero, non vero finito munere concedentis.

4° Regulares Ordinariis locorum EXHIBERE tenentur: 1) licet *non requisiti*, et priusquam iis uti possint, privilegia cum clausula: *certioratis locorum Ordinariis;* item novas indulgentias, antequam publicentur; 2) *requisiti*, at quin interim usu privilegii interdici possint, privilegia specialia exemptionis, i. e. quae jure communi et notorio omnium Regularium non continentur [6].

[1] H. A. XX. 11. 12. — [2] Ferraris, v. *Privilegia*, art. 2. n. 7-14. — [3] H. A. XX. 11. — [4] H. A. ib. 9. — [5] H. A. ib. 6; L. IV. 64. — [6] Konings, n. 1192.

Digitized by Google

5° « Omnes Ordines Regulares COMMUNICANT in privilegiis aliorum Ordinum, sive Mendicantium sive non [1]; » et haec communicatio extenditur etiam quandoque per specialem concessionem ad Congregationes votorum simplicium.

ARTICULUS II.

DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS

2184. — EXEMPTIO est privilegium, quo vel locus aut persona aliqua (physica aut moralis), vel locus et persona simul, intra territorium alicujus jurisdictionis ordinariae, eidem subducitur.

Exemptiones aliae sunt a S. Pontifice concessae, aliae ab Episcopis. — Aliae eximunt ab episcopali, aliae a parochiali, aut etiam ab inferiori jurisdictione. — Aliae sunt *personales*, aliae *locales*, aliae *personales et locales* simul.

Regularium exemptio: 1) est a S. Pontifice concessa; 2) eximit a jurisdictione, tum episcopali tum parochiali; 3) est simul personalis et localis. — Justissime autem conceditur: tum ut Ordines religiosi majori tranquillitate, unitate, ac vigore disciplinae sub uno Praelatorum suorum regimine fruantur; tum ut fortiori vinculo particulares Ecclesiae centro unitatis, i. e. Sedi Apostolicae devinciantur [2].

His praenotatis, exponendum venit: 1° Quid Regularium exemptio comprehendat; 2° quid non comprehendat.

§. 1. *Quid comprehendat exemptio Regularium.*

2185. — Exemptio Regularium, modo de Conventu canonice erecto agatur, generatim comprehendit sequentia:

I. QUOAD LOCA. — Non subjacent Visitationi Ordinarii eorum ecclesiae, quibus non est annexa cura animarum parochialis, aut quasi-parochialis; nec eorum domus et oratoria, sive publica sive privata, ipsorum domibus unita; nec eorum capellae, et altaria laicorum vel Confraternitatum localium, in his ecclesiis oratoriisve erecta [3]. —

Atvero, notandum est, quod in Constit. *Romanos Pontifices* LEONIS XIII, 8 maji 1881, legitur: « Jure... communi constitutum est, ut domus quae sodales religiosos *sex minimum* (quorum quatuor sint sacerdotes) non capiant, in potestate Episcoporum esse omnino debeant. » — Regulares autem commorantes *in residentiis missionum*, quamvis pauci fuerint, Episcopis « praeterquam in casibus a jure nominatim expressis, et generatim in iis, quae

[1] H. A. XX. 9; L. IV. 60. — [2] Cf. Bouix, P. 5. Sect. 2. cap. 2. §. 3. (II. 110). — [3] H. A. XX. 79. 88.

Digitized by Google

concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem, » non subjiciuntur (Ead. Const. [1]).

2186. — II. QUOAD PERSONAS. Subjacent Regulares ordinariae atque exclusivae Praelatorum suorum jurisdictioni, in quantum a sacris canonibus vel Constitutionibus Apostolicis nulla statuitur exceptio, quae expressis verbis declaret, ipsos in certis casibus ordinariae vel delegatae a S. Sede jurisdictioni Episcoporum subjici [2].

Porro advertendum est: — 1° In *odiosis*, nomine subditorum non veniunt, generatim, nisi Religiosi professi, tam sacerdotes, quam fratres laici. — 2° In *favorabilibus* vero veniunt et novitii, candidati ad probationem admissi, Oblati seu Tertiarii in monasterio degentes, et familiares saeculares, dummodo continui commensales sint, intra Conventus septa habitent, et sub obedientia Superiorum vivant [3] (Vide dicta n. 1763. q. 2' de convictoribus).

2187. — Consectaria. Vi hujus jurisdictionis, quae vocatur *quasi-episcopalis:*

1° Possunt et debent Superiores generales, per se vel per suos Visitatores, et Superiores provinciales per seipsos, VISITARE singulas domos, personas, atque ecclesias sibi subditas: exclusa omni Episcoporum visitatione, praeterquam in casibus infra excipiendis (n. 2189).

2° Possunt iidem Superiores in subditos suos professos, eas omnes FERRE CENSURAS, quas licet personis infligere. Idipsum potest et Superior localis, saltem de Superiorum majorum consensu (cf. n. 1256, 7° et 1774) [4].

3° Possunt omnes Superiores cum subditis suis DISPENSARE, in iis atque eo modo, in quibus et quo modo Episcopi, de jure, possunt cum suis dioecesanis, videlicet: — 1) quoad *opera servilia* diebus festis et dominicis; — 2) quoad *jejunium et abstinentiam* a carnibus [5]: quocirca « eas dispensationes etiam pro se suaque domo accipere possunt, quas Episcopus generatim pro tota dioecesi concedit [6]; — 3) quoad *divinum Officium*, ad instar Episcoporum, in casibus particularibus, ad breve tempus et ob justam causam, v. g. si dubitetur de morali impotentia recitandi. (Praeterea, ex concessione Clementis VII, possunt in favorem infirmorum infirmisque inservientium, qui per se non excusarentur, Officium commutare in sex aut septem Psalmos a se assignandos, et septem *Pater noster* ac duo *Credo* [7]); — 4) quoad *libros prohibitos*, ad instar Episcoporum (i. e. in casu magnae necessitatis, secluso alio privilegio) (cf. n. 454.

[1] Cf. Lucidi, vol. II. pag. 8. — [2] H. A. ib. 72. — [3] Ibid. 74. — [4] Cf. *Acta S. Sed.* I. 98, ubi de Exemptione concessa PP. Passionistis et Congreg. SS. Redemptoris. — [5] H. A. XX. 106; L. I. 194. — [6] Lemhkuhl, I. n. 165. — [7] H. A. XX. 107.

Digitized by Google

q. 2°); — 5) quoad *irregularitates* ex delicto occulto, et quasdam ex defectu, in quibus dispensare possunt Episcopi cum dioecesanis, et etiam in casu homicidii occulti, vel consummati extra claustra; in defectu corporis, « si alicui pes aut oculus deficeret, etiam sinister »; in defectu natalium (ad dignitates Generalatu inferiores), in bigamia, in defectu lenitatis, etc. [1]; — 6) quoad *inhabilitates* et *poenas* contractas ex delicto, ut privationis officii, beneficii, vocis, loci, etc, etsi illae reservatae sint Romano Pontifici [2]; — 7) quoad *vota* omnia Papae non reservata; reservata autem, si agatur de votis trium peregrinationum, possunt irritare cum professis, et suspendere cum novitiis, etiamsi eorum emissioni, vel ipse, vel praedecessor, vel Superior subalternus, consenserint (cf. n. 638-640); — 8) quoad *regulas*, in casibus particularibus, nisi expresse sit eis interdicta dispensatio [3].

4° Superiorum est, quibuscumque sibi subditis SACRAMENTA ADMINISTRARE, vel administranda curare; item *confessarios* pro respectivis suis subditis, *approbare*, eisque jurisdictionem in eosdem, nomine S. Pontificis, concedere (cf. n. 1762-1763). — Hi vero CONFESSARII, etsi non possint eos, ut olim ex privilegio, absolvere a censuris et casibus Papae specialiter aut simpliciter reservatis; id tamen possunt, cum delegatione speciali Superiorum Praelatorum, ex jure communi, in quantum Religiosi impediuntur, quominus Romam contendant: juxta dicta n. 1280, 3° et 1283. — Possunt similiter iidem confessarii suos omnes, etiam novitios, candidatos, et familiares absolvere a casibus episcopalibus, nisi agatur de casu ante eorum ingressum ad forum contentiosum deducto [4] (cf. n. 1762).

5° Superiores Generales et Provinciales, subditis suis, professis tamen, litteras dimissorias dare possunt, ut ORDINES, etiam extra tempora, non servatis interstitiis, diebus Dominicis et festivis de praecepto (etsi suppressis), etiam *continuis* recipiant (cf. n. 1910) [5].

6° Regulares, vi exemptionis personalis, *non tenentur intervenire* SYNODIS DIOECESANIS. Excipe Abbates, qui Capitulis generalibus Ordinis non subduntur, et illos Regulares, qui parochorum vel quasi parochorum munere funguntur [6]. — Nec similiter tenentur assistere conferentiis casuum conscientiae, nisi curam animarum exerceant [7] (cf. n. 2254. fin.).

[1] H. A. XX. 104. 105; L. VII. 396. — [2] H. A. ib. 105. fin. — [3] L. I. 194. — [4] H. A. ib. 95. — [5] L. VI. 797. dub. 3; H. A. XX. 117; cf. Rotarius, *Theol. mor. Regul.* P. I. c. 2. p. 13, n. 7; Rossignoli, *De Ord.* P. I. q. 11. art. 8. n. 4; et Const. Greg. XIII *Pium et utile:* quam extenderunt Greg. XIV (Const. *Illius qui*), et Urban. VIII (Const. *Redemptoris nostri*). — [6] H. A. ib. 78; cf. Const. *Romanos Pontifices*, v. De officio. — [7] Cf. Bouix, tom. II. p. 149; it. Const. cit. v. *Praecipuam.*

Digitized by Google

7° In administrandis BONIS TEMPORALIBUS, viri Regulares non pendent ab Episcopo [1]. — Hinc, haereditate Ordini relicta cum onere Missarum, vel piorum operum sive intra sive extra Ordinem adimplendorum, nequit Episcopus de eorum executione inquirere. Atque idem dicendum de Missis, sive fundatis, sive manualibus, etiam in illis Regularium ecclesiis, quibus cura animarum est annexa [2] (cf. n. 1617. 1°).

2188. — *Ex his resolves*, PRO PRAXI: Jus Regularium cum jure *parochorum* componitur modo sequenti [3].

1° Regulares possunt, quin parochus obstare queat, in ecclesiis hora sibi bene visa *celebrare, praedicare,* annuntiare festa, vigilias, ac jejunia sequentis hebdomadae, necnon *S. Eucharistiam* omnibus diebus (die Paschatis excepto) distribuere (Vide etiam n. 677. 678).

2° Regulares, ab Episcopo ad confessiones approbati, possunt toto anno, etiam tempore paschali, saecularium, etiam aegrotantium, *confessiones excipere.* Sed audita alicujus infirmi confessione, debent rem notificare parocho saltem per scripturam relictam apud infirmum: ad quod, sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, constringi possunt ab Episcopo.

3° Omnes *Hebdomadae Sanctae* functiones libere a Regularibus in suis ecclesiis peragi possunt. — Sabbato sancto tamen nequeunt pulsare campanam, antequam in ecclesia digniori pulsetur, nisi vigeat contraria consuetudo, vel nisi ecclesiae multo distent.

4° Possunt in suis ecclesiis omnes *benedictiones* peragere: excepta benedictione fontis baptismalis, et benedictione nuptiali, et ubi consuetudo contraria vel statuta synodalia obstant, benedictio mulierum post partum.

5° Missae *exequiales*, et *sepultura* casu quo quis eam apud Regulares elegerit, non sunt de juribus parochialibus stricte dictis. — Quarta vero funeralis, vel cereae accensae in expositione et associatione cadaveris, parocho in hoc casu solvenda, est, nisi consuetudo vigeat contraria. — Corpora autem defunctorum in coemeteriis Regularium tumulanda, deferenda sunt, recto tramite, et per viam a parocho declarandam, ad ecclesias ipsorum Regularium, non autem prius ad parochialem, etsi haeredes contradicant. Ita S. R. C. 19 Decemb. 1671 *in Savonen* [4].

6° Licet *processiones* fieri non possint generaliter a Regularibus atque a Confraternitatibus, quae in eorum ecclesiis erectae sunt, extra claustra sine licentia Episcopi: sufficit tamen illa licentia absque parochi assensu. Imo, per Octavam Corporis Christi, processio fieri potest extra limites Conventus, non petita parochi neque ipsius Episcopi venia.

7° Non possunt *advenae*, etsi apud Regulares in infirmitatem caderent, ab ipsis sine parochi licentia recipere Communionem paschalem, Viaticum aut Extremam Unctionem; hoc enim privilegio fruuntur soli Regularium familiares et convictores, ut supra (n. 2186) diximus. — Et idem valet pro exequiis (cf. n. 2193, fin.) [5].

[1] H. A. XX. 81. — [2] Cf. Bened. XIV. *De Syn.* lib. 13. cap. 25 (ult.) n. 5. et 6; et quoad alienationem cf. Bizzarri, p. 331. — [3] Cf. Konings, n. 1196. — [4] Gardell. n. 2574. — [5] Cf. Craisson, n. 611. sqq.

Digitized by Google

§. 2. *Quid non comprehendat Regularium exemptio.*

2189. — In genere, Regulares SUBJACENT episcopali jurisdictioni in sua operatione ad extra, atque in exercitio sacri ministerii praestandi saecularibus. — In specie vero NOTENTUR sequentia:

1° *Quoad erectionem domuum.* Regulares non possunt regularem domum, aut etiam hospitium late dictum, seu quod habeat ecclesiam, aut oratorium publicum, erigere, nisi cum consensu Ordinarii. — Ita ex Trid. sess. 25. *de Regul.* cap. 3. — Non requiritur tamen (hoc nostro tempore) consensus parochi, qui jus tantum habet, ut *audiatur* in certis casibus, quando scilicet sua jura stricta atque exclusiva laederentur. Nec similiter aliorum Religiosorum consensus requiritur, nisi domus erigatur extra urbem in vicinia FF. Mendicantium [1].

Jure autem communi liberum est Regularibus, suas *domos* atque *ecclesias,* Ordinario etiam invito, *derelinquere;* et si eas ex propriis redditibus vel eleemosynis aedificaverint, libere de iis disponere (cf. n. 1353). — Possunt pariter, sine nova licentia, dummodo jura aliena non laedantur, sive in derelictas suas domos *reverti,* sive Conventum in alium ejusdem terrae locum, aut in ejus viciniam transferre. — Nec ulla licentia indigent ad fundandum *hospitium* stricte dictum, in quo scilicet neque ecclesia aedificetur, neque Missae accipiantur [2].

2° *Circa cultum divinum.* 1) Tenentur Regulares Festa et Interdicta dioecesis servare; — 2) se conformare statutis et ordinationibus Episcopi, circa Missae celebrationem stipendiique taxam. — 3) Rogati ab Episcopo personaliter, et non publico tantum edicto ut processionibus interveniant, non possunt abnuere: nisi ex privilegio aut vi regulae suae eximantur, vel nisi perpetuo in strictiori clausura vivant. — 4) Non possunt sacras Reliquias, aut insolitam Imaginem in ecclesia publicae venerationi exponere, absque praevia Episcopi recognitione aut approbatione. — 5) Nec similiter possunt (extra Octavam Corporis Christi), nisi de licentia Episcopi, vel ex usu legitime praescripto, SS. Sacramentum publice (i. e. detecto Sanctissimo et januis apertis) exponere, vel processiones extra ambitum ecclesiae instituere [3].

3° *Circa praedicationem.* 1) In ecclesiis Regularium, non possunt, licet a Praelato Ordinis approbati, praedicare, nec saeculares, nec Regulares aliorum Ordinum, nisi post petitam et non expresse negatam Ordinarii licentiam. — 2) In ecclesiis alienis, non possunt

[1] H. A. XX. 88; cf. Craisson, n. 2549-2566. — [2] H. A. ib. 89; cf. Salmant. Tr. 18. cap. 3. n. 132. sqq.; cf. Konings, n. 1197 et 1205. IV. — [3] H. A. XX. 75; L. VI. 424; cf. Konings, n. 1199 et 1201-1202.

Digitized by Google

Regulares praedicare nisi post obtentam licentiam, et si Ordinario ita visum fuerit, post peractum aliquod moderatum et discretum examen. Sufficit tamen licentia parochi, si brevi tantummodo tempore, in aliquo loco, ubi Episcopus non adsit, morantur. — 3) Episcopus potest Regularem aliquem (non vero omnes alicujus Conventus, quoad praedicationem in suis ecclesiis) ob « rationabiles causas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes » a praedicatione suspendere (Clemens X, Const. *Superna*). — 4) Si ipse Episcopus in aliquo loco concionaturus est, potest prohibere, ne eodem tempore, in aliis ecclesiis etiam Regularium, conciones ad populum habeantur; item, ne Regulares aliquo die concionentur, ut ita totus populus in cathedralem conveniat.

Non possunt Regulares sine Ordinarii licentia 1) novas indulgentias publicare; 2) personas vel familias indigentes auditoribus commendare, nisi sit periculum in mora, vel nisi ecclesia sit quasi-parochialis. — Vetantur alioquin aliquem publice, expresso ejus nomine, redarguere, et praedicare de tempore determinato extremi judicii vel Antichristi, vel de istiusmodi tractare revelationibus.

Advertendum: 1) Ordinarius non potest stricte *praecipere*, ut Regulares, curam animarum non habentes, in ecclesiis suis concionentur, neque ut concionatores saeculares aut aliorum Ordinum in suas ecclesias arcessant. — 2) Non potest pariter ipsis *prohibere*, ne in suis ecclesiis concionentur eadem hora, qua concio in ecclesia parochiali habetur, nisi ipse huic concioni intersit [1].

4° *Circa administrationem Sacramentorum.* — 1) Ad excipiendas fidelium confessiones Regulares indigent omnino approbatione Ordinarii (cf. n. 1746). — 2) Possunt quidem in suis ecclesiis S. Eucharistiam ministrare, excepto die Paschatis, aut etiam feria V in Coena Domini, si Episcopus, vel consuetudo (ut in alma Urbe) ita statuerit; sed non possunt, extra casum consuetudinis, eam publice per plateas deferre ad aegrotos, sine Episcopi vel parochi licentia An autem eam deferre possint *occulte*, in casu quo non agitur de Viatico, controvertitur. — 3) Districte eis prohibetur, et quidem sub poena excommunicationis Papae reservatae, ministrare, sine licentia parochi, Viaticum et Extremam Unctionem, extra casum *necessitatis* [2] (cf. n. 1341). Possunt tamen in professorum, novitiorum et familiarium gratiam, Oleum sanctum in suis ecclesiis servare.

5° *Circa curam animarum et Confraternitates.* — 1) In iis, quae spectant ad curam animarum parochialem vel quasi-parochialem, Regulares subsunt jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcoporum [3]. — 2) Non possunt, sine licentia Ordinarii, erigere

[1] H. A. XX. 124-128. — [2] Ib. 123. — [3] H. A. XX. 79, ubi plura; cf. Leo XIII. Constit. cit. *Romanos Pontifices.*

Digitized by Google

Confraternitates, exceptis iis, quas Generales Ordinum, jure sibi a S. Pontifice concesso, erigunt. Erectae vero Confraternitates subjacent visitationi Ordinarii, ad quem etiam spectat illarum statuta condere, examinare, corrigere, innovare: nisi haec sint a S. Sede confirmata, aut in forma contractus condita [1].

6° *Circa Statuta synodalia.* — Tenentur Regulares Statutis synodalibus: 1) Quoad vim *directivam*, si eorum observantia necessaria sit ad evitandum scandalum; — 2) quoad vim *coactivam*, si agatur de Festis observandis (ritu tamen excepto); vel de publicandis et servandis Interdictis; de celebratione Missarum; de prima puerorum Communione; de exercendo munere non exempto, ut concionatoris, confessarii, parochi [2].

7° *Circa potestatem coercitivam Episcoporum.* — Subjacent Regulares Episcopis, *tanquam Sedis Apostolicae delegatis*, in sequentibus: 1) In causa haeresis, et in aliis ad tribunal S. Officii spectantibus. — 2) Si eos graviter offendant, aut eorum jurisdictionem impediant. — 3) Si graviter delinquant in praedicatione verbi Dei, in audiendis confessionibus, in Sacramentorum administratione, aut in aliqua re pertinente ad clausuram Monialium. Item, si admittant sacerdotes peregrinos destitutos Litteris commendatitiis, ad celebrationem Missae [3]. — 4) Si degant extra claustra, modo permanenti (i. e. sine licentia Superioris, aut in loco ita longinquo, ut a Superiore puniri nequeant nisi post longum tempus), possunt ab Episcopo visitari ac puniri. — 5) Si degentes in claustro (excipiuntur tamen Superiores) patrant delictum notorium, cum scandalo populi, debent, intra tempus ab Episcopo definiendum, a proprio Superiore puniri. Quod si, post iteratam monitionem, non puniantur, poterit ipse Episcopus in eos animadvertere (cf. n. 1260. 4°) [4].

8° *Circa varia jura.* — 1) Quoad impressionem librorum, Regulares, haud secus ac caeteri, subijciuntur Ordinario [5]. — 2) Episcopus potest omnes controversias de praecedentia relative ad processiones, et in deducendis funeribus, pro illo actu dirimere [6]. — 3) Episcopi possunt, in ecclesiis Regularium Pontificalia exercere et uti baldachino. — 4) Sine consensu Ordinarii, nulli licet, in dictis ecclesiis, exercere Pontificalia [7].

2190. — Quaesita. QUAER. 1° *Quaenam potestas competat Episcopo in Religiosos* NON EXEMPTOS?

Resp. 1° Principium generale est, quod PERSONAE et LOCA cujus-

[1] Cf. Craisson, n. 902-909 et 4656. sqq. — [2] H. A. XX. 78. — [3] Cf. De Angelis, lib. I. tit. 22. n. 8. — [4] H. A. ib. 82. 83. — [5] Craisson, n. 593. 743. — [6] Id. n. 641. — [7] Cf. Konings, n. 1202. — Alia minoris momenti vide ap. Craisson, n. 577. sqq.

Digitized by Google

cumque Instituti non exempti subjiciuntur, in omnibus, ordinariae jurisdictioni Episcopi: nisi Regula a S. Sede approbata, vel specialia privilegia sive directe sive indirecte ab eadem S. Sede obtenta, aliquas expresse statuant exceptiones.

Resp. 2° De facto non existit ulla virorum Congregatio approbata, quae hujusmodi particularibus exemptionibus non gaudeat. — Hae vero exemptiones spectant generatim ad omnes *interioris oeconomiae* actus, videlicet: ad nominationes aut electiones Praepositorum, ad admissionem atque expulsionem Subjectorum, ad expensas et computa, ad administrationem bonorum, etc. Excipe, si agatur de *alienandis immobilibus* non modici valoris, aut *mobilibus pretiosis*, praeter pecuniam; nam in his, omnia Instituta tam simplicium quam solemnium votorum, pendent a S. Congreg. Concilii (vel Episc. et Reg.), ut dictum est n. 1353 [1].

QUAER. 2° *Quaenam sit potestas Episcopi in* MONIALES?

Resp. 1° Si moniales sint *exemptae*, atque immediate *S. Sedi subjectae*, Episcopus, tanquam delegatus S. Sedis, potest et debet per se, vel per alium: 1) examinare novitias ante professionem, ut supra dictum est (n. 2149); 2) instituere, semel in anno, canonicam visitationem; 3) praeesse electioni Superiorissae, et recipere suffragia; confirmatio autem ab ipsa S. Sede tunc petenda est; 4) exigere singulis annis rationem administrationis bonorum temporalium; unde, potest removere administratores, etsi eos constituere non possit [2] (cf. n. 2170. *Nota*).

2° Si moniales sint *exemptae* et *Praelatis Regularibus subjectae*, potest pariter ante professionem novitias examinare, et administrationi bonorum invigilare, ut in casu praecedenti. Sed non potest monasterium visitare, nisi ratione clausurae, nec praesidere electioni Superiorissae, nisi directive, audiendo tantum suffragia, eaque recognoscendo [3]. — Reliqua spectant ad Praelatos Regulares.

3° Si moniales *non sunt exemptae*, pollet in eas plena atque ordinaria auctoritate, salvis utique regulis a S. Sede approbatis. — Attamen, si in diversis disseminatae dioecesibus Superiorissae generali subduntur, unusquisque conventus pendet quidem a respectivo Ordinario quoad ea, quae sunt jurisdictionis episcopalis; non ita vero quoad ea, quae sunt merae administrationis oeconomicae, v. g. quoad electiones et translationes monialium de una domo in aliam; bonus enim ordo hoc sibi exposcit, ut moniales

[1] Cf. Craisson, n. 2910. sqq.; cf. De Angelis, lib. 3. tit. 36. n. 4. —. [2] H. A. XIII. 22; L. IV. 49, ubi plura circa electionem Abbatissae. — [3] L. IV. 5; item n. 36, ubi plura circa administrationem bonorum monasterii.

Digitized by Google

in hujusmodi rebus non pendeant a regimine Superiorum ecclesiasticorum, sed duntaxat a nutu Superiorissae generalis; nec contraria consuetudo videtur esse rationabilis [1].

Hic etiam NOTANDUM est, a S. Sede generatim non approbari, ut aliquis Episcopus (vel Sacerdos) sit *Superior generalis* Instituti, quod in alias diffunditur dioeceses, ne jurisdictionis ordo turbetur [2].

ARTICULUS III.

DE CÆTERIS REGULARIUM PRIVILEGIIS

2191. — Regulares habent ex jure communi, sive directe, sive per communicationem, FACULTATES sequentes:

1° « Possunt Generales et Provinciales Regularium, in suis Conventibus et Collegiis erigere privata ORATORIA, dummodo, ad divinum cultum tantum sint deputata; et in ipsis, absque alia Episcopi vel S. Pontificis facultate, possunt legi eodem die plures Missae, nedum a Regularibus, sed etiam a presbyteris saecularibus [3]; » — item, in eis « possunt omnes fideles Missam audire et satisfacere praecepto audiendi Sacrum in diebus festis, quia ista oratoria gaudent privilegio oratorii publici » (cf. n. 678, 1583, 1°, 1627, 2185).

2° Superiores Regulares, etiam locales, possunt *benedicere* quaecumque vasa, paramenta, aliaque ad divinum cultum pertinentia; dummodo sacra unctio non sit adhibenda; sed pro suis duntaxat ecclesiis et conventibus. — Item, possunt benedicere loca sacra ipsis propria, nempe ecclesias suas, suaque oratoria ac coemeteria; et, si polluta fuerint, reconciliare aqua benedicta, mixta, ex Pontificalis Romani praecepto, sale, cinere et vino [4]. Consultum tamen est, ut hac facultate nunquam, invito Ordinario, nec publice, utantur.

3° Possunt Regulares CELEBRARE Missam *una hora ante auroram* (seu tribus circiter horis ante ortum solis); imo, justa aliqua causa accedente, duabus horis post mediam noctem, etiam tempore hyemali; sed tantum in ecclesiis propriis, in quibus id quoque licet sacerdotibus saecularibus. — Insuper, ex privilegio concesso ab Eugenio IV, possunt celebrare tribus horis post meridiem [5].

4° Tempore *Interdicti* Religiosi sunt privilegiati, ut vidimus n. 1307. II.

5° Confessarii Regulares, ab Episcopo approbati, habent fa-

[1] Cf. Konings, n. 1189. 4°. — [2] Cf. Bizzarri, append. I. pag. 833. sqq. — [3] Ferraris, v. *Oratorium*, 72, 75; cf. S. A. L. III. 319. fin; L. VI. 357, 494, v. *Hic ultimo*. — [4] Cf. Ferraris, V. *Benedicere*, art. 1. — [5] H. A. XX. 122.

Digitized by Google

cultatem: — 1) dispensandi cum saecularibus, sive intra sive extra confessionem, in omnibus *votis simplicibus* (exceptis quinque Papae reservatis), dummodo juribus tertii non praejudicetur; — 2) dispensandi in omnibus *irregularitatibus occultis* ex delicto, excepto homicidio voluntario; — 3) dispensandi in *inhabilitate* ad celebrandum, quam incurrunt confessarii sollicitantes ad turpia, necnon sacerdotes Missae sacrificio ad sortilegia abutentes; — 4) dispensandi *cum conjugibus*, in impedimento exigendi debitum conjugale; quod alter conjugum contraxit, sive ex incestu cum affine commisso, sive ex voto castitatis personali, ante vel post matrimonium emisso; at licentia specialis a Superiore saltem domus ad hoc petenda est [1].

An, QUAERES, *possint Regulares (vel alii eadem facultate pollentes) dispensare in juramentis Deo factis, sicut et in votis?* — R. Disputant AA., et utrinque quidem probabiliter. Unde, *S. Alphonsus* pro praxi concludit: « Sententia negativa omnino est tenenda; nam, obligatio juramenti jam contracta, cum sit certa et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam [2]. »

CAPUT V.

DE RELIGIOSIS IN STATU DISPERSIONIS

2192. — Principia. I. Certum est, nullum juridicum effectum enasci posse ex illis religiosarum familiarum dispersionibus aut suppressionibus, quas Potestas civilis, sine consensu S. Pontificis, decernit. Ratio est, quia status religiosus trahit suam originem ex jure, tum divino, tum ecclesiastico. Proinde, pertinet ad solam Ecclesiam de negotiis ad eum spectantibus judicare [3].

II. Dispersio seu suppressio religiosarum familiarum potest efficere, ut in obligationibus status regularis aliquid imminuatur, atque usus privilegiorum aliquantisper interrumpatur. Constat ex variis responsis sacrarum Congregationum, ex quibus sequentes decisiones excerpere opportunum judicamus [4].

1° Vota apud Religiosos vi dispersos in suo perfecto vigore permanent. — Constat ex Brevi PII VI ad Episcopum Brunen. [5] pridie Idus aprilis 1782, et ex resp. S. POENIT. 18 april. 1867.

2° Paupertatis voto obstricti remanentes, nequeunt Religiosi dispersi *bona* proprio nomine possidere, pecunias cumulare, im-

[1] H. A. XV. 104. 108. 109; L. VI. 987. 1076. — [2] L. III. 190 (a 6ª edit.) et H. A. V. 43; juxta quae reformanda sunt alia prius scripta, i. e. *De Priv.* n. 108; H. A. V. 19. 2°; *Conf. dir.* V. 7. 12. — [3] Cf. Bouix, *de Jure Regul.* tom. I. p. 354. sqq. — [4] Cf. *Acta S. Sed.* III. 151. sqq.; G. a Varceno, t. II. append. IV., ubi varia Responsa et Indulta. — [5] Cf. PII VI *Acta* tom. I. p. 46.

Digitized by Google

pensas insumere in res inutiles, nec facere testamenta (sed vide n. 2176).

3° Quoad votum *Obedientiae*, S. Poenitentiaria, 18 aprilis 1867, declaravit omnibus Superioribus Regularibus: « ipsorum jurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis *degens extra claustra* quoad politiam, et disciplinam ecclesiasticam, a jurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit: attamen, quoad disciplinam regularem, et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, et cum novo ejus statu sunt compatibiles, *propriis Superioribus* subesse, eisque obedire tenetur [1]. » — Si degat extra suam Provinciam, subjicitur tum Superiori locali, tum Provinciali, in cujus territorio versatur. Ita ex decreto S. Congr. SUPER DISCIPLINA REGULARI, 5. aug. 1872 [2].

4° « Curandum est, ut Regulares a propriis domibus expulsi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeunt, in peculiarem aliquam *domum a Superioribus suis designandam* conveniant; ibique regulam, quam professi sunt, meliori, quo fieri potest, modo observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione. » Ita S. POENIT. 18 april. 1867 [3].

Nota. Indultum *saecularizationis*, seu licentiam degendi in saeculo *ad tempus* vel *in perpetuum*, ex justa causa, v. g. ad adjuvandos parentes, ad propriam curandam salutem, etc., quandoque concedit S. Congr. EPISC. ET REGULARIUM. Sed ordinarie exigitur, ut Religiosus substantialia votorum cum novo statu compatibilia observet, ut (de congruo patrimonio provisus, si sit sacerdos) vivat sub obedientia Ordinarii loci *etiam vi voti religiosi*, utque aliquod religiosi habitus vestigium jugiter deferat. — Hinc, si fuerit solemniter professus, non potest (sine alio speciali Indulto) testamentum facere; et eo mortuo, pensiones vel bona, quae detinebat, non ad ejus haeredes aut legatarios (nisi ex venia S. Sedis), sed ad ejus Ordinem vel ad S. Cameram *spoliorum* jure pertinent: ad *Ordinem*, si ad tempus; ad *Cameram spoliorum*, si in perpetuum saeculo redditus fuerat [4]. Ita PIUS VIII, 26 junii 1829 [5].

Toto Indulti tempore, talis Religiosus confiteri debet penes Confessarium ab Ordinario loci approbatum, a quo tamen absolvi poterit etiam a censuris et casibus reservatis in suo Ordine, si in Dioecesi reservata minime sint. Ita PIUS IX, 27 aug. 1852 [6].

2193. — QUAERITUR. *Utrum Religiosi, per vim* DISPERSI, *gaudeant omnibus propriae Religionis* PRIVILEGIIS?

Resp. 1° Si plures simul IN COMMUNITATE convivunt, et familiam licet imperfectam efformant, retinent *omnia* Regularium jura et privilegia. — Atque hinc est, quod S. POENITENTIARIA, die 18 apri-

[1] *Acta S. Sed.* III. 152. n. 2. — [2] Ib. VII. 407. — [3] Ib. III. 152. n. 1. — [4] Cf. *Monit. eccles.* vol. IV. P. I. pag. 33, ubi formula Indulti. — [5] Apud Bizzarri, *Collect.* p. 76. — [6] *Monit. eccles.* loc. cit. p. 37.

Digitized by Google

lis 1867, declaraverit: — 1° « domos, dummodo in eas *tres saltem* ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum *unus* ad minus sit sacerdos, jurisdictioni Ministri Provincialis fore subjectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum. — 2° In domibus, dummodo in eis *quatuor saltem* degant sacerdotes Regulares, erigi posse, servatis de jure servandis, privatum oratorium, a Ministro Provinciali... visitandum prius et approbandum, ita, ut in eo Missa a sacerdotibus Regularibus celebrari, SS. Eucharistia asservari, et a Religiosis atque Oblatis duntaxat S. Communio sumi et praecepto de audiendo Sacro satisfieri possit. — 3° Indulget insuper Sedes Apostolica, ut in Oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui possint omnibus *Indulgentiis* proprii Ordinis ecclesiis concessis [1]. »

Resp. 2° Regulares dispersi, qui, in propriis domibus, SEPARATIM vivunt, retinent sola privilegia *personalia* Religiosis concessa, non vero privilegia realia; quia subjectum horum privilegiorum non amplius existit. — Atque hinc est, v. g. quod, citra speciale Episcopi Indultum, subdantur parochis locorum, quoad Communionem paschalem, quoad ultima Sacramenta, et quoad jus funerale [2].

Responsum S. C. EPISC. ET REGUL. — An et cui competat, in casu, jus funerum quoad Religiosos vi praesentium circumstantiarum dispersos? — R. S. Congr. die 11 martii 1881 (in *Casertana*) respondit: « Affirmative favore Regularium, quoties Religiosi sub legitimo Superiore *saltem in ternario numero* convivant, et alii extra degentes ab eodem dependeant; alias, favore Parochorum [3]. »

Scholium.

De conditione monialium in Galliis.

2194. — De statu actuali Monialium in Galliis haec pauca notabimus [4]:

1° Hodie, in Gallia (Sabaudia excepta), in Belgio atque in caeteris locis, ubi viget idem Codex legum civilium, vota monialium *non habentur ut solemnia*, prout pluries a S. C. EPISC. ET REG. et a S. POENIT. responsum est [5]. — Hoc tamen non currit quoad viros, qui adhuc possunt in illis regionibus vota solemnia emittere: ut constat ex authentico testimonio GREGORII XVI, quoad Religiosos S. Benedicti Solesmenses.

2° Clausura papalis non existit in iisdem regionibus, nec proinde transgressores incurrunt poenas canonicas a S. PIO V stabilitas et a PIO IX renovatas. — Attamen, lex clausurae in monasteriis, in quibus, vi Constitutionum, existere debet, abjici non potest sine culpa per se mortali; quia sic videtur communiter apprehendi, et Episcopi sic obligare velle censentur, cum haec disciplina semper summe necessaria habita fuerit. — Ita Bouvier [6].

[1] *Acta S. Sed.* ibid. n. 3-5. — [2] Cf. ibid. I. 168; V. 569; VII. 147. — [3] Ex cop. auth.; cf. *Nouv. rev. théol.* t. XIII. p. 571. — [4] Cf. Gury, II. n. 177. — [5] Cf. Bizzarri, pag. 94 et 503. — [6] *De 2° Praec. Decal.* in fine.

Digitized by Google

3° Obligatio Officii divini non urget, pro praedictis monialibus, ex lege Ecclesiae; sed tantum ex respectivis Ordinum Constitutionibus, quae generatim sub gravi non obligant. — Ita S. POENITENTIARIA ad Episcopum *Petrocoren.* 26 nov. 1852 [1].

4° Quoad ingressum in Religionem « votum mulieris, cujus intentio respexerit ad monasteria, prout nunc in Galliis existunt, non est reservatum; quia scilicet monasteria eadem a S. Sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam Ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiae feminarum aestimantur. » Ita S. POENITENTIARIA ad Episcopum *Cenomanen.* 23 decembr. 1835 [2].

5° Eidem Episcopo postulanti: « an Ordinarius super votis a monialibus emissis, data ratione sufficienti, DISPENSARE possit, voto perpetuae castitatis remanente, » — responsum fuit: « Ex Sanctitatis Suae declaratione Episcopos Galliarum, rebus sic stantibus, posse dispensare [3]. »

Sed animadvertendum est: 1) hoc Indultum respicere solummodo ad Instituta, in quibus olim vota solemnia emittebantur, puta ad Ordinem Visitationis B. M. V.; non autem ad Congregationes, in quibus vota simplicia, ex lege Instituti a S. Sede approbata, emittuntur; nec ad moniales, quae emittunt vota a tertio acceptata, vel votum perseverantiae seu stabilitatis (cf. n. 2175. 3°). — 2) Non solere concedi a S. Sede dispensationem absolutam super voto simplici perpetuae castitatis; sed duntaxat commutationem cum dispensatione mixtam: sub hac praesertim conditione, ut si mulier viro suo supervixerit, alias nuptias inire non possit, absque nova S. Sedis commutatione [4] (cf. n. 2176).

6° In aliquibus Institutis VOTA SIMPLICIA (non excepto voto castitatis) ita emittuntur, ut illa tamdiu perdurent, *quamdiu professa in Instituto permanserit:* in quo casu, vota illarum, quae vel sponte discedunt, vel a Superioribus dimittuntur, sine ulla dispensatione cessant. — Generatim tamen « in Congregationibus mulierum in usu minime est, ut vota simplicia sint perpetua ex parte voventium, et solvantur ex parte Instituti. Solent potius emitti prius vota *ad tempus,* et deinde *perpetua,* pro quorum dispensatione ad apostolicam Sedem recurrendum est [5]. »

« Compertum vero est Sorores seu *puellas Charitatis,* a S. Vincentio a Paulo institutas, vota duntaxat simplicia nuncupare, quorum obligatio *non ultra annum* protenditur; ita ut, si velint in Congregatione permanere, debeant singulis annis, recurrente Capituli tempore, eadem vota renovare: quae quidem praxis, dum singulis libertatem aperit Congregationem deserendi, Superioribus etiam libertatem relinquit sorores mala exempla praebentes et indociles dimittendi, quo fit, ut *facilius* singulae in officio contineantur [6]. »

[1] Gury, l. c. n. 183; cf. Bizzarri, p. 77. *Lugdunen.* — [2] Bizzarri, p. 505. — [3] Ibid. — [4] Ib. p. 505. fin. — [5] Ibid. p. 843. XIII. *Animadvers.* 4. — [6] Ib. p. 456, in *Gandaven;* cf. Meynard, *Réponses canon.* P. I. Liv. 2, ubi multa pro praxi utilia.

Digitized by Google

TRACTATUS II.

DE STATU CLERICALI

2195. — Quae Statûs clericalis natura sit et quae origo, expositum est supra, in Tractatu *de Ordine* (n. 1885 sqq.), ubi vidimus eum esse partim divinitus, et partim canonice institutum. — Restat igitur, ut *de Obligationibus* CLERICORUM disseramus, — tum ratione *statûs*, — tum ratione *beneficii*, si quod possideant, — tum ratione *sacri muneris*.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM RATIONE STATUS

Obligationes, quibus Clerici ratione STATUS tenentur, ad haec DUO commode reduci possunt, videlicet: 1° ut peragant omnia quae ipsis speciatim *praecipiuntur;* 2° ut devitent quae ipsis *vetantur*.

ARTICULUS I.

DE IIS QUÆ CLERICIS PRÆCIPIUNTUR

2196. — Clericis praecipitur: 1° Vitae sanctitas; 2° Caelibatus; 3° Recitatio Horarum canonicarum; 4° Gestatio habitus et tonsurae.

§. 1. *De sanctitate vitae.*

« Quicumque profitetur statum aliquem, ait *S. Thomas*[1], tenetur ad ea, quae illi statui conveniunt. » Ex quo deducuntur pro statu clericali, sequentia

Principia. I. Clerici tenentur, peculiarem in modum, ad VITAE SANCTITATEM. — Probatur 1) ex pluribus S. Scripturae locis, et praesertim ex Epistolis ad Timotheum et Titum, in quibus Apostolus totus in eo est, ut Novae Legis tum sacerdotes, tum Episcopos, tum sacerdotum ministros, i. e. diaconos, ad virtutis ac sanctimoniae studium impellat. — 2) Ex doctrina SS. Patrum, qui

[1] 2. 2. q. 186. a. 2. in princ.

Digitized by Google

passim hanc primariam clericorum obligationem affirmant, ad eamque graviter adhortantur [1]. « Ad idoneam executionem Ordinum (inquit *D. Thomas,* resumens ecclesiasticorum scriptorum communem super hac materia doctrinam) non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur *bonitas excellens:* ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis » [2]. — 3) Ex permultis Conciliis, et maxime ex hisce Tridentini verbis [3]: « Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant. » — Idem evincitur ex dictis de Ordinando (n. 1912 sqq.).

2197. — II. Clerici IN SACRIS tenentur ad sanctitatem eo MAJOREM, quo altior est GRADUS sacrae hierarchiae, in quo collocati sunt. — Ratio desumitur tum ex praecellentia officii, quo funguntur, ministrando ad altare, et orando pro populo; tum praesertim ex necessitate, in qua quotidie versantur praedicandi verbum divinum, et ministrandi Sacramenta. — Unde *D. Thomas* [4]: « Quia, inquit, per sacrum Ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris: ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam Religionis status. Unde, gravius peccat, caeteris paribus, clericus in sacris Ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis Religiosus, qui non habet Ordinem sacrum. »

2198. — *Nota.* Clerici et sacerdotes, qui ante Ordinationem jam aliquem perfectionis gradum attigisse supponuntur, tenentur illis uti mediis, quibus jam parta sanctitas *conservari* ac novum incrementum capere possit. — Ex his mediis haec in primis a *S. Alphonso* commendantur: 1° Vita ita stabiliter ordinata, ut suo tempore quaeque fiant. — 2° Frequens oratio tum vocalis, tum mentalis, praecipue ante et post celebrationem Missae. — 3° Lectio spiritualis, haecque quotidiana, praesertim in Vitis Sanctorum. — 4° Studium sacrae theologiae, et praecipue theologiae moralis. — 5° Quotidiana salutatio SS. Sacramenti et B. M. Virginis. — 6° Quotidianum conscientiae examen ac frequens confessio. — 7° Custodia sensuum et fuga conversationis cum saecularibus. — 8° Annua per integram hebdomadam spiritualium exercitiorum celebratio, et menstrua per diem unum. — 9° Pia et constans erga B. Virginem devotio, quae ad hoc efficaciter impellat, ut fervidae quotidie ad Eam preces cum tertia parte Rosarii recitentur, utque omni Sabbato aliquis actus mortificationis in Ejus honorem exerceatur [5].

[1] Praecipua Patrum testimonia vide apud S. Alph. *Selva,* P. 1. c. 2. — [2] Suppl. q. 35. a. 1. ad 3. — [3] Sess. 22. cap. 1. *de Ref.* — [4] 2. 2. q. 184. a. 8. — [5] Cf. *Regolam. di vita per un sacerd. secol.* (Edit. Torin. tom. 3. p. 859).

Digitized by Google

§. 2. *De Caelibatu ecclesiastico.*

2199. — Ad Clericorum et Sacerdotum sanctitatem requiritur prae omnibus inviolabilis corporis castimonia. — Hinc sequentia

Principia. I. Obligatio servandi PERPETUUM CAELIBATUM contrahitur, ipso facto, ab omnibus, qui SACROS ORDINES suscipiunt. — Constat ex variis Juris canonici decretis; et signanter ex can. 1. dist. 28, ubi *D. Gregorius* sic praescripsit: « Nullum Subdiaconum facere praesumant Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit: quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. » Item ex Tridentino sess. 24. can. 9, ubi sic definitum est: « Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto: anathema sit [1] » (cf. n. 2013).

2200. — II. Obligatio caelibatus ecclesiastici non est de jure divino; sed oritur ex LEGE ECCLESIAE praecipiente castitatem, ac votum castitatis [2]. — Ratio *prioris* est, « quia, etsi caelibatus ab Apostolis ortum habuit, ut probant DD., tamen tantum ex praecepto Ecclesiae sive Apostolorum (ut probat Bellarminus) est introductus et firmatus, ut patet ex ipsis verbis Tridentini. » — Ratio *posterioris* praecipue desumitur ex Jure [3], ubi dicitur: « Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit [4]. »

Apud GRAECOS vero, tolerante Ecclesia, usque ad hodierna tempora, viget Canon 13 Concilii Trullani, qui contra Majorum quidem instituta permisit, ut diaconi et presbyteri licite convenire possint cum uxoribus, quas ANTE Ordinationem duxerunt; servatis interim in pristina sua integritate duobus illis edictis, quorum altero praecipitur, ut Episcopi in perpetuo caelibatu vivant, et altero, ut clericis, POST susceptos sacros Ordines, non amplius nuptias contrahere liceat [5]. — Unde fit, ut ORDO SACER sit apud Graecos, sicut apud Latinos, matrimonii contrahendi *impedimentum dirimens;* usus vero matrimonii (si uxorati ordinati fuerint) sit graviter illicitus solis Episcopis, dum apud Latinos omnibus clericis in Sacris constitutis graviter illicitus est (Recole dicta n. 1939. 2° et 2013).

2201. — *An*, QUAERES, *obligatio caelibatus oriatur, immediate ex praecepto Ecclesiae, vel mediate, scilicet ex voto, quod in ipsa Ordi-*

[1] L. VI. 806. — [2] Ib. 807 et *Exam. Ordin.* n. 59. — [3] Cap. *Cum olim*, 6. de cleric. conjug.; cf. Gury-Cretoni, tom. 2. p. 638. — [4] Cf. S. A. in Trid. sess. 23. n. 40-54. — [5] Cf. Em. Card. Pitra, *Jur. eccl. graecorum historia et monum.* tom. 2. pag. 30.

Digitized by Google

natione emittitur? — *R.* Utraque sententia, secundum *S. Alphonsum*, est probabilis; sed communior et probabilior secunda, quae dicit, hanc obligationem *ex voto* oriri. Id enim expresse dicitur in diversis Juris canonici capitibus; et aliunde, si obligatio foret ex sola Ecclesiae lege, posset S. Pontifex omnes sacerdotes ab illa solvere: quod est contra communem DD. sententiam[1].

Ex his resolves: — 1° Ecclesia potest dispensare in voto continentiae sacris Ordinibus adnexo, sicut in omnibus aliis votis[2]. Cum constitutis tamen in Sacris nunquam dispensat, nisi sub ea conditione, ut dispensati a clericalibus officiis omnino removeantur[3].

2° Si quis, Ordinem suscipiendo, expresse nollet castitatem vovere, teneretur nihilominus ad caelibatum: non quidem vi voti, quod non emisit; sed vi praecepti Ecclesiae, quae eum, ex motivo religionis, deficiente voto, ad castitatem adstringeret[4].

3° Si quis ordinaretur ante usum rationis, certe non teneretur ad caelibatum. — An vero teneretur Ordinatus ante pubertatem, controvertitur utrinque probabiliter[5].

4° Si quis ordinatur per metum extrinsecum *injuste* incussum, et non habet animum suscipiendi Ordinem, non est valide ordinatus, nec tenetur ad castitatem, neque ad Breviarium. — Imo, etsi ex metu Ordinationi consenserit, probabilius est eum non teneri ad onera; quia ejus votum probabilius invalidum censendum est. Verumtamen, expedit ut taliter Ordinatus dispensationem petat, si nolit Ordinem exercere, sed matrimonium inire. — Teneretur autem, si metus fuisset *juste* incussus, vel si Ordinatus *scienter* ordinationem suam ratificaret, v. g. sponte exercendo Ordinem[6].

2202. — *Nota.* Lex caelibatus est statui clericali convenientissima, et fini Ecclesiae moraliter necessaria. — Rationes sunt: 1) Sanctitas et dignitas Sacrificii Eucharistici et aliorum mysteriorum, quae ab altaris ministris tractanda sunt. — 2) Officium docendi et exhortandi: nam sacerdos conjugatus non potest cum perfecta auctoritate atque efficacia sanctissimas Evangelii veritates docere, et praesertim virgines ac viduas ad continentiam opportune adhortari. — 3) Administratio Sacramentorum; quomodo enim Christi-fideles, nisi sacri ministri castitatis vigore praestarent, eo induci possent, ut ipsis suarum conscientiarum arcana candide aperirent, et quomodo ipsis Sacramentis summam illam, quam merentur, reverentiam exhiberent. — 4) Cura infirmorum, et generatim ministeria charitatis; animi enim carnalibus curis affectibusque vacui, ac spiritu Christi pleni, in charitatem, atque uberrimam beneficientiam sese effundunt, ut constat passim ex catholicae charitatis operibus[7]. — Plura vide apud AA. dogmaticos, vel Canonistas.

[1] L. VI. 808; cf. Konings, n. 1085. — [2] L. VI. 807. — [3] Cf. *Acta S. Sed.* I. 221; II. 443; VI. 85. — [4] L. VI. 809. dub. 2. — [5] Ib. 810. — [6] *Exam. Ord.* n. 59; cf. De Angelis, lib. 1. tit. 11. n. 8. — [7] S. A. in Trid. sess. 23. n. 40. sqq.; Scavini, lib. III. n. 598.

Digitized by Google

§. 3. *De Horis canonicis.*

2203. — Horae canonicae sunt preces vocales, ab Ecclesia institutae atque ex ejus praecepto Deo persolvendae a personis ad id deputatis.

Solent variis nominibus vocari. Vocantur *Breviarium*, vel quia breviter Scripturarum oracula, sententias Patrum et Sanctorum gesta commemorant; vel quia sunt longiorum precum, quae priscis temporibus recitandae erant, compendium. — Vocantur etiam: *Officium ecclesiasticum*, quia Ecclesiae nomine persolvuntur; *Officium canonicum*, quia juxta regulas canonum persolvendae sunt; *Officium divinum*, quia in Dei honorem ac cultum sunt institutae.

Horae canonicae numerantur septem, videlicet: *Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae,* et *Completorium.* — Matutinum cum Laudibus et Vesperae dicuntur Horae majores, caeterae Horae minores vel *parvae.*

Horae canonicae, quoad substantiam, repetunt suam originem ab ipsis Apostolorum temporibus, ut constat ex Act. Ap. 2, 42, et manifestius ex Constitutionibus Apostolicis lib. 8. can. 34, ubi haec Clericis praescripta leguntur: « Precationes facite mane, hora tertia, sexta, et nona, et vespere atque ad galli cantum [1]. » — Quoad formam vero, in qua hodie recitantur, dicendum est, Horas Canonicas esse opus Romanorum Pontificum, primum (saeculo IV), *S. Damasi* utentis ad hoc operâ S. Hieronymi; dein (saeculo V), *Gelasii* in Concilio Romano; deinde (saeculo VI), *S. Gregorii Magni;* tum (saeculo XIII), *Gregorii IX,* qui illas in breviorem formam redegit; postea (saeculo XVI), *S Pii V;* tum (saeculo XVII), *Clementis VIII* et *Urbani VIII* [2]; et postremo (nostris temporibus), *Leonis XIII* [3].

His praemissis, exponendum est: 1° Quaenam sit (sive pro Clericis, sive etiam pro Religiosis) obligatio recitandi Horas canonicas; 2° in quanam forma et modo recitari debeant; 3° quaenam sint causae a recitatione excusantes.

I. — De obligatione recitandi Horas canonicas.

2204. — **Principia.** I. Obligatio recitandi Horas canonicas oritur ex triplici titulo, videlicet: ex titulo *sacri Ordinis*, ex titulo *Beneficii ecclesiastici*, et ex titulo *Religionis* adstrictae choro. — Ita omnes.

1° Ex titulo Ordinis obligantur Clerici in Sacris constituti, etiam suspensi et excommunicati. « Cohaeret enim, ait *Benedictus XIV* [4], Ordini sacro diurnum pensum Horarum canonicarum;

[1] L. IV. 141. — [2] Cf. Thomassin, *Vetus et N. Eccl. Disc.* P. 4. Lib. 1. cap. 40. (al. P. 1. L. 2. c. 84. n. 11. 12. 13). — [3] Cf. *Breve*, die 28 jul. 1882. — [4] Const. *Eo quamvis tempore*, §. 43, die 4 maji 1745 (cf. Cap. *Dolentes*, de celebratione Missar.)

Digitized by Google

illudque veteri traditione acceptum, et immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior theologorum opinio. »

Obligatio haec *incipit* ab Hora correspondenti horae, qua subdiaconatus collatus est; unde, si Ordo confertur hora undecima matutina, obligatio incipit a Sexta [1].

2° Ex titulo Beneficii obligantur omnes beneficiati, etsi solum tonsurati, dummodo jus in re habeant seu plenam possessionem beneficii: quod non sit nimis tenue (i. e. quod ad tertiam saltem sustentationis partem pertingat), et ex quo fructus percipiant vel percepturi sint [2]. Ita ex decreto Concilii Lateranensis V, edicentis: « Statuimus, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses, obtento beneficio, Officium divinum non dixerit, fructus non faciat suos, pro rata omissionis. » Qui vero, post admonitionem, Officii recitationem omittere pergit, is etiam beneficio privari potest. — Decrevit praeterea S. Pius V, in Constitutione *Ex proximo*, ut qui omittit Matutinum, restituat dimidiam partem fructuum correspondentium illi diei; qui caeteras Horas, aliam dimidiam; qui vero unam tantum ex parvis, sextam partem. — Et idem dicendum, si quis per plures leves omissiones inter Officium diei, ad gravem materiam pertingat. — Neque omittens Officium uno die excusatur a restitutione, si suppleat in alio [3].

Haec autem restitutio fieri debet *ante omnem sententiam;* quia recitatio est absolute necessaria ad lucrandos fructus. — Porro, facienda est *pauperibus*, vel *fabricae* ecclesiae, vel *domui* beneficii, vel in augmentum agrorum ipsius. Similiter applicari potest ad Missas *pro defunctis;* quia animae in purgatorio sunt vere pauperes [4]. — Nec suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas beneficiarius de fructibus sui beneficii *antea* fecerit, sicut ex propositione 33ª ab Alexandro VII damnata constat. Si quis autem *post omissionem* dederit eleemosynas, faciendae restitutionis vel immemor vel forte nescius, probabiliter, potest eas computare [5].

Dicitur in decreto: *post sex menses;* ex quo sequitur, beneficiatum, qui sex primis mensibus Officium negligit, graviter quidem contra religionem peccare, sed non contra justitiam [6], atque ideo non teneri ad restitutionem.

An, quaeres, *beneficiarius restituere debeat* omnes fructus *juxta Officia quae omisit?* — *R.* Beneficiarius simplex, qui habet duntaxat onus deferendi habitum ac tonsuram, debet restituere omnes fructus.

[1] Lib. IV. 140; *Exam. Ord.* n. 61. — [2] L. III. 674; *Exam. Ord.* 67. — [3] *Exam. Ord* 61; L. III. 663. 667; cf. *1. El. qq. ref.* n. 27. 28. 29. — [4] L. III. 672. — [5] L. IV. 153; *Exam. Ord.* 62. 63. — [6] L. IV. 145. fin.

Digitized by Google

— Caeteri vero beneficiarii tenentur restituere tantummodo eos fructus, qui respondent ad onus Officii. « Ratio, tum quia bulla S. Pii V sic recepta est et sic explicata usu, utpote conformior aequitati naturali; tum quia durum videtur eodem modo obligari Episcopos, parochos et capellanos, qui ferunt alia onera, ac simplices beneficiarios. — Quare dicunt, *Episcopum* vel *parochum* teneri restituere tertiam vel quartam (vel, ut alii opinantur, quintam) partem fructuum, retinendo alios pro aliis oneribus, quibus ipsi satisfaciunt; — *Canonicos* dimidiam partem (et, secundum quosdam, non nisi quartam); — *habentes capellaniam*, dimidiam vel tertiam partem (capellanus enim tenetur ad Officium, cum quaelibet capellania conferenda ab Episcopo, et ejus auctoritate erecta, sit vere beneficium, etsi sit ad nutum amovibilis; secus, si non sit erecta auctoritate Episcopi, licet ab ipso conferatur). Ratio, quia isti omnes recipiunt fructus non solum pro Officio, sed pro aliis etiam oneribus [1]. »

3° Ex titulo Religionis *addictae choro*, obligantur sub gravi ad Horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim, omnes Regulares *solemniter professi*, qui Choristarum nomine veniunt, quamvis non sint ad Ordines promoti, neque ad eos promovendi. — Oritur haec obligatio ex consuetudine jam praescripta et vim legis habente apud Regulares choro addictos. Constat autem de vi obligatoria hujus consuetudinis, tum ex eo quod a Regularibus et a Monialibus fuerit constanter et cum magno incommodo servata, tum ex eo quod Praelati semper transgressores graviter reprehenderint. — Si vero, inquit *S. Alphonsus*, in aliqua Religione constaret non esse talem consuetudinem, talis obligatio in illa non esset [2].

Quaesitum fuit: « An Professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium, juxta litteras encyclicas datas die 19 martii 1857, praemitti debent, teneantur ad Officium divinum? » — Et S. Congr. *super Statu Regularium*, mandante Pio IX, respondit, die 6 augusti 1858: « eos non teneri ad privatam recitationem, debere tamen Choro interesse ut solemniter Professi [3]. »

2205. — Advertit insuper *S. Alphonsus* [4]: 1° « Nullus Religiosus aut Monialis in particulari tenetur sub gravi Horas dicere in choro, modo tamen chorus non tollatur.... Paucitas autem religiosorum excusat totam Communitatem a choro. Ideo nisi adsint ad minus quatuor expediti (i. e. nec infirmi, nec legitime occupati) non est obligatio chori. »

2° Praelati peccant graviter, si ex negligentia sinunt omitti partem notabilem Officii in choro; quia tenentur observantiam regularem tueri ac servare [5].

[1] L. III. 673. — [2] L. IV. 142. — [3] Cf. Bizzarri, pag. 908. — [4] L. IV. 143. — [5] Ibid. 143; *Exam. Ord.* n. 61.

Digitized by Google

3° Religiosi degentes cum licentia extra claustra, tenentur ad Officium; item, si sint profugi, aut incarcerati. — Secus vero, si fuerint ejecti, vel ad triremes damnati[1].

4° Fratres laici debent, ex praescripto Regulae, recitare aliquas preces, at non sub gravi.

2206. — II. Obligatio recitandi Horas canonicas est ita GRAVIS, ut omnis, cui hoc munus incumbit, peccet graviter, si totum Officium *unius diei*, vel ipsius partem *notabilem*, absque legitima causa, omittat. — Ratio est, quia laedit praeceptum in materia gravi, in materia nempe, quae ad praestantissimam religionis virtutem pertinet. — Haec tamen omissio, juxta veriorem sententiam, non est septuplum peccatum, sed solummodo *unum*. « Quod si quis omitteret plures Horas ex intentionibus *moraliter interruptis*, tunc *plura* committeret peccata[2]. » (cf. n. 328, Reg. 3ª; n. 331, 3°).

Porro, in assignando, quaenam sit illa *pars notabilis*, cujus omissio foret peccatum mortale, non est una omnium theologorum sententia. — Ad S. Alphonsum quod attinet, ipse, rejecta tanquam improbabili sententia eorum, qui totam unius Horae parvae praetermissionem materiam levem esse affirmant, amplectitur sententiam Sanchezii, dicentis materiam esse levem, quoties non pertingit ad quantitatem *unius integrae Horae parvae*. — Hinc probabile est, non peccare graviter, qui omittit totas Vesperas Sabbati sancti. Peccat autem graviter, qui omittit unum Nocturnum integrum, vel etiam tres Lectiones cum responsoriis, si tales sint, ut parvam Horam adaequent. — Sed nec a mortali excusaretur, qui de parva Hora nonnisi perpauca recitaret[3].

2207. — Duo hic NOTANDA veniunt: 1° Est gravis obligatio recitandi *Officium Defunctorum*, in die Commemorationis omnium defunctorum; item, recitandi *Litanias* die festo S. Marci et triduo Rogationum[4]. — 2° Non est ulla hodie obligatio recitandi, diebus quovis mense assignatis, Officium parvum B. V. M., Defunctorum, Psalmos poenitentiales, aut Graduales. Excipe, si vigeat alicubi recitandi consuetudo: quae tamen non obligat extra chorum singulos, sed solum Communitatem. — Ita S. Congr. Rit. 10 jan. 1609[5].

QUAER. *Quid in* DUBIO *utrum aliquid ex Officio* OMISSUM *fuerit?*

Resp. 1° In dubio STRICTO (i. e. negativo vel positivo utrinque probabili) pars, de qua dubitas, certo recitanda est. — Excipe si aequa legis interpretatio, vel facti circumstantia legitimam praebeant excusationem. Sic « scrupulosi non sunt obligandi ad repetendum, quia in his ut plurimum, dubia non sunt vera dubia, sed inanes apprehensiones. »

[1] L. IV. 142. — [2] Ib. 148; *Exam. Ord.* n. 69. — [3] L. IV. 147. — [4] Ib. 161; *Ex. Ord.* n. 72; *Conf. dir.* XVI. 21; cf. *Acta S. S.*, XIII. p. 429. — [5] Gardellini, n. 401.

Digitized by Google

Resp. 2° In dubio LATO, i. e. si habeas vel probabilitatem *unicam*, ut saepe evenit, vel aliam fundatam praesumptionem te nihil omisisse, non teneris ad repetendum. « Unde docent AA., quod bene excusaris a repetendo, si non memineris te dixisse aliquid, et habeas justam conjecturam credendi quod dixeris; puta si recordaris te incepisse psalmum, lectionem, vel Horam, et postea non data opera distractus, vel non interruptus, te invenias in fine Horae, legendo vel memoriter recitando ea, in quibus ordinarie non soles errare. » — Item, « si ordinarie non soleas dicere Horam posteriorem, nisi post priorem, prudenter potes credere, te nihil omisisse[1] » (cf. n. 50 et 98. 2°).

II. — DE FORMA ET MODO RECITANDI.

2208. — Horae canonicae RECITANDAE sunt: 1° juxta formam praescriptam; 2° juxta debitum ordinem; 3° tempore et loco convenienti; 4° vocaliter, integre, et continue; 5° attente ac devote. — De singulis jam plura.

I. Horae canonicae recitandae sunt JUXTA FORMAM ab Ecclesia PRAESCRIPTAM; unde:

1° Servanda est ab omnibus FORMA GENERALIS, juxta Constitutionem *Quod a nobis* S. PII V datam die 7 julii 1568, qua praescribitur pro tota Ecclesia latina Breviarium Romanum, et abolentur omnia alia Breviaria, nisi ex institutione vel consuetudine legitima antecedant 200 annos. — Imo, in altera Constitutione *Ex proximo*, Pontifex declarat, ad Horas obligatos non satisfacturos muneri suo, si alio Breviario utantur, atque ideo Beneficiatos non facere fructus suos. (Excipe, si accedat dispensatio legitima)[2].

2° Servanda est FORMA SPECIALIS *proprii Kalendarii* seu Directorii, ita ut Officium recitetur qualibet die, prout ibi praescribitur, etsi error videretur manifestus, v. g. quoad translationem alicujus Festi: juxta decisionem S. R. C. 23 maii 1835[3], in *Namurcen.*

In conficiendis vero propriis dioecesium Kalendariis absolute servandum est decretum S. R. C. ab URBANO VIII approbatum: ubi interdicitur locorum Ordinariis, tam saecularibus quam Regularibus, ne, propria auctoritate, mutent ritum in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii appositum, in altiorem ritum, neque extendant concessa Officia de loco ad locum[4]. — Item, Officia *propria* pro aliqua dioecesi vel pro Ordine religioso a S. Ri-

[1] L. IV. 150. cum 2 *Elench. qq. ref.* n. 1. — [2] Cf. Gury, II. 56; et Bouix, *de jure liturg.* P. 4. c. 2. §. 4. — [3] Gardell., n. 4746. ad 2. — [4] Cf. Gardellini, n. 4501. ad 6. (in *Corduben.* S. C. R. 20 sept. et 12 nov. 1806); cf. Carpo, *Kalendar. perpetuum*, pag. 134.

Digitized by Google

tuum Congregatione approbata vim legis obtinent, quamvis privilegii rationem habeant. Quinimo, Officia particularia, modo tantum permissivo concessa, obligatoria evadunt, si fuerint semel usu recepta (S. R. C. 2 maii 1801).

2209. — *Nota.* 1° Regulares degentes extra monasterium tenentur ad Breviarium sui Ordinis; quod si sint choro addicti et in alieno Conventu sui Ordinis moram faciant, sequi debent Officium illius Conventus; « quia ubique choro interesse tenentur [1]. » — 2° Canonici et Beneficiarii tenentur ad Officium propriae Ecclesiae, etiamsi ab ea absint. Item Magistri et alumni in Seminario degentes, tenentur ad Officium Ecclesiae Seminario adjectae, quamvis alibi Missam celebrent [2]. — 3° *Clerici* non beneficiati, si a propria dioecesi absint, *possunt* ad Officium loci ubi sunt advenae se conformare; sed minime ad hoc tenentur. Quin etiam praestat proprium retineri Officium, ne confusio oriatur. (S. R. C., 12 nov. 1831, *Marsorum*, ad 50) [3].

2210. — II. Horae canonicae recitandae sunt, tum juxta Officiorum tum juxta Horarum ordinem.

A) Ordo Officiorum reperitur sive in *Kalendario* Festorum uniuscujusque dioecesis aut Religionis, sive in *Rubricis* pro illorum translatione, ubi plura simul concurrunt. — Qui scienter atque sine rationabili causa, hunc ordinem commutat, recitando pro Officio diei, aliud Officium, peccat, pro diversitate Officiorum, vel graviter, vel leviter: peccat *graviter*, si recitet Officium notabiliter brevius, sicut constat ex Propos. 34ª ab Alexandro VII damnata: « In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto »; peccat vero *leviter*, si Officium in aequale aut fere aequale permutet; quia satisfacit obligationi quoad substantiam; dummodo, subdit S. Alphonsus, id raro fiat [4].

Permutatio vero caret omni peccato, si fiat *ob rationabilem causam*, puta si quis non facile proprium Officium habere possit, vel si aliud Officium approbatum recitet cum socio; « quia ipsa associatio excusat, modo Officium non sit notabiliter brevius [5]. » Et sic Capellani et commensales Cardinalium vel Episcoporum possunt se eis conformare in Officio. Quod idem dicendum est de iis, qui obeunt spiritualia exercitia apud Religiosos [6]. Secus vero, de Capellano Monialium, ex Decreto S. R. C. 21 mart. 1795 [7].

Quaeritur. *Quid agere debeat qui advertit se* errasse *in Officio?*

Resp. 1° Si advertat errorem *post integram recitationem*, non tenetur repetere; quia non praesumitur Ecclesia velle aliquem uno die bis ad hoc onus obligare. — Hinc, axioma vulgare: *Officium*

[1] Gardell., n. 1575. (S. R. C. 15 dec. 1646). — [2] Ib. n. 5145 (S. R. C. 7 septemb. 1850). — [3] Ibid. n. 4669; L. IV. 161. q. 3. — [4] *Exam. Ord.* n. 70; L. IV. 161. q. 3. v. *Secunda.* — [5] *Elench. qq. ref.* n. 59. — [6] *Exam. Ord.* n. 71. — [7] Gardellini, n. 4464, in *Conimbricen.*

Digitized by Google

pro Officio. Attamen, si Officium fuisset notabiliter brevius, deberet *supplere* defectum: v. g. si loco Officii de Dominica, recitasset Officium de Sancto, deberet addere novem Psalmos, sumendo eos ex primo Nocturno.

Resp. 2° Si errorem advertat *post recitationem non integram*, v. g. post recitatum Matutinum potest vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio praescripto. Quod posterius praeferendum est, juxta illud: *Error corrigitur, ubi deprehenditur* [1].

Resp. 3° Qui erravit non potest, die quo Officium jam recitatum occurrit, dicere Officium omissum; sed debet recitatum iterum recitare, ut ita aliis se conformet. — Nec potest qui Officium omisit, illud in aliam diem, etiam non impeditam, transferre. Ita S. R. C. 17 junii 1673 [2].

2211. — *B)* Ordo Horarum est ille, qui in Breviario indicatur, praescribens scilicet, ut primum recitentur Matutinum cum Laudibus, deinde Horae parvae, hoc est, Prima, Tertia, Sexta et Nona et demum Vesperae cum Completorio. — Nec debet recitari Matutinum diei sequentis, ante absolutum Officium diei praesentis.

Inversio hujus ordinis: 1° Extra chorum et secluso contemptu est solummodo *venialis*, etiamsi fiat frequenter; quia remanet salva substantia praecepti. — Imo, caret omni culpa, si fiat ex causa rationabili, v. g. ut te conformes choro, vel amico, etc. — 2° In choro, controvertitur an sit peccatum grave (et eadem controversia est de mutatione temporis Horarum). Affirmans sententia est probabilis, sed negans est probabilior; quia non constat de gravi praecepto [3].

2212. — III. Horae sunt recitandae tempore ac loco convenienti. — Haec enim duo complent ordinem.

A) Ad tempus quod attinet, sic olim Horae recitabantur: *Matutinum* post mediam noctem, *Laudes* ad auroram, *Prima* post solis ortum, *Tertia* mane ad horam nonam, *Sexta* ad meridiem, *Nona* ad horam tertiam pomeridianam, *Vesperae* ad solis occasum, *Completorium* ad noctis crepusculum [4].

Juxta hodiernam autem disciplinam: Tempus *legitimum*, intra cujus limites praeceptum obligat sub gravi, est *a media nocte* unius diei *usque ad mediam noctem* diei insequentis, ita ut ante praefatum primum terminum, nullus teneatur incipere, et post secundum nullus possit suae obligationi satisfacere [5]. — Cuique autem liberum est in hoc sequi vel tempus *verum*, quod indicat horologium solare;

[1] L. IV. 161. q. 5. — [2] Gard., n. 2634. — [3] L. IV. 170-171. — [4] Cf. Ferraris, V. *Officium*. — [5] L. IV. 173. 174. fin.

Digitized by Google

vel tempus *medium*, quod signant horologia publica. Ita ex Resp. S. Poenit. 18 junii 1873 [1]. — Tempus vero *conveniens*, quod per se sub levi obligat, nisi rationabilis causa obstet, sequenti modo determinatur;

1° Tempus *Matutini*, extra chorum, ex privilegio seu consuetudine jam praescripta, incipit ab hora Vesperarum diei praecedentis (i. e. statim ac sol propior fit ad occasum, quam ad meridiem), et perdurat usque ad meridiem subsequentem. — Atque hoc pariter valet pro Officio defunctorum extra chorum; non autem pro Litaniis, quae, ipso die assignato, recitari debent [2].

An autem satisfaciat dicens Matutinum, hora secunda *post meridiem?* — Alii cum Salmanticensibus *affirmant*, dicentes, hujusmodi anticipationem, vi introductae jam consuetudinis, esse licitam; sed verius negandum est, tum quia de praedicta consuetudine non constat, et ei obstant tabellae, quae in variis locis confici solent; tum quia (si septentrionales regiones in mense decembri excipiuntur) nondum est hora propria Vesperarum, ac proinde nondum incipit dies ecclesiasticus [3]. — Solet quidem S. Sedes frequenter *concedere privilegium* incipiendi, et quidem omni tempore anni, recitationem Matutini, hora secunda post meridiem; sed hanc adjicere solet clausulam: « accedente rationabili causa [4]. » Deficiente igitur rationabili causa, si privilegio donatus anticipat Officium, satisfacit quidem suae obligationi, sed peccat venialiter.

2° Tempus *Parvarum Horarum* extendit se ab aurora usque ad meridiem. — Recitantur tamen licite jam a media nocte; *Nona* vero (et juxta plures etiam *Sexta*), absque causa, recitari potest post meridiem [5].

3° Tempus *Vesperarum* et *Completorii* (extra chorum) currit a meridie ad mediam noctem. — In feriis autem quadragesimalibus, a 1ª Dominica, Vesperae (non Completorium) possunt (et in choro debent) recitari ante prandium: in memoriam antiquae disciplinae, juxta quam non frangebatur jejunium, ante Vesperarum recitationem [6].

Dictum est supra: *nisi rationabilis causa obstet.* Quae vero causa censenda sit rationabilis, sic explicat *S. Alphonsus* [7]: « Ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus horarum, sufficit quaevis causa utilis vel honesta, nimirum concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris, major devotio sive quies, tempus aptius ad studendum,

[1] *Acta S. Sed.* vol. VII. p. 399. — [2] *Exam. Ord.* n. 74; L. IV. 174. q. 2 et 3. — [3] S. R. C. 16 mart. 1876 (ap. Gardellini, n. 5653). — [4] *Exam. Ord.* n. 74; L. IV. 174. q. 1. et *1 Elench. qq. ref.* n. 51 (cf. *Vindic. Alph.* tom. 2. pag. 586; et *Collect. S. Sed.* n. 1272-1274). — [5] L. IV. 173. v. Tempus. — [6] Cf. Carpo, *Biblioth. liturg.* P. 3. n. 106. — [7] L. IV. 173.

Digitized by Google

et simile. — Merito tamen ait Concina, non sufficere ad excusandum solam majorem commoditatem, sine alio motivo honesto. »

2213. — *B)* Ad LOCUM quod attinet, Officium divinum in Cathedralibus, in Collegiatis, et in ecclesiis Regularium choro addictorum, recitandum est publice, in loco ad hoc destinato, seu in choro. — Privatim vero recitari potest *in omni loco*, modo recitatio fiat citra contemptum, et modo locus non sit cum attentione et intentione insociabilis [1].

QUAERITUR. *Quid de* SITU CORPORIS *in recitando?*

Resp. 1° Non servare, in choro, situm a Rubricis praescriptum, v. g. non stando, non genuflectendo, etc., est levis irreverentia, quae non excedit culpam venialem. — 2° *Extra chorum* eum omittere, vacat omni culpa, licet laudabile sit eum servare. — « Censent tamen DD., non excusari a veniali, qui sine causa Officium recitaret decumbendo in lecto; » talis enim situs non vacat irreverentia. — Secus, si quis ita recitaret, quia infirmitate vel defatigatione detinetur in lecto, aut quia ducit noctem insomnem [2].

2214. — IV. Horae canonicae debent recitari DIGNE, i. e. *vocaliter*, *integre*, et *continue*. — Et his quidem verbis exprimitur MUNUS ORIS quod, juxta Concilium Lateranense IV, Cap. *Dolentes*, studiose implendum est.

Diximus: 1° VOCALITER, et quidem *distincte* quia Officium est oratio vocalis, et non pure mentalis. — Unde, non sufficit legere sola mente, solisve oculis percurrere. Nec satis est, recitare gutture, vel intra dentes, aut syncopando, linguave titubante, voluntarie abbreviando, aut praecipitando. — Juxta probabiliorem tamen sententiam, non requiritur ut recitans seipsum audiat; nam ut docet Sylvius [3], talis obligatio nullo jure probatur [4].

Si quis igitur recitet Officium *cum socio*, debent ambo tali uti voce, ut alter alterum audiat, et recitatio debet ita distincte procedere, ut neuter suum versum incipiat, nisi cum alter suum absolverit; socius enim non potest facere moraliter suum illud quod non audit, et proinde non recitat Breviarium integre: quod tamen requiritur. — Unde *surdus*, qui in choro versiculos suae partis profert, sed versiculos alterius partis non audit, debet supplere, recitando submisse, quod alii cantant. — Contra, omissa supplere non tenentur illi, qui recitantibus aliis, quaedam *choro necessaria* peragunt, etiam per integrum psalmum; « tunc enim per socios suppletur, quod ipsi forte non satis percipiunt, dummodo omissio non nimis protrahatur. — Quod idem dicendum est de organoedo, si ipse suae partis versiculos proferat [5]. »

Si Officium recites cum socio, qui *obtruncat* syllabas, sed ita ut sensus non notabiliter mutetur: probabile est, te non teneri ad repetendum, nisi

[1] L. IV. 179. — [2] Ibid. 179. qu. 4; cf. Konings, n. 1106. — [3] Resolut. variae. Verb. *Horae canonicae*. III. — [4] L. IV. 163; Gury, II. 81. — [5] L. IV. 143. Not. 3; et 163. qu. 2 et 3.

Digitized by Google

tibi constet socium notabilem partem omisisse. « Putarem tamen, subdit *S. Alphonsus*, te non excusari a veniali, si ultro recitas cum tali socio mutilante, nisi adsit aliqua causa, nimirum si inviteris a Superiore vel persona valde gravi, aut simili causa [1]. »

Diximus 2° INTEGRE. Jam vero ad integritatem pertinent *Pater*, *Ave*, *Credo*, in principio et fine Horarum, prout in Rubricis adnotatur. — Extra chorum, *antiphona* B. V. M. non est addenda ex praecepto, nisi in fine Laudum et Completorii. — Item, *Confiteor* et *Misereatur* ad Primam et Completorium alternatim cum socio recitari possunt, sed non debent, nisi in choro (S. R. C. 12 nov. 1831 in *Marsorum* ad 42) [2]. — Nec ad integritatem Officii pertinent orationes *Aperi* et *Sacrosanctae*, quae tamen laudabiliter atque utilissime recitantur [3].

Diximus 3° CONTINUE, i. e. sine interruptione in eadem Hora, nisi causa rationabilis excuset. — Communis tamen sententia docet, Laudes posse, etiam sine ulla causa, a Matutino separari. Sed cum separantur, finito Matutino, dicendum est *Pater noster* (quod caeteroquin fieri debet post quamlibet Horam) cum oratione de Officio diei; Laudes vero inchoandae sunt ut in Psalterio [4]. — Nocturni possunt probabiliter a se invicem separari, saltem per tres horas, juxta antiquum ritum, vel etiam per longius tempus, cum causa [5].

Notandum est: — 1° Inter CAUSAS JUSTAS *interrumpendi Officium*, praesertim si sit longum, ut Officium diei Dominicae, recensentur a *S. Alphonso* sequentes: utilitas propria vel aliena, urbanitas, devotio, executio mandatorum Superiorum, auditio confessionis alicujus, qui non libenter expectaret. — Potes similiter interrumpere, si tibi aliquid subito agendum vel annotandum videatur, ut ita distractionem tollas, vel ut rem non obliviscaris; et a fortiori interrumpere licet, ad eliciendum aliquem pium cordis affectum vel aliquam precatiunculam. Diximus *precatiunculam;* nam longae preces intempestive Officii recitationi admiscerentur [6].

2° Interruptio alicujus Horae facta absque rationabili causa, et protracta per notabile tempus, *non potest excusari a veniali.* — Nec tamen tota Hora repetenda est, licet magnum intervallum, puta tota nox interponatur; quia singuli psalmi, imo singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per continuandi intentionem, vel per sequentem recitationem [7].

2215. — V. Horae canonicae debent recitari CUM ATTENTIONE ET DEVOTIONE: in quibus duobus habetur munus mentis et cordis.

A) Quoad ATTENTIONEM, certum est, aliquam in Officii recitatione requiri. — DUPLEX haberi potest, externa scilicet et interna. 1° EXTERNA in eo consistit, ut nihil fiat, quod sit cum recitatione incompossibile: sicut esset fabulari, scribere, attente auscultare alios

[1] L. IV. 165. — [2] Gardellini, n. 4669. — [3] Scavini, II. 207. — [4] S. R. C. in una *Marianopolit.* die 18 maji 1883, ad IV. (Vid. *Nouv. Rev. théol.* XV. p. 498); item, die 7 febr. 1886 (*Monit. eccles.* vol. IV. P. 2. pag. 55. — [5] L. IV. 167; *Exam. Ord.* n. 74. — [6] L. IV. 168. — [7] Ib. 168.

Digitized by Google

loquentes, et alia hujusmodi; non autem ambulare, se lavare, colligere herbas, flores, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen, etc., quandoquidem tales actiones, per se, attentionem ad alia non excludunt. Ita communiter cum Navarro, Suarez, etc. « Recte autem advertit Bonacina, quod aliquae actiones, respectu alicujus, forte sunt distractivae, respectu alterius non [1]. » — 2° INTERNA attentio sita est in applicatione mentis ad id quod agitur; haecque potest esse triplex, videlicet; *ad verba* tantum, ut rite pronuntientur; *ad sensum* verborum, ut recte intelligantur; et tandem *ad Deum* vel ad divina, ita ut recitantis mens ac cogitatio defigantur vel in ipsum Deum, vel in ejus attributa, vel in mysteria Passionis dominicae, vel in gesta Deiparae Virginis aut Sanctorum [2].

Quibus praemissis, TRIA, ut *certa*, statuenda sunt: — 1° Qui, inter recitandum divinum Officium, non habet attentionem saltem externam, *non satisfacit* obligationi suae: unde, Beneficiarius hoc modo voluntarie distractus, tenetur ad restitutionem; quia certe non facit fructus suos. Ita omnes [3]. — 2° Qui nihil curat de attentione interna, peccat *saltem venialiter;* quia irreverenter agit erga Deum [4] (cf. n. 372, 6°). — 3° Sufficit attentio ad verba, cum intentione generali colendi Deum [5].

2216. — QUAERITUR. *An attentio* INTERNA *sub gravi requiratur?*

Resp. 1° Plurimi quidem *negant* cum S. Antonino et D. Thoma, docentes, veram esse orationem, quae fit cum intentione orandi, et attentione externa. — Ratio est, tum quia oratio, juxta S. Damascenum, est *petitio decentium a Deo:* non repugnat autem, posse a nobis Deo repraesentari nostras petitiones, etiam cum actuali mentis evagatione; tum quia, si attentio interna esset de essentia orationis, nec ipse involuntarie distractus satisfaceret suae obligationi; destructa enim, quamvis inculpabiliter, rei essentia, res ipsa destructa est. — Haec sententia apparet sufficienter probabilis, ita ut Beneficiarius, ea nixus, non teneatur restituere fructus bona fide perceptos.

Resp. 2° Communior autem ac probabilior sententia *affirmat;* quia sine attentione interna non potest consistere oratio, quae generatim definitur: *Elevatio mentis ad Deum;* unde, eo ipso quod Ecclesia praecipit orationem, praecipit etiam attentionem internam. Atque huic sententiae consonare videntur tum verba Domini, de Judaeis conquerentis (Matth. 15,8): « Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me »; tum verba Tridentini, praeci-

[1] L. IV. 176. — [2] Ibid. — [3] L. III. 669. — [4] *Conf. dir.* XVI. 22. fin. — [5] L. IV. 176. v. fin.

Digitized by Google

pientis (sess. 24. cap. 12) ut: « Omnes (scilicet Canonici) divina... compellantur obire Officia... atque in choro... hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare [1]. »

NOTAT vero *S. Alphonsus*, etiamsi posterior haec sententia teneatur, duo tamen requiri, ut aliquis Officio non satisfacere dicatur: nimirum, ut ipse se voluntarie distrahat, deinde ut suam distractionem plene advertat. — Dicitur *ut plene advertat;* nam DD. communiter tenent, recitantem nullo modo peccare, si ubi distractionem advertit, mediocri diligentia ad attendendum recitationi utatur. Quodsi semiplene distractionem advertat, neque illam retractet, peccat quidem venialiter; sed satisfacit substantialiter Officio, cum prima voluntas attendendi semper perseveret, quamdiu non fuerit cum plena advertentia revocata [2].

2217. — *B)* Quoad PIETATEM seu *devotionem*, illa saltem requiritur ac praecipitur, qua recitatio Officii fiat actus religionis. — Hinc, praecepto non satisfaceret, qui Horas legeret ad sibi comparandam scientiam, ad gerendum morem amico, etc.; necessaria est enim *intentio orandi*, non quidem actualis atque explicita, sed virtualis atque implicita: quae tunc jam habetur, cum, de more, breviarium sumitur, ut impleatur praeceptum [3] (cf. n. 213).

Quae diximus valent de nuda PRAECEPTI observatione. — Sed *S. Alphonsus* illud omnibus enixe commendat, ut divinum Officium cum maximo pietatis ardore persolvant, his praeconiis ejus PRAESTANTIAM extollens: « Centum orationes privatae non possunt tantum pretium habere, quantum unica oratio Officii divini includit; quia haec Domino, nomine totius Ecclesiae, ipsius Dei verbis offertur... Firmiter nobis persuasum habeamus, post SS. Missae sacrificium, nullum pretiosiorem in Ecclesia thesaurum reperiri Officio divino, ex quo quotidie flumina gratiarum haurire possumus [4]. »

Ut autem optabilis haec pietas, ac debita attentio, Officii recitationem semper comitentur, non parum juvabunt CONSILIA, quae S. Doctor his verbis suppeditat: « 1° Sub initium formare intentionem Deum laudandi; — 2° renovare intentionem ad *Gloria Patri*, vel in principio cujuscumque psalmi; — 3° mysterium aliquod Passionis sibi repraesentare; — 4° sensus sedulo custodire, et alia hujusmodi [5]. »

III. — De causis a recitatione excusantibus

2218. — Praecipuae CAUSAE, quae a divini Officii recitatione EXCUSANT, sunt TRES sequentes: 1° impotentia, 2° charitas erga proximum, 3° dispensatio [6].

I. Excusat IMPOTENTIA sive *physica* sive *moralis*, quia ad impossibile nemo tenetur. — Qui potest recitare partem, tenetur id prae-

[1] L. IV. 177. — [2] Ibid. v. *Caeterum; Exam. Ord.* n. 75. — [3] L. IV. 176. — [4] Opusc. *L'Officio strapazzato* (Opp. ascet. III. 847). — [5] L. IV. 177. fin.; cf. Scavini, II. 198. sqq. — [6] Cf. Salmant. tr. 16. c. 3. punct. 6.

Digitized by Google

stare; imo, si pars est tanta, quanta est parva Hora, tenetur sub gravi; obligatio enim est divisibilis, sicut constat, ex propositione 54ª ab Innocentio XI damnata (cf. n. 224). — Quodsi pars, quam recitare potes, non pertingat ad materiam parvae Horae, « ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris; quia talis modica pars seorsim sumpta non censetur aestimabilis ad finem a lege intentum [1]. »

Hinc: 1° Excusantur gravi morbo laborantes; item, ex gravi morbo convalescentes (per aliquot dies, ad arbitrium prudentis) donec vires reficiantur; idque admittendum, etiamsi isti Missam celebrarent, vel aliquem recreationis librum legerent. — Qui certus est se, ob infirmitatem, non posse totum Officium recitare, et dubitat, an possit recitare partem, excusatur a toto Officio, ne scilicet scrupulis angatur, nesciens quousque possit et teneatur recitare. Ratio est, quia, in dubiis hujusmodi, praevalet lex naturalis valetúdinis servandae, et timor gravis nocumenti est jam causa gravis (cf. n. 223) [2].

2° Excusatur, qui tempore persécutionis timet, ne, ex recitatione Breviarii, prodatur [3].

3° Non excusatur, qui caret Breviario Romano, et aliud ad manum habet, puta Benedictinum aut simile; quia per utrumvis impleri potest substantia praecepti. Atque haec est, ait *S. Alphonsus,* sententia magis pia, rationabilis et sequenda. — Item, si habens Officium commune, et non proprium illius diei, teneris ex communi Horas dicere, ut verius sentit Croix cum aliis [4].

4° Non excusatur caecus, qui scit memoriter vel totum Officium, vel notabilem ejus partem; non vero tenetur memoriae mandare quod nescit, quia hoc foret medium praecepto extrinsecum. — Contra, non valens solus recitare, tenetur adhibere socium, si eum, sine suo gravi incommodo, adhibere possit; quia usus socii, in tali casu, censetur medium implendi praecepti ordinarium. — Diximus *sine suo gravi incommodo;* quia si socius tecum recitaturus, non prompte occurrat, aut si debeas stipendium illi solvere, non teneris ad medium hujusmodi extraordinarium, nisi sis Beneficiarius, et velis fructus tuos facere certos [5].

2219. — II. Excusat CHARITAS, id est gravis occupatio, quae sine scandalo aut notabili detrimento proximi, omitti nequit. — Ratio est, quia praeceptum naturale charitatis praevalet legi ecclesiasticae (cf. n. 682).

Hinc EXCUSATUR, sive *totaliter*, sive *partialiter*, sacerdos; 1° Si per totam diem excipit confessiones, quas differre non potest; — 2° si ex inopinato ad moribundum accersitur, nec postea superest tempus, quod recitationi impendat; — 3° si tenetur praeparare festinanter sacram concionem, quam, sine scandalo, aut nota, omittere nequit; — 4° si tota die occupatur in sedandis jurgiis aut assistendis infirmis, v. g. tempore pestis [6].

2220. — III. Excusat DISPENSATIO concessa a legitima potestate. Ratio est, quia quod est de jure ecclesiastico, potest ab ecclesiastica potestate tolli [7]. — Porro, dispensatio valide conceditur: 1° a *Summo Pontifice* in omni casu, etiam sine causa; 2° ab *Episcopo*

[1] L. IV. 158. — [2] Ib. 154, ubi plura. — [3] Ib. 156. — [4] Ib. 158. — [5] *Exam. Ord.* n. 76; L. IV. 158. — [6] L. IV. 156. — [7] Ibid. 159.

Digitized by Google

(vel a Praelato Regulari, respectu suorum subditorum); sed nonnisi ex justa causa, cum aliquo in particulari, et ad breve tempus. CAUSA autem dispensandi est, quando dubitatur de morali impotentia, quando recursus ad Papam est difficilis, quando dispensatio petitur ob motivum, quod frequenter recurrit, v. g. ob infirmitatem. Atque hoc ipsum potest Vicarius generalis, dummodo speciale ab Episcopo mandatum acceperit [1].

In Germania, et in dissitis regionibus, Episcopi pollent generatim ampliori potestate. Ibi enim, *vi facultatum quinquennalium*, possunt clericis concedere, ut pro divino Officio Rosarium aliasve preces recitent, casu quo Breviarium secum deferre non valerent, vel alia causa praepedirentur.

2221. — Quaesita. QUAER. 1° *An teneatur, qui impedimentum praevidet,* ANTICIPARE *recitationem?*

Resp. 1° Si praevidet *die praecedenti*, non tenetur anticipare Matutinum cum Laudibus; quia obligatio praecepti nondum est incepta, unde non tenetur uti privilegio. — 2° Si praevidet *ipso die* obligationis, et potest sine magna difficultate anticipare, ad id tenetur; quia praeceptum urget pro tota die, et pro qualibet illius parte; et ideo, intra latitudinem totius diei implendum est, tempore scilicet quo id fieri potest [2].

QUAER. 2° *Quid* IN DUBIO, *an causa exemptionis sit sufficiens, necne?*

Resp. 1° In dubio, an recitatio tibi illatura sit grave incommodum, non teneris recitare, ut jam diximus (n. 2218. Hinc 1°). — 2° In dubio, an alio modo excuseris, v. g. ratione laboris, itineris, charitatis exercendae, etc., teneris recitare, nisi tibi suffragetur ratio unice probabilis, seu judicium probabile. Sed in hoc casu melius est, rem remittere ad arbitrium viri prudentis, et praesertim ad judicium Superioris, qui in dubio *dispensare* potest.

§. 4. *De gestatione habitus et tonsurae.*

2222. — I. Omnes Clerici tenentur, ex jure canonico, TONSURAM et HABITUM CLERICALEM deferre. — Constat praesertim ex Concilio Tridentino [3], quod tamen Episcoporum judicio statuendum reliquit, *quaenam vestis* congruat. In hac igitur re, standum est variis locorum decretis [4].

Porro: 1° Graviter peccant Clerici *beneficiarii* aut *in Sacris constituti*, qui per notabile tempus vestem clericalem dimittunt, vel qui ex contemptu coronam et capillos tonsos deferre negligunt. —

[1] L. IV. 159 — [2] Ib. 155. — [3] Sess. 14. cap. 6. *de Ref.* — [4] Cf. Ferraris, Verb. *Habitus*, n. 51. sqq. et V. *Clericus*, art. 1. a n. 23; cf. et S. Alph. *Notificazione* VI (Opp. Edit. Taur. vol. IV. p. 719).

Digitized by Google

Quid vero per *notabile tempus* hîc intelligendum sit, non facile definiri potest. Communiter AA. non damnant de mortali sacerdotem, qui per sex vel octo hebdomades sine tonsura incederet; incedentem vero sine veste clericali, aiunt, facilius peccare mortaliter, propter scandalum nimirum, quod in quibusdam praesertim regionibus ex tali insolentia enasceretur[1].

2° Clerici *in minoribus* constituti non peccant graviter, si habitum vel tonsuram deferre negligunt. Ita communiter DD. — Imo, ex bulla Sixti V *Pastoralis* (31 jan. 1589), ab omni culpa excusatur, qui nec pensionem, nec alia bona ecclesiastica percipit excedentia valorem 60 ducatorum annuorum.

2223. — II. Excusantur Clerici, etiam in Sacris constituti, qui habitum dimittunt aut AD BREVE TEMPUS, aut EX CAUSA JUSTA se occultandi, v. g. ad aliquod grave damnum avertendum[2]. — Atque hinc est quod in certis regionibus, ut in Anglia et in Statibus foederatis Americae, clerici, ex prudenti Episcoporum concessione, nec coronam gestent, nec vestem talarem unquam in publico deferant.

QUAERITUR. *Quasnam* POENAS *incurrant Clerici habitum clericalem non gestantes?*

Resp. 1° Si sunt *in Sacris* aut *beneficiati,* et post tertiam Episcopi admonitionem sese non emendant, amittunt illico privilegium fori et canonis[3] (cf. n. 2234). — Imo, « si, postquam ab Episcopo suo moniti fuerint, habitum... non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, et beneficio ac fructibus...; necnon, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum coerceri debent. » Ita Trid. sess. 14. cap. 6. *de Ref.*

Resp. 2° Si sunt *in minoribus*, nec alicui ecclesiae, de mandato Episcopi, deserviunt, vel de ejus licentia in aliqua schola versantur, amittunt etiam absque ulla monitione privilegium fori[4]. — Ubi vero Clericus, ex dispositione legis, privilegium fori amittit, amittit etiam ipso facto omnia alia clericalia privilegia, ita ut considerari debeat ut persona laica[5]. Ita ex Declaratione S. C. IMMUNITATIS, facta die 20 sept. 1860, quae tamen, juxta quosdam AA. ad solos clericos Ditionis Pontificiae se extendit[6].

ARTICULUS II.

DE IIS QUÆ CLERICIS PROHIBENTUR

2224. — Clericis generatim PROHIBENTUR, quae eorum statum dedecent, sive quia mentem nimium a rebus divinis avocant, sive

[1] *Exam. Ord.* n. 49-50; L. VI. 825-826. — [2] *Ex. Ord.* n. 49. — [3] Ex cap. *Contingit* 45. de sent. Excom. — [4] L. VI. 827. — [5] Cf. Scavini, I. n. 418. — [6] Piat, *Comment. in Const.* AP. SED. p. 124.

Digitized by Google

quia castitatem in discrimen adducunt. — Hujusmodi sunt quaedam *artes et officia saecularia, negotiatio, ludi aleatorii, venatio et armorum gestatio, ingressus in tabernas, choreae et comoediae, conversatio cum feminis suspectis.*

1. — *Artes et officia saecularia.*

2225. — I. Quoad ARTES, prohibetur, jure canonico, OMNIBUS CLERICIS quaelibet ars, quae statûs clericalis honestati contraria censetur, ut ars *tabernaria, macellaria, joculatoria*, etc. — ex Clement. *Dioecesanis*, de vita et honest. Clericorum [1].

Speciatim, Clericis SACRO ORDINE INITIATIS prohibetur: 1° Studium *publicum* medicinae, nempe in publicis scholis et Universitatibus [2]. — 2° Exercitium *artis medicae* et *chirurgicae*, ubi opus sit incisione, amputatione vel adustione, nec adsit necessitas: et quidem sub poena irregularitatis, si inde mutilatio vel mors sequatur (cf. n. 1940. 3°). — Si tamen peritus desit, et casus urgeat, poterit Clericus sine peccato, atque idcirco sine poenae aut irregularitatis periculo, incisionem vel adustionem peragere [3]. Neque ei prohibetur, aliis, praesertim pauperibus vel propinquis opem suam praestare, ac subvenire optimis artis salutaris consiliis [4].

2226. — II. Quoad OFFICIA, Clericis *in sacris*, vel *beneficiatis* interdicitur: 1° ne agant *judicem* in causa sanguinis; item ne agant *advocatum* vel *notarium* in curiis saecularibus: excepto casu quo defendenda esset propria causa, vel causa propriae Ecclesiae, vel causa pauperis, personaeve propinquitate (in quarto saltem gradu) conjunctae, quae non alium defensorem inveniret; — 2° ne agant *tutorem* aut *curatorem minorum*, si de administratis bonis ratio reddenda sit; excepto casu quo pupilli seu minores forent consanguinitate (affinitateve) proximi; — 3° ne agant *procuratorem saecularium*, si de procuratione referenda sit ratio. — Ratio horum omnium est illud Apostoli: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus » (2. Tim. 2, 4).

Quamvis autem procuratoris officium generatim interdicatur, « non auderem tamen, inquit *S. Alphonsus* [5], damnare de mortali clericum, qui ob talem procurationem sua ministeria non negligeret; maxime si id non faceret avaritiae causa, sed ad decentius statum suum et familiae conservandum. » Jus enim loquitur tantum de eo, « qui ita se immergeret in hujusmodi procurationibus, ut ideo sua ministeria negligere cogeretur. »

[1] L. IV. 189; H. A. XIII. 60. — [2] L. IV. 132. v. fin. — [3] Lib. VII. 384. 385. — [4] Scavini, I. 427. — [5] L. III. 838.

Digitized by Google

2. — *Negotiatio.*

2227. — Negotiatio proprie dicta, seu *lucrativa*, est emptio rei eo fine facta, ut ea non mutata cum lucro revendatur. — Improprie dicta, seu *artificialis*, est emptio rei eo fine facta, ut ea, arte vel industriâ mutata, cum lucro revendatur, v. g. si ex lana empta conficitur pannus vendendus.

I. Negotiatio proprie dicta prohibetur severe Religiosis, Clericis beneficiatis, et iis, qui sacris initiati sunt: ut constat ex innumeris testibus juris canonici, et praecipue ex Tridentino [1]. — Unde *graviter* peccant, imo, incurrunt suspensionem et excommunicationem ferendae sententiae (necnon spolii poenam), si frequenter negotiantur; sin autem raro, nec in magna quantitate, excusantur (saltem a mortali) ob parvitatem materiae, quia jura loquuntur de *exercente*, qualis non est, qui unum vel alterum actum ponit.

Nihil autem refert, utrum negotiatio exerceatur *proprio*, an *alieno* nomine, seu per alios; hoc enim sub iisdem poenis interdicitur tum per bullam *Apostolicae* Benedicti XIV, 25 febr. 1741, tum per constitutionem *Cum primum* Clementis XIII, 17 sept. 1759. — Unde, si negotia a laico incepta, ad clericum, quovis titulo, deferantur, statim ab eo dimittenda sunt, etiam in casu quo negotiatio per cohaeredes vel socios exerceri posset. Quod si sine detrimento dimitti nequeant, permittitur quidem continuatio ratione necessitatis, sed tantum ad tempus, et per interpositam personam laicam, ac de licentia S. C. Concilii in Italia, aut Ordinarii extra Italiam [2].

2228. — II. Negotiatio artificialis non prohibetur Clericis, neque Religiosis, modo illam honeste, et per seipsos exerceant. — Ratio est, quia emere rem, ut in melius mutata carius vendatur, non est proprie negotiari, sed praemium sui laboris consequi, ut docet S. Thomas [3] cum aliis. Et hoc patet exemplo D. Pauli, qui erat scenofactoriae artis.

Diximus *honeste*, i. e. sine scandalo, sine dedecore et sine detrimento proprii ministerii; — *per seipsos;* quia si res per operarios conductos immutentur, alienus labor jam censetur emi et cum lucro vendi: quod negotiationi proprie dictae aequiparatur.

Ex his resolves: 1° Licet Clerico locare sua praedia et animalia pro pensione; — colere suos agros opera laicorum, fructusque vendere; — emere animalia, eaque saginare pabulo ex propriis fundis proveniente; imo probabiliter, pabulo eum in finem empto, ut saginata cum lucro vendat, vel ut ex foetibus, lacte, lana, lucrum faciat. — Similiter, licet Clerico plura emere pro securitate suae provisionis, et quod superest carius vendere; aut carius

[1] Sess. 22. c. 1. *de Ref.* — [2] L. III. 831-837; H. A. X. 192-194. — [3] 2. 2. q. 77. art. 4. ad 1; Lib. III. 835.

Digitized by Google

vendere illud, quod ad proprium usum emerat, si occasio sese dederit aliud simile vilius emendi; haec enim pertinent ad oeconomiam.

2° Non licet Clerico conducere agros alienos, ut eos per operarios colat, eorumque fructus divendat; vel ut animalia saginet, saginataque vendat; nec emere praedia aut animalia ad hunc finem, ut ea cum lucro revendat [1]. — Nec licet, sive per se, sive per alios, *cambium activum* contrahere, ut decrevit Clemens XIII in cit. Const. *Cum primum;* — nec acquirere *actiones societatis* in commendationem (vulgo *accomandita*), ut constat ex declaratione S. C. Ep. et Reg. facta die 30 januar. 1846 [2] (cf. n. 1158). — Secus vero, si agatur de meris *obligationibus,* quae mutui tantum rationem habent: ut sunt census annui in aerario publico fundati, et obligationes societatum industrialium. Non liceret tamen in eis negotiari, i. e. habitualiter eas emere, animo carius vendendi, cum earum pretium increverit.

Ad quaesitum: « Utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos *super vias ferreas* emere lucrumque ex ipsis proveniens accipere? » Congregatio S. Officii die 1 aprilis 1857 *respondit:* « Sanctissimus *concedit* facultates Episcopis communicandas per S. C. Episc. permittendi ecclesiasticis, ut accipiant *actiones* viarum ferrearum, de propria pecunia tantum [3]. »

An illud Responsum ad similes casus, respectu omnium societatum industrialium vel mercatoriarum extendi possit, non est extra controversiam; sed probabiliter affirmandum videtur [4].

NB. Quoad mercaturam, quae in Indiis exercetur, recole dicta n. 1346.

3. — *Venatio et armorum gestatio.*

2229. — 1° Venatio prohibetur Clericis. Constat ex variis Juris locis, sed praesertim ex Concilio Lateranensi IV can. 15. et ex Tridentino [5], quod beneficiatis speciatim injungit, ut « ab illicitis venationibus, aucupiis etc. abstineant. »

Porro notandum: — 1) Hanc prohibitionem communiter intelligunt DD. de venatione *clamorosa,* seu quae fit cum magno strepitu armorum et canum ad occidendas majores feras; non vero de venatione quieta, quae fit sine strepitu ad capiendas volucres, minoresve feras, ut lepores, vulpes etc. — *Piscatio* nullo canone interdicitur. — 2) Venatio clamorosa non est grave peccatum, nisi sit *frequens,* aut fiat *cum scandalo,* vel *magnis expensis.* — Imo, vacat, probabiliter, omni culpa, si sit rara et moderata; vel fiat necessitatis, aut exercitii causa, absque praetermissione officiorum [6]. — Sunt etiam, de re hujusmodi, consulenda Statuta dioecesana.

2° Armorum gestatio, seclusa necessitate, prohibetur clericis, sicut venatio [7]. — Constat ex cap. 2, *de vita et hon. Cler.*, ubi dicitur: « Clerici arma portantes excommunicentur. » — Ratio est, quia arma

[1] L. III. 835. 836. — [2] Bizzarri, pag. 581; cf. *Nouv. rev. théol.* t. XVII. p. 589, ubi aliud Resp. — [3] Cf. Scavini, I. 576. 12°. — [4] Cf. Gury-Dumas, II. n. 105. fin. — [5] Sess. 24. c. 12. *de Ref.* — [6] L. III. 606. — [7] L. IV. 191.

Digitized by Google

sunt instrumenta saevitiae; atque ideo a Christi Domini mansuetudine alienissima. Quamobrem peccant *graviter* Clerici in sacris constituti, qui militiam capessunt. — Non tamen reprehendendi sunt qui bello justo cooperantur, consilio, adhortatione, vel etiam auxilio, modo arma non gerant, nec ducis officio fungantur [1].

Nota. Hodie, in pluribus Regnis, clerici saeculari militiae nomen dare coguntur. — De hac immunitatis clericalis violatione amare conquestus est Pius IX in Epistola *Singularis* data die 29 sept. 1864 (cf. *Syllabus* n. 32) et in allocutione habita die 12 apr. 1875 ad catholicam internationalem deputationem. — Postremo, Congregatio S. Officii, 16 sept. 1875, nonnullas normas Episcopis tradidit, ut provideant, quantum possunt, bono tum religionis, tum etiam ipsorum clericorum qui militare adstringuntur [2].

4. — *Ingressus in tabernas.*

2230. — Innocentius III in Concilio Lateranensi IV de vita et honestate Clericorum haec graviter edixit: « Clerici *tabernas* prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti [3]. » Atque haec est lex universalis, cui alia in aliis dioecesibus decreta addita sunt, quae proinde consuli debent, ne a decentiae regulis aberretur.

Quoad *saecularia convivia*, admonet S. Hieronymus [4]: « Nunquam petentes, raro accipiamus rogati: facile contemnitur clericus, qui saepe vocatus ad prandium, non recusat. »

5. — *Ludus alearum.*

2231. — Ludus alearum prohibetur Clericis in Sacris, sicut et Beneficiatis, et maxime Episcopis, ut constat ex Concilio Lateranensi IV can. 16 [5] et ex Tridentino [6]. — Jam vero sub ludis *alearum* intelligendi sunt *ludi sortis*, qui non ex arte, sed a casu pendent: ut sunt ludi *talorum*, vel *tesserarum;* non autem ludi chartarum, nisi sint merae sortis [7].

Hinc docet *S. Alphonsus:* — 1° Peccant *graviter* praefati clerici, si publicis lusibus merae sortis frequenter, et diu indulgeant, licet in modica quantitate; « quia hujusmodi lusus notabiliter statum clericalem dedecet. — Et idem dicendum, si exponant ludo magnam summam, licet raro: saltem cum in hoc grave adesset scandalum aliorum [8]. »

2° Non peccant graviter, si ludant *raro*, *moderate*, et *privatim*, sine aliorum scandalo. — Imo nec venialiter, ut probabile est, si hoc fiat recreationis gratia, *in loco*, ubi praefati canones non rigide observantur [9].

[1] Cf. Lib. VII. 457-460; Gury, II. 103. — [2] Cf. Scavini, II. 247; et *Analecta J. P.* Serie 15 pag. 1005. — [3] Cap. 15. *de vita et hon. Cler.* — [4] *Epist. ad Nepotianum.* — [5] Cap. *Clerici* 15, *de vit. et hon. Cler.* — [6] Sess. 22. c. 1. *de Ref.* — [7] L. III. 900. — [8] H. A. X. 219; L. III. 897. — [9] L. III. 890; cf. *Selva*, P. 2. Istr. 8. n. 12.

Digitized by Google

6. — *Choreae et Comoediae.*

2232. — CHOREAE, COMOEDIAE, et generatim omnia SPECTACULA prohibentur Clericis. — Constat ex Tridentino [1]. Et ratio est, quia talia oblectamenta clericalem statum dedecent, et quia vitae sanctimonia in summum, per ea, discrimen adducitur. — Nec tamen Clericis prohibetur, quominus, honestae recreationis, et exercitationis causa, intersint illis spectaculis, quae in Communitatibus repraesentari solent. — Imo, ipsis non prohibetur, quominus in hujusmodi scenis aliquas partes agant, servatis utique omnibus modestiae ac temperantiae regulis [2].

7. — *Conversatio cum feminis suspectis.*

2233. — I. In Concilio NICAENO I [3] (can. 3°) haec leguntur: « Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam [4] habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quae suspicionem effugiunt. » — Et TRIDENTINUM [5] mandat, ut inobedientes rigidissimis poenis ab Episcopo infligendis afficiantur.

Permittitur, per se loquendo, habitare cum feminis *non suspectis*, quales communiter reputantur: 1) consanguineae in primo et secundo gradu; 2) affines in primo gradu; 3) feminae aetate provectiores, et fama commendabiles, licet sint extraneae. — Diximus *per se loquendo*, hoc est, dummodo omne periculum scandalumque excludantur, et obediatur dioecesanis Statutis, quae certe, hac in re, vim legis habent.

II. Non solum vitanda est Clericis conversatio cum feminis, sed etiam, quoad ejus fieri potest, ipse ad earum aedes ADITUS, et omne *inutile* cum eis COLLOQUIUM. Unde Scriptura (Eccli. 42, 12): « In medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. » — Et ut nullus in praeterita castitate sibi confidat, sic admonet *D. Augustinus* apud S. Thomam [6]: « Magnos Praelatos Ecclesiae sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis praesumebam, quam Hieronymi et Ambrosii [7]. » (cf. n. 1791, 3°).

[1] Sess. 22. c. 1. *de Ref.* et Sess. 24. c. 12. *de Ref.* — [2] Scavini, I. 422. — [3] Cf. Harduini, *Coll.* tom. 1. col. 323. — [4] (i. e. *extraneam devotam*), de qua cf. Bened. XIV. *de Syn.* Lib. 11. cap. 4. n. 4. — [5] Sess. 25. cap. 14. *de Ref.* — [6] Opusc. 64. *de modo confitendi* §. (23) *de periculo familiaritatis*, in fine. — [7] Cf. et S. A. *Selva*, P. 2. Istr. 3. et *Prax. conf.* n. 119. 120.

Digitized by Google

Nota. Accommodate hic transcribenda veniunt praeclara MONITA Concilii provincialis *Viennensis* celebrati anno 1858 [1]: « Sacerdotem, inquit S. Synodus, non tantum malum, sed etiam mali speciem fugere decet. A frequentiori consortio mulierum etiam earum, quae pietatis et modestiae laude non immerito potiuntur, penitus abstineat. — *Ancillae*, quibus ad res domesticas procurandas indiget, maturioris sint aetatis et integerrimae famae, castae, sobriae, subditae, ut qui ex adverso est, revereatur nihil habens dicere malum; ut sumptuosius vestiantur, vel choreas frequentent, non toleret. Quidquid familiarius commercium redolet, id longe absit. Ancillam commensalem non habeat, neque cum ea deambulet, vel aliorum domus adeat, aut eodem vehiculo, nisi forsan publico, vehatur. Ut rebus, quae ad eam non pertinent, se immisceat, vel dominatricis partes sibi arroget, minime patiatur. Actum est de auctoritate Parochi, quem sui a mulieris imperiosa voluntate pendere autumant. — Neque feminis *consanguineis* aliquid indulgendum, quod domum sacerdotalem dedeceat, aut negotiorum ecclesiasticorum ordinem perturbet. »

Scholium.

De Praerogativis Clericorum.

2234. — Clericorum PRIVILEGIA ad TRIA fere restringuntur quae sunt: — 1° privilegium *competentiae*, vi cujus clericus aere alieno obstrictus, et solvendo impar, non potest ad solvendum adstringi, nisi prius deductis, ad honestam sustentationem, necessariis; — 2° privilegium *canonis*, ratione cujus excommunicationem incurrunt, qui injuste manus in clericos (vel utriusque sexus Monachos) inferunt (cf. n. 1329); — 3° privilegium *fori*, quo fit, ut personae Ecclesiasticae (sub quo nomine veniunt pariter Religiosi et Religiosae) nonnisi in foro ecclesiastico conveniri possint [2].

Conditiones *a Clericis necessario servandae*, ut fori privilegio fruantur, sic a Tridentino [3] enuntiantur: « Fori privilegio non gaudeat (clericus), nisi beneficium ecclesiasticum habeat; aut clericalem habitum, et Tonsuram deferens, alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur » (cf. n. 201 et 2223).

His privilegiis plus minusve derogatum est per varia Concordata, quae vult S. Sedes religiose servari.

« Caeterum, *in iis locis*, in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius *a proprio ipsorum Ordinario veniam petere*, ut CLERICOS in forum laicorum convenire possint; eamque Ordinarii nunquam denegabunt tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. — EPISCOPOS autem in id forum convenire *absque venia*

[1] Tit. 5. cap. 6. (*Collect. Lacen.* vol. V. 197). — [2] Cf. H. A. XX. 18-24; Piat, *Comment.* p. 62. — [3] Sess. 23. cap. 6. *de Ref.*

Digitized by Google

Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem seu judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum, sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint (Instruct. S. Officii, die 23 januar. 1886) [1].

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM RATIONE BENEFICII

Etsi Tractatio *de Beneficiis* proprie ad Canonistas spectat, nonnulla tamen scitu magis necessaria, praeeunte *S. Alphonso*, hic tradere libet. — Paucis igitur exponemus: 1° naturam seu notionem beneficiorum; 2° obligationes conferentis beneficia; 3° obligationes beneficiatorum.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE BENEFICIORUM

2235. — Definitio. Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum, auctoritate Ecclesiae constitutum, exercendi officium spirituale in aliqua ecclesia, et percipiendi propter ipsum fructus ex bonis Ecclesiae [2].

Dicitur 1° *jus perpetuum*, et quidem in duplici sensu, objective scilicet et subjective: *objective*, quatenus beneficium semel constitutum semper permanet, nec morte vel amotione beneficiati tollitur; sed vacat tantum, ut alteri conferri possit; *subjective* vero, quatenus beneficium, communiter, non ad certum tempus, sed ad totam beneficiati vitam confertur. — In favorabilibus tamen (non in odiosis) sub nomine beneficiorum veniunt etiam illa, quibus deest perpetuitas subjectiva, ut sunt v. g. beneficia *manualia*, quae conferuntur quidem in titulum, sed revocabiliter, ad libitum conferentis, vel patroni.

Dicitur 2° *auctoritate Ecclesiae constitutum*, per formale nempe erectionis decretum. — Unde fit, ut nunquam (nisi ex Pontificia dispensatione) laico, sed clerico; et nunquam a laico, sed a persona ecclesiastica, v. g. a Papa, vel ab Episcopo, vel praelato, conferri debeat.

Dicitur 3° *exercendi officium spirituale*, saltem recitandi Horas canonicas. — Unde, si exhibentur redditus ecclesiastici propter ministerium mere temporale, quale est officium cantoris, aeditui: tale ministerium neutiquam appellandum est beneficium, quia deest haec spiritualis causa.

Dicitur 4° *et percipiendi propter ipsum fructus:* quibus verbis duo significantur, videlicet: 1) hoc temporale jus esse officio spirituali adnexum, et quidem tanquam aliquid accessorium, etsi apud AA. videatur esse beneficii

[1] *Acta S. Sedis*, vol. XVIII. pag. 416. — [2] H. A. XIII. 31; L. IV. 83.

Digitized by Google

nota principalis; 2) beneficiatos esse solummodo usufructuarios, remanente semper ipso beneficiorum dominio penes Ecclesiam.

Dicitur 5° *ex bonis Ecclesiae*, i. e. ex bonis Deo dicatis et Ecclesiae irrevocabiliter donatis. « Haec vero bona possunt esse immobilia, mobilia, puta numerata pecunia, census, et quoque jura quaecumque, sive assignationes ab uno vel ab altero debitae, etiam a personis moralibus et Guberniis, cum in iis exigendis Ecclesia habeat incontroversum jus [1]. » — Ex quibus patet, hodierna in GALLIA beneficia, quae redditus consequuntur ex publicis aerariis, vera esse beneficia, et tales redditus ut ecclesiasticos habendos esse, ut S. Congregatio Concilii pluries definivit, et S. Poenit. declaravit die 19 jan. 1819 [2].

« Atque haec omnia adeo NECESSARIA sunt, ut, si unum praemissorum requisitorum deficiat, *beneficium ecclesiasticum* dici non possit; nam haec omnia sunt substantialia in Beneficio. — At si haec omnia habeantur, non est curandum quo nomine Beneficium appelletur, sive dicatur beneficium, vel officium, vel praestimonium (vel praebenda); quia non vis in nomine, sed potius debet attendi natura rei [3]. »

2236. — DIVISIO. Beneficia ecclesiastica multipliciter distinguuntur, videlicet:

1° In majora et minora. *Majora* sunt Papatus, Cardinalatus, Episcopatus, et Praelaturae cum jurisdictione quasi-episcopali, quae in Concistorio conferuntur. — *Minora* sunt caetera beneficia inferiora, quae tali jurisdictione carent, et sola sub nomine beneficiorum comprehenduntur, in materia odiosa.

2° In *saecularia* et *regularia*, prout Clericis saecularibus vel regularibus, ex fundatione, vel probata consuetudine competunt. In *dubio*, beneficia praesumuntur esse saecularia. — Si beneficia concedantur regularibus, ad beneplacitum Superioris, non sunt beneficia in stricto sensu [4] (cf. n. 1335).

3° In simplicia et duplicia. *Simplicia* sunt illa, quae tantum instituta sunt ad canonicarum Horarum recitationem, aut ad Altaris servitium: ut sunt Canonicatus (seu Praebendae), Capellaniae auctoritate Pontificis aut Episcopi erectae; et etiam Praestimonia, quae Clericis praestantur, ut vacent studio, et hujusmodi. — *Duplicia* sunt illa, quae sibi specialem qualitatem annexam habent. Huc veniunt: 1) In Capitulis, *Dignitates*, ratione jurisdictionis in Clerum, v. g. archidiaconatus (saltem in aliquibus locis), decanatus, praepositura; *Personatus*, ratione praeeminentiae in choro vel processione, ut sunt primiceriatus, cantoratus, dignitas sacristae majoris; *Officia*, ratione administrationis, ut officium thesaurarii, oeconomi, custodis, sacristae minoris. — 2) In Parochiis, *beneficia curata*, quae curam animarum sibi habent annexam [5].

4° In *electiva*, *collativa*, et *patronata*, prout iis vacantibus, vel

[1] De Angelis, lib. 3. tit. 5. n. 17. — [2] Ib. — [3] Ib. n. 17. v. fin. — [4] L. IV. 84. — [5] H. A. XIII. 31; cf. De Angelis, lib. 1. tit. 23.

Digitized by Google

electione Collegii alicujus, vel libera Praelati collatione, vel patroni praesentatione providetur [1].

5° In *incompatibilia* et *compatibilia*, prout requirunt, vel non requirunt residentiam.

2237. — **Quaesita.** QUAER. 1° *Quomodo* ACQUIRATUR *beneficium?*

Resp. Potest tribus modis acquiri: 1° per *electionem*, qua Clericus a toto Capitulo eligitur, et a Superiore confirmatur; 2° per *praesentationem*, qua quis a Patrono offertur Superiori, et ab hoc instituitur, si reperiatur idoneus; 3° per *collationem*, cum beneficium libere, solo jure Praelati, datur, nec patronatus juri subest [2]. — Ut institutio beneficii sit canonica et valida, debet esse in instituente potestas, in recipiente habilitas, in actu solemnitas. De his Canonistae.

QUAER. 2° *Quid sit jus* PATRONATUS *et quibus subjiciatur regulis?*

Resp. 1° Jus *patronatus* est potestas praesentandi ad beneficium ecclesiasticum vacans. Si hoc jus alicui ex titulo ecclesiastico competat, vocatur *ecclesiasticum;* si vero proveniat ex eo quod aliquis ex bonis patrimonialibus ecclesiam fundavit, et dotavit, *laicale* appellatur [3].

Resp. 2° Si patronatus sit laicalis, praesentatio debet fieri intra quatuor menses; si vero ecclesiasticus sit vel mixtus, intra sex menses: quibus elapsis ac non facta praesentatione, beneficium fit liberae collationis, et ab eo, ad quem spectat institutio, conferendum est. Excipe, si lis sit de patronatu inter Episcopos et patronos, vel inter praesentatos; secus, si lis sit inter ipsos patronos [4]. — *Quid, si plures praesententur? — R.* Si patronus *laicus* post unum praesentat alium, Praelatus potest, quem maluerit, instituere; si vero idem facit patronus *ecclesiasticus*, prior instituendus est; quia hoc in casu, *qui prior est tempore, prior est jure.* — Quod si plures patroni plures, hosque aeque dignos praesentent, Praelatus, quem voluerit, instituat; secus praeferendus est dignior, quamvis a minori parte patronorum praesentatus; imo potest, stante hoc patronorum dissensu, beneficium alicui tertio conferri [5].

QUAER. 3° *Quomodo* AMITTATUR *Beneficium?*

Resp. Amittitur et vacare censetur: — 1° Morte beneficiati; — 2° per sententiam judicis; — 3° ex dispositione legis, nempe: ob matrimonium, vel religiosam professionem; ob alius beneficii incompatibilis acceptationem; ob crimina haeresis, schismatis, iteratae sodomiae, simoniae, etc., hoc autem, post sententiam saltem declaratoriam; — 4° per liberam resignationem, i. e. per spontaneam dimissionem, factam coram legitimo Superiore, in favorem alicujus idonei qui acceptat et cum consensu patroni, vel electorum [6].

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS EORUM QUI BENEFICIA CONFERUNT

2238. — *Praenotamus:* 1° Obligationes, de quibus hic dicturi sumus, non incumbere soli Superiori conferenti, sed etiam proportione servata, omnibus qui ad collationem *concurrunt*, v. g. exa-

[1] L. IV. 85. — [2] H. A. XIII. 32; L. IV. 85. — [3] L. IV. 87; cf. Trid. sess. 14. *de Ref.* cap. 12. — [4] Ib. 88. 89. — [5] L. IV. 90; H. A. XIII. 32; cf. *Monit. Eccles.* vol. IV. P. I. p. 31. *Indultum* S. POENIT. (21 jul. 1884) circa Patronos causarum piarum et alienationes bonorum. — [6] H. A. XIII. 58; cf. L. IV. 133-135.

Digitized by Google

minatoribus, patronis, resignantibus, aliisque nominationis aut praesentationis jus exercentibus; quia eadem, generatim, de his omnibus currit ratio. — 2° Easdem regulas generatim valere pro Religiosis ad praelaturas regulares eligentibus, aut nominantibus [1]. — Teneantur ergo sequentia

2239. — Principia. I. Imponitur collatori, sub poena nullitatis, obligatio conferendi BENEFICIA, iis tantum qui sunt JURE HABILES [2]. — Jam vero, sacris autem canonibus stricte requiritur ex parte eligendi, ut sit:

1° *Clericus*, i. e. saltem tonsura insignitus. Si vero beneficium Ordinem sacrum requirit, necesse est, ut intra annum a beneficii possessione, Ordo ille suscipiatur. — Unde, qui cum animo dubio vel conditionato suscipiendi sacerdotium, recipit beneficium curatum, peccat graviter et tenetur ad restitutionem fructuum; quia recepit hos fructus, fraudulenter, contra sacros canones. Attamen, si ante finem anni sacerdos fiat, potest fructus retinere [3].

2° *Legitimis parentibus ortus;* secus, nulla est electio. — Cum illegitimo tamen potest Episcopus dispensare ad Ordines minores, et ad beneficia simplicia, quae Ordinem majorem non requirunt; quoad Ordinem majorem, potest solus Papa dispensare [4].

3° *Non conjugatus;* quia « cithara cum psalterio male concordat », ut loquitur Innocentius III [5], quare invalida est collatio, quae fit clerico conjugato. Imo, si clericus minoribus initiatus matrimonium contrahat, amittit ipso jure suum beneficium [6].

4° *Doctus*, i. e. ut habeat congruam scientiam: quae quidem scientia, pro diversa beneficiorum qualitate, diversa requiritur. Huc referri potest Regula 20ª Cancellariae Apostolicae, quae provisionem beneficii curati nullam esse declarat, si provisus idioma loci nesciat, eo quod populi, cujus linguam ignorat, curam habere nequeat. — Quaedam vero beneficia concedi nequeunt, nisi laurea insignitis [7].

5° Ut habeat *aetatem praescriptam;* deficiente enim aetate, etiam quoad unam horam, communis sententia tenet, beneficii collationem esse nullam. — Requiruntur autem pro Episcopatu 30 anni completi; 25 pro paroecia; 40 pro Poenitentiaria; 22 pro Dignitate et Personatu in Cathedrali; 21 pro canonicatu, etiam in Cathedrali; 14 pro caeteris Beneficiis (Annus inceptus pro completo habetur, nisi aliud exprimatur). — Illi tamen qui *arctati* dicuntur,

[1] H. A. XIII. 35. 39; L. IV. 97-101. et 111. — [2] H. A. ib. 42; Scavini, III. n. 628. — [3] L. IV. 113-114. — [4] Ib. 112. — [5] Cap. 5. *de cler. conjug.* — [6] L. IV. 113; H. A. XIII. 44. — [7] Cf. Trid. sess. 22. cap. 2. *de Ref.* et sess. 24. c. 12. *de Ref.*

Digitized by Google

qui nempe ex fundatione vocantur ad Beneficium simplex, possunt, modo sint septennio majores, tonsura insigniri, et beneficium acquirere; quia Tridentinum non expresse antiquis hisce fundationibus derogavit [1].

6° Ut *nulla censura irregularitateque* innodetur. Etenim collatio facta excommunicato, est certo nulla, ex cap. *Postulasti* 7, *de Cler. excom.;* facta suspenso, non est quidem, juxta probabiliorem sententiam, irrita, sed est irritanda ex cap. *Cum bonae* 8, *de aet. et qualit.;* facta demum irregulari (etiamsi agatur de simplici beneficio, v. g. de canonicatu), est similiter nulla, saltem ex communiori ac probabiliori sententia, cui plene suffragari videtur Tridentinum [2]. Unde, dubium est, an sic provisus possit, ante obtentam dispensationem, beneficii fructus lucrari. — Secus vero, si quis valide jam canonicus institutus, incidat postea in irregularitatem [3] (Recole dicta n. 1928. 3°; 1292. 6°; 1303. 4°).

7° Ut sit a *labe simoniaca immunis.* Simoniacus enim, sive electus, sive collator, incurrit excommunicationem R. Pontifici reservatam (cf. n. 1335); et provisio Beneficii simoniace collati est per se nulla. Imo, simoniacus, saltem post sententiam declaratoriam, fit inhabilis sive ad retinenda alia beneficia antea acquisita, sive ad acquirenda nova [4] (cf. n. 591).

Ex his resolves: 1° Cum ex sacrorum canonum decretis, praedictae CONDITIONES *omnino observandae sint,* sequitur, clericum qui, ipsis non observatis, provisus fuit, *non fuisse valide provisum,* neque ullum jus sibi acquisivisse, nec proinde facere fructus suos; 2° si eos jam percepit, tenetur ad *restitutionem.* Excipe, si fuerit, per tres saltem annos, cum bona fide in possessione; quia tunc haberetur praescriptio [5].

2240. — II. Tenetur Beneficii collator illud conferre, non solum Clerico jure habili, sed etiam DIGNO, seu ad officium implendum IDONEO; sub poena *irritationis* a judice pronuntiandae. — Constat ex Tridentino sess. 7. cap. 3. *de Ref.*, ubi praecipitur ut « Beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus... conferantur; aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritetur. » — Ex quo Tridentini, et alio huic simili Lateranensis Concilii praecepto patet, *mortaliter* peccare, tum indignum qui se promoveri sinit, tum Collatorem, qui indignum scienter promovere curat; (imo qui scienter indignum eligit, privatur per triennium jure electionis). Ratio est quia *indignus,* seu inhabilis censetur saltem inutilis Ecclesiae; cum autem beneficia ad bonum Ecclesiae

[1] L. IV. 112; *f. Et. qq. ref.* n. 48; Scavini, III. 628; cf. Craisson, n. 467. — [2] Sess. 22. c. 4. *de Ref.* — [3] H. A. XIII. 55 et XIX. 75-77; L. IV. 130. Quaer. et VII. 343. — [4] L. III. 112. q. 3°. — [5] L. IV. 112. fin.

Digitized by Google

fideliumque utilitatem instituta sint, manifestum est, collatorem Ecclesiae ac fidelibus gravi esse detrimento, conferendo illa indignis. Atque hinc est, cur erga Ecclesiam ad *restitutionem* teneatur [1].

Duo hic ADNOTANDA veniunt, videlicet: 1° Examinatores deessent suo officio, « si doctrinae tantum Judices essent, nec inquirerent, qui prae aliis, probitate morum, laboribus, praestito antea Ecclesiae obsequio, caeterisque dotibus, ad officium parochi cumulate obeundum necessariis, essent idonei et commendabiles. » Ita S. C. C. pluries edixit [2]. — 2° Examinatores adigendi sunt ad juramentum, quo sancte polliceantur, fore ut suo officio, juxta Concilii Tridentini praescriptionem, fideliter fungantur; secus enim concursus esset nullus, ex Decreto S. C. C. 2 dec. 1628 [3].

2241. — III. Tenetur beneficii collator, etiamsi de beneficio simplici agatur, illud CONFERRE non solum digno, sed DIGNIORI. — Dignior autem censendus est qui, comparate ad alios candidatos, est magis idoneus ad promovendum, tum Ecclesiae, tum fidelium commodum [4]. — Et re quidem vera,

1° Certum est, ad *Cardinalatum*, *Episcopatum*, *et beneficia curata* eligendos esse digniores. — Constat ex Tridentino sess. 24. cap. 1. *de Ref.*, ubi dicitur, collatores mortaliter peccare, si eos non praeficiant, « quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis... » Et in cap. 18. praecipitur, ut Episcopus ad beneficium curatum « eum eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit. » — Ex quo patet peccare, per se graviter Patronos, item Pontifices et Reges, horumque ministros, si ad praefatas dignitates non promoveant digniores [5].

2° Probabilius est, etiam ad *beneficia simplicia* promovendos esse digniores. — Ratio est, 1° quia sic injicitur unicuique incitamentum ad reddendum se digniorem, et hujusmodi aemulatio cedit in majorem Ecclesiae utilitatem; — 2° quia beneficia instituta sunt non modo in bonum commune, sed etiam, licet secundario, ad remunerationem meritorum. Unde, conferendo hujusmodi beneficia minus dignis, Episcopus laedit graviter tum justitiam *legalem*, ob neglectum commune bonum, tum justitiam *distributivam* ob violationem juris, quod habent digniores [6]. — Limitant tamen DD. hanc sententiam, et dicunt, non esse peccatum mortale, si dignior non passim, sed *semel* aut *bis* praetermittatur; si excessus dignitatis sit parvus; si beneficia sint parvi momenti; si, ex lege fun-

[1] L. IV. 107. v. fin. — [2] Bened. XIV. *de Syn.* L. IV. c. 8. n. 3. fin.; cf. et Richter, *Declarationes Conc. Trid.* sess. 24. c. 18. n. 17-19 (p. 381). — [3] L. IV. 111. fin.; H. A. XIII. 39. — [4] L. IV. 91; cf. Prop. 47am ab INNOC. XI damnatam. — [5] L. IV. 91. 92. 97; H. A. XIII. 34; cf. *1. Elench. qq. ref.* n. 45. — [6] Lib. IV. 93; cf. *1 Elench qq. ref.* n. 46.

Digitized by Google

dationis, debeat eligi aliquis de familia, collegio, oppido, etc.; si dignior beneficium brevi dimissurus praevideatur [1].

NOTETUR: 1° Major dignitas non accipienda est absolute, sed *respective* ad utilitatem Ecclesiae et fidelium. — Hinc, caeteris paribus, *dignior* censetur: 1) Senior, ob majorem experientiam; 2) bene meritus, qui de suis bonis ecclesiam fundavit; 3) Sacerdos in concursu non Sacerdotis, cum illico valeat inservire; 4) originarius respectu extranei, cum praesumatur magis sollicitus; 5) graduatus in aliqua scientia; 6) praeditus majori sanctitate aut prudentia, respectu illius qui praeeminet sola scientia; 7) potens et nobilis, quia haec solent non parum conducere ad ecclesiae bonum; 8) pauper respectu divitis, ut illi etiam provideatur. — « Quod si quis sit probabiliter dignior, sed dubie minus dignus altero, qui est certe dignus, potest hic certe dignus praeferri [2]. »

2° Qui *minus dignus* est, modo non sit indignus, non peccat, concurrendo cum digniori, et acceptando beneficium, etiam curatum. — Unde *D. Thomas* [3] loquens de Episcopo: « Non requiritur, inquit, ut reputet se aliis meliorem; sed sufficit, quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur, assumere praelationis officium [4]. »

2242. — Quaesita. QUAER. 1° *An electio* MINUS DIGNI *sit invalida, et onus restitutionis inducat?*

Resp. 1° Electio minus digni etiam ad beneficium curatum, etsi graviter illicita ex parte collatoris, *non est tamen per se invalida;* nam, etsi dignior praetermissus jus habeat appellandi, appellatio tamen, ut declaratum legitur in Bulla S. Pii V *In conferendis* (18 martii 1567), non impedit, quominus electio interim executioni mandetur: unde habetur valida, donec fuerit a judice revocata [5].

Resp. 2° Non inducit onus restitutionis, saltem *extra casum concursus:* quia, etsi collator graviter laeserit tum justitiam legalem erga Ecclesiam, tum justitiam distributivam erga digniorem, probabilius tamen neutrius jus rigorosum violavit; quia, extra casum concursus, non intercedit pactum, vi cujus teneatur ex justitia commutativa eligere digniorem. — Diximus *extra casum concursus:* quia, si electio fiat per concursum, intercedit pactum inter electorem et concurrentes; unde, communissima et certe probabilior sententia tenet, clericum notabiliter digniorem habere jus, ut damnum sibi ab eligentibus compensetur. Caeterum DD. excusant a restitutione, si excessus dignitatis esset modicus [6] (cf. n. 922).

QUAER. 2° *An liceat uni clerico conferre* PLURA *beneficia?*

Resp. 1° Spectato jure positivo, sic distinguendum est: — 1) Licet, si beneficia sint *compatibilia*, qualia esse solent simplicia, quae ad residentiam non obligant; de his enim sic statuit Concilium Tridentinum (sess. 24. cap. 17. *de Ref.*): « ut unum tantum benefi-

[1] L. IV. 94-96. — [2] Ib. 92. — [3] 2. 2. q. 185. a. 3. — [4] Cf. H. A XIII. 38. — [5] L. IV. 102-103. — [6] H. A. ib. 37; L. IV. 109; cf. *1. Elench. qq. ref.* n. 47.

Digitized by Google

cium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. » Requiritur autem licentia Episcopi. Quod si nec istud sufficiat, opus est S. Sedis dispensatione ut tertium obtineri possit. — 2) Non licet, si sint *incompatibilia*, ut certe sunt Episcopatus, beneficia curata, et alia quibus annexa est aliqua jurisdictio; quare, si quis duo hujusmodi beneficia recipit, accepto secundo, primum ipso jure vacat; et si utrumque sibi retinere praesumat, utroque ipso facto privatur. Ita ex Tridentino sess. 7. cap. 4. et sess. 24. cap. 17. — Et idem, probabilius, valet de beneficiis, quae jurisdictione quidem carent, sed quae residentiam requirunt, ut Canonicatus; licet multi negent, illa vacare ipso jure, et ante judicis sententiam.

Resp. 2° Spectato jure naturae, sive beneficia sint compatibilia sive incompatibilia, quando unum ad sustentationem sufficit, pluralitas est, *per se*, illicita; tum quia mens fundatorum haec fuisse praesumenda est, ut plures Ecclesiae inservirent; tum quia ex beneficiorum pluralitate plura inconvenientia profluunt. Ita communis et tenenda sententia. — Diximus *per se*, quia potest Papa ex justa causa dispensare. Sed causa cohonestans ita absolute requiritur, ut, ea deficiente, beneficia, ne cum ipsa quidem Pontificis dispensatione, retineri possint. — Inter CAUSAS COHONESTANTES recenseri solent: 1) *necessitas Ecclesiae*, casu nimirum quo alii idonei ministri deessent; 2) *utilitas*, ut si quis solus, licet absens, prudentia, doctrina, auctoritate plus prodesse potest, quam alius praesens; 3) *meritorum praerogativa*, si quis nempe prodest Ecclesiae sua doctrina, instructione, etc.[1].

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS BENEFICIATORUM

2243. — Ex beneficiatorum obligationibus, aliae respiciunt ad *spiritualia*, aliae ad *temporalia*.

I. Obligationes respicientes ad SPIRITUALIA sunt: 1° Obligatio recitandi Horas canonicas, deferendi habitum, etc., ut supra (n. 984-1004) expositum est; 2° residentia, de qua in capite sequenti n. 2261 et 2266); 3° servitium speciale, quod vel natura Beneficii vel tabulae fundationis requirunt (Vide etiam n. 428 et 974).

[1] H. A. XIII. 40. 41; L. IV. 116-118; cf. *1. Elench. qq. ref.* n. 49; cf. et De Angelis, lib. 3. tit. 5.

Digitized by Google

II. Obligationes autem respicientes ad TEMPORALIA, reduci possunt ad rectam beneficii, hujusque fructuum, administrationem. — Hinc tractandum est: 1° de beneficii seu de Ecclesiae bonorum cura ac custodia; 2° de legitimo Ecclesiae bonorum usu.

§. 1. *De cura et custodia bonorum Ecclesiae.*

2244. — **Principia.** I. Vetitum est CLERICIS, et RELIGIOSIS, ecclesiastica bona cujuscumque loci pii, sine beneplacito Pontificio, et sine debitis solemnitatibus, ALIENARE[1]. — Ita generatim statutum est a Paulo II in Extravaganti *Ambitiosae*, quam Pius IX per Constitutionem *Apost. Sedis* confirmavit. — Vide n. 1353[2].

II. Clerici, et alii bonorum ecclesiasticorum aut piorum locorum ADMINISTRATORES, tenentur illa *procurare*, tanquam boni patresfamilias, et *providere*, ut non modo nullum detrimentum patiantur, verum etiam ut, in quantum fieri potest, in meliorem statum deveniant. — Ipsorum proinde est curare, ut si aedes reparatione indigeant, opportune reparentur, ut praedia excolantur, ut vindicentur alienata, ut deperdita recuperentur, utque debitores ad solutionem compellantur. — Quodsi ipsorum culpa aliquid depereat, aut deterius fiat, de damno tenentur[3] (cf. n. 975).

Nota. Quod statutum fuit in Clementina *Quia contingit* de Xenodochiis, quod nempe ipsorum administratores « instar tutorum teneantur juramentum praestare, — de bonis inventarium conficere, — et Ordinariis seu aliis, quibus loca subsunt, annis singulis, de administratione sua rationem reddere: » hoc debet etiam extendi ad administratores Capitulorum, Collegiatarum, parochiarum, omniumque aliorum beneficiorum[4].

§. 2. *De legitimo usu fructuum seu reddituum Ecclesiae.*

2245. — Aequum est, ut qui altari servit, de altari quoque vivat; ait enim Apostolus (1. Cor. 9, 7): *Quis militat suis stipendiis unquam?* Atque hinc est, quod fideles, jure naturali ac divino, teneantur necessitatibus ministrorum Dei subvenire (cf. n. 553. 2°). — Ab illa tamen obligatione eximuntur, si alicubi, constituta sunt beneficia, ex quibus Clerici vivere valeant.

Hic autem QUAERITUR: *Quomodo, et in qua mensura, haec ecclesiasticorum bonorum fruitio concessa sit Clericis?* — Ad hoc probe intelligendum, DISTINGUENDAE sunt QUATUOR species bonorum, quae

[1] H. A. XIII. 61. 62; L. IV. 187; cf. De Angelis, lib. 3. tit. 13. — [2] Vide inter recentiores Aloys. Trombetta, *Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos*, Romae 1865; cujus Synopsim refert *Lucidi*, cap. VII. §. 3. Append. — [3] Craisson, n. 5346. — [4] Cf. Lucidi, tom. 2. cap. VII. n. 232. sqq.; cf. et S. A. *Notif.* 2. n. 12 (Opp. vol. IV. p. 714).

Digitized by Google

a Clericis possideri possunt: — 1° *Patrimonialia*, quae eis obveniunt ex quacumque causa profana. — 2° *Quasi-patrimonialia*, seu *industrialia*, quae Clerici acquirunt ex Missis, concionibus, juribus stolae, funeribus, distributionibus choralibus, oblationibus fidelium, piis legatis, pensione, sive laicali, sive ecclesiastica[1]. — 3° *Mere ecclesiastica*, quae habentur ex Beneficiis (sive directe per administratores legitimos, sive indirecte per usurpatores in compensationem, saltem partialem, bonorum usurpatorum[2]). — 4° *Parcimonialia*, quae Clericus ex bonis ecclesiasticis sibi subtraxit de sua sustentatione, vivendo parcius quam honeste vivere potuisset[3].

His positis, communiter statuuntur sequentia

2246. — **Principia.** I. Clerici habent PLENUM DOMINIUM tum in bona patrimonialia, tum in quasi-patrimonialia, tum etiam in parcimonialia[4]. — Ratio est, quia haec bona sunt, vel extranea, vel stipendia laborum, vel fructus industriae. Ideo ad eos omnino pertinent et possunt in usus etiam profanos ab eis expendi.

2247. — II. Licet Beneficiariis ex bonis mere ecclesiasticis CONGRUAM SUSTENTATIONEM accipere, quamvis aliunde sint divites; tenentur vero, sub mortali, REDDITUS suae sustentationi SUPERFLUOS erogare in pauperes, aut in usus pios. — Ratio *primi* est, quia Ecclesiae minister de Ecclesiae bonis honeste vivere potest, siquidem ad hunc praesertim finem Beneficia sunt instituta; neque obstat quod sit dives; quia non ratione paupertatis, sed ratione laboris habet jus ad sustentationem[5]. — Ratio *secundi* est in primis Ecclesiae praeceptum, quod in innumeris Conciliorum et sacrorum Canonum decretis promulgatum reperitur. Satis erit huc adduxisse auctoritatem Concilii Tridentini, quod (sess. 25. cap. 1. *de Ref.*) expresse Episcopis aliisque beneficiariis interdicit, « ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum (inquit) et Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. » — Sed

2248. — Magna QUAESTIO est: *An beneficiatus teneatur* EX JUSTITIA *ad bona superflua pauperibus distribuenda, ita ut illa bona male expensa sint* RESTITUTIONI *in pauperes obnoxia?*

Resp. Una sententia, haecque probabilior, *affirmat*, eo quod nulla ratione probari possit, beneficiatos adipisci ipsum dominium fructuum beneficiorum; quodsi adipiscantur (pergunt hujus sententiae

[1] H. A. XIII. 49. — [2] Cf. Berardi, *Prax. Conf.* n. 506. IX. — [3] H. A. X. 6; XIII. 49; L. III. 490. — [4] L. III. 491. — [5] L. III. 491. q. 5°.

Digitized by Google

fautores): non conceditur eis, juxta mentem Ecclesiae fundatorumque institutionem, nisi dominium limitatum: ex quo illud solum, quod ad honestam ipsorum sustentationem requiratur, sumere possunt, erogatis in pauperes superfluis, quae revera a SS. Patribus Basilio, Augustino, Bernardo, necnon a multis Conciliis *bona pauperum*, *egenorum patrimonia* appellantur.

Altera vero sententia *negat*, et haec, judice S. Alphonso, videtur in praxi sufficienter probabilis; praesertim ob auctoritatem D. Thomae, qui docet, de bonis beneficiorum eamdem ac de patrimonialibus, rationem esse habendam, atque ideo Clericum, si abutatur fructibus suae praebendae, « non teneri ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam [1]. » — Nec obstant verba SS. Patrum: haec enim non videntur ita rigorose accipienda, hodiernis praesertim temporibus; cum enim jam facta sit (quod Angelicus pro certo tenet) rerum ecclesiasticarum divisio, tributum est vel per ipsos Pontifices, vel pedetentim, per ipsum usum, unicuique suum; suum nempe Episcopo, suum Clericis, suum Ecclesiae, et suum pauperibus. Atque hoc idem confirmare videtur communis ille dicendi modus, quem sacri Canones passim admittunt: *non faciat fructus* suos. Ergo Clericus oneri satisfaciens facit fructus *suos;* ergo illos male impendens, non laedit justitiam, sed religionem tantum vel charitatem [2].

2249. — Plura NOTATU DIGNA hic adjicienda videntur, videlicet: — 1° *Superfluum* aestimatur, quod honestam seu congruam sustentationem excedit. « Porro, congrua sustentatio clerici censetur, ait *S. Alphonsus,* quae necessaria est ad status, et familiae sustentationem, secundum conditionem status, gradus, dignitatis, qualitatis, et regionis, in qua ipse habitat [3]. »

2° Ut expensa superflua in usus profanos pertingant ad *mortale,* requiritur quantitas major quam in furto. D. Thomas [4] requirit *multum excessum,* i. e. juxta veriorem sententiam, *vigesimam* superfluorum partem, si haec ipsa vigesima pars pertingat ad summam notabilem. Sic Clericus, expendens, ex viginti millibus superfluis, mille in usus profanos, peccat graviter [5].

3° Nomine *pauperum* veniunt non solum ostiatim mendicantes, sed etiam illi, qui aliter suum statum conservare nequeunt; etiam consanguinei, si sint vere pauperes: hique possunt caeteris, etiam gravius egentibus, praeferri; « quia subventio propinquorum egentium pertinet etiam ad proprium statum Clerici servandum, cum illorum paupertas in ipsius dedecus redundet [6]. »

4° Possunt quoque beneficiarii superflua *reservare in futurum* ad usus pios; modo caveant, ne tales reditus, morte superveniente, a consanguineis diripiantur [7].

[1] S. Th. Quodl. 6. art. 12. ad 3; et 2. 2. q. 185. a. 7. c. — [2] H. A. X. 7; L. III. 492 (a 6ª edit.) et *2 Elench. qq. ref.* n. 10 ad cujus normam habenda est, in *1° Elencho quaest. ref.* n. 24; cf. De Angelis, lib. 3. tit. 25. n. 3°. — [3] L. III. 491. q. 2°; L. IV. 181-182. — [4] 2. 2. q. 185. a. 7. — [5] H. A. XIII. 49. fin.; L. IV. 183. — [6] L. III. 491. q. 2: H. A. XIII. 48. — [7] L. III. 491. q. 4.

Digitized by Google

QUAERITUR. *An Clerici testari possint de reditibus beneficiorum superfluis?*

Resp. Affirm., ex consuetudine multis in locis recepta, sed solum ad causas pias; nam quamvis ubi consuetudo invaluit, valide testentur in usus profanos, peccant tamen mortaliter, nisi illud faciant ex Indulto Papae [1].

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM RATIONE MUNERIS

Beneficium est semper propter officium; sed officium seu munus non est semper cum Beneficio, ut patet exemplo eorum, qui in *statu missionis* versantur. Constituta sunt, pro diversis sacrae hierarchiae gradibus, multa OFFICIA ac MUNIA, de quibus Canonistae fuse disserunt. — Ad nostrum scopum satis erit tractasse de obligationibus 1) Episcoporum, 2) Canonicorum, 3) Parochorum.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM

2250. — *Praenotanda.* 1° Episcopi sunt Antistites ecclesiastici, qui sacerdotii plenitudinem obtinentes, in locum Apostolorum succedunt [2], et regimen Ecclesiae participant: sive quatenus una cum Pontifice Romano docentem seu regentem Ecclesiam efficiunt, sive quatenus singulis dioecesibus, sub Pontifice, praeficiuntur munere ordinario (Vide Canonistas [3]).

2° Quae supra (n. 2196. sq.) de Clericorum sanctitate dicta sunt, ea congruunt maxime Episcopis; ipsi enim, utpote in statu perfectionis acquisitae constituti, debent esse perfecti, juxta illud Apostoli: *Teipsum praebe exemplum bonorum operum* (Tit. 2, 7).

Multa sunt Episcoporum OFFICIA; et quoniam eorum cognitio etiam Pastoribus inferioris gradus valde prodest, praecipuas, horum officiorum partes hic exponere juvat.

2251. — I. Episcopus tenetur, et quidem jure divino, RESIDERE formaliter in propria dioecesi, nisi JUSTA CAUSA excusetur. Constat ex Tridentino sess. 6. cap. 1. *de Ref.* et sess 23. cap. 1. *de Ref.* — Unde *S. Alphonsus* [4]: « Episcopo in sua Consecratione con-

[1] Cf. De Angelis, lib. 3. tit. 26. — [2] Trid. sess. 23. cap. 4. — [3] Cf. Bouix, *de Episcopo*, P. I. et IV. — [4] H. A. VII. 62; cf. L. IV. 120. sqq.

Digitized by Google

signatur *annulus*, ut illum gerendo consideret, se non esse amplius sui juris, sed Ecclesiae suae sponsae, ut perpetuo, dum vivit, ei assistat. » — Quoad poenas, a Concilio statutas vide n. 1378.

Diximus 1° *residere formaliter*, id est laboriose, atque utiliter; nam, in bulla *Grave* Benedicti XIV declaratur, residentiam non esse veram, nisi sit formalis [1].

Diximus 2° *in propria dioecesi:* etenim, Concilium Tridentinum dicit, « obligari Episcopos ad personalem in sua Ecclesia, vel dioecesi residentiam. » Eos dein *hortatur*, ut resideant in *suis Cathedralibus* « Dominicis Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debeant [2]. »

Diximus 3° *nisi justa causa excusetur.* QUATUOR autem ex Tridentino (loc. cit.) assignantur CAUSAE, quae Episcopum a *continua* residentia excusant, videlicet: 1) *Charitas christiana*, v. g. si qua Ecclesia in magno haeresis discrimine versetur, et ipse opem illi ferre possit, sine notabili propriae Ecclesiae detrimento; vel si ipsius mediatio sit necessaria ad componendas inimicitias personarum potentium, etc. — 2) *Necessitas urgens*, v. g. si in vitae periculo versetur ob morbum, aëris inclementiam, persecutionem personalem, etc.; non vero propter generale periculum, v. g. tempore contagii, etc. — 3) *Obedientia debita*, cum scilicet Pontifex eum alio avocat, eique alicujus negotii curam demandat. — 4) *Bonum evidens Ecclesiae*, ad ejus jura defendenda, v. g. in Concilio provinciali vel generali [3].

Eisdem jure PERMITTITUR, ut ex honesta causa, et absque gregis detrimento, quotannis, per *duos* aut *tres menses*, sive continue, sive interpolate extra dioecesim commorentur. Quod ex eodem Tridentino (loc. cit.) constat. — Diutius autem abesse non possunt, absque APOSTOLICO INDULTO. Unde Benedictus XIV in Bulla *Ad universae* declaravit, Episcopum, qui ultra tres menses conciliares absit, sine, licentia expressa Romani Pontificis, habendum esse ut transgressorem, ipsumque *non facere fructus suos*, ac demum alias incurrere poenas, quae in transgressores sunt latae [4].

2252. — II. Episcopus tenetur TOTAM DIOECESIM singulis annis VISITARE, nisi obstet nimia dioecesis latitudo; in quo casu, SALTEM INTRA BIENNIUM, totam visitationem absolvere debet. — Constat ex Tridentino (sess. 24. cap. 3. *de Ref.*), quod obligationem sic graviter

[1] L. IV. 127. dub. 3. — [2] Sess. 23. cap. 1. *de Ref.* — [3] L. IV. 125; H. A. VII. 19. — [4] L. IV. 125-127; cf. Craisson, n. 894.

Digitized by Google

astruit: « Episcopi propriam dioecesim per seipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. » Et subjungit Concilium: « studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. » — Quod si ultra biennium differre velit, indiget Indulto Apostolico [1].

In istis autem visitationibus DEBET Episcopus: — 1° *Praedicare.* Dicit enim Apostolus (2. Tim. 4, 2): « Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina. » — 2° « *Examinare pueros,* ut videat, quomodo instructi sint; et ita possit consulere parochorum negligentiae, eos corripiendo, et etiam substituendo aliquem oeconomum, ad docendos pueros doctrinam, parochi impensis, saltem ad aliorum exemplum. » — 3° « *Examinare sacerdotes in caeremoniis Missae,* et suspendere a celebratione, sine ulla misericordia, eos qui, uti debent, eas non callent. — Potest etiam Episcopus ad examen revocare *confessarios* approbatos, et ex justa causa etiam parochos. » — 4° « Debet *scrutinium personale* adhibere de omnibus sacerdotibus regionis, unumquemque secrete interrogando, primo de suis muneribus, ut ei insinuet quod oportebit, et deinde de aliorum defectibus, et praesertim parochi, confessariorum, v. g. quomodo suo muneri dent operam, cum quibus versentur, etc. » — 5° « Interroget *de abusibus, scandalis* et *discordiis,* quae in regionibus serpunt. » — 6° « Curet *ad fervorem erigere Congregationes* saecularium, ac eas de auxiliis opportunis providere, assignando concionatorem ac confessarium, si istis carent. » — 7° « Denique non praetermittat *Confirmationis Sacramentum administrare* » juxta dicta n. 1498 [2].

2253. — III. « Episcopus tenetur ELIGERE in altaris ministros, DIGNOS duntaxat, et excludere indignos [3]. » — Imo, « Episcopus sacrum Ordinem *indigno* conferens duplici titulo peccat: peccat, quia muneri suo deest; et peccat, quia cooperatur omnibus peccatis, quae ille committet, et causa erit cur alii etiam peccent. Hoc idem innuit S. Paulus (1. Tim. 5, 22.) cum dixit: « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis [4]. »

« DUO debet Episcopus EXAMINARE in iis, qui ad Ordines anhelant, spiritum scilicet et doctrinam. » — 1° Circa *spiritum* et *mores,* etsi jam non possit in praxim deduci antiquus ille rigor, quo in unum mortale lapso aditus ad Ordines praecludebatur, nihilominus certum est, nullum posse admitti ad Ordines, nisi prius in virtutibus probatus fuerit, et praecipue in diuturna continentia, quam Ordinati in sacris profiteri debebunt [5]. — 2° Circa *doctrinam* autem « debet Episcopus maxime curare, ut inspiciat, an qui postulat promoveri, sit bene edoctus, et an sit studii cupidus: dum qui studii non est amator, nunquam idoneus erit Ecclesiae, imo necessario erit pravus: nam (ut dici solet) otium est pater vitiorum [6] » (cf. n. 1914, 1915).

[1] Cf. Vecchiotti, vol. I. lib. 2. §. 63. pag. 287. — [2] H. A. VII. 60; cf, et S. Alph. opusc. *Riflessioni utili ai Vescovi,* ubi plura spiritu Dei plena (Opp. ascet. III. 865). — [3] H. A. VII. 47. — [4] Ib. 51. — [5] Ibid. 47-51. — [6] H. A. V. 52.

Digitized by Google

Quapropter Episcopo incumbendum est, ut SEMINARIUM optima directione constitutum habeat, (statuendo ut nemo Ordines ambiat, qui saltem tres aut quatuor annos ibi commoratus non sit). Ex hoc enim postea seligentur parochi, confessarii et caeteri sacerdotes, et ita poterit dioecesim suam cultam reddere [1]. »

2254. — IV. « Episcopus tenetur ELIGERE bonos PAROCHOS et bonos CONFESSARIOS [2]. » Ab his enim pendet totum dioecesis bonum.

1° Quoad PAROCHOS, jam compertum est praeferendos esse digniores, maxime eos, qui scientia et vitae probitate praestant (cf. n. 2240). — « Quoad *scientiam*, bene potest Episcopus se conformare examinatorum judicio; sed praecipua diligentia debet eo collineare, ut ipse cognoscat de *vitae probitate*, inquirendo notitiam a diversis... Nam, S. C. Concilii de parochorum electione sic decrevit: « Praeferendus est minus doctus (modo idoneus) quando ejus mores sunt approbati, doctiori, cujus vita ignoratur. » Pro certo habendum, parochum probum, uno mense, utiliorem esse populo, quam parochus doctior, sed minus probus, toto anno [3]. »

Insuper, « tenetur Episcopus se informare ab aliis, an parochi dent operam *docendo pueros* doctrinam christianam, an *praedicent*, et an praedicent ad Tridentini praescriptum. De hoc debet Praelatus saepe admonere parochos, ut parvulis frangant panem verbi divini, hortando etiam eos, ut in concionibus conentur insinuare res, quae ad usum conducunt: v. g. quomodo repellendae sint tentationes; quid dicendum, cum occurrunt res adversae, aut cum injuriis quis afficitur, et hujusmodi. — Item, perquirat, qua diligentia parochi et confessarii incumbant *in audiendas confessiones*... Commendet quoque assistentiam *moribundis*, et Congregationes saecularium, praesertim puellarum... Hae congregationes (si bene disponantur et dirigantur) causant postea bonum summum; quia si puellae illae postea nubent, faciliter docebunt filios ea, quae ipsae factitarunt, et familiae integrae sanctificabuntur [4]. »

2° Quoad CONFESSARIOS, maxima sit in eis formandis, ac seligendis, Episcopi diligentia. « A confessariis enim pendet directio conscientiarum omnium subditorum, et unus confessarius, qui sit ignarus, aut moribus pravis, potest totam regionem perditam facere. Non debet igitur Episcopus aliquem probare, quin prius certus fiat de ejus probitate et doctrina, examinando eum super theologia morali (cf. n. 4 et 1786) [5]. »

Ad promovendam autem in parochis et confessariis *pietatem* et *scientiam*, DUO *necessaria* sunt:

Alterum est *annua traditio spiritualium exercitiorum*, quibus unusquisque sacerdos non legitime impeditus, saltem quolibet biennio vel triennio, intervenire teneatur, statuta aliqua poena contra negligentes [6].

[1] H. A. VII. 53 ubi plura; cf. *Regolam. per i Seminarii;* cf. et Lucidi, cap. 6. — [2] H. A. VII. 54. — [3] Ibid. — [4] H. A. VII. 55 (cf. *Selva,* P. 3. c. 8. §. 2 et 3). — [5] Ibid. 56. — [6] Cf. *Acta S. Sed.* vol. XII. p. 609.

Digitized by Google

Alterum est menstrua saltem celebratio Collationum seu *Conferentiarum theologicarum*, quae circa res practicas versentur. Tenentur intervenire his conferentiis omnes sacerdotes curam animarum habentes, ut constat ex plurimis S. C. Concilii declarationibus; ab eis vero eximuntur, *jure constituto*, confessarii Regulares, nisi forte sint parochi. — Hîc tamen commemorandum est quod SS. D. N. Leo Papa XIII in Constitutione *Romanos Pontifices* (15 jan. 1881) sic declarat: « At nos minime praeterit, Concilium Romanum habitum anno 1725 auctoritate Benedicti XIII jussisse, Confessarios omnes, etiam ex Ordinibus Regularibus, intra fines provinciae commorantes, coetus illos celebrare, dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur... Hisce igitur rationibus permoti declaramus omnes *Missionum rectores* Cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus, ut iisdem intersint Vicarii quoque, aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque missionum domos incolunt [1]. »

2255. — V. Episcopo speciatim curae esse debent SCHOLAE, LOCA PIA, et MONASTERIA.

1° Quoad *scholas*, « Episcopus omnem lapidem moveat, ut aliquae scholae catholicae aperiantur et praesto sint, curando ut magistri examina a Gubernio requisita subeant, et necessariam docendi facultatem obtineant [2] (cf. n. 712).

2° « Eorum, qui in *hospitalibus, orphanotrophiis, carceribus*, etc. vitam degunt, non obliviscatur. Laudandus Episcopus, si aliqua vice illos invisat; sed omnino spiritualibus eorum necessitatibus providere stricta obligatione tenetur [3]. »

3° Quoad *monasteria:* 1) Puellarum profiteri cupientium voluntatem explorare non omittat, ne ingrediantur sine Dei vocatione, et postea vitam ducant inquietam cum damno communi. — 2) Non sit facilis ad dandam extraneis licentiam colloquendi cum monialibus claustratis. — 3) Confessarios extraordinarios, prout de jure est, mittat; ordinarios autem ultra triennium, sine necessitate, non confirmet. — 4) Curet, ut singulis annis dentur exercitia spiritualia a sacerdote, qui sit exemplaris et disciplinae religiosae peritus; secus enim damnum potius afferret quam utilitatem [4].

2256. — VI. Episcopus tenetur subditos CORRIPERE, scandalisque et abusibus OCCURRERE; ad hoc enim officio Pastoris fungitur (Recole dicta n. 492 et 496).

Ut autem scandalis efficaciter occurrat, debet Episcopus diligenter *inquirere*, non modo a parochis et vicariis foraneis, sed etiam ab aliis zelantibus sacerdotibus (quos in omnibus dioecesis partibus ad id destinatos habeat), de abusibus, qui alibi in alias forte parochias irrepserint. — Et cum sacerdotes ipsum conveniunt, curet ut *sine mora* excipiantur, utque negotium, cujus causa veniunt, celeriter expediatur; sic enim fiet, ut postea, quotiescumque veniendum est, libenter revertantur [5]. — Similiter, ut scandala ac ruina animarum praecaveantur, omnibus viribus obsistat *Sectis occultis*, lectioni *pravorum librorum* atque ephemeridum, *impiarum scholarum* fundationi ac frequentationi, *concubinatibus* ac matrimoniis mere civilibus, omnibusque gli-

[1] *Acta S. Sed.* vol. XIII. p. 486. — [2] Berardi, *Prax.* n. 702. IX; cf. et Leonis XIII Encyclica ad Episcopos Galliae die 8 febr. 1884. — [3] Berardi, l. c. — [4] H. A. VII. 61. — [5] H. A. VII. 63.

Digitized by Google

scentibus malis promptum remedium opponat; nam sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.

Inter corripiendos autem subditos, primum locum assignet iis *Pastoribus animarum,* qui oscitanter suo munere funguntur; *concionatoribus,* qui verbum Dei adulterant per praedicationem, in qua propriam gloriam magis quam gloriam Dei animarumque salutem ut scopum sibi praefigunt; *sacerdotibus,* qui nimium festinanter sine gravitate et sine rubricarum observatione Missam celebrant [1].

Quomodo autem procedendum sit in formis summariis, et sine strepitu judicii cum clericis indisciplinatis, vel criminosis: vide Instructionem S. Congr. Episc. et Regul. a SS. D. N. Leone XIII, 11 junii 1880 confirmatam [2].

2257. — VII. Episcopus tenetur ORARE pro populo et largiri ELEEMOSYNAS. — Quoad *orationem,* vide dicta (n. 1606. q. 1°) de obligatione celebrandi Missam. — Ad *eleemosynam* quod attinet, S. Gregorius affirmat, illam esse primum opus misericordiae, quod pastor suo gregi praestare debeat.

« O quot malis, ait *S. Alphonsus,* potest Episcopus eleemosynis prospicere! Quot sponsi vivunt in peccato, quia eis non suppetit modus matrimonium perficiendi! Quot pueri ob paupertatem dormiunt una cum parentibus, aut mares cum puellis in eodem lecto cum tanta animarum pernicie! Ideoque boni Episcopi curant perquirere a parochis de necessitatibus, quae adsunt, et eis imponunt, ut se certiorem faciant, quoties aliquod occurrit [3]. »

2258. — VIII. Episcopus tenetur S. Sedi rationem reddere de statu propriae dioecesis; et ad hunc finem debet statutis temporibus VISITATIONEM AD LIMINA peragere [4]. — De hac et aliis quibusdam Episcoporum obligationibus, vide Canonistas [5].

NB. De JURIBUS et PRIVILEGIIS Episcopi legatur S. Alphonsus Lib. I. Append. *de Privilegiis* (vel Homo Ap. Tr. XX. Cap. 3.). — Vide etiam in *Indice alphab.* varias facultates Episcopi indicatas sub verbo EPISCOPUS; — item *Append. I.* Facultates quinq., et Pagellas S. POENIT.

Scholium.

De Vicario Episcopi [6].

2259. — QUAERITUR. *Quid* POSSIT *Vicarius Episcopi?*

Resp. Vicarius generalis, seu *Officialis,* semel ab Episcopo constitutus, habet, per se loquendo, a Jure ORDINARIAM et liberam POTESTATEM gerendi ea, quae potest ipse Praelatus, et alios etiam delegandi. — Hinc, dispensat in proclamationibus matrimonii; fert censuras, ut sibi subditi pareant, v. g. ut reus, vel testis, compareat; approbat ad confessiones; absolvit percussorem Clerici; instituit praesentatos a patronis; judicat causas beneficiarias de jure patronatus, et ejus quasi possessione, etc. [7].

[1] Cf. Berardi, l. c. n. 702. VIII. IX. — [2] Ap. Lucidi, vol. I. pag. 530; cf. et Pierantonelli, *Praxis Fori eccles.* pag. 270. — [3] Cf. H. A. VII. 64. 95, ubi plura. — [4] Cf. *Acta S. Sed.* vol. X. p. 202. — [5] Lucidi, *de Visitatione SS. Limin.;* Bouix, *de Episcopo;* Craisson, *Manuale* n. 919. sqq.; Konings, II. p. 422 ad n. 34. — [6] Cf. S. A. *De Priv.* 31, 34, 47. — [7] Bened. XIV. *de Syn.* L. 2. cap. 8.

Digitized by Google

Diximus *per se loquendo:* nam excipiuntur ea, quae exigunt peculiare mandatum. — Hinc, *sine speciali mandato,* NON POTEST cognoscere causas criminales, in quibus est gravius in reum animadvertendum, v. g. per depositionem vel excorporationem (vulgo *Exeat);* nec potest conferre Beneficia, neque in iis permutandis, uniendis, erigendis consensum praebere; nec potest visitare dioecesim, nec cogere synodum, nec Canonicorum indicere conventum. — Similiter, sine speciali commissione, non potest absolvere a casibus, quos Episcopus sibi reservavit; nec tollere irregularitates provenientes ex delicto occulto; nec dimissorias concedere litteras, nisi Episcopus ad multum tempus extra dioecesim versetur; nec dispensare in juramentis, in votis, in legibus ecclesiasticis, imo nec in episcopalibus et synodalibus statutis: ita ut generatim *in omnibus quae gratia sapiunt* speciali mandato indigeat [1]. — Quod autem nihil eorum peragere possit, quae episcopalis sunt Ordinis, per se jam sufficienter patet.

Vicarius generalis, si deliquerit, potest tanquam persona privata, ab Episcopo puniri. Si deliquerit, circa jurisdictionem seu officium Vicarii, puniendus est a Metropolita vel a S. Sede; quia Episcopus non potest esse judex in causa sui Vicarii, qua talis; item, non datur a sententia Vicarii appellatio ad Episcopum, sed ad Metropolitam vel ad S. Sedem; quia Episcopi et Vicarii unum idemque est tribunal [2]. — Mortuo vel amoto Episcopo, jurisdictio Vicarii, qua talis, cessat.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS CANONICORUM

2260. — CANONICI sic appellantur a *Canone* seu regula, quam debent in Ecclesiae famulatu observare. — Dividuntur hodie in *Regulares*, qui sub cura Abbatis, communem vitam votis adstrictam agunt; et in *Saeculares*, qui in saeculo, separatim, sub Episcopi cura, ex beneficio seu praebenda, et ex distributionibus choralibus vivunt [3]. Hi pertinent vel ad Ecclesiam simpliciter *Collegiatam*, vel ad *Cathedralem;* unde contrahunt speciales obligationes, quas tradunt Canonistae, vel peculiaria Statuta.

Hic, de solis officiis cuilibet Canonicatui annexis dicemus: quae quidem officia sequenti versu exprimuntur:

Sollicitudo chori, residentia, Missa perennis.

2261. — I. Canonici tenentur ad RESIDENTIAM. Sic enim statuit Concilium Tridentinum (sess. 24. cap. 12. *de Ref.*): « Non liceat Canonicis vigore cujuslibet Statuti aut consuetudinis, ultra *tres menses*... quolibet anno abesse, salvis nihilominus Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. — Edixit

[1] L. III. 288. — [2] Cap. *Non putamus*, de consuetud. in 6°; cf. Craisson, n. 1120. sqq. — [3] Cf. Craisson, 2167. sqq.

Digitized by Google

idem Concilium (loc. cit.), ut Canonici, qui ultra tres menses absunt, primo anno *priventur* dimidia parte fructuum; quod si in absentia perseveraverint, priventur omnibus fructibus illius anni. « Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur, » nempe ad ipsorum beneficiorum privationem[1].

Super his tamen NOTANDUM est: — 1° Cum decretum personale sit, exposcit sententiam, ut plenum suum effectum sortiatur. Quia vero Canonicus illegitime absens *non facit fructus suos*, hic non potest fructus tempori absentiae correspondentes exigere, nec retinere.

2° Cum, singulis annis, omnibus Canonicis trimestris a choro vacatio concedatur, *tempus* feriarum ita *distribuendum* est, ut numquam plus quam tertia pars Capituli ferietur; quia vacationes Canonicis, non autem Capitulo conceduntur; cultus enim divinus, cui addicti sunt, non debet vacare.

3° Canonici, dum feriantur, non tenentur aliquem sibi *substituere*. Neque indigent licentia Capituli aut Episcopi ad discedendum intra dioecesim. — Quodsi extra dioecesim discurrere velint, *licentia Episcopi* ipsis necessaria est. Ita S. C. C. in una *Senen.* 12 martii 1594 [2].

4° Satis est ad violationem legis residentiae, si dies absentiae, quamquam interpolate, *superent trimestre* [3]. Sed bene possunt Canonici (non Episcopi) conjungere trimestre concessum cum trimestri anni sequentis, nisi scandalum obveniat, aut cultus divinus minuatur [4].

5° Potest Episcopus, ob legitimam causam dare facultatem, ut possint abesse *per quatuor menses*, ex decisione S. C. Concilii [5] (7 octob. 1580).

6° Canonicus legitime absens lucratur fructus praebendae, *non autem distributiones chorales*, quae nec a consociis remitti possunt; et ratio est, quia distributiones fiunt, ut beneficiati ad assistendum alliciantur [6].

2262. — II. Canonici tenentur ad OFFICIUM DIVINUM in choro canendum vel psallendum. — Constat ex Tridentino (sess. 24. c. 12. *de Ref.*). — Nec ideo excusantur, quod forte sint pauci; nam S. C. C. 31 martii 1696 declaravit, Canonicos, *etsi paucos*, puta duos vel tres, officium in choro canere aut recitare teneri [7].

Hinc: 1° Non sufficit, si choro vel officiis tantum intersint; sed tenentur, in quantum possunt, concurrere ad cantum vel recitationem, voce alta et pio cordis affectu. — Nec satisfaciunt, licet praesentes, cum privata recitatione, ut constat ex Benedicti XIV Constitutione *Cum semper* 19 aug. 1744 [8].

2° Peccant graviter, si notabiliter absint a choro ultra tempus a Concilio Tridentino permissum; et venialiter, si per breve tempus, v. g. tres aut quatuor dies. — Errant ergo illi Canonici, qui se tutos in conscientia putant, modo distributiones cedant; obligatio enim chori est a distributione ipsa prorsus independens [9].

[1] H. A. XIII. 51. — [2] Apud Lucidi, vol. I. cap. 3. n. 11. — [3] Ita S. C. C. ap. Bened. XIV. *Institut.* 107. n. 31. — [4] L. IV. 129. v. fin.; H. A. XIII. 50. — [5] Fagnanus, in cap. *Licet*, 35, *de Praebend.*, et alii apud Ferraris, V. *Canonicus*, art. 5. n. 12. — [6] H. A. XIII. 50. — [7] Ap. Ferraris, loc. cit. n. 50. — [8] L. VI. 326 et L. III. 675, ubi plura; cf. et Lucidi, cap. 3. n. 5. — [9] Scavini, I. 431; cf. Ferraris, l. c. n. 30-32.

Digitized by Google

3° Non potest Episcopus ordinare, ut Horae quaedam omittantur in choro; sed ad hoc, si justa detur causa, opus est Indulto Apostolico. Constat ex Responso S. C. CONCILII ad Capitulum Ecclesiae Molinensis anno 1822[1].

An possint, QUAERES, *Canonici choro inservire per substitutos, vel alternatim unus pro alio? — Resp.* Negative, generatim loquendo; quia est contra praescriptum Tridentini (loc. cit.), ubi dicitur: « Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia; » et contra declarationem S. C. C. datam die 25 julii 1570, etiamsi adesset consuetudo vel statutum id permittens. — Dictum est *generatim loquendo;* quia S. C. C. declaravit, « quod Episcopus, ubi adest consuetudo, possit concedere facultatem Capitularibus invicem se substituendi, in servitio tum ecclesiae tum chori; modo non substituantur iis temporibus, quibus servitio ecclesiae adstricti sunt; et modo curet Episcopus, ne hac facultate substituendi, illi abutantur; puta si hujusmodi substitutiones sint nimium frequentes. » — Alias vero declaravit S. C. C., decretum hoc locum habere tantum inter praesentes[2].

2263. — III. Canonici tenentur, sub gravi, MISSAM unam QUOTIDIE CELEBRARE in cantu, illamque pro fundatoribus et Ecclesiae benefactoribus APPLICARE. — Constat ex Bulla Benedicti XIV *Cum semper* (cf. n. 1617. 4°).

Porro NOTANDUM: 1° Omnes Canonici debent huic Missae in choro interesse. Is vero, cui incumbit onus Missae Conventualis, die quo Episcopus pontificaliter celebrat, illam applicet lectam (ita S. R. C. 12 nov. 1831, *Marsorum*)[3]. — 2° Obligatio applicandi Missam pro fundatoribus potest reduci a S. Sede ad dies festos, si Canonici sint adeo pauperes, ut stipendiis Missarum indigeant ad vivendum. Ex cit. Bulla *Cum semper,* §. 19.

2264. QUAERITUR. *Quaenam sint* CAUSAE *a servitio chori* EXCUSANTES?

Resp. 1° Causae TOTALITER *excusantes* (quibus nempe stantibus, Canonici non privantur fructibus praebendae, neque ordinariis distributionibus) sunt sequentes: 1) *Infirmitas* gravis, aut quae potest probabiliter gravis fieri. — 2) *Necessitas corporis,* qua intelligitur timor cujuslibet damni gravis in vita, honore aut bonis. — 3) *Ecclesiae utilitas,* quae nempe reputatur gravis Episcopi aut Capituli judicio: quo titulo excusantur Vicarius Capitularis (non generalis), Poenitentiarius, Canonicus curatus, theologus, vel concionator, dum quisque eorum suo munere, actu, fungitur. Item Canonicus, qui Romae peragit Visitationem SS. Liminum cum Episcopo, vel nomine Episcopi. — 4) Indultum *jubilationis,* quo scilicet Canonicus post 40 annos servitii laudabiliter praestiti, obtinet per Rescriptum S. Sedis, exemptionem a choro et residentia; ita tamen ut denuo vocari possit, si necessitas chori id exigat.

Resp. 2° Causae PARTIALITER *excusantes* (ita nempe ut absens

[1] Ap. Gury, II. 119; cf. et Lucidi, cap. 3. n. 119. — [2] Lib. III. 675. dub. 5 (a 6ª edit.); cf. Lucidi, c. 3, n. 21-26, ubi recentiora decreta S. C. C. — [3] Gardell., n. 4669. ad 20.

Digitized by Google

lucretur fructus praebendae, sed non distributiones chorales, nisi alia esset consuetudo) ad TRES reduci possunt: 1) Absentia legitima per *tres menses conciliares*, juxta dicta n. 2261. — 2) Necessitas *docendi* theologiam aut Scripturam sacram in scholis publicis; vel licentia ab Episcopo concessa *studendi* eisdem per annos tres, infra annum aetatis vigesimum quintum, ex recentioribus decisionibus. — 3) Impedimentum quodcumque legitimum *ab Episcopo* approbatum. Sic excusantur Canonici examinatores, dum examinant tempore Officii; Visitatores dioecesis; duo illi Canonici, quos Episcopus sibi adsciscere potest tanquam secretarios [1].

Nota. Capitula *cathedralia* fuerunt in hunc potissimum finem instituta, ut singula proprium Episcopum adjuvarent, et, Sede vacante, dioecesis regimini providerent.

Hinc: — 1° Sede PLENA, Canonici Ecclesiae Cathedralis sunt Consiliarii *nati* Episcoporum; et quemadmodum Episcopus, nisi contraria alicubi vigeat consuetudo, in omnibus a Jure determinatis casibus, eos de edendis mandatis consulere tenetur: ita pariter tenentur Canonici Episcopum suis juvare consiliis; nec culpa vacant, si consulti suam sententiam, sine justa causa reticeant, vel parum sincere enuntient (cf. n. 140 not. 1°). — Tenentur insuper Episcopo Pontificalia exercenti assistere eique inservire.

2° Sede VACANTE, tota Episcopi jurisdictio, sive ordinaria, sive jure delegata, transit ad Capitulum (exceptis illis, quae innovationem vel alienationem sapiunt) et a Capitulo ad Vicarium Capitularem, qui intra octiduum a vacatione Sedis constituendus est. — De Vicario autem Capitulari, videsis Canonistas [2] (cf. n. 1327).

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM

2265. — Praeter obligationes clericis et beneficiatis communes, PAROCHI pluribus aliis adstringuntur [3]. — Hae ad SEPTEM capita reduci possunt, suntque sequentes: 1° Residentia; 2° Praedicatio et Instructio; 3° Administratio Sacramentorum; 4° Celebratio Missae pro populo; 5° Cura aegrotantium et pauperum; 6° Correctio ovium; 7° Studium promovendi bonum.

§. 1. — *De Residentia.*

2266. — I. PAROCHI, et alii curatum beneficium habentes, tenentur, jure divino, RESIDERE tum materialiter tum formaliter in

[1] H. A. XIII. 52-57; Lib. IV. 130-132; cf. Lucidi, cap. 3. n. 74; cf. et *Monitore eccles.* vol. 3. P. 3. pag. 102. — [2] Cf. Bouix, *de Capitulis*, P. IV et V; Craisson, n. 1212, sqq. — [3] Vid. Bouix, *de Parocho;* Lucidi, cap. 3 n. 211. sqq.; Craisson, n. 1287. sqq.; Berengo, *Enchiridion parochorum*, P. III. cap. 2.

Digitized by Google

suis Ecclesiis, nisi excuset legitima causa. Constat ex Tridentino sess. 6. cap. 1. *de Ref.* et sess. 23. c. 1. *de Ref.*

Diximus 1° *parochi et alii* etc., i. e., omnes quibus incumbit cura actualis animarum: quales sunt coadjutores parochiae unitae, Vicarii curati, Vicarii parochiales parochiae vacantis, vel parochi absentis. — Constat ex Trid. l. c. sess. 23. c. 1, et ex declaratione S. C. Concilii 6 nov. 1620 [1].

Diximus 2° *jure divino*, juxta sententiam communem et expressam declarationem factam a Benedicto XIV in sua Bulla *Ubi primum*, edita 3 decembris 1740. — Atque hinc infertur, « non posse Pontificem in hoc dispensare, sed tantum posse aliquo casu declarare, quod jus divinum non obliget, justis intervenientibus causis [2]. »

Diximus 3° *tum materialiter*, i. e. in domo presbyterali, si talis existat, vel intra parochiae fines, ut ita facile adiri possit; *tum formaliter*, i. e. utiliter, ut dictum est de Episcopis (n. 2251). « Hinc communiter dicunt DD.... quod parochus non reputatur residere, si per se ipsum non exerceat principaliora munera, nempe administrationem verbi divini, Sacramentorum, etc. [3].

Diximus 4° *nisi excuset legitima causa*, de qua haec dicenda occurrunt:

2267. — II. Tria requiruntur, ut parochus licite ABESSE possit, scilicet: 1° justa causa; 2° substitutio idonei Vicarii; 3° licentia Episcopi (Trid. l. c. sess. 23. c. 1 *de Ref.*).

Requiritur 1° *justa causa*, i. e. causa *gravis*, si ULTRA BIMESTRE sive continuum, sive interruptum abesse debeat; causa vero *rationabilis* seu honesta, v. g. invisendi consanguineos, vel convenienter sese recreandi, si infra bimestre, sine ullo gregis detrimento, abesse velit. — Ast, ex Constit. *Ad universae* Benedicti XIV, « animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae penitus excluduntur [4]. »

Requiritur 2° *substitutio idonei Vicarii*, etiamsi paucis solum diebus absit; nec parochus vicinior (sine licentia Ordinarii) deservire poterit. Secus tamen, si casus urgeret, et Vicarius inveniri nequiret.

Requiritur 3° *licentia Episcopi*, qui tum causam discessus, tum Vicarii substitutionem approbet; hocque in *scriptis*, si agatur de absentia protrahenda ultra duos menses. — In casu urgentis necessitatis, poterit parochus licite, sine licentia, per breve tempus abesse, dummodo idoneum Vicarium relinquat (ex decreto S. Congr. Conc. 7 octob. 1604): sed nisi brevi temporis intervallo sit reversurus,

[1] Cf. Lucidi, cap. 3. n. 211. 226. — [2] L. IV. 121. — [3] Ib. 127. dub. 3; H. A. VII. 15. — [4] L. IV. 122.

Digitized by Google

certiorare debet Episcopum de suo discessu deque discessus causa — « Item, ex parvitate materiae poterit *excusari*, saltem a mortali, si discedat per modicum tempus, ut communiter dicunt DD., modo non relinquat infirmos in articulo mortis [1]. »

2268. — QUAERITUR. *Quasnam* POENAS *incurrant Pastores non residentes?*

Resp. Ex jure naturali et ex Tridentino, juxta communem interpretationem, Pastores non residentes (quibus adnumerandi sunt residentes inutiliter), pro rata temporis absentiae vel negligentiae, *fructus suos non faciunt*, et tenentur, ante omnem sententiam vel declarationem, eos applicare fabricae ecclesiae, vel erogare pauperibus loci; neque haec obligatio ulla compositione eis remitti potest.

Non tenentur tamen restituere omnes fructus tempori absentiae correspondentes, sed tantum eam partem, quae oneribus residentiae respondeat... Ratio est, quia juxta sententiam absolute probabilem, fructus non solum dantur Pastoribus pro oneribus residentiae, sed etiam pro recitatione divini Officii, applicatione Sacrificii, et aliis muneribus [2].

Nota. Nec sacerdotes, quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium commissa fuit, possunt muneri suo *renuntiare*, sine licentia Episcopi, sub praetextu quod beneficia proprie dicta non possideant (S. C. C. 9 maji 1884) [3].

§. 2. *De Praedicatione et Instructione.*

2269. — I. PAROCHI tenentur ad populum ipsis commissum SACRAS CONCIONES habere, hocque diebus Dominicis ac principalioribus Festis. — Constat ex Tridentino, cujus (in sess. 5. cap. 2. *de Ref.*) haec sunt verba: « Quicumque curam animarum obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat. » — Insuper (ex sess. 24. cap. 4 *de Ref.*) potest Episcopus decernere, ut tempore Quadragesimae atque Adventus, in qualibet parochia, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita opportunum duxerit, fiat praedicatio, et alias, quotiescumque id expedire judicaverit.

Hinc, communiter docent, *non excusari a mortali* parochos: —

[1] L. IV. 123; cf. Del Vecchio, I. n. 269, ubi variae S. C. C. decisiones. — [2] L. IV. 127. 128. — [3] Cf. *Acta S. Sed.* vol. XVII. pag. 288; *Monitore eccl.* vol. III. P 3. pag. 133.

Digitized by Google

1° qui per unum mensem continuum, aut per tres menses discontinuos, per se vel per alium, non praedicaverint[1]; — 2° qui praedicationem facere solent capacitati audientium minime accommodatam, utendo scilicet genere eloquentiae magis profano quam sacro, argumentis a christiana doctrina vacuis, et illo modo loquendi, qui plerorumque auditorum captum plane excedit. Loquens de istiusmodi concionatoribus, *S. Alphonsus* graviter attestatur, eos esse apertos *Dei Ecclesiae hostes*, propterea quod sic concionando causa sint, cur multae animae pereant, quae utique, si apostolicam praedicationem audirent, salvae fierent[2].

Atvero, si profana eloquentia e sacro suggestu removenda est, non minus removenda est *rusticitas* atque *incuria;* nec enim fas est absque praeparatione, incomposite atque inconsiderate verbum Dei annuntiare. — Item arcendus est zelus *intempestivus*, ne populus incautis concionatoris verbis offendatur; ne peccata, quae non certo sunt lethalia, tanquam lethalia affirmentur; ne doctrinae sacrae admisceantur res, quae spectant ad eventus quotidianos, civiles aut politicos; ne sacra praedicatio inserviat ulciscendae privatae injuriae; ne facile de stipendiis, quae sacris Ministris debentur, sermo fiat, etc.[3].

Expedit, ut Parochus in sacris concionibus saepenumero populo *inculcet* frequentiam orationis et *Sacramentorum;* fugam tabernarum, et turpiloquii; sacrilegii enormitatem; necessitatem doloris et propositi pro Confessione; media superandi tentationes, praecipue tentationes impuritatis; devotionem erga B M. V. etc.[4]

2270. — II. Parochi tenentur CATECHIZARE pueros et alios in doctrina christiana rudes et ignaros. — Admonet enim Tridentinum[5] Episcopos, ut « saltem Dominicis et aliis festivis diebus, pueros, in singulis parochiis, fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent; et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellant; non obstantibus privilegiis et consuetudinibus. »

Modo autem speciali tenetur Parochus, et quidem sub gravi, docere sibi commissum populum MYSTERIA FIDEI, quae sciri et credi debent, et quae necessaria sunt ad salutem, juxta dicta n. 427. — Hinc, cum advertit *parentes* aut *dominos* non curare, ut filii famulive intersint doctrinae christianae, tenetur eos monere, vel ad Episcopum recurrere, ut opportune adhibenda remedia edoceatur. « Expedit etiam, ut exploret *magistros* et *magistras*, an possint recte docere pueros et puellas doctrinam christianam, et media conducentia ad vivendum in timore Dei[6]. — Quoad *obstetrices* vid. n. 1459. fin.

Nota. « Cum in regione reperiuntur notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, Parochus tenetur curare, ut *Missio* eo adveniat. Ille parochus, qui missionem non curat, suspicionem ingerit suorum

[1] L. III. 269; H. A. VI. 5. — [2] H. A. VII. 36; cf. *Selva*, P. 2. Istr. 4 n. 4; *Prax. conf.* n. 203; *Verità della fede*, P. 3. cap. XI. v. fin. n. 9; cf. item *Istruz. ai predicatori* (tom. 3. p. 298); et *Notif.* 2. n. 3 (tom. 4. p. 712). — [3] Cf. Konings, n. 1140. — [4] Cf. H. A. VII. 37-44; *Praxis*, n. 204-216. — [5] Sess. 24. cap. 4. *de Ref.* — [6] H. A. VII. 35.

Digitized by Google

morum; boni enim parochi non praetermittunt quarto aut quinto quovis anno missionem arcessere. » Ita *S. Alphonsus* [1].

§. 3. *De administratione Sacramenti.*

2271. — Parochi tenentur per se ipsos ministrare Sacramenta omnibus parochianis indigentibus, aut petentibus, ex rationabili causa. — Patet ex dictis de Residentia (n. 2266).

Hinc « peccat Pastor, qui morosum vel difficilem subditis se reddit. Ideoque recte monuit *S. Carolus Borromaeus:* « Quacumque diei vel noctis hora ad Sacramenta infirmis ministranda parochus vocabitur, nullam moram interponat; imo populum praemonebit, ut cum opus est parochiali administratione, libere se accersat, nulla habita neque temporis neque loci distantis, etc. ratione. » — Excusabitur tamen a mortali (pergit *S. Alphonsus*), si semel, vel iterum, extra necessitatem, Sacramenta denegat; quia non videtur tam stricte se obligasse [2]. »

Recole dicta n. 1415 et sqq., et complura alia quae notata sunt suis locis, quoad singula Sacramenta: de Baptismo, n. 1461; de Eucharistia n. 1536. 1538. q. 2°; de Poenitentia, n. 1802; de Extrema Unctione, n. 1880; de Matrimonio, n. 2057. sqq., 2067. sqq. et 2073. sqq.

2272. — Quaeritur. *An Parochi teneantur Sacramenta ministrare* cum periculo vitae, *v. g. tempore pestis?*

Resp. Dist. 1° Tenentur etiam cum evidenti periculo vitae ministrare per se, vel per alios idoneos, *Sacramenta necessaria*, Baptismum scilicet et Poenitentiam; imo et Eucharistiam vel Extremam Unctionem, si quis moribundus, in statu peccati probabiliter constitutus et privatus sensibus, non potuit, nisi sub conditione absolvi: forte enim postea attritus per hoc vel illud Sacramentum salvabitur, absque eo damnandus (cf. n. 1397, 1873, q. 3°). Ita omnes.

2° Valde probabiliter tenentur cum eodem periculo ministrare Eucharistiam et Extremam Unctionem, etiam in casu quo haec Sacramenta *non essent extremae necessitatis;* quia moribundi, etsi non sint in absoluta necessitate, non sunt tanto bono (praesertim S. Viatico) privandi; nisi alias aliqui infirmi essent absque confessione morituri, vel periculum esset pro tota parochia remanendi sine sacerdote. Ita multi graves AA., quibus tamen alii contradicunt. Unde, non videtur adeo urgenda talis obligatio, nisi secus populo daretur scandalum [3].

Caeterum non facile, nec protinus, vitae periculum praetimendum est. Experientia enim constat in contagiosis vel epidemis morbis, v. g. in morbo asia-

[1] H. A. VII. 31; cf. Opusc. *Riflessioni utili ai Vescovi*, cap. 2. §. 5 (Opp. Tascet. IV. 874). — [2] L. VI. 58. — [3] L. VI. 233. 729.

Digitized by Google

tico, *cholera* dicto, medicos, moniales et sacerdotes, qui sunt aegrotorum curae addicti, speciali Dei providentia tueri, eosque, dummodo debitas cautiones non praetermittant, plerumque salvos evadere atque incolumes. — Quod si ex charitatis exercitio succumberent, quid potest esse optabilius? Comparant enim sibi in aeternum splendidissimam martyrii coronam [1] (cf. n. 1452, q. 2°).

§. 4. *De obligatione orandi pro populo.*

2273. — Parochus, non solum saecularis, sed etiam regularis, tenetur, vi juris divini, ORARE et applicare SACRIFICIUM MISSAE pro populo. — Constat ex his verbis Apostoli (Hebr. 5, 1): « Omnis namque Pontifex pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis [2]. »

Recole dicta in Tract. *de Eucharistia* n. 1604 et seqq.

§. 5. *De cura infirmorum et pauperum.*

2274. — I. Parochus « debet sedulo ASSISTERE MORIBUNDIS, et praesertim peccatoribus *habituatis*, qui peculiari assistentia magnopere indigent. — Verum est quod parochus potest hanc assistentiam committere aliis sacerdotibus; sed non debet fidere cuilibet sacerdoti; nam in hac occasione assistendi moribundis, possunt accidere scandala non mediocris damni [3]. » — Recole dicta n. 473. 3°, 1854 et 1880 [4].

2275. — II. Parochus tenetur, vi sui muneris, SUBVENIRE PAUPERIBUS AC MISERIS, prout admonet Concilium Tridentinum (sess. 23 cap. 1. *de Ref.*) — Egenorum igitur inopiam, pro redituum conditione sublevet; infelices omnibus benignitatis officiis, opportunaque consolatione, leniat. — De occultis praesertim egenis *inquirat;* et expendat quot animae vivant in peccato, quia eis non suppetit copia honeste vivendi, vel pueros educandi (cf. n. 2247 et seqq.).

Nota. Monet Rituale Romanum, ut parochus praeter libros baptizatorum, matrimonio conjunctorum, et defunctorum, alium conficiat DE STATU ANIMARUM, in quo consignentur nomina et conditio singulorum parochiae incolarum.

§. 6. *De correctione Ovium.*

2276. — I. PAROCHUS tenetur, tum ex officio quod gerit, tum ex stipendio quod recipit, CORRIGERE etiam cum vitae periculo, SUOS SUBDITOS versantes in peccato mortali, vel in proximo ejusdem pe-

[1] Cf. Del Vecchio, tom. I. append. VI. — [2] H. A. VII. 29; L. III. 35?. — [3] H. A. VII. 45. 2°. — [4] Cf. Berardi, *Prax. conf.* n. 788.

Digitized by Google

riculo; et ad hoc tenetur non solum in eorum extrema, sed etiam in eorum GRAVI necessitate, quotiescumque spes emendationis affulget [1]. — Quam graviter autem haec correptionis obligatio urgeat, colligi potest ex sequenti Domini comminatione (Ezech. 33, 8.): « Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram » (cf. n. 496, 3.).

Hinc, tenetur Parochus *inquirere* et prudenter *corrigere*, eos, qui vivunt in peccato: quales sunt concubinarii, blasphemi, ebriosi, vetitos libros vel pravas ephemerides legentes, prohibitos cibos manducantes, festa contemnentes, et praesertim illos qui praecepto paschali non satisfaciunt. — Item, inquirat de inimicitiis et *scandalis*, quae serpunt, praesertim inter sponsos, ut ita, quantum potuerit, illis opportune occurrat [2].

Nec vero ad amovenda scandala et ad extirpandos abusus sufficiunt publicae correptiones in ecclesia, salutaresque admonitiones in tribunali Poenitentiae: oportet interdum, ut parochus illas suas oves, quae deviam vitam sequuntur, *conveniat*, ac salutaribus eas admonitionibus ad morum emendationem impellat, prout zelus et prudentia suggesserint. Neque unquam hoc officio, ob humanum respectum fungi negligat *apud magnates;* pro omnibus enim suae curae commissis ovibus ipse aliquando Supremo Judici rationem redditurus est. — Recole dicta (n. 492. et sqq.) *de correctione fraterna.*

2277. — II. Parochus non solum tenetur e medio tollere peccata et scandala, sed etiam PRAEPEDIRE illa, quae postmodum facile oritura praevidentur. — (Recole dicta n. 451; 824; 2256).

« Si omnibus pensatis, tum ex hominum indole, tum ex incolarum usu, tum ex exterorum frequentia aliisque adjunctis, pius Parochus in Domino cognoverit, haud posse vel ex repetita correptione sperari emendationem: potiusquam voce, corrigat *suo exemplo, suaque satis aperta displicentia;* ne saltem a caeteris fidelibus ipse male audiat, cum videant scandalum perdurare, et pastores nulla molestia, nulla sollicitudine vexari, sed quasi omnia prospere cedant, hilariter vivere gaudentes quasi connivendo [3]. »

§. 7. *De Sollecitudine promovendi bonum.*

2278. — PAROCHUS non solum debet malum avertere, sed etiam PROMOVERE bonum. — Ad rem sic *S. Alphonsus:* « Boni pastores, inquit, non desistunt hortari ad Sacramentorum et Congregationum frequentiam, ad visitationes SS. Sacramenti et divinae Matris, ad Novenas, ad Venerabile, cum Viaticum circumfertur, associandum, » et ad caetera hujusmodi [4].

Jam vero, quo efficacius bonum PROMOVEATUR: — 1° « Curet persaepe, ut populus singulari studio Mariae Sanctissimae *devotionem* prosequatur, insinuando, quanta sit ejus potentia et misericordia erga suos devotos... Felix ille

[1] H. A. VII. 30. — [2] Ib. 31. 32. 34. — [3] Scavini, I. n. 644. ubi plura. — [4] H. A. Append. IV. §. 2. n. 7.

Digitized by Google

parochus, qui suas oves ferventes tenet erga devotionem Mariae! nam illae, Virgine opitulante, recte vivent et ipse advocatam in vitae exitu potentem habebit [1]. »

2° « Potissimum insinuet *usum petitionis:* nempe ut saepe se Deo commendent, ab eo praesertim sanctam perseverantiam postulando propter Jesu et Mariae amorem; saepius explicando, quod divinae gratiae, et praecipue donum perseverantiae, non obtinentur, nisi petantur: *Petite et accipietis.* Et publicet saepe illam magnam Jesu Christi promissionem, quod quidquid Patrem petierimus in ejus nomine, Pater dabit nobis: (Joan. 16, 23). — Insinuet etiam instanter usum *orationis mentalis*, et curet eam faciendam in ecclesia una cum populo quolibet die, aut saltem quolibet die festo; docendo etiam modum, quo fieri potest domi [2]. »

3° Ut populus ad sacras functiones alliciatur, haec TRIA maxime CURET, nimirum: in ecclesia *supellectilis* decentiam, *in cantu* religiosam observantiam, *in omnibus caeremoniis* diligentiam. — His enim rite peractis, quasi signis, ait Cardinalis Bona, « excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores [3]. »

4° Multam curam conferat ad sacras *Sodalitates* laicorum, excitando horum zelum, fovendo eorum concordiam, illasque patienter sustinendo. Per Sodalitates enim Dei cultus mirifice augetur et propagatur [4] (cf. n. 2254. 1° fin).

5° De *scholis* curam agat omnino specialem, ut ad catholicam normam, quoad fieri potest, instituantur ac moderentur. Ubicumque scholas deprehenderit, in quibus juventutis fides aut boni mores periclitantur, debet admonere parentes, eas non posse a suis filiis frequentari, ipsosque verae praevaricationis reatu coinquinari, si suam prolem in istiusmodi peste infecta gymnasia mittant. — Recole dicta n. 712.

6° « Prae caeteris, *bono sit exemplo* suis subditis. Pastor est enim illa *lucerna lucens et ardens*, quae in Evangelio describitur, ardens zelo sancto in interno, et lucens bono exemplo in externo. Secus ipse praedicet, et moneat alios pro viribus, quantum velit, ad incedendum per virtutum semitas, nisi ipse praecedat exemplo, subditi ne fidem quidem praestabunt iis, quae ipse dicit: nam, homines magis oculis, quam auribus credunt [5].

« Tandem *a bonis parochis pendent boni mores, et salus populorum.* Si in regionibus bonus parochus adest, ibi videbitur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis, et bonum exemplum; sin autem parochus erit pravus, tota regio vitiis et scandalis redundabit [6]. »

2279. — QUAERITUR. *Quaenam sint praecipua Parochi* JURA?

Resp. Sunt sequentia: 1° Jus *administrandi Sacramenta*, nempe baptizandi, confessiones suorum parochianorum ubique audiendi, dandi Communionem paschalem, assistendi matrimonio, necnon Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi. — 2° Jura *honorifica:* parochus scilicet in propria ecclesia, praecedit alios etiam in dignitate constitutos; extra propriam ecclesiam parochi sedent post Clerum Ecclesiae Cathedralis; inter se praecedunt prioritate as-

[1] H. A. Append. IV. §. 2. n. 8. — [2] Ibid. n. 8. — [3] Scavini, I. 445. — [4] Ibid.; cf. Lucidi, vol. II. cap. 7. §. 2; Craisson, n. 4654. sqq. — [5] H. A. VII. 45. — [6] Ib. n. 46.

Digitized by Google

sumptionis, sed parochus perpetuus praecedit amovibilem. — 3° Jura *utilia* sunt jus sepeliendi vel funeribus interveniendi, jura stolae, jus accipiendi oblationes[1]. — De his vide Canonistas.

Scholium.

De Vicariis ac Vice-parochis.

2280. — Ex his alii sunt Vicarii curati *perpetui,* hique parochis aequiparantur: alii vero sunt Vicarii *temporales.*

I. Vicarius CURATUS est ille, qui ab Episcopo canonice instituitur in ecclesia parochiali, cujus curam *actualem,* a parocho primitivo et habituali, v. g. a Capitulo, independentem accipit. — Huic generatim competunt ipsa parochorum jura et officia, de quibus modo locuti sumus[2].

2281. — II. Vicarii TEMPORALES, qui parochi absentis vel defuncti vices gerunt, dicuntur *oeconomi, vice-parochi, administratores,* aut *substituti,* et iisdem adstringuntur obligationibus, ac ipse parochus; si vero parochum praesentem adiuvant, dicuntur *coadjutores* vel vicarii proprie dicti[3].

De hisce NOTAMUS: — 1° Ex jure Tridentino (sess. 21. cap. 4. *de Ref.)* debet parochus tot Vicarios seu Coadjutores sibi adjungere, quot sufficiant, postquam ad hoc munus ab Episcopo approbati vel confirmati fuere. — Impraesentiarum vero, propter indigentias temporum, vicariorum deputatio et remotio spectant, in multis locis, ad solum Episcopum.

2° Vicarius, sive a parocho, sive ab Episcopo constitutus, curam exercet nomine parochi, et ad instar ipsius. — Gaudet autem illis facultatibus, quas expressa voluntas Episcopi vel parochi, vel saltem usus et praxis locorum, determinant.

3° Mutuae relationes inter parochum et vicarios debent non tam jure quam charitate ordinari. — Duo potissimum sunt Vicariorum OFFICIA. Unum est *diligens auxilium* in cura animarum: quod sic intelligitur, ut parochus possit semper quoscumque actus ministeriales, si velit, per seipsum peragere. — Alterum est *obedientia,* qua curam animarum non seorsum, sed conjunctim cum parocho exerceant. Meminerint autem semper Vicarii, se esse inferiores ac parochorum discipulos.

Nota. De *Capellanis* et *Eleemosynariis* vide Canonistas: v. g. Craisson, n. 1530. et sqq. — Ferraris, v. *Capellanus.*

[1] Cf. Craisson, n. 1348 sqq. — [2] Cf. ib. n. 1515. — [3] Cf. ibid. n. 1516. sqq.; cf. et Ferraris, V. *Vicar. parochialis;* cf. *Analecta J. P.* serie V. col. 838-902 et 970-1015.

Digitized by Google

TRACTATUS III.

DE STATU LAICALI

2282. — In statu laicali viventibus, alterutra est vitae conditio: vel degunt *vitam privatam* in societate domestica, vel gerunt aliquod *munus publicum*, ad bonum commune.

Ex hac duplici vitae conditione exsurgit duplex species particularium officiorum. — Alia scilicet obstringunt homines, qui vitam privatam agunt, haecque referuntur ad societatem domesticam, sive paternam, sive conjugalem, sive herilem (de quibus jam egimus in Tractatu *de IV° Praecepto*). — Alia autem obstringunt homines, qui aliquo *publico munere*, in societate civili, funguntur. De his in praesenti Tractatu disputandum est.

Disputatio complectitur TRIA, videlicet: 1° Officia Principum, legislatorum, et aliorum qui rei publicae praesunt; 2° Officia eorum, qui versantur in foro, et quos penes est exercitium justitiae publicae; 3° Officia medicorum et pharmacopolarum, qui suo similiter munere, ad bonum commune, funguntur.

De caeteris saecularibus officiis abunde tractavimus in variis Decalogi capitibus. — Vide dicta *de scandalis frequentioribus* (n. 515. ss.), *de cauponibus* n. 522), *de opificibus et mercatoribus* (n. 523 et 908), *de typographis et bibliopolis* (n. 524), *de exactoribus vectigalium* (n. 968), *de mandatariis* (n. 1090), *de nummulariis* (n. 1116), etc. etc.

CAPUT I.

DE OFFICIIS EORUM QUI PRÆSUNT REI PUBLICÆ

2283. — Qui aliis praesunt, hos graviter ipsa Divina Sapientia in hunc modum admonet: « Praebete aures vos, qui continetis « multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data « est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interro- « gabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum es- « setis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis « legem justitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Hor- « rende et cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, « qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes « autem potenter tormenta patientur » (Sap. 6, 3-7).

Digitized by Google

Praemissa hac gravissima admonitione, en quae summatim tum de officiis PRINCIPUM, atque illorum, qui suprema potestate potiuntur; tum de officiis LEGISLATORUM, eorumque, qui alicui multitudini *praesunt,* dicenda esse videantur [1].

ARTICULUS I.

DE OFFICIIS EORUM PENES QUOS EST SUPREMA POTESTAS

2284. — PRINCEPS et quilibet suprema potestate insignitus, juxta Apostoli doctrinam, « *Dei minister est in bonum.* » Quoniam vero humanae societatis bonum DUPLEX est, *spirituale* nempe seu morale, et *temporale,* sequentia statuenda sunt

Principia. I. Tenetur PRINCEPS, et quilibet imperans, FOVERE in sibi subditis sensum religionis, ac bonos mores. — Ratio est, quia, sublata religione ac fidelitate erga Deum, ipsa fidelitas erga principem corruit, et suprema potestas, sine qua nullus in societate ordo subsistere potest, necessario in contemptionem adducitur. Civilis enim vita solâ religione defenditur, neque ulla vis aut lex humana potest irreligiosam multitudinem ad honestum ac vere probum vitae tenorem, efficaciter impellere [2].

Debet igitur Princeps et *quicumque ejus* VICES *gerit:*

1° Praebere *bonum exemplum* in iis omnibus, quae ad religionem morumque honestatem spectant; et quoniam « Regis ad exemplar totus componitur orbis », enormi praevaricationis crimine se dux populi coinquinaret, si sibi subditos malo suo exemplo in religionis contemptum morumque corruptelam induceret.

2° Debet eligere idoneos *consiliarios* ac *ministros,* quos doctrina ac vitae bonitas faciunt vere commendabiles, atque in primis (si a S. Sede jus electionis possidet) bonos *Episcopos,* et probos studiosae juventutis *institutores* (cf. n. 2244 et 712).

3° Debet uti sua potestate ad *religionis* atque *Ecclesiae tutelam,* non quod ecclesiasticam auctoritatem sibi audacter arroget, eave decernat, quae ad fidem religionemque spectant; sed quod sacris Ministris, quibus Ecclesiae cura a Christo commissa est, adjumento esse connititur: *curando,* ut divinis praeceptis, et viris sacrae militiae adscriptis reverentia exhibeatur, ut publicae legis divinae violationes praepediantur, ut arceantur novarum religionum satores, sicut

[1] Cf. S. Thom. Op. *De regimine principum;* cf. et Scavini, vol. IV. append. XVI. sqq. — [2] Cf. LEON. XIII. Encycl. *Diuturnum,* 29 jun. 1881, et Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885.

Digitized by Google

et pravi illi libri atque ephemerides, queis sanctae Fidei bonisque moribus damnum infertur. « Mali enim libri, ait *S. Alphonsus*, ruinam regnis machinantur. » [1] (cf. n. 451).

2285. — II. Tenetur PRINCEPS et quilibet imperans PROSPICERE *publicae felicitati ac securitati,* mediis justis atque opportunis. — Ratio est, quia publica felicitas seu prosperitas est finis regiminis, non quidem finis primarius, sed secundarius, juxta illud Matthaei: « Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. » — Unde, peccaret princeps, si rei publicae ignaros imperitosque ministros praeficeret, si subditos plus aeque gravaret, ab hostibus aut injustis vexationibus non tueretur [2] (Recole dicta nn. 138, 147-150, 653, 729, 749, 873, 922, 965, 978, 983, 1188).

Nota. Cum *S. Alphonsus* boni principis formam paucis depingat, juvat ejus verba hic transcribere, eo magis quod OMNES, qui multitudini vel communitati regendae PRAESUNT, exemplar inde ad imitandum sumere sibi possunt. — En salutaria S. Doctoris verba [3]:

1° Bonus Princeps, ad boni regiminis exercitium, habet sibi Deum semper praesentem, et quae ad divinam gloriam spectant, haec omnibus politicis rationibus anteponit.

2° Exhorret adulatores, amatque homines veridicos, et exoptat hunc suum horrorem atque amorem innotescere omnibus.

3° Utitur aequitate erga omnes, remota omni passione ac partium studio.

4° Non decernit res majores momenti, nisi post praeviam ac seriam disquisitionem.

5° Recurrit, in rebus dubiis, ad consilium prudentum.

6° Est cautissimus in seligendis sibi consiliariis sapientibus ac probis.

7° Accepto consilio, quod bonum esse judicat, totus in eo est, ut rem fortiter exequatur, nisi clarae rationes, contrarium suadentes, superveniant; nam mutare consilium cum justa ratione non est imbecillitas mentis, sed laudabilis prudentia.

8° Si quem laudari vel accusari inaudiat, est tardus ad credendum, et perpendit, utrum relator, proprio aliquo commodo motus, ad sic loquendum incitetur.

ARTICULUS II.

DE OFFICIIS EORUM PENES QUOS EST POTESTAS LEGISLATIVA

2286. — Ad condendum leges vel Decreta, concurrunt, praeter supremos gubernatores, tum *Senatores* et *Deputati* (aut *Consiliarii*) a Principe vel a populo electi in Gubernio repraesentativo, tum ipsi *electores.* — Quocirca statuimus sequentia

[1] *Fedeltà dei Vassalli,* c. 1. n. 9; cf. J. B. Jaugey, *Accord de l'Église et de l'État.* Lett. 4e et suiv. — [2] Cf. Tarquini, *Instit. jur. eccl. publ.* L. 1. c. 2. — [3] *Fed. de' Vassalli,* cap. 2. (Opp. ascet. t. II. p. 506).

Digitized by Google

Principia. I. ELECTI ad munus CONDENDI LEGES attendere tenentur, non quid hic et nunc placeat principi vel multitudini, sed quid *justum* sit, et *congruum* communi omnium bono. — Lex enim civilis non ideo justa est, quia est fugax decretum voluntatis principis vel populi (ut placuit quibusdam novatoribus); sed quia est *stabilis* praescriptio, qua suprema Potestas aliquid rationabiliter praecipit, prohibet aut statuit, ad commune bonum temporale civium absque detrimento boni spiritualis. — Et quod dicimus hic de legibus, valet simili ratione, pro *Decretis* et quibuscumque *Statutis*. (Recole dicta n. 153. ss). — Aliquando tamen, possunt Senatores, Deputati et Consiliarii quaedam minus recta (quae non sunt intrinsece mala) admittere et suo suffragio munire, *ut pejora excludantur;* dummodo cum protestatione suae rectae intentionis id faciant [1] (cf. n. 202).

Hinc: — 1° Legiferae potestatis participes PECCANT (plerumque graviter), si ad tantum munus debitam *scientiam* ac *diligentiam* non afferunt; et gravissime quidem, si scienter, iniquis legibus aut decretis operam dant, vel assensum. — Unde, evenire potest, ut ad damnorum reparationem teneantur. Quinimo, suppositis culpa theologica et efficaci influxu, restitutioni obnoxius est, quicumque a suffragio ferendo *abstinet*, dum illud ferre debet *ex officio*, quod libere per quasi-contractum suscepit, et quo ad bonum publicum aut privatum tuendum sese adstrinxit. — Recole dicta n. 983 sqq. — Quoad excommunicationem, vide n 1320 sqq.

2° Electi, vel eligendi, si tanto muneri idonei sunt, neque alii idonei reperiuntur, tenentur *electioni se subjicere.* Et sane, si quis bono privatorum interdum consulere tenetur, quanto magis bono ac saluti totius communitatis [2].

2287. — II. ELECTORIBUS, in legitimo gubernio, grave munus incumbit ELIGENDI Deputatos PROBOS, sive communales sint, sive provinciales, sive politici. — Unde, praeclusis aliis circumstantiis, non solum peccant cooperatores *positivi*, qui scilicet suffragantur malis; sed etiam cooperatores *negativi*, qui non concurrendo scienter in causa sunt, cur mali eligantur; nam ex justitia legali unusquisque tenetur in quantum potest malum a republica avertere, *si qua spes* avertendi affulgeat. Nullus autem ignorat, quot et quanta mala ab improbis Deputatis, maxime ab illis, qui sectae Massonicae sunt adscripti, in societatem tum religiosam tum civilem ingerantur [3] (cf. n. 989).

Diximus *in legitimo gubernio;* nam, si quaeritur *an liceat, in regno usurpato, eligendis suffragari et in legumlatorum conventu sedere*, dissident auctores. — Alii quidem *affirmant*, maxime si societas in extremis versetur, et religioni ruina impendeat. — Alii vero fas esse *negant*, eo quod talis concursus praestari nequeat sine scandalo, nec sine injustitia, cum DEPUTATOS eligere et

[1] Cf. Lehmkuhl, I. n. 800. — [2] Scavini, I. 676. — [3] Scavini. loc. cit.; Gousset, tom. I. n. 627.

Digitized by Google

OFFICIA PUBLICA agere idem sit ac usurpatoris personam sustinere, cum illo leges ferre, ac regimen dividere. Atque hinc fuit cur PIUS IX istiusmodi concursum, maxime pro Pontificia Ditione, plane improbaverit in Brevi edito 29 jan. 1877, et jam prius in Declaratione facta die 18 junii 1874... Secus tamen, si de CONSILIARIIS tantum *municipalibus* ac *provincialibus* eligendis agatur; hi enim non nisi res Communitatis, vel Provinciae bonum tuentur, nec condunt leges, sed subeunt illas, haud secus ac caeteri cives. — Alii tandem media via procedunt et *docent verius*, rationem habendam esse locorum, personarum, temporum et circumstantiarum, quae, cum possint esse diversae, ad diversas etiam conclusiones conducere possunt. Cum his itaque *dicimus:* Si, salvo jure legitimi principis, gravia damna a societate averti possunt, cives jus habent et officium eligendi viros probos, qui bono communi invigilent; deficiente probabili spe majoris boni promovendi, satius erit a concursu politico abstinere; maxime, si legitimi principis jus inde laederetur. Rem autem definire ad ipsum principem spectat [1] (cf. n. 150, q. 2°)

2288. — QUAERITUR. *An liceat eligere* INDIGNUM *ad excludendum* INDIGNISSIMUM?

Resp. Alii cum Hurtado *negant;* nam malum est, malum velle et eligere; et si non sunt facienda mala, ut eveniant bona, a fortiori non sunt facienda mala, ut eveniant minora mala; id enim est intrinsece malum, ac jure naturae prohibitum. Huc facit illud: « Pereat mundus, sed justitia fiat. » — Alii cum Lugo *affirmant;* nam, licitum est consulere minus malum, ut majus evitetur. Et tunc proprie non eligitur malus, quia malus vel ad malum; sed ideo eligitur, ut impediat majora damna, quod bonum est. Et hoc non potest dici esse malum intrinsece et per se, cum in praesenti casu rationem boni habeat; est enim mali diminutio — Alii tandem id ultro concedunt, si non tantum ex tali electione minuatur malum, sed aliquid boni intendatur et speretur ab eligendo, uti si per eum catholici assequi valeant eam libertatem, qua mali fruuntur [2].

ARTICULUS III.

DE OFFICIIS EORUM PENES QUOS EST POTESTAS EXECUTIVA

2289. — Ad praesentem ordinem pertinent praecipue: 1° Ministri principum, et Praefecti provinciarum; 2° Duces militiae; 3° Syndici seu rectores communitatum. — De singulis pauca.

I. *De Ministris.* — Medii inter principem et populum, MINISTRI debent *principi* veritatem atque operam, in omnibus, quae ad bonum regimen spectant; *populo* autem debent fidelem atque aequam

[1] Cf. Del Vecchio, I. n. 332; cf. Berardi. *Prax. conf.* n. 66. — [2] Del Vecchio, ibid. I. 332.

Digitized by Google

communis legis executionem. — Unde, infidelitatis reos se constituunt: 1) si principi, cujus oculi sunt et manus, ea dissimulant, quorum notitiam recta administratio sibi expostulat; 2) si populo, per vitiosam administrationem, contemptum regiminis odiumve ingerant, sive per nimiam negligentiam aut severitatem, sive per justitiae distributivae laesionem in legis applicatione, vel in onerum aut gratiarum distributione; 3) si exequantur praecepta certo injusta. Ubi enim certa et gravis est injustitia praecepti, executio *differri* debet, donec princeps vel Superior, reverenter monitus, errorem correxerit. Quod si admonitus corrigere detrectet, vel si admonitio sit impossibilis, Deo utique obediendum est, non autem hominibus.

Atque haec eadem, proportione servata, valent de *Praefectis* provinciarum, de *delegatis* ad principes exteros, et de caeteris omnibus *Potestatis executivae* administris.

2290. — II. *De militiae ducibus.* — Duces militiae, praeter idoneam SCIENTIAM et PERITIAM, quam acquirere et habere tenentur, pluribus aliis devinciuntur obligationibus, tum erga principem, tum erga milites[1].

1) Erga *Principem*, (et *nationem*) debent inviolabilem servare FIDELITATEM et JUSTITIAM. — Unde, non possunt militiam deserere maxime tempore belli, nisi ex consensu principis. Tenentur pugnare fortiter; perjuri essent, si ad hostes confugerent, aut clandestina cum eis consilia inirent. — Peccarent *contra justitiam*, fingendo ut praesentes milites absentes, vel retinendo stipendium militum defunctorum.

2) Erga *milites*, tanquam boni patresfamilias debent invigilare, ut nihil eis desit, sive quoad animam, sive quoad corpus: singularia certamina, ebrietates, rixas, impuritates, furta, quoad ejus fieri potest, impediant. — Graviter *peccant*, si absque necessitate, praescribant exercitia militaria, diebus dominicis et festis, praesertim ad horam Missae; impediunt enim milites, quominus principale religionis munus exequantur. — Item, graviter peccant, si temere praelium ineant, vel sine justa causa vitam militum exponant. — Recole dicta de *Duello* et *Bello* (n. 745. sqq.).

2291. — III. *De Syndicis.* — « Syndici Communitatum, eorumque adjutores, suas habent obligationes, et quidem gravissimas; cum a lege deputati sint Communitatum rectores ac tutores, ut nempe illarum bona et jura tueantur legumque observantiam, si justae sint. — Ideo, graviter *peccant* et tenentur *de damnis*, si acceptatores personarum, ineptos eligant ad publica officia; si malos non

[1] Gousset, I. 627.

Digitized by Google

cohibeant; si scandala non impediant valentes; si bona Communitatis dilapident; si quae religionis sunt quasi pro nihilo habeant; et ejus liberum exercitium coerceant, jura pervertant, aut illorum usurpatoribus operam praestent.

De his interdum, etsi prudenter, a confessario *publici administri* sunt *interrogandi;* nam non raro tales fatentur, ut dici solet, peccata *Caroli,* et tacent peccata *Caesaris:* id est confitentur quae commiserunt ut personae privatae, non ea, quae patrarunt uti ad publica officia deputati [1]. — Quod speciatim reprobat SS^mus D. N. LEO Papa XIII solemniter edicens [2]: « non licere aliam officii formam *privatim* sequi, aliam *publice,* ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia conjungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae a virtute christiana deficere. »

Hic autem generalior et maxime ad praxim utilis, tractanda venit

2292. — QUAESTIO. *An* PRAETOR, *vel alius rei publicae* PRAEPOSITUS, *possit aliquando* LEGEM INJUSTAM *executioni mandare?*

Resp. Ratione majoris boni obtinendi, vel majoris mali vitandi, injustae legis executio evadit quandoque licita. Ad hoc autem requiritur: 1) ut objectum legis non sit intrinsece malum; 2) ut laesus in proprio jure, ob legem iniquam servatam, possit et velit suo juris laesioni assentire, vel saltem, ut non sit, ita praecipiente ordine charitatis, rationabiliter invitus.

Quapropter: 1° Non licet praetori nec judici, iniquae legis applicationem urgere, si ejus executio eorum arbitrio commissa est.

2° Siqua lex juribus ac libertati Ecclesiae adversetur, ejus executio, *contradicente* in casu particulari Ecclesia, nullo prorsus modo urgeri potest, ne sub praetextu quidem majoris boni obtinendi, vel majoris mali vitandi, cum sola Ecclesia judex sit eorum, quae sibi magis conveniunt.

3° Si iniquae legis executio evadat parum damnosa alicui tertio, ejus vero neglecta applicatio multum damnosa praetori, vel judici, potest lex urgeri: maxime si damnum tertii vitari nequeat, eo quod deficiente uno praetore, non deerit alter, qui operam suam praestabit (cf. n. 526).

CAPUT II.

DE OFFICIIS EORUM QUI VERSANTUR IN FORO [3]

2293. — *Praenotanda.* I. Judicium forense *definiri* solet: Judicis sententia de jure inter actorem et reum controverso, post debitam disceptationem, prolata.

[1] Del Vecchio, I. 333. — [2] Encycl. *Immortale Dei* v. fin. — [3] De his cf. Lessius, *De justitia,* lib. II. c. 29-32; Lugo, *De just. et jure,* Disp. 37-40.

Digitized by Google

In hac definitione includuntur: 1° Causa, seu *jus controversum* tanquam objectum judicii; 2° Tres personae distinctae et necessariae: *actor*, *reus*, qui de jure litigant, et *judex* qui pronuntiat; 3° Legitimae causae *discussio* et *definitio*, tanquam forma judicii.

2294. — II. Judicia sunt JURIS HUMANI *formaliter* et quoad solemnitates, ut patet ex ipsorum historia; *originaliter* autem sunt JURIS NATURALIS; nam, posita conditione naturae lapsae necesse est, ut eveniant delicta et lites; quia vero rectae rationi repugnat, ut aliquis sit judex in propria causa: inde omnino requiritur, ut auctoritate publica constituantur judices et judicia, quibus dubia juris rite dirimantur. — Jus tamen naturale non exigit absolute, ut omnia crimina coerceantur, utque omnes lites, per judicia *proprie dicta*, dirimantur. Expedit enim aliquando, « cum delicta sunt atrocia, in flagranti crimine deprehensos subito plectere, vel in criminibus exceptis communem procedendi modum mutare. » Militaris quidem disciplina illud sibi proprium habet, ut fas sit ducibus, praetermissa omni forensis judicii forma, in militum delicta animadvertere. Et possunt similiter Episcopi, in quibusdam casibus, procedere extrajudicialiter, v. g. *ex informata conscientia* [1] (cf. n. 731).

2295. — III. In nullo autem judicio, etiam summario, omitti possunt ea quae dicuntur *substantialia judiciorum:* haec enim sunt juris naturalis, contra quae consuetudo praevalere non potest. — Hinc, in omni judicio proprie dicto reperiuntur: 1° *petitio actoris* et *citatio rei;* 2° *probatio causae, hujusque defensio;* 3° *decisio causae*, et *sententiae pronuntiatio.* Atque haec TRIA pertinent ad judicii naturam seu substantiam; caetera vero ad solemnitatem [2].

Nota. In formis legitimis judiciorum praecellit *jus canonicum*, quod primum telam judiciariam in secundo Decretalium libro contexuit, a qua deinde quaecumque civilis procedura deducta fuit, ut unâ omnes testantur Doctores [3].

Quibus praemissis, agendum est: 1° de personis quae judicium constituunt, nempe de *judice*, *actore*, et *reo;* 2° de personis quae judicio interveniunt, ad juvandum sive litigantes, sive judicem, i. e. de *testibus*, *de advocatis*, etc. — (Recole dicta n. 1292, 7° et n. 1321)

ARTICULUS I.

DE PERSONIS JUDICIUM CONSTITUENTIBUS

Tres personae, *actor*, *reus*, et *judex*, ut diximus, in omni judicio reperiuntur. — Non tamen semper requiritur, ut actor, seu

[1] L. IV. 193; cf. Pierantonelli, *Prax. fori eccles.* tit. VII. — [2] Schmalzgrueber, *Jus eccles.* L. 2. tit. I. — [3] Ferrari, *Summa Inst. Can.* L. 3. n. 735.

Digitized by Google

accusator, sit persona distincta; potest enim judex, audito rumore de patrato delicto, eos, qui deliquisse dicuntur, ad suum tribunal vocare, veritatem *inquirere*, hacque certo comperta, sententiam proferre: « non tanquam idem sit accusator et judex, ait Innocentius III [1], sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore, (judex) officii sui debitum exequatur [2]. »

§. 1. *De Judice.*

2296. DEFINITIO. — JUDEX, sic appellatus quod *jus dicat*, est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta, ut secundum leges justitiam vindicet, et in delinquentes poenas decernat. — Si constituatur ab ipsis litigantibus, vocatur ARBITER, cui dein ex jure novo, servatis servandis conditionibus, jurisdictio in litigantes competit. Diximus *ex jure novo;* jus enim Romanum nihil ei jurisdictionis impertit.

Apud modernos, constituuntur in criminalibus quidam judices *solius facti*, qui nuncupantur JURATI, ex juramento quod faciunt de suffragio juxta conscientiam emittendo. Ipsorum est, pronuntiare juxta allegata circa existentiam facti et culpabilitatem accusati; postea, judices *juris* poenam juxta legem decernunt. Iisdem hi obligationibus adstringuntur ac ipsi judices [3].

2297. — **Principia.** I. In JUDICE, ut rite ac legitime suo munere fungatur, requiruntur TRIA, jurisdictio scilicet, scientia, et integritas. — 1° JURISDICTIO, seu *competentia*, qua deficiente, sententia nulla est, nisi adsit titulus coloratus et error communis; unde, peccat judex civilis, et quidem graviter, si causas ecclesiasticas ad suum tribunal defert, nisi ex Concordatis vel tolerantia S. Sedis, vel etiam ex speciali licentia, id ei concedatur. — 2° Idonea SCIENTIA eorum, quae ad suum officium spectant. Quare, si ex culpabili ignorantia partes laeserit sive in substantia litis, sive in superfluis expensis, tenetur ad restitutionem; nec potest absolvi, nisi aut officium dimittat, aut sufficientem scientiam acquirere conetur, remoto interim proximi damno vel periculo. — 3° Incorruptibilis INTEGRITAS, ita ut justitiam constanter servet, nec amori nec odio cedat [4].

Quocirca duo hic NOTANDA veniunt: — 1) « Si judex agnoscat errorem a se (etsi sine gravi culpa) commissum in praejudicium *litigantis*, tenetur, si potest citra infamiam, *impedire errorem*, v. g. monendo occulte partem laesam, ut sibi appellatione vel aliter consulat; quia id pertinet ad debitam muneris executionem [5].» — 2) « Si judex in exequenda causa, et proferenda sententia negligens aut iniquus sit, non tantum parti laesae, sed interdum *etiam fisco*

[1] Cap. *Qualiter* 24. de accusat. — [2] Lib. IV. 199. — [3] Cf. Bouvier, *de Decalogo*, cap. 7. art. 3. §. 1. — [4] L. IV. 192-195. — [5] Ib. 195. 4°.

Digitized by Google

tenetur: v. g. si mulctam pecuniariam quam ex consuetudine, vel lege communi debebat imponere reo, sine causa remisit. » Ita S. Thomas, Sylvester et alii. — Attamen, « probabiliter sentiunt Lugo, etc., ad nihil teneri judicem, si ad mulctam reus nondum sit condemnatus; quia, ante sententiam, nullum fisco jus acquiritur ad poenam; hinc, si judex injuste *reum absolvit,* peccat contra justitiam legalem, non commutativam [1]. »

NB. Quoad RESTITUTIONEM a *judicibus* faciendam, recole dicta n. 983 et 988.

2298. — II. Judex debet judicium instituere JUXTA REGULAS JURIS tam *naturalis*, quam *positivi*, sive in modo procedendi, sive in sententia ferenda, et exequenda. — Non enim constituitur ad leges condendas, sed ad eas executioni mandandas. — REGULÆ autem juris naturalis, ad quas se conformare debet, sunt sequentes:

Regula 1ª — Quoad MODUM PROCEDENDI, debet cavere ne, absque justa causa, damnum vel infamiam litigantibus inferat. — Hinc: 1) Non potest specialem inquisitionem instituere de certo crimine ejusque auctore, nisi praecedat infamia, semiprobatio, vel quid simile; quia redderet hominem, contra quem per inquisitionem procederet, suspectum atque infamem. Excipiendus est solus casus, quo agitur de criminibus gravioribus, quae in commune reipublicae damnum vergunt [2]. — 2) Non potest, absque necessitate aut gravi motivo, differre causarum expeditionem; secus tenetur parti laesae resarcire damna, quae ex injusta dilatione secuta sunt [3].

2299. — *Regula* 2ª — Judex debet, regulariter loquendo, in FERENDA SENTENTIA pronuntiare *secundum allegata et probata*, et ex notitia *juridice* acquisita. Ita communiter; et ratio est, quia judex gerit personam publicam et legalem. — Hinc, peccat et ad restitutionem tenetur, si eum damnet, quem ex privata quidem scientia reum esse cognoscit, sed quem *processus* declarat innocentem (vide tamen n. 2302). — Item, si quempiam condemnet *inauditum*, aut sine testibus, aut ex cognitione injuste extorta, v. g. per vim, metum aut dolum, per interrogationes factas sine indiciis competentibus, etc.; quia hujusmodi cognitionis acquisitio participat injustitiam mediorum, quae sunt contra ordinem necessarium judicii, ac proinde est injusta [4]. — Peccat quoque judex, « si alteri parti aperiat quid ipsa posset pro se allegare; quia hoc esset agere munus advocati, quod judici non licet [5]. »

2300. — *Regula* 3ª — Judex debet, in causis *criminalibus* FAVERE REO, donec istius crimen *certo* probetur. Sic enim sonat regula 11ª juris *in Sexto*: « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori. » Et cum hac regula plane concordat Jus

[1] L. IV. 196. 3°. — [2] Cf. ib. 198-204. — [3] Ib. 200, 196. 1° 2°. — [4] L. IV. 205; cf. Bonacina, Disp. 10. Q. 3. P. 4. — [5] L. IV. 210. *Sed notant.*

Digitized by Google

Romanum, praecipiens ut, ad proferendum sententiam sanguinis, afferantur probationes, quae sint *luce clariores* [1]. — *Hinc:* 1) Reus semper absolvendus est (tum a *juratis*, tum a judice), si ad ejus defensionem afferuntur rationes probabiles, praesertim cum agitur de poena capitali [2]. — 2) Item absolvendus est, quamvis nihil dixerit pro sua defensione, si contra ipsum nihil probetur.

2301. — *Regula* 4ª — Judex debet, in *civilibus*, favere POSSESSORI CERTO, donec dentur contra ipsum rationes convincentes. — Si vero de ipsa possessione DUBITETUR, vel si neuter litigantium bona fide possideat, debet rem adjudicare afferenti rationes *notabiliter probabiliores;* et in *aequalitate rationum*, rem dividere, nisi agatur de causa privilegiata. Ita communiter, cum S. Alphonso [3].

Dicitur 1° *debet favere possessori.* Et hoc quidem indubium est, quotiescumque rationes sunt aequales, sicut constat ex regula 65ª Juris in Sexto: « In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis; » et ex regula 128 ff. Juris Romani: « In pari causa, possessor potior haberi potest. » Porro, eamdem regulam admittendam esse affirmat *S. Alphonsus*, juxta communissimam sententiam, etiamsi militent contra possessorem bonae fidei rationes probabiliores, aut unice probabiles; quia titulus legitimae possessionis tribuit jus certum, quod non destruitur nisi per aliud jus certum et probatum, id est per rationes convincentes [4] (cf. n. 45 et 946). — Nec obstat, quod judex teneatur judicare secundum rationes probabiliores; nam, favendo possessori non solum judicat juxta probabiliorem, sed juxta probabilissimam sententiam fundatam in alia regula juris supra citata: « Cum sunt partium jura obscura (prout sunt, cum non adest certitudo ex parte actoris), potius favendum est reo quam actori [5]. »

Dicitur 2° *si de ipsa possessione dubitetur,* i. e. si dubium sit tam de possessione, quam de proprietate: v. g. si lis sit de re a nemine possessa, aut si possessor sit dubiae fidei, aut saltem si non constet, ipsum esse bonae fidei (ut communiter in foro externo accidit): tunc *afferenti validiores rationes* certe favendum est, prout habetur ex propositione 2ª damnata ab Innocentio XI: « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. » — Merito enim proscripta fuit illa propositio, quia judex tenetur unicuique suum jus tribuere, et maius utique jus sibi habet illa pars, quae rationes *affert* probabiliores [6] (cf. n. 84. 4°; 945. 3°).

[1] Leg. *Sciant* 25. C. *de Probat.*, et leg. *Absentem* 5. ff. de Poenis. — [2] L. IV. 210. q. 1. — [3] H. A. XIII. 65; Lib. 209. 210. q. 2. — [4] L. I. 36. — [5] H. A. XIII. 65. fin. — [6] H. A. ib. 65; L. IV. 210.

Digitized by Google

Dicitur 3° *in aequalitate rationum* sive *facti*, sive etiam *juris*, ut rectius docent Salmanticenses cum Roncaglia, debet rem a nemine certo possessam *ex aequo* DIVIDERE inter litigantes; nam judex debet, ex officio, suum cuique jus tribuere juxta merita causae; cum ergo utrique jus competat aequale ex paritate causae, patet rem aequaliter esse dividendam, nec potest unquam judex *ad libitum* judicare; quia judicare est jus *dicere, declarare*, non constituere. — Hinc, merito ab Alexandro VII damnata est haec 26ª propositio: « Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio » (cf. n. 945. 3°) [1].

« Excipitur [in jure ROMANO et CANONICO], si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, et de aliis *causis piis;* nam, tunc pro iis judicandum, cum jura sunt aequalia, etiamsi sint actores (ex cap. *Ex litteris* 3 de Probationibus, et ex cap. fin. de sent. et re judicata). — Secus vero, si pars opposita jus potius habeat (ex lege *Si pars* ff. de inoff. testam.).» — Recole dicta n. 1027-1028.

2302. — Quaesita. — QUAER. 1° *An judex damnare possit innocentem qui juridice nocens convincitur?*

Resp. 1° Certum est, judicem teneri *facere quantum in se est*, ut ille poenam non subeat, quem privata scientia innocentem esse cognoscit. Quod saepe valebit, v. g. impediendo accusationem, protrahendo judicium, suggerendo media defensionis, remittendo causam ad Superiorem, vel etiam aperiendo carcerem, si id absque majori malo exequi possit [2]. — Certum est etiam, *juratos* seu judices facti, nunquam posse votum ferre contra accusatum, quem privata scientia certe innocentem esse cognoscunt; sic enim pronuntiando, peccarent contra proprium officium et juramentum [3].

Resp. 2° Valde controvertitur, casu quo judex *cogatur* poenae sententiam ferre. — Alii cum *S. Thoma* [4] dicunt, innocentem tunc posse condemnari juxta allegata et probata. — Alii cum Bonacina [5], Lessio etc., id negant; quia damnare innocentem videtur intrinsece malum: sicut malum esset cogere mulierem ad convivendum cum eo, quem judex privatim scit non esse illius maritum. — *S. Alphonsus* [6] distinguit et dicit: « 1) In poenis *pecuniariis*, et in causis *civilibus*, judex, sine dubio, judicare debet juxta id, quod probatum est.... ; dum respublica pro communi utilitate, quae habetur dum judicium fertur juxta publicam scientiam, potest utique transferre bonorum dominia. » — 2) In poenis autem *corporalibus*, in quibus

[1] L. IV. 210. *Quoniam.* — [2] L. IV. 208. — [3] Bouvier, *Decalog.* cap. 7. art. 3. §. 1. sect. 2. v. fin. — [4] 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. — [5] Disp. 10. q. 2. p. 2. n. 2. — [6] H. A. XIII. 64; L. IV. 208.

Digitized by Google

agitur de morte vel de mutilatione, S. Doctor tenet oppositum ut valde probabile; et ratio assignari potest, quia respublica nec potuit nec voluit judici conferre potestatem occidendi aut mutilandi innocentem, cum hoc sit intrinsece malum (cf. n. 738).

QUAER. 2° *An liceat judici* MUNERA *accipere a litigantibus?*

Resp. Neg., etiamsi liberaliter offerantur; dicitur enim in Deuter. 16, 19: « Non accipies personam, nec munera: quia munera excaecant oculos sapientum, et mutant verba justorum. » — Excipiuntur esculenta et poculenta sponte oblata; tum quia in jure nomine munerum non veniunt *xenia*, id est munera exigua; tum quia supponi nequit, fore ut judex, ob donum exiguum, ferat sententiam injustam. Saltem in hoc, ut ait Lugo, non debet reprobari consuetudo, ubi reperitur legitime praescripta [1].

QUAER. 3° *An et quandonam teneatur judex* RESTITUERE *munera accepta?*

Resp. 1° Certum est, eum teneri ad restitutionem: — 1) Si munera *ex pacto* acceperit, ad ferendam sententiam justam, seu ad praestandum id quod debebat ex justitia (cf. n. 1036. q. 2); — 2) Si vi, minis, vel injusta vexatione ea extorserit; — 3) Si lex ejusmodi acceptationem irritam faciat, et sententia criminis declaratoria jam lata sit; — 4) Si acceperit ad ferendam sententiam *injustam*, et crimen (nimirum *barateriae*) nondum completum sit (cf. n. 1036. q. 1).

Resp. 2° Probabile est, eum non teneri ad restitutionem, quamvis illicite egerit: — 1) si munera fuerint sponte oblata, et ipse protestatus sit, se nihilominus judicaturum esse secundum justitiam; — 2) si pactum de injusta ferenda sententia jam compleverit, et ad restitutionem condemnatus non fuerit [2] (cf. 1036. q. 1).

QUAER. 4° *Utrum peccet qui* MUNERA DAT *judici, aut ejus ministris?*

Resp. Dist. 1° Si det *sine justa causa*, equidem peccat, cooperando injustae receptioni. Rudes tamen ob ignorantiam saepe excusantur. — 2° Si det *cum justa causa*, nempe ad redimendam injustam vexationem, non peccat; « modo periculum sit probabile, quod alias manifesta injustitia sibi inferretur; tunc enim haec non est corruptio, sed cautio ut jus suum sibi tribuatur... Nec obstant huic leges prohibentes; nam leges intendunt vitare, ne dantes muneribus judices corrumpant, non autem ut justam sententiam (alias non obtinendam) obtineant [3]. »

QUAER. 5° *An* OBLIGET *sententia judicis injusta, vel dubie justa?*

Resp. 1° « Sententia *injusta* ex natura rei, aut ex omissione

[1] H. A. ib. 66; L. IV. 211 (a. 6ª edit.) — [2] H. A. ib. 67; L. IV. 216. — [3] Ib. 212. 213.

Digitized by Google

ordinis juris simpliciter necessarii, sive feratur per falso allegata et probata, sive ex judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiae; manetque parti laesae, tametsi non appellet, jus suum, licebitque, si absque scandalo possit, recuperare bona... Diximus *in foro conscientiae:* quia in foro externo, ubi non tam veritas facti, quam probatio juridica spectatur, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala et incommoda; neque elapso termino, (intra quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege sic statuente, tum in poenam pigritiae, tum ob bonum publicum, ut litium sit finis[1]. » (cf. n. 191 et 1272).

Resp. 2° Sententia *dubie justa* certe obligat, in utroque foro, nisi appelletur. Praesumptio enim favet judici (cf. n. 52).

QUAER. 6° *Ad quid* TENEATUR *judex, qui tulit sententiam injustam?*

Resp. 1° « Si *dolo*, vel *magna imperitia* id fecit, litem fecit suam, id est, damnum partis laesae in se transtulit, cui tenetur *restituere.* — 2° Si alioqui dignus suo munere, *per oblivionem*, ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum formalem injuriam non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acceperit;... debet tamen revocare sententiam, si potest sine gravi incommodo[2] » (cf. n. 983, et 988).

NB. Quod si ipsa lex a judice applicata vel applicanda *injusta* fuerit, recole dicta n. 2292. — Si de *Divortio* speciatim agatur, vide n. 2126, 3°.

§. 2. *De Actore et denuntiatore.*

2303. — ACTOR seu *Petitor*, in causis civilibus, est ille, qui proponit actionem ad obtinendam reparationem proprii damni, et qui prior ad judicium provocat, vel per se, vel per procuratorem. Vide n. 2316. — Actor, *in criminalibus*, dicitur *Accusator*, et est ille, qui crimen defert judici, atque ab eo vindictam ob bonum commune postulat in scriptis, cum onere probandi crimen objectum[3].

Nota 1° Ex JURE ROMANO accusatores, si de calumnia convincantur, incurrunt poenam talionis, seu debent subire ipsam poenam, quam pro accusato requirebant. — Haec tamen poena, ex generali consuetudine, non amplius irrogatur.

2° Ex jure MODERNO, non licet privatis instituere accusationem; haec enim functio spectat unice ad magistratum, ad id constitutum, i. e. ad generalem *Status procuratorem:* qui idcirco, una cum aliis ad hoc munus destinatis, nuncupatur *Ministerium publicum;* eorum enim est, partes Communitatis et bonorum morum contra reos suscipere ac tueri. — In tribunalibus inferioribus, v. g. apud judicem regionis, in causa, ut aiunt, *correctionali*, idem munus committitur publicae securitatis ministris, vel etiam primis Officialibus municipa-

[1] L. IV. 215. — [2] Ib. 214. — [3] Cf. H. A. XIII. 73; L. IV. 234. sqq.

Digitized by Google

libus electis. — Procurator autem generalis, in explendis sui officii partibus, adjuvatur ab alio officiali, qui *Judex instructionis* appellatur. Ad hunc spectat generatim colligere argumenta atque indicia delictorum, antequam suspecti citentur, facere investigationem sontium, eorumque comprehensionem curare, informare causam, litemque eo modo ordinare, quem leges praescribunt vel permittunt. — Recurratur ad Codicem respectivae nationis.

2304. — Accusationis vices supplet *denuntiatio*, de qua specialius disserendum est.

I. — Notio denuntiationis.

Denuntiatio in genere *definitur:* alicujus criminis manifestatio Superiori facta, non assumpto probandi onere. Quibus ultimis verbis enuntiatur, quo modo denuntiatio ab *accusatione* differat.

Triplex est denuntiatio: evangelica, canonica, et judicialis. — 1° Denuntiatio *evangelica* seu *paterna* est delatio criminis ad Superiorem tanquam ad patrem, eo fine ut reus resipiscat [1] (Vide dicta n. 494). — 2° Denuntiatio *canonica* (quae certis in casibus per canones praescribitur) est delatio criminis ad Superiorem ecclesiasticum, eo fine ut crimen impediatur, vel ut indignus ab officio removeatur [2]. — 3° Denuntiatio *judicialis* est delatio criminis ad judicem, sive laicum, sive ecclesiasticum, eo fine, ut reus puniatur, vel ut laeso damnum resarciatur. Ipsa loco accusationis habetur, ac judici viam ad inquirendum sternit.

II. — Obligatio denuntiandi.

2305. — Obligatio juridice denuntiandi oritur ex triplice fonte, videlicet: ex justitia, ex charitate, et ex praecepto positivo.

Principia. I. Ex justitia legali et commutativa denuntiare tenentur, qui ad hoc deputati sunt *ex officio*, et a Principe aut a dominis, pacto *stipendio*, remunerantur. — Hujusmodi sunt *Fiscales*, aliique *officiales publici*, *custodes* agrorum, gabellarum et similium, qui omnes, cum ex officio, et ex quasi-contractu, crimina denuntiare teneantur, tenentur quoque reparare damna Communitati, vel dominis, secuta ex culpabili accusationis aut denuntiationis omissione. — Recole dicta n. 988.

Notat Gury, custodes sylvarum, agrorum, etc. *peccare*, si denuntient damnificationem mere casualem, eosque ad denuntiationem *non teneri*, si delinquentes se sponte offerant ad damnum secreto compensandum... Possunt autem, ait, aliquando mitius agere cum damnificatoribus, si damna v. g. sint minoris momenti, nec sint saepius repetita; si prudenter praesumi possit nolle dominum, ut delinquens deferatur; si delinquens sit valde pauper, nec solitus delinquere, etc.; sed caveant sedulo custodes, ne in his plus aequo indulgeant [3].

[1] Cf. L. IV. 242-245. — [2] Cf. Craisson, n. 5839-5849. — [3] Gury, II. n. 35. 36; cf. L. IV. 237; H. A. XIII. 73.

Digitized by Google

2306. — II. Ex CHARITATE, ad consulendum bono Communitatis vel innocentis, tenentur personae privatae denuntiare quaedam DELICTA vel CRIMINA, videlicet: — 1° crimen vergens in damnum *Fidei*, aut *Communitatis*, ut haeresim, rebellionem, falsificationem monetarum, latrocinium in via publica, et similia: quae quisque avertere debet sub gravi, etiam cum gravi incommodo, quia agitur de communi bono (cf. n. 442). — 2° Crimen, ex quo grave damnum imminet *innocenti*, quotiescumque denuntiatori nullum grave incommodum prudenter timendum est. Ratio est, quia ex una parte innocens praeferendus est voluntarie nocenti, ex altera vero unusquisque tenetur ex charitate tueri innocentem, cum id sine gravi suo incommodo praestare potest [1] (cf. n. 483. Reg. I.).

2307. — III. Ex PRAECEPTO SUPERIORIS, seu ex MONITORIO vel PUBLICO EDICTO, tenentur omnes, ut plurimum, delicta denuntiare. — Sed hujusmodi praeceptum non urget, nisi quando delinquens est diffamatus, aut saltem per indicium grave suspectus, vel quando crimen vergit in damnum Communitatis, aut tertii; cum hac tamen differentia, quod in casu damni *alicui tertio* tantum illati aut inferendi, praemitti debeat correctio fraterna, nec adest obligatio denuntiandi cum damno proprio; sed quando delictum vergit *in damnum commune*, adest obligatio denuntiandi, etiam cum proprio damno, quamvis delictum foret occultum; nec praevia correctio praemittenda est, excepto raro casu, quo per secretam monitionem possit malum statim impediri [2] (cf. n. 494 sq.).

Diximus *omnes ut plurimum;* nam: 1° vi Monitorii nemo tenetur *seipsum* denuntiare; nemo enim adstringi potest, ut sibi ipse infamiam inurat; 2° non tenetur denuntiare *sibi conjunctos* intra quartum gradum, excepto casu haeresis formalis, aut conspirationis in Principem. « Ratio est, quia denuntiare conjunctum idem est ac grave damnum sive incommodum subire: quod rationabiliter excusat, quando abest periculum damni communis [3]. »

2308. — QUAERITUR. *Quandonam* ILLICITUM *sit crimen denuntiare?* *Resp.* Non teneris nec debes (etiam posito Superioris praecepto) denuntiare: 1° Si crimen non est publicum, nec societati damnosum, et speratur privatae monitionis fructus; tunc enim praemitti debet correctio fraterna (cf. n. 494). — 2° Si delinquens *emendatus est*, sine periculo recidendi, et parti laesae est satisfactum, nec periculum imminet aliis; quia proximi infamia sine causa sequeretur. (Vide tamen dicta n. 1798 *de sollicitantibus*) — 3° Si crimen nosti

[1] H. A. XIII. 74; L. IV. 236 et 248 fin. — [2] L. IV. 248; H. A. ib. 75. — [3] L. IV. 250; VII. 214.

Digitized by Google

sub secreto commisso, tanquam consultor, advocatus, etc.; nisi tamen ille, qui secretum tibi commisit, innocentem vel Communitatem injuste vexaret, nec a vexando vellet desistere [1] (cf. n. 1187).

Nota. Ex JURE ECCLESIASTICO denuntiari debent: — 1° Haeretici et suspecti de haeresi (cf. n. 442); — 2° Confessarii sollicitantes (cf. n. 1354; 1794. sqq.); — 3° Confessarii qui exigunt sibi revelari nomen complicis (n. 1701); — 4° Massonici et alii sectis secretis adscripti (n. 1331); — 5° Indigni ad sacros Ordines promovendi (cf. n. 1916); — 6° Sponsi impedimento dirimente irretiti, et matrimonium jam publicatum inituri (cf. n. 2065) [2].

§. 3. *De Reo.*

2309. — REUS (a *re* vel *reatu* dictus) est ille, qui in jus vocatur et contra quem in judicio agitur. — In judicio civili dicitur etiam *defensor*, et in criminalibus *accusatus*. — Ad dignoscendum autem, quid reo liceat, et quid non liceat sive in confessione criminis, sive in defensione suae causae, sive demum in declinanda poena sibi inflicta, valent sequentia

Principia. I. Reus SOLI JUDICI legitime et juridice interroganti tenetur tum FATERI VERITATEM, tum socios criminis REVELARE. — Ita communiter cum *S. Alphonso* [3].

Dicimus 1° *legitime ac juridice interroganti;* secus enim, juxta *D. Thomam* [4], non tenetur accusatus respondere; « sed potest judicem eludere, vel ambiguis verbis, vel etiam negando cum aliqua restrictione, et in bono sensu, ut mendacium absit. » Ratio est, quia judex non habet auctoritatem, nisi quando legitime et juridice interrogat (cf. n. 1182). Jam vero: — 1) non interrogat *legitime* nisi jurisdictionem in rem vel in personam habeat; — 2) non interrogat *juridice*, nisi praecesserit semiplena probatio, vel nisi exstet infamia, vel aliud manifestum criminis indicium. — Imo, in causa criminali, si reus rationabiliter *dubitet*, an legitime interrogetur, non tenetur respondere. « Ratio est, quia ipse possidet vitam et famam; unde, in dubio, habet jus eam servandi, usquedum constet de legitima interrogatione [5]. » — Posset tamen aliquis ex charitate, propter utilitatem nempe proximi, teneri ad respondendum.

Dicimus 2° *tenetur fateri veritatem;* judex enim legitime interrogans habet jus veritatem a reo exigendi: ergo repugnat esse simul in reo jus eam negandi. — Hinc, Benedictus XIV in Constit. *Paterna charitas* anno 1749 edita docet, generatim negandam esse absolutionem reis veritatem reticentibus; quia pertinet ad commune bonum, ut sontes dignoscantur ac puniantur; maxime, si poena,

[1] L. IV. 239. 240. — [2] Cf. Craisson, n. 5839. sqq. — [3] H. A. XIII. 82; L. IV. 272. 273. — [4] 2. 2. qu. 69. a. 2. — [5] L. IV. 273.

Digitized by Google

quae timetur, sit ecclesiastica, quia haec est medicinalis. — *An vero teneatur reus fateri suum delictum cum timore mortis, vel alterius poenae gravissimae?* — Acriter DISPUTATUR. *Negant* Suarez, Lugo et alii; quia lex esset tunc nimis dura, atque humanae imbecillitati quasi impossibilis, nisi necessaria sit ad damnum commune avertendum, v. g. per revelationem sociorum rebellionis. Hanc quidem sententiam non reprobat *S. Alphonsus*; sed reputat oppositam sententiam probabiliorem, saltem ob auctoritatem D. Thomae, Sanchezii, Lessii, Salmanticensium, etc., et quia judex habet jus cognoscendi veritatem, quoties legitime interrogat. — In praxi, si reus se non credit obligatum, neque ullus ex admonitione fructus prudenter sperari potest, in bona sua fide reliquendus est [1].

Dicimus 3° *tenetur socios revelare*; nempe, si contra eos essent indicia, aut testimonia vel infamia. Secus, non tenetur nec potest eos revelare, quia in occultis retinent jus ad propriam famam. — Si vero delictum sit ex exceptis, ut haeresis, conjuratio, etc., tenetur, etiam non interrogatus, eos revelare, prout constat ex dictis de denuntiatione (n. 2306) [2].

NOTARE juvat: — 1) Post sententiam latam, reus non tenetur confiteri crimen, quod ante injuste negavit; quia finito judicio, non urget amplius judicis praeceptum. Excipe, si reus per suam negationem judici damnum intulerit, quod reparare debet. — 2) Ante sententiam non est necesse ut iterum interrogetur; quia perseverat judicis praeceptum, cui adhuc obedire tenetur [3].

2310. — II. Reo seu accusato, etsi innocenti, nunquam licet, AD SUI DEFENSIONEM, alteri falsum crimen imponere. Constat ex 44ª propos. ab Innocentio XI damnata (cf. n. 1196). — Potest tamen licite, ad sui defensionem, opponere crimen *verum*, sed *occultum*, accusatoris vel testium, dummodo hoc sit *absolute necessarium*, et ipse secus grave damnum passurus sit, licet per revelationem, majus damnum eveniat accusatori vel testi; nemo enim tenetur cum suo gravi damno famam proximi servare (cf. n. 1198). — Item, si reus commisisset quidem crimen, sed ita occulte ut probari nequeat, potest licite opponere calumniam accusatori; quia ex jure, calumniari praesumitur, qui reum de crimine penitus occulto accusat [4].

2311. — III. Reo, etiam injuste condemnato, non licet VIM VI REPELLERE, v. g. occidendo, vulnerando, etc.: ut constat ex propositione 18ª ab Alexandro VII damnata. — Nec potest licite custodem carceris *pecunia corrumpere*, cum hoc sit intrinsece malum (cf. n. 518). — Sed injuste condemnatus potest positive *obsistere*, ut ex satellitum manibus sese eripiat, modo ex hoc non oriatur

[1] *Conf. dir.* XX. 7; H. A. XIII. 83; L. III. 156; IV. 274. — [2] H. A. ib. 85; L. IV. 278. — [3] H. A. ib. 83 fin.; L. IV. 274. — [4] H. A. ib. 85; L. IV. 277.

Digitized by Google

publicum scandalum, et gravis perturbatio. Potest similiter effringendo januas, licite *aufugere*, tametsi carceris custos damnum inde passurus sit; utitur enim jure suo, nec proinde ipsi imputatur damnum, quod non directe intendit [1].

Ipsi autem nondum condemnato, vel juste jam damnato ad mortem, aut ad triremes, non licet resistere. Potest quidem e carcere, ubi in custodia detinetur, aufugere; sed ad hoc minime tenetur. — Quod si carcer (non valde durus) ei sit jam ad poenam assignatus, non potest amplius aufugere; quia sententia, juste in eum lata, obligat in conscientia. Ita communiter [2].

Super his NOTETUR: — 1° Quando licet reo *fugere*, possunt etiam alii (justitiae tamen ministris exceptis) suppeditare, quae fugam adjuvant vel maturant, v. g. limas, funes aliave instrumenta, dummodo reipublicae nullum inde damnum obventurum sit, puta, si reus esset grassatorum caput. — Nemini vero licet carceres infringere, ut liberet damnatos: id enim reo conceditur ex jure vitae conservandae; aliis autem negatur ad bonum commune, ne scilicet omnis securitas carceris pereat (cf. n. 519).

2° Confessarius reum prudenter ADMONEAT, se ipsi nec *prodesse* posse, nec *obesse;* omissa enim hac monitione, reus spe vel timore ductus, conabitur, ut sese innocentem probet. — Et quamvis ejus innocentia ex confessione innotescat, confessarius tamen non committat, ut apud judicem pro eo intercedat; tum quia ejus testimonium fidem non faceret, tum quia confessionis sigillum indirecte frangeretur, relate ad illos pro quibus non fieret eadem intercessio, tum ob multa alia incommoda [3] (cf. n. 2300. et n. 1546. qu. 2. quoad Communionem).

2312. — Quaesita. QUAER 1° *Quid reo liceat in causa* CIVILI?

Resp. Reus, seu defensor, habet actionem civilem a petitore sibi illatam, vel tanquam certo *justam*, vel tanquam certo *injustam*, vel tanquam *dubiam*. — In primo casu, debet sine mora petitori satisfacere, nec potest inchoare litem, quin de omnibus damnis obventuris teneatur. — In secundo casu, potest causam suam defendere omnibus mediis et artibus non illicitis, ut reus in criminalibus (n. 2310). — In tertio casu, potest, quamdiu dubium perseverat, licite contendere; nisi charitas sui et proximi, et consilium prudentum, transactionem suadeant, ne scilicet expensae ultra modum multiplicentur (cf. n. 944-947 et n. 1160).

QUAER. 2° *An liceat* APPELLATIONEM *interponere?*

Resp. 1° *Neg.*, in causa *civili* certo injusta, vel certo minus probabili; quia si novus judex, juxta opinionem minus probabilem, pro reo judicaret, certe inique ageret (ex n. 2301. reg. 4ª). — « *Sed quid, si dubium sit, an judex superior juste laturus sit sententiam pro reo?*

[1] H. A. ib. 86. 87; L. IV. 279-282. — [2] Ib. 86; IV. 279. 280. — [3] Cf. L. IV. 286-290; H. A. Tr. ult. n. 48. 49.

Digitized by Google

— In tali casu, probabile est posse reum appellare, etiam in causa civili; quia cum mentes hominum sint diversae, forte opinio quam judex inferior minus probabilem censuerit, superiori probabilior apparebit; et hoc experiri non sine justa causa licite potest reus, cum jus probabile jam pro se habeat. Et ita esse praxis videtur omnium appellantium. » Ita *S. Alphonsus*[1].

Resp. 2° Si *de causa criminali et capitali* agatur, potest reus appellare, etiamsi jus habeat minus probabile, ut constat ex dictis n. 2300. — Id etiam poterit, licet prima sententia justa fuerit secundum allegata, casu quo novas invenerit pro se rationes, ita ut oppositum adhuc probari possit[2].

ARTICULUS II.

DE PERSONIS IN JUDICIO AUXILIARIIS

Agendum: 1° de auxiliariis litigantium, 2° de auxiliariis judicum.

§. 1. *De auxiliariis litigantium.*

Ad juvandos litigantes interveniunt testes, advocati, procuratores.

I. — De Testibus.

2313. — Testes in genere sunt personae idoneae, quae ad fidem alicujus rei adstruendam adhibentur.

Praenotanda. Ad testandum in judicio, aliqui nunquam, aliqui in certis tantum causis assumuntur; nec in omnibus causis idem semper testium numerus requiritur. — Diximus 1° *Aliqui nunquam;* nam plures a legibus excluduntur. Sic, in jure canonico[3], excluduntur furiosi, impuberes, caeci, pecunia corrupti, infames, criminosi, perjuri, excommunicati, viles, parentes, conjuges in invicem, famuli, feminae, socius criminis, etc.: qui tamen omnes habent suam propriam exceptionem[4]. — 2° *Aliqui in certis tantum causis;* nam, ex jure canonico regulariter non admittuntur laici contra clericos, in causa criminali; et ex jure civili, in aliquibus regionibus, regulariter non admittuntur testes circa conventionem de re excedente libellarum 300 valorem, sed requiruntur scripta authentica. — 3° *Non idem semper testium numerus* requiritur; nam aliquando *unus* testis sufficit: puta si agatur de levioribus infligendis poenis, v. g. in furto sylvarum; vel de perito in arte sua, v. g. si medicus testetur, mortem alicujus esse naturalem. Regulariter sufficit etiam unus testis in causis favorabilibus: v. g. si quaeratur, an aliquis sit baptizatus,

[1] L. IV. 285. — [2] Ib. 285 et 210. — [3] Cf. Tit. *de Testibus*, L. II. Decretal. Tit. 20. — [4] Cf. Soglia, §. 218.

Digitized by Google

an ecclesia sit consecrata, etc [1]. — Aliquando *plures* quam duo vel tres requiruntur, uti contingit pro testamento solemni in pluribus regnis; et ex jure canonico, si agatur de processu criminali contra Episcopum [2]. — Attamen

Regulariter, DUO TESTES idonei requiruntur et sufficiunt ad *plenam probationem,* in omni judicio, tam civili, quam criminali; modo externo sensu perceperint quod testantur, deponant cum *juramento,* et conveniant inter se, non tantum in substantia facti, sed et in circumstantiis principalioribus, personae, loci, temporis [3]. Hinc illud Matth. 18, 16: *In ore duorum vel trium stet omne verbum;* et axioma Juris: *Testis unus, testis nullus.* Ratio est, quia ad probandas humanas actiones sufficit certitudo moralis et probabilis.

2314. — Principia. I. Tenetur quilibet TESTARI: 1° *ex charitate,* cum nempe id necessarium est ad avertendum grande malum proximi vel Reipublicae; — 2° *ex praecepto,* cum judex legitime interrogat; praeceptum enim justum obligat in conscientia (n. 2307). — Porro judex legitime interrogat (sicut supra dictum est), cum adsunt vel semiplena criminis probatio, infamia, indicia evidentia, vel etiam cum accusator se offert ad delictum pluribus testibus probandum. Si haec praesto sint, et per judicem testi innotescant, judex interrogat legitime, et testis tenetur revelare veritatem [4].

NEC vero eam revelare TENETUR: 1° Si rem sciat *ex secreto sacramentali, vel sub secreto naturali, vel commisso;* dummodo ex observatione secreti naturalis, vel commissi, non immineat reipublicae vel innocenti magnum damnum, quod alia via averti nequit; — 2° si testari nequeat *sine gravi suo vel suorum damno,* dummodo damnum publicum, vel privatum alienum, non praevaleat; — 3° si rem audiverit a *viris nulla fide dignis;* tunc enim potest se habere, ac si nihil sciret; vel *per modum injustum,* puta per vim aut fraudem, v. g. aperiendo litteras; — 4° si *sciat,* reum in conscientia non peccasse, v. g. propter ignorantiam; quia mens judicis est inquirere de delicto [5].

2315. — II. Testis legitime interrogatus, nec ab obligatione testandi excusatus, tenetur DICERE VERITATEM integre, et nihil praeter veritatem, respondendo postulatis simpliciter, juxta suam conscientiam. Ita omnes.

Hinc: 1° Peccat testis, et *tenetur ad restitutionem:* 1) si pretium accipiat ad dicendam veritatem, cum eam gratis dicere omni jure teneatur; — 2) si sciens affirmet quod ignorat, vel occultanda aperiat, vel falsum testetur; et obligatur ad reparationem quoties, sic agendo, fuerit causa efficax damni. Unde, tenetur se retractare, etiam cum damno aequali vitae vel bonorum, modo retractatio

[1] Soglia, §. 218 in fine; cf. Craisson, n. 5712. — [2] L. IV. 255-258; 261-263. — [3] Ib. 259. 260. — [4] L. IV. 264-267. — [5] Ib. 268; H. A. XIII. 79.

Digitized by Google

profutura esse praevideatur. — Adverte verba *sciens*, *efficax;* nam si culpa gravis desit, tenetur quidem, quantum in se situm est, damnum impedire, non autem reparare quod ignorans fecit. Item, si falso suo testimonio nihil effecit, ad nihil tenetur [1] (cf. 948 et 949).

2° Peccat etiam, sed *sine onere restituendi:* 1) si in casu quo testari tenetur, se abscondat, ne citetur a judice; quia laedit charitatem; 2) si fugiat post citationem; 3) si legitime interrogatus veritatem occultet: quia laedit obedientiam, imo et religionem, si praestitit juramentum. — In his tamen, cum sit causa tantum negativa, non peccat contra justitiam: nisi peculiare pactum, cum parte, de manifestanda veritate inierit [2].

II. — De Advocato et Procuratore.

2316. — Advocatus *(patronus, causidicus)* est ille, qui vocatur ad assistendum litiganti in causa dicenda, seu defendenda.

Procurator (pro alio curator) est ille, qui legitimo mandato aliena negotia gerit et administrat (cf. n. 1091). — Procuratur *judicialis* potest esse: 1° ex parte *Status* seu reipublicae, et vocatur fiscalis vel regius (cf. n. 2303); 2° ex parte *advocati*, ille nempe qui in litis defensione adjutor est advocati, seu advocatus secundus; 3° ex parte *litigantis*, cujus vices gerit in actis judicialibus [3].

2317. — **Principia.** I. Non omnes indiscriminatim possunt officium advocati vel procuratoris judicialis exercere. — Alii enim arcentur jure *civili:* quales sunt mulieres, minores, infames, judices in eadem causa, etc.; alii jure *canonico*, videlicet: excommunicati, monachi, clerici in Sacris constituti, beneficiati, nisi agatur de quibusdam causis, quas supra designavimus, n. 2226. — Ipso jure *naturali* prohibentur carentes scientia necessaria, qui proinde de damnis, ex ignorantia secutis, tenentur [4].

2318. — II. Non omnes causas potest advocatus vel procurator suscipere; sed illas tantum quas, post diligens examen, justas ac licitas esse judicaverit. Id per se patet. — Jam vero, in causa *injusta*, advocatus tenetur reparare damna tam partis adversae, quam sui clientis, si huic injustitiam propriae causae celaverit. Quod si cliens quoque sit in mala fide, tenetur ipse, primo loco restituere parti adversae, tanquam mandans; secundo autem loco, advocatus, tanquam executor.

Hinc: 1° Advocatus a cliente interrogatus tenetur causam *examinare* cum diligentia rei gravitati proportionata, eidem *fidelitatem*

[1] L. IV. 269. 270 — [2] Ib. 270. 271; H. A. ib. 80. 81. — [3] Porpora, Tr. 25. n. 330. In jure canonico procurator fiscalis appellatur *promotor.* — [4] L. IV. 219.

Digitized by Google

servare, causae demum qualitatem et statum *declarare*, ne ad sumptus inanes procedatur [1].

2° Si causam in bona fide, saltem ut probabilem, susceperit, et ejus injustitiam *in decursu processus* advertat, tenetur eam deserere, et clienti suadere ut desistat. Neque in hoc casu potest suadere compositionem cum damno alterius partis; quia locus non datur compositioni, nisi quando res est dubia.

2319. — Quaesita. QUAER. 1° *An possit advocatus vel procurator defendere causam* MINUS PROBABILEM?

Resp. 1° In causa *civili*, juxta probabiliorem et communiorem sententiam, si dubium sit *juris*, potest advocatus (vel procurator) suscipere et defendere partes paulo minus probabiles sive actoris, sive rei, monito tamen litigante de sui juris qualitate. « Ratio est, tum quia opinio minus probabilis decursu temporis potest probabilior evadere; tum quia multoties opinio, quae advocato minus probabilis apparet, ipsa judici videtur probabilior. » — Si autem dubium sit *facti*, non potest, sive in minori sive etiam in pari probabilitate, causam defendere; quia in tali causa omnino favendum est reo, seu possessori; et ideo si lis ei intenderetur, vexaretur injuste, et actor cogeretur ad expensas inutiles [2].

2° In causa *criminali* reus, etiam vere culpabilis, potest semper defendi, modo fiat absque fraude et mendacio; quia non tenetur ad poenam nisi convictus. *Accusator* autem vel *denuntiator* non potest, in causa criminali dubia, a procuratore fiscali aut ab alio adjuvari, quia hi peccarent, sicut ipse accusator, cooperando illicitae ejus denuntiationi [3].

QUAER. 2° *Ad quid teneatur advocatus ratione* HONORARII *seu* STIPENDII?

Resp. 1° Nihil accipere potest *ultra justum pretium*, scilicet taxatum, ubi existit, vel judicio prudentum determinatum, habita ratione negotii, propriae peritiae, laboris quem impendit, et consuetudinis approbatae. — Si cliens tamen, absque justa causa inceptam litem desereret, posset de integro salario contendere [4].

Resp. 2° Quoad *pauperes*: 1) Tenetur, etiam cum gravi suo incommodo, gratuito succurrere iis qui in extrema necessitate versantur, nec alium habent recursum; 2) item, sed citra suum grave incommodum, iis qui existunt in gravi necessitate; 3) iis demum, qui sunt in communi necessitate, sufficit, si aliquid operis largiatur [5].

[1] L. IV. 223. — [2] Ib. 222; H. A. XIII. 70. — [3] Ib. 220. — [4] H. A. ib. 70; L. IV. 225. not. 2. — [5] H. A. ib. 69.

Digitized by Google

2320. — *Ex his resolves:* — I. Advocatus PECCAT : 1° Si defendat aut prosequatur causam certe injustam quoad proprietatem, quamvis esset justa quoad possessionem ; nam sicut reus tunc non potest rem retinere, ita nec advocatus illum tueri. — 2° Si causam justam prosequatur mediis injustis, afferendo v. g. scripturas falsas, vel leges abrogatas. — 3° Si, post inchoatam litem, paciscatur de stipendio ; de hoc enim paciscendum est vel antea vel postea; quia si in litis decursu pacisceretur, cliens facile cogi posset ad acquiescendum omni, quantumlibet immodico, stipendio ; et multo gravius peccat, paciscendo de rata parte litis, v. g. de tertia parte, si causa vincatur; tale enim pactum conjicit in proximum periculum omnes adhibendi machinas, ut per fas et nefas lis obtineatur. Verumtamen, si pretium esset certe justum, et dolus abesset, non teneretur restituere quod accepisset. — 4° Si causas suscipiat plures, quam possit commode tractare, non monito cliente. — 5° Si utrique parti patrocinetur ; quia repugnat, ut utramque partem aeque defendat, saltem in eadem causa. — 6° Si parti adversae aperiat secreta sui clientis. Sunt quidem qui excipiunt casum, quo alter, ob secretum servatum, injuste grave damnum pateretur ; sed alii cum S. Thoma non admittunt hanc limitationem, nisi in casu rarissimo, quo reus capite plectendus esset, et accusator injuste procederet. — 7° Si dolis aut dilationibus ad rem non facientibus utatur; demum si ex negligentia vel gravi sua imprudentia causam amittat [1] (cf. n. 974).

2321. — II. Procurator fiscalis (vel ejus substitutus) PECCAT contra justitiam : 1° Si ex negligentia, ex praecipitatione, aut praejudicio, ex odio aut acceptione personarum, etc. traducat innocentem in detentionem, in judicium, in injustam subeundam sententiam. — 2° Si accusationem sustineat, postquam in decursu causae accusati innocentiam agnoverit, aut graviter de ea dubitaverit. — 3° Si muneris sui exercitium cum civium injuria differat. Quod autem istiusmodi artibus sibi comparavit, restituere tenetur [2].

2322. — III. Procurator partium PECCAT contra justitiam : « 1° Si litem procuret injustam ; — 2° si plures causas suscipiat quam possit expedire ; — 3° si plus mercedis accipiat quam justum ; — 4° si suadeat reo vel parti, ut injuste veritatem neget ; — 5° si sua incuria, negligentia, aliave culpa, causa sit ut lis perdatur ; — 6° si nomine partis juret, sine particulari ejus informatione, cum periculo pejerandi ; — 7° si culpabiliter tribunali non adsit, futuri incommodi metu, etc.; — 8° si partes adducat ad concordiam iniquam ;

[1] H. A. XIII. 71; L. IV. 223-226. — [2] Cf. Gury, II. 14. 4°.

Digitized by Google

— 9° si differat causam, vel pervertat judicem, petat terminos impertinentes aut dilationes superfluas; — 10° si falsos testes inducat [1]. »

QUAERITUR. *Quid de illo qui* SCRIPTURAS *supponit vel adulterat, ad supplendos actus perditos, vel ad jus certum prosequendum?*

Resp. 1° Peccat, saltem venialiter ratione mendacii, quia, utcumque res se habeat, chirographum quod exhibetur est diversum ab illo, quod in judicio fidem facit. Fieri etiam potest, ut peccet contra prudentiam, nimirum si se exponat periculo incurrendi poenas gravissimas.

Resp. 2° Non peccat contra justitiam, cum jus certum prosequatur; nec proinde ad restitutionem tenetur. Excipe, si causam alterius agat, ut advocatus, et ex detectione fraudis damnum clienti suo vel parti adversae obveniat [2].

NB. Quid ADVOCATO et PROCURATORI liceat in causa *Divortii*, vide n. 2126, 2°.

§. 2. *De auxiliariis judicum.*

2323. — Auxiliares judicum adjuvent eos in dirimendis causis triplici modo: 1° *consiliando:* quo munere funguntur auditores seu referendarii, et assessores seu consiliarii; 2° acta judicii *scribendo:* quod faciunt notarii, qui etiam vocantur scribae, cancellarii, actuarii, tabelliones, protocollistae; 3° *exequendo* quod judex imperat: quo in negotio occupantur satellites et nuntii judiciales, qui etiam appellantur apparitores, cursores, pedelli.

Principium. Auxiliares judicum « tenentur JUSTE FIDELITERQUE exercere suum officium, sive ex debito muneris tantum, sive etiam ex juramento. — Item, tenentur SCIRE ea, quae ad suum officium spectant, debitamque DILIGENTIAM adhibere, praestando omnia necessaria, terminos justos petendo, appellando, cum fuerit necessarium [3]. »

Generali hoc principio praemisso, restat ut adnotentur separatim sequentia.

I. — DE REFERENDARIIS ET CONSILIARIIS.

2324. — I. *Referentes* vel *Ponentes* sunt illi, quibus litis examen seu recognitio causae committitur, ut illam judicibus referant definiendam. Generatim tale munus committitur alicui ex ipsis judicibus, qui hac de ratione appellatur *commissarius causae*, seu *judex relator.*

Referens PECCAT et ad reparationem obvenientis damni tenetur: 1° Si defectu studii, vel incuria male referat, vel omittat quae ad substantiam litis pertinent; — 2° si alterutri parti faveat; — 3° si sententiam ante tempus divulget.

[1] L. IV. 232. — [2] Cf. Gury, II. 13. — [3] L. IV. 227.

Digitized by Google

Nota. Ex eo autem quod cognitio causae ad Referentem spectat, minime sequitur, alios judices posse causae cognitionem negligere; si enim eam negligerent, judicium penderet, magna ex parte, ex relatione solius Referentis commissarii, quae non raro vacillat. — Quilibet igitur judex tenetur causam considerate perpendere, ac dein, *ex propria cognitione*, ferre suffragium.

II. *Consiliarii* ad eadem tenentur ac ipse judex, in quantum huic ad ferendam sententiam proxime cooperantur. — Recole dicta *de Judice.* n. 2296. seqq.; et *de Consiliariis*, n. 980, 983, 984 et 988.

II. — De Scribis et Notariis.

2325. — I. *Scriba* seu *secretarius* dicitur, qui legitima auctoritate est deputatus, ut scripto referat testimonia, judicum sententias, et caetera quae in tribunalibus peraguntur. — Ex quo patet, quantam prudentiam sibi expostulet Secretarii munus; ipse enim est quasi dextera judicis [1].

Potest scriba varias committere injustitias, praesertim:

1° Si non utatur debita diligentia ad omnia in tribunali prolata et peracta in libros authenticos referenda. Defectus enim hujus diligentiae, nisi sit omnino involuntarius, inducit facile culpam gravem et obligationem restitutionis.

2° Si ex malitia aliquid in scribendo omittat, aut si tabellas publicas sibi commissas adulteret, aut male custodiat; si debitas formalitates et subscriptiones non apponat, aut apponi non satagat; si testimonia seu verba testium non fideliter transcribat, sive exaggerando aut imminuendo, sive immutando aut invertendo.

3° Si arcanum sibi commissum prodat; si sententiam nondum publicatam manifestet; si peractos processus, sine judicis praescripto, partibus ostendat; si eisdem acta judicis tradat, antequam juxta formas legales subscripta fuerint. Tunc enim exhibet instrumentum mancum et falsum, cujus expeditio nullius est valoris.

4° Si, ad augendum salarium, distribuenda acta plus aequo amplificet; si pretium exigat injustum, etc. — Porro, quoad stipendium, tenetur stare taxae legali, aut usuali, si tractu temporum taxa legalis insufficiens evaserit. — Caeterum, omnes communiter dicunt, non posse scribam ultra justum pretium aliud recipere a partibus, etiam titulo donationis; tales enim largitiones nunquam sunt spontaneae. Attamen, si aliquem laborem extraordinarium assumeret, liceret utique aliquid amplius accipere [2].

2326. — II. *Notarius* seu *tabellio* dicitur ille, qui legitime est institutus ad scribenda et notanda acta, vel instrumenta, quae sive

[1] Cf. Ferraris, Verb. *Cancellaria, Secretarius.* — [2] H. A. XIII. 68; L. IV. 229; cf. Gury, II. 19.

Digitized by Google

in judicio, sive extra, fidem faciunt. — Est Notarii munus gravissimum, cum publica fides ipsi committatur. Hinc notissimus ille versus:

Expertus, fidus, diligens notarius esto.

Debet igitur esse: 1° *Expertus;* unde peccat graviter contra justitiam, si ex officii sui ignorantia vel negligentia, illas solemnitates necessariasque conditiones omittat, quae ad actûs valorem requiruntur. — 2° *Fidelis;* unde peccat item graviter contra justitiam, si juramentum violet, vel secretum; si parti petenti instrumenta occultet, praesertim quae continent legata; si falsum conficiat instrumentum; si testamentum scribat hominis usu rationis destituti; si pactis contrahentium aliquid gravis momenti addat aut detrahat; si non moneat ipsos de clausulis, quae eis nocere possunt, etc. — 3° *Diligens;* unde graviter peccat, et de damno tenetur, si acta negligenter conficiat, v. g. per transcriptorem ineptum, vel male custodiat; si differat, absque justo impedimento, causae expeditionem; vel efficiat, ut actus judiciales ad alios judices deveniant quam ad illos quos ordo fori designat, etc. [1].

De Notario insuper valent quae supra (n. 2325) de *scriba* diximus.

2327. — Quaeritur. *An teneatur notarius ad restitutionem erga* Fiscum, *si in conficiendo instrumento venditionis aut inventarii, postulantibus partibus, vel etiam ipso innuente, non verum rei pretium inscribat, sed aliud minus, ut* tributum *solvendum* imminuatur?

Resp. Controvertitur. — Alii *affirmant*, quia sic cooperatur defraudationi tributorum: quod iniquum est et injustum ex parte magistratus, cui Respublica confidit. — Alii *negant*, dummodo infimum saltem pretium in scripto authentico referatur. — Alii tandem eum totaliter *excusant*, quia ex *consuetudine* generaliter recepta etiam proborum, non solet totum pretium etiam infimum declarari, sed tantum declaratur paulo ultra mediam partem, vel circa duas tertias hujus pretii. Si autem non peccant partes verum pretium dissimulando, nec peccat notarius ex cooperatione; ipse enim non constituitur sicut praepositus vectigalium, ad tributa exigenda, sed ad instrumenta conficienda. Ita Gury [2] (cf. n. 967).

III. — De Apparitoribus et aliis judicum Ministris.

2328. — I. *Apparitor* (alibi *Commissarius*) est ille, qui ex officio jussum comparendi in judicium et mandata justitiae defert, atque executiones a judice decretas perficit.

[1] L. IV. 230. 231; cf. Gury, II. 21. — [2] II. 22, ubi tamen loquitur de officio notarii in Gallia.

Digitized by Google

Peccant et *tenentur ad restitutionem* apparitores: 1° Si pretio, aut favore se corrumpi sinant in praejudicium clientis; — 2° Si tempus ad acta juridica praefixum non concedant; — 3° Si lustrantes domos asperius agant, ut aliquod munus extorqueant; — 4° Si excedant mandatum judicis, aut legis statuta, etc.; — 5° Si pretium supra taxam, lege determinatam, titulo donationis accipiunt; talis enim donatio generatim dici nequit spontanea: prout jam de *scriba* notavimus n. 2325, 4° [1].

2329. — QUAERITUR. *An apparitor seu commissarius possit* MULTIPLEX *exigere* SALARIUM, *si unica et eadem vice diversa vadimonia deferat?*

Resp. S. Alphonsus [2]*:* Oportet distinguere: 1° Si apparitori (Executori vel Commissario) taxatum sit pretium pro occupatione sua cujusque diei, non potest plus exigere, ut patet. — 2° Si commissiones sint disparatae, et assignatum sit salarium speciale pro qualibet procuratione, recte dicit Lugo, posse Commissarium exigere plura salaria pro numero et qualitate executionum, et idem sentit Lessius (cf. n. 1036 q. 2).

In GALLIA, teste Gury [3], etsi lege hoc prohibeatur, usus tamen, sciente et vidente Gubernio, invaluit, ut advocati et procuratores ita rem componant, ut pro singulis vadimoniis apparitores idem fere pretium habeant.

2330. — II. Caeteri judicum MINISTRI, puta interpretes, satellites, equites armati, carcerum custodes, etc., tenentur similiter proprium officium recte, fideliter et juste adimplere.

Unde peccant *et de damnis tenentur:* 1° Si aliquid praeter justum stipendium exigant; — 2° si moneant reos, quos capere jussi sunt, ut fugam arripiant; vel debitores, ut bona creditoribus addicenda recondant; — 3° si durius atque inhumanius in eos agant, maxime ad pecuniam vel alia munera extorquenda; — 4° si imperata tempore constituto non exequantur [4].

CAPUT III.

DE OFFICIIS MEDICORUM ET PHARMACOPOLARUM

2331. — Grave ac delicatum munus incumbit MEDICIS, et proportione servata, CHIRURGIS ac PHARMACOPOLIS, eo quod hominum vita, eorumque vitae sospitas ipsis concreditae sint.

Hinc TENENTUR, et quidem *sub gravi:* 1° Scire quae ad sui muneris exercitium spectant; — 2° adhibere illas curas, quae morbi

[1] Gury, II. 15. — [2] H. A. XIII. 68. in fin. — [3] II. 18. — [4] Porpora, tr. 25. n. 185..

Digitized by Google

gravitati respondeant; — 3° servare aequitatem in exigendo stipendio. In quibus, si culpa sua deficiant, obnoxii sunt reparationi damni, quod inde secutum est. — In specie vero:

I. Medici (et *Chirurgi*) graviter peccant: 1° Si absque sufficienti peritia gravem morbum vel vulnus curandum suscipiant: vel si occurrenti gravi et insolito morbo, speciali medicationis studio operam non impendant. — 2° Si, agnito aegroti periculo, opportune ei non adsint. — 3° Si necessariam curationem negligant, aut alios idoneos medicos, ubi oportet, arcessiri non permittant. — 4° Si, non bene perspecta morbi natura, temere adhibeant remedia dubia vel periculosa, praesertim cum discrimine vitae vel gravis laesionis. (Vide n. 84, 2°). — 5° Si facile, et sine vera necessitate absolvant a jejunio, a carnis abstinentia, ab auditione Missae. — 6° Si aegrotantem pauperem in gravi periculo constitutum contemnant. — 7° Si pretium nimium exigant; vel ad expensas compellant inutiles, v. g. pharmaca superflua praescribendo, multiplicando visitationes, etc. — 8° Si abortum, onanismum, aut alia illicita suadeant. — 9° Si secreta suae fidei commissa non servent, v. g. morbos pudendos sine justa causa propalando. — 10° Si non opportune praemoneant de gravi aegrotationis periculo, ut conferantur Sacramenta. — 11° Si in casu necessitatis baptizare negligant. — 12° Si tempore pestis, aegrotos sine ope derelinquant, ad quos curandos sunt a Communitate cum stipendio constituti [1].

2332. — Quaeritur. *An teneatur medicus* monere *aegrotos de facienda confessione?*

Resp. 1° Si agatur de morbo mortali, seu proxime periculoso, tenetur jure naturali infirmum monere, per se vel per alios; nam unusquisque debet ex charitate saltem, cum potest sine gravi suo detrimento, periculum aeternae damnationis a proximo suo removere. « Oh quam miserum est, exclamat *S. Alphonsus* [2], videre tot infirmos (et praesertim eos qui spectatae sunt dignitatis) ad incitas mortis reduci, ut rationes vitae Deo mox reddendas parent, tempore quo sunt quasi exanimes, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriae conscientiae, suorumque peccatorum dolorem! Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui, ne displiceant infirmis aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; imo eis blandiri pergunt, usque dum omnino ipsi de vita desperantur. »

2° Si agatur de morbo saltem gravi, cum nempe timendum est, ne mortalis evadat, debet medicus ex jure positivo, id est ex decreto Concilii Lateranensi IV cap 22 et ex Pii V Constit. *Supra gregem* (ubi lex recepta est nec in desuetudinem abiit) debet, inquam, per se aut per alium, monere infirmum de confessione intra tres dies facienda; quibus elapsis, tenetur non confessum deserere [3]. — Motivum hujus legis est, ne infirmi, si sciant despera-

[1] L. IV. 291; cf. Porpora, tr. 25. n. 339. — [2] *Prax. Conf.* n. 57. — [3] Cf. Rit. Rom. *De Cura infirm.* Verb. *Deinde.*

Digitized by Google

tos tantum moneri, ex tali monitione nimis perturbentur; quo fieret, ut propriae conscientiae difficilius consulerent, et facile in gravium vitae periculum conjicerentur. — Notant vero DD., medicum non obligari ad monitionem, si moraliter certus sit infirmum esse in bono conscientiae statu; nec teneri eum deserere, si graviores adsint causae eum non deserendi, maxime si nulla spes adsit animam adjuvandi [1].

2333. — II. PHARMACOPOLA peccat: 1° Si rudis et ignarus munus exerceat. — 2° Si absque debita diligentia medicamenta conficiat. — 3° Si unum medicamentum pro alio (nisi esset aeque bonum, et aequalis pretii), contra medici praescriptum, cum gravis damni periculo porrigat. — 4° Si vendat pharmaca inutilia. — 5° Si praebeat medicamenta ad inferendam sterilitatem, vel ad expellendum foetum (tametsi talia medicamenta forent plane inefficacia): tum ob scandalum, quod praebet petentibus; tum quia phantasia mulierum, a qua produci solet abortus, non parum inde commovetur; tum quia ipse se committit periculo subeundi poenas, quas leges civiles contra hujusmodi praevaricationes constituerunt [2].

[1] L. VI. 664; III. 182; H. A. Tr. ult. n. 33. — [2] L. IV. 291; *Prax. Conf.* n. 58

LAUS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX I.

VARIÆ FACULTATES, QUAS S. SEDES EPISCOPIS VEL CONFESSARIIS CONCEDERE SOLET

1. — *Facultates Quinquennales.*

Facultates, quae a S. Congr. de PROPAG. FIDE *Episcopis* ad quinquennium concedi solent, continentur in DECEM FORMULIS majoris minorisve amplitudinis. — Has Congregatio S. OFFICII confecit, et transmisit S. Congregationi de PROPAG. FIDE. per quam communicantur Episcopis; sed ita ut degentes in remotioribus regionibus ampliores obtineant facultates, illas nempe quae, juxta Elenchi ordinem, 1° et 2° loco enumeratae reperiuntur.

En *Formula* (n. X) quae Episcopis GALLIAE communicari solet [1].

1. Absolvendi ab Haeresi, et Apostasia a Fide, et a Schismate quoscunque etiam Ecclesiasticos, tam saeculares, quam Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur Haereses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint; nisi isti nati sint, ubi impune grassantur Haereses, et post judicialem abjurationem, illuc reversi, in Haeresim fuerint relapsi, et hoc in foro conscientiae tantum.

2. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis sacerdotibus quos praecipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bontham, J. A. Dulaure, *Fêtes et Courtisanes de la Grèce, Novelle di Casti,* et aliis operibus de obscoenis et contra Religionem ex professo tractantibus

3. Dispensandi in 3° et 4° simplici et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum Haereticis conversis, etiam in 2° simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen Conjugum machinante, ac restituendi Jus petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem, et levatum.

7. Hae vero dispensationes Matrimoniales, videlicet 3ª, 4ª, 5ª et 6ª non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a Sedis Apostolicae Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.

[1] Ex copia auth. — Formulas Episcopis AMERICAE concessas vide apud Konings, *Theol. mor.* I. p. lxx; item, *Commentarium in facult.* APOST. (Neo Eboraci, 1884); pro GERMANIA et AUSTRIA vide Aichner, Append. IV.

Digitized by Google

8. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis et Religionis.

10. Absolvendi ab omnibus censuris etiam speciali modo, in Bulla *Apostolicae Sedis moderationi* diei 12 Octobris 1869, Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi; — in locis tamen ubi impune grassantur haereses.

11. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi Paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra Unctio, et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

12. Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione Animarum laborantibus, in locis tantum ubi prohibetur exercitium catholicae religionis.

13. Et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et ad quinquennium tantum concessae intelligantur.

14. Utendi iisdem facultatibus in locis tantum Dioecesis N.

Nota. Proposita quaestione, quaenam sit relatio mutua inter facultates impressas Episcopis concedi solitas tam a S. Poenitentiaria quam a S. Congregat. de Propag. Fide, responsum fuit: « Illud Tibi significandum habeo, quod nimirum cum a SS. Domino nostro dentur facultates sive per S. Congregat. de Propag. Fide, sive per S. Poenitentiariam, cumque Ipse attentis locorum personarum et temporum adjunctis eas ampliores vel arctiores concedat, neutra ex Congregationibus facultates per alteram datas coarctare dicenda est, nisi expresse id in rescripto cautum sit. Moy, *Archiv.* vol. V. p. 471.

2. — *Pagella S. Poenitentiariae quae Episcopis* Italiae *concedi solet.* [1]

Fr. Antonius Maria *Tituli SS. XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis* Panebianco *Ord. Min. S. Franc. Conv. SS. DD. Nostr. Papae et S. Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.*

Vobis Reverendissimo in Christo Patri... infrascriptas communicamus facultates ad triennium duraturas, quibus non obstante Constitutione *Apostolicae Sedis,* pro foro conscientiae per Vos, sive per Vestrum Vicarium in Spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, etiam extra sacramentalem confessionem pro grege Vobis commisso, et infra fines Vestrae Dioecesis tantum, atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis Apostolicae Auctoritate Vobis delegata, uti valeatis, easque Canonico Poenitentiario nec non Vicariis Foraneis pro foro pariter conscientiae ac in actu sacramentalis confessionis duntaxat, etiam habitualiter, si Vobis placuerit, aliis vero Confessariis cum ad Vos, sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus Poenitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus Confessariis a Vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio vestro statuendum, illas communicare judicabitis.

[1] Apud Berengo, *Enchiridion,* p. 502.

Digitized by Google

I. Absolvendi ab excommunicatione ob manus violentas injectas in Clericos, aut Presbyteros, vel in Regulares, dummodo non fuerit secuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; et dummodo casus ad forum externum deducti non fuerint, injunctis injungendis, et praesertim ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi a censuris contra duellantes inflictis in casibus duntaxat ad forum Ordinarii non deductis; injuncta gravi poenitentia salutari, et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscumque poenitentes, sive viros, sive mulieres, (exceptis haereticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis incursis ob haereses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas, ob infidelitatem et catholicae Fidei abjurationem private admissas, sortilegia ac maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, nec non ob Daemonis invocationem cum pacto donandi animam, eique praestitam idololatriam ac superstitiones haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa Dogmata incursis, postquam tamen poenitens complices, si quos habeat, denunciaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denuntiare, facta a poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primum et meliori modo, quo fieri poterit; et postquam in singulis casibus coram absolvente haereses secrete abjuraverit, et pacto cum maledicto Daemone initum expresse revocaverit; tradita eidem absolventi syngrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda seu destruenda, injuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausurae Regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto, et dummodo casus non fuerint ad Forum Ordinarii deducti, cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris, et poenis ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem clausurae virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi poenitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam et Conventum, seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, injuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi, prout de jure, sive per se, sive per alium absque ulla mora, et quantum fieri potest, ante absolutionem, libros prohibitos, si quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus: injuncta poenitentia salutari, et quando agitur de muneribus, quae non excedant valorem decem scutorum, imposita aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda, et caute eroganda cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio: dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de bonis propriis Religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis Religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis judicio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a censuris, et poenis ecclesiasticis eos, qui sectis vetitis Massonicis, aut Carbonariis, aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem

Digitized by Google

praestiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent, eamque abjurent; libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis tradant ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda, injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentalis Confessionis; nec non absolvendi eos, qui ejusmodi sectarum duces ac magistros occultos denunciare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari poenitentia, et firma obligatione sub reincidentia eosdem Vobis, vel aliis, ad quos spectat, prout de jure, denuntiandi.

VIII. Absolvendi Religiosos cujuscumque Ordinis (etiam Moniales, per Confessarios tamen pro ipsis a Vobis approbatos, vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a casibus et censuris in sua Religione reservatis, dummodo Religiosi legitimam habuerint licentiam peragendi Confessionem extra proprium Ordinem.

IX. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum trasgressore voti castitatis, qui Matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum usum Matrimonii, quam si marito seu uxori respective supervixerit.

X. Dispensandi cum incestuoso, seu incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu, suae uxoris, seu respective mariti, remota occasione peccandi; et injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

XI. Dispensandi super occulto impedimento primi, nec non primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto, et quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae uxoris nativitatem; et non aliter: monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur: et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas, remota occasione peccandi; atque injuncta poenitentia salutari, et Confessione sacramentali, semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item. Dispensandi super dicto occulto impedimento affinitatis ex copula illicita etiam in Matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec Matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat: remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat; injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione: ac injuncta gravi poenitentia salutari et Confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

XIII. Dispensandi super impedimento tertii, seu tertii et quarti, vel quarti simplicis gradus, sive gradum consanguinitatis, vel affinitatis, super quo, vel

Digitized by Google

quibus obtenta fuerit dispensatio ab Apostolica Sede, et in litteris hujusmodi dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quae tamen occulta remaneat.

Ac etiam dispensandi seu revalidandi ejusmodi litteras irritas ac nullas redditas ex incestu, sive post petitam dispensationem, sive post illius expeditionem et ante respectivam executionem, patrato ac iterato usque ad eamdem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive jam contracto, monitis, in Matrimonio contracto, putatis conjugibus de necessaria mutui consensus secreta renovatione; injuncta in singulis casibus congrua poenitentia salutari. (*Sed vide n. 2051 Nota, quoad matrimonia post Decretum 25 junii 1885 inita vel ineunda*).

Datum Romae ex Aedibus Nostris die 20 maji 1874.

A. Pellegrini S. P. Regens. — Hip. Cañcus Palombi S. P. Subst.

Nota. Episcopi ITALIAE muniti sunt praeterea a S. Poenitentiaria opportunis facultatibus *quotannis* renovandis: pro absolutione osorum Pontificiae Ditionis, eorum scil. qui publica officia tenent in regione usurpata; — item, quoad Patronos Beneficiorum, si haec vacantia sint; — quoad emptores bonorum Ecclesiae, sive mobilium, sive immobilium, et quoad locationem immobilium; — quoad immunitatem ecclesiasticam; — quoad infelices Confessarios, qui complicem absolverunt: — id autem sub certis clausulis (cf. Del Vecchio, tom. I. Append. XII).

3. *Pagella S. Poenitentiariae quae nonnullis Confessariis communicatur.* [1]

FR. ANTONIUS MARIA *Tituli SS. XII Apostolorum Presbyter Cardinalis* PANEBIANCO *Ord. Min. S. Franc. Conv. SS. DD. Nostr. Papae et S. Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.*

Tibi dilecto in Christo Confessario ab Ordinario loci ad excipiendas utriusque sexus sacramentales confessiones legitime approbato infrascriptas concedimus facultates, quibus, non obstante Constitutione *Apostolicae Sedis*, pro foro conscientiae et in sacramentali Confessione Auctoritate Apostolica uti valeas, et non aliter, ita tamen, ne debeas illas cuilibet manifestare, nisi necessitas aut utilitas exegerit.

I. Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas injectas in Clericos, aut Presbyteros, sive Saeculares, sive Regulares, in casibus tamen non deductis, nec de facili ad forum Ordinarii deducendis; dummodo non sit secuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus aut ossium fractio, et injuncta congrua poenitentia salutari cum obligatione caute et competenter satisfaciendi parti laesae.

II. Absolvendi a Censuris contra duellantes inflictis, dummodo casus ad forum Ordinarii non fuerint deducti; injuncta gravi poenitentia salutari, et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscumque Poenitentes, sive viros, sive mulieres (exceptis haereticis publicis sive publice dogmatizantibus [2]) a quibusvis Sententiis, Censuris et Poenis Ecclesiasticis ob haereses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas, ob infidelitatem, et Catholicae Fidei

[1] Apud Berengo, loc. cit. — [2] Excipiuntur illi soli *haeretici*, qui vel publice vel privatim sed notorie apud multos falsa dogmata spargunt. Ex Resp. S. POENIT. 3 mart. 1880 (*Scienza e fede*, vol. CXVII, pag. 260).

Digitized by Google

abjurationem private admissas, sortilegia, ac maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, necnon ob Daemonis invocationem cum pacto donandi animam, eique praestitam idololatriam, ac superstitiones haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa dogmata, incursis, postquam tamen Poenitens complices, si quos in praemissis habeat, Ordinario loci, vel Sacrae Inquisitionis Ministro in locis, in quibus viget Sacrae Inquisitionis auctoritas, prout de jure, denunciaverit; et quatenus agatur de locis, in quibus non *viget* Sacrae Inquisitionis auctoritas, aut ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primum, et meliori modo, quo judicio tuo fieri poterit, coram Ordinario loci; et postquam in singulis casibus haereses coram Te secrete abjuraverit, et pactum cum maledicto Daemone initum expresse revocaverit; tradita Tibi syngrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda; injuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se prudenti judicio tuo retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a Censuris incursis ob violationem clausurae Regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non fuerint ad forum Ordinarii deducti, cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi Mulieres tantum a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem clausurae Virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi poenitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, et Conventum, seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a Censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, injuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi Ordinario loci, aut cui de jure, sive per se, sive per alium absque ulla mora, et, quantum fieri potest, ante absolutionem, libros prohibitos, si quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus: injuncta poenitentia salutari, et quando agitur de muneribus, quae non excedant valorem decem scutorum, imposita aliqua eleemosyna judicio tuo taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de bonis propriis Religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis Religionis facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum tuo arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis, eos, qui Sectis vetitis Massonicis, aut Carbonariis, aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem praestiterunt, ita tamen, ut a respectiva Secta omnino se separent, eamque abjurent, libros, manuscripta, ac signa Sectam respicientia, si quae retineant, in tuas manus tradant ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda; injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentalis Confessionis, aliisque injunctis de jure injungendis: nec non absolvendi eos, qui ejusmodi Sectarum duces et magistros occultos denunciare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari poenitentia, et firma obligatione sub reincidentia eosdem Ordinario Loci, vel aliis ad quos spectat, prout de jure, denunciandi.

Digitized by Google

VIII. Absolvendi Religiosos cujuscumque Ordinis, dummodo legitimam habuerint licentiam peragendi Confessionem extra proprium Ordinem, nec non Moniales (dummodo tamen pro ipsis fueris ab Ordinario approbatus et deputatus) non solum a praemissis, sed etiam a Casibus et Censuris in sua Religione reservatis.

IX. Commutandi, consideratis causis, omnia Vota simplicia in alia poenitentiae, seu pietatis opera: exceptis quinque Votis Sedi Apostolicae reservatis, scilicet Castitatis, et Religionis, ac trium Peregrinationum, nempe ad sacra SS. Apostolorum Limina, ad S. Jacobum in Compostellis, et ad Jerusalem, necnon Votis poenalibus ad sese arcendum a peccatis; et insuper Voto non ludendi: ac votis, in quibus agitur de praejudicio, vel de jure Tertii.

X. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore Voti Castitatis, qui matrimonium cum dicto Voto contraxerit, monendo hujusmodi poenitentem, ad idem servandum teneri, tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito, seu uxori respective supervixerit.

XI. Dispensandi cum incestuoso, seu incestuosa ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris, seu respective mariti, remota occasione peccandi, et injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.

XII. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula, quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto: ita tamen, ut si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat: monito Poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur; et, quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas: remota occasione peccandi; atque injuncta poenitentia salutari, et Confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIII. Dispensandi super impedimento occulto Criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria secreta renovatione consensus; ac injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.

XIV. Dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione Censurarum duntaxat cum Sacerdotibus, vel in Sacris Ordinibus constitutis, tam Saecularibus, quam Regularibus, dummodo tamen ipsi Regulares habeant, ut supra, legitimam licentiam peragendi Confessionem extra proprium Ordinem.

Volumus autem ut supradictis facultatibus uti valeas tantummodo *per biennium* a data praesentium computandum, et abstineas absolvere a casibus reservatis locorum Ordinariis, nisi facultatem ab eis obtineris.

Datum Romae ex Aedibus Nostris die 14 decemb. 1871.

A. Pellegrini S. P. Regens. — Hip. Cañcus Palombi S. P. Subst.

Digitized by Google

APPENDIX II.

EXPLICATIO SENSUS NONNULLORUM VERBORUM QUÆ IN RESPONSIONIBUS SS. CONGREGATIONUM ROMANARUM SÆPE OCCURRUNT

1° *Dilata,* id est, differtur responsio, ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis.

2° *Affirmative et amplius, — Negative et amplius,* i. e. cum res fuerit in S. C. satis superque discussa, et plenis votis prout jacet decisa, non amplius admittitur tale quaesitum.

3° *Nihil,* i. e. non admittitur petitio, utpote incongrua.

4° *Relatum* vel *Lectum,* i. e. cum relatum, vel lectum fuisset in S. C. postulatum, non fuit admissum.

5° *Reponatur,* seu non datur responsio, sed petitio reponitur in Archiviis S. Congregationis.

6° *Detur decretum generale.* Obtinet, quando agitur de re gravi, quae a pluribus negligitur.

7° *Non congruere, — Non expedire,* i. e. S. C. non putat convenire, ut concedatur, quod rogatur; ideo impetratam gratiam non vult elargiri, nec elargitur.

8° *Orator rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat,* seu a S. Poenitentiaria non concedi postulatum, sed remitti Ordinario, ut, si facultatem habeat, rei pro prudentia sua provideat; secus vel impetret facultatem, vel, si id non expedire judicaverit, quod injungendum est, injungat.

9° *In decretis, — In decisis,* seu preces, non exauditas et ab oratore iteratas, non esse audiendas.

10° *Ad mentem,* seu praeter dubii solutionem aliquid aliud a S. Congregatione animadverti vel declarari, quod, si secretum fuerit, illis tantum manifestatur, ad quos responsio dirigetur; secus scriptis publice exaratis additur his verbis: *mens est,* etc.

11° *Facto verbo cum Sanctissimo,* vel: *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo,* seu Congregationem gratiae concedendae facultatem non habere, ideoque Secretario injungi, ut Rescriptum S. Congregationis referat Summo Pontifici, qui judicium Congregationis approbare solet et gratiam concedere.

12° *Providebitur in casibus particularibus,* seu casum, qui generice et indeterminate praepositus fuit, determinate proponendum esse.

13° *Gaudeat impetratis,* seu oratorem contentum esse debere gratia obtenta, et ejusdem extensionem, vel aliam, quae de novo postulatur, non concedi.

14° *Sanctissimus annuit pro gratia, arbitrio et conscientiae Episcopi,* seu gratiam esse concessam et nihil deesse, ut plenum habeat effectum, nisi executionem, quam denegare nequit delegatus, nisi forsan subsit causa aliqua canonica, S. Sedi non exposita, quae eam de jure impediat [1].

[1] Cf. Konings, n. 174.

Digitized by Google

APPENDIX III.

Formulæ *petendi dispensationes vel facultates.*

NB. In his formulis indicantur, *per modum exempli,* causae frequentius occurrentes: sed in libello supplici eae ipsae allegari debent, quae *reapse* existunt in casu particulari; secus dispensatio erit invalida (cf. n. 2049).

I. — Pro foro externo.

Litterae supplices mittuntur *ad Episcopum,* qui ipse (si facultatem habeat) dispensationem concedet, vel eam *a S. Sede* obtinendam curabit.

1. — *Ad petendam dissolutionem solemnium sponsalium.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Jacobus N. et Anna N. hujus parochiae N., die 15 maji anni 1886, sponsalia solemnia inter se contraxerunt. Nunc vero sponsus (aut sponsa) cupit ea rescindere. Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut dignetur ea dissolvere (vel eorum dissolutionem a S. Sede impetrare). Causa hujus resolutionis sunt rixae graves et lites inter sponsorum parentes exortae: *vel* summa injuria aut ignominia a sponso sponsae illata, *vel* vicissim, etc.

Summa, qua par est, reverentia et devotione permaneo

Ill^me^ ac R^me^ Domine

Ill^mae^ Dominationis Vestrae submissimus
N. N. Parochus Ecclesiae N.

Parisiis, die 1 julii 1886.

2. — *Ad petendam dispensationem a* votis simplicibus *in aliqua religiosa Congregatione emissis.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Clelia N., aetatis 27 annorum, humillime exponit Ill^mae^ Dominationi Vestrae, se, die 20 januarii 1880, in Congregatione Sanctimonialium N. tria vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis publice et in perpetuum emisisse. At vero, cum tribus ab hinc mensibus, ultro consentiente Superiorissa [1], et uti oratrix testatur, consulente confessario, ex illa Congregatione egressa sit, in honestum matrimonium a viro pio nunc petitur.

Quare humillime supplicat Ill^mae^ Dominationi Vestrae, ut super dictis votis dispensare cum ea (*vel* dispensationem a S. Sede impetrare) dignetur, ut matrimonium inire et debitum conjugale petere et reddere licite valeat. Causae sunt, tum quod reditus oratricis ad Congregationem sit prorsus impossibilis, tum quod, quum res jam eo devenerint, oratricis indoles et ejus vitae ratio satis demonstrare videntur, statum conjugalem magis ei salutarem fore quam religiosam vitam aut caelibem in saeculo.

Testor etc. *ut in formula sequenti.*

[1] Attestatio consensus *in scriptis* adjicienda est.

Digitized by Google

3. — *Ad petendam dispensationem super impedimento* COGNATIONIS, AFFINITATIS, *etc., pro matrimonio contrahendo.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Livius N. aetatis 30 annorum et Clara N. aetatis 25 annorum, Dioecesis N. ex Parochia N., matrimonio inter se inire cupiunt. Obstat vero impedimentum affinitatis primi gradus aequalis lineae, quia oratrix nubere intendit fratri mariti sui defuncti; *vel* consanguinitatis tertii et secundi gradus inaequalis, lineae collateralis, ut ex adnexo schemate constat[1]; *vel* cognationis spiritualis, quia orator prolem oratricis in Baptismo suscepit, vel in Confirmatione tenuit.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super istis impedimentis dispensare (*vel* dispensationem a S. Sede procurare) dignetur, cum fieri non possit quin matrimonium contrahatur; *vel* quia oratrix duobus liberis minorennibus gravata adjutorio viri indiget, et orator ad hoc maxime convenire dicitur; *vel* quia copula carnalis occulta ob solam vesanam libidinem admissa fuit; *vel* quia eamdem copulam oratores fatentur commisisse spe dispensationis facilius obtinendae, et e qua proles creditur concepta; *vel* ad reparanda, evitanda, praevenienda damna; *vel* quia tam grave ac continuum inter eos adest peccatorum periculum, ut hoc eorum matrimonium haberi debeat unicum (vel necessarium, peropportunum) salutis remedium; *vel* quia conatus ad eos ab hoc matrimonio avertendos inutiles prorsus evaserunt; *vel* quia est timor fundatus ne, si dispensatio negetur, formas civiles tantum compleant; *vel* quia matrimonium, ut aiunt, civile jamjam contracturi sunt, etc.

Testor oratores, catholicae fidei cultores ejusmodi esse censu, ut in toto 3000, 4000, 50,000 circiter libellas in re et totidem in spe possideant; *vel* tam pauperes esse ac miserabiles, ut solo labore manuum viventes nullam taxam solvere possint. Solvent tamen pro expensis, Romae faciendis 12, 15, 20 libellas, quas apud me deposuerunt.

Summa, qua par est, etc.

N. N. Parochus N.

Loco N. die 25 febr. 1886.

4. — *Ad petendam dispensationem super impedimento* MIXTAE RELIGIONIS.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Tullia N. romano-catholica aetatis annorum 30, hujus parochiae N., matrimonium inire cupit cum Alberto N. ex regione N., sectae lutheranae addicto, et in suis erroribus saltem usque adhuc persistente.

Pars acatholica coram me, ut ex declaratione huic petitioni adnexa patet, sub fide juramenti promisit omnes utriusque sexus infantes ex illo matrimonio nascituros in fide catholica romana baptizandos et educandos esse, iisque aeque ac comparti prorsus liberum fore religionis catholicae romanae exercitium. Praeterea pars catholica spopondit se pro viribus curaturam, ut, quantum in ipsa erit, vir ad veram fidem convertatur. Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut ipsi super eo impedimento S. Sedis dis-

[1] Schema cognationis, vel affinitatis describatur in calce folii (cf. n. 2017).

Digitized by Google

pensatio procuretur propter sequentes causas: Prima, sunt vani conatus, ut Oratrix tali matrimonio renuntiet; secunda, quia formae civiles circa matrimonium certo brevi sunt adimplendae; tertia, quia adest spes fundata conversionis partis acatholicae, etc. Pars catholica 25 libellas pro expensis faciendis jam apud me deposuit.

Summa, qua par est, etc.

Formula declarationis partis acatholicae.

« Ego infrascriptus habitans in N. declaro cum juramento, primo, filios utriusque sexus nascituros ex meo matrimonio cum N. N. catholica romana baptizatum iri in religione catholica romana; secundo, me permissurum semper dictae meae consorti et omnibus meis filiis ac filiabus liberum exercitium cultus catholici romani.

« In fidem hujus subscripsi manu propria hanc praesentem declarationem. »

N. N.

II. — Pro foro interno.

Litterae mittuntur ad Em̃um Cardinalem Praefectum S. Poenitentiariae, vel directe, vel mediante Curia dioecesana. Potest hic Curiae interventus adhiberi, si nullum subsit indebitae manifestationis periculum. — Litterae tamen sint clausae atque obsignatae, prout S. Poenitentiaria recenter admonuit. — Inscribantur autem:

Eminentissimo ac Reverendissimo Domino
Domino Cardinali Majori Poenitentiario.

Vel *gallice:* A Son Éminence le Cardinal grand Pénitencier, Rome.

1. — *Ad petendam dissolutionem occultorum* sponsalium.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Petrus et Maria sponsalia occulta inconsiderate contraxerunt. Comperto autem quod Petrus, quem non satis noverat, sit moribus perditus, et alienato totaliter a dicto Petro ejus animo, ita ut nullo modo eum ducere velit, et matrimonium probabiliter infaustum foret, Maria super sponsalibus occultis secum dispensari postulat, ut aliud matrimonium libere inire possit.

Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me infrascriptum ejus confessarium dirigere ut sequitur: (*exacta detur Responsi inscriptio. — Si recursus, mediante Curia dioecesana, factus fuerit, sic dicet:* Dignetur... dirigere, mediante agente Curiae episcopalis N... in Urbe).

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo

Eminentiae Vestrae

Obseqm̃us et addm̃us
N. N.

Parisiis, die...

Digitized by Google

2. — *Ad petendam dispensationem a* VOTO.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Berta annos viginti nata vovit *castitatem perpetuam* (VEL *ingressum in Religionem* approbatam). At cum in gravi incontinentiae periculo versetur, et ob ingentes stimulos carnis se posse continentem agere vitam diffidat, humillime supplicat pro commutatione aut dispensatione voti, ut inde valeat matrimonium inire, cujus opportuna occasio sese illi offert.

Dignetur, etc.

3. — *Ad petendam dispensationem super impedimento* OCCULTO, *pro matrimonio* CONTRAHENDO.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Julius matrimonium inire intendit cum Titia, et jam tractatus de hoc est omnibus notus. At obstat impedimentum AFFINITATIS ex copula illicita cum Caja sorore Titiae et quidem occulta; *vel:* obstat impedimentum CRIMINIS ortum ex copula carnali inter ipsos habita, stante matrimonio Julii cum priori uxore, cum promissione matrimonii data et acceptata, neutro tamen machinante; *vel* cum utriusque machinatione in vitam Bertae uxoris Julii; *vel* cum machinatione solius Julii in vitam uxoris; quae promissio fuit vera causa conjugicidii: quod impedimentum est omnino occultum, nec timetur manifestandum fore.

Quare humillime supplicant Eminentiae Vestrae, ut dignetur super isto impedimento cum eis dispensare, ut matrimonium inire valeant, tum quia omnia ad matrimonium sunt parata, ita ut absque scandalo rescindere tractatum nequeant, tum quia formae civiles jam sunt impletae, tum quia jam instat tempus partus, etc.

Dignetur, etc.

4. — *Ad petendam dispensationem super* DUOBUS *impedimentis, uno* PUBLICO, *altero* OCCULTO.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Publius et Augusta consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerunt. Cum autem Augusta a Tullio fratre Publii nunc requiratur in matrimonium, ei nubere ipsa cupit, tum quia est aetate superadulta, nempe viginti sex annorum nata, tum quia ex hac unione concordia familiarum probabiliter eveniet.

Quare supplicat oratrix, ut, non obstante dicta affinitate ex copula illicita, dispensatione super consanguinitatis prius obtenta, cum eodem Tullio licite et valide matrimonium contrahere valeat, in eoque contracto permanere.

Dignetur, etc.

Digitized by Google

5. — *Ad petendam convalidationem* DISPENSATIONIS INVALIDAE, *ob subreptionis vel obreptionis vitium.*

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Sempronius et Tertia matrimonium inire intendunt cum obtenta et fulminata S. Sedis dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus aequalis lineae collateralis. At vero dicta dispensatio nulla manet propter impedimentum occultum ob copulam illicitam cum Caja sorore Tertiae; *vel* ob falsam allegatam copulam, absque culpa oratorum, etc.

Quare humillime supplicant Eminentiae Vestrae, ut pro impetrata, sed invalida, illa dispensatione gratiam *Perinde valere* concedere dignetur. Causae sunt, tum quia est timor fundatus ne formae civiles tantum impleant, tum quia secus scandala et gravissima mala sequerentur, etc.

Dignetur, etc.

6. — *Ad petendam dispensationem super impedimento occulto pro matrimonio contracto* REVALIDANDO.

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Caja conscia (vel ignara) impedimenti contraxit in faciem Ecclesiae cum Titio, a cujus fratre jam cognita fuerat. Quare cum absque scandalo *vel* damno prolis separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio.

Dignetur, etc.

7. — *Ad petendam dispensationem* IN RADICE.

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Lucretia cum vero et sincero Valerii consensu, qui asseritur adhuc perseverare, matrimonium in faciem Ecclesiae contraxit et consummavit. At vero matrimonium est invalidum ob copulam fornicariam cum fratre Valerii, cujus impedimenti Valerius est prorsus inscius. Impedimentum est omnino occultum, nec timetur manifestandum; et de eo nulla fuit petita dispensatio. Oratrix fundate timet, ne si qualicumque modo consensûs renovatio a putativo conjuge petatur, recuset. Quare oratrix, quae optat rite in conjugio permanere, prolem legitimare, humiliter supplicat Eminentiae Vestrae, ut dispensationem in radice praefati matrimonii seu sanationem a S. Pontifice procurare dignetur, responsum vero ad me infrascriptum, etc.

8. — *Ad petendam absolutionem a censuris.*

Titius sacerdos (vel parochus) unam poenitentem (vel duas, tres, etc.) complicem in peccato turpi semel (vel bis, ter, etc.) sacrilege absolvit (vel absolvere simulavit). Deinde, quamvis excommunicatione scienter irretitus, per quindecim dies Missam celebrare et Sacramenta ministrare perrexit. Nunc vero delictorum suorum sincere poenitens, et remota peccati occasione, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. — (*NB.* Si jam alia vice absolutus et recidivus fuisset, id exprimi deberet).

Dignetur, etc.

Digitized by Google

9. — *Ad petendam dispensationem super irregularitate.*

Titius sacerdos incurrit IRREGULARITATEM ob homicidium occultum, (aut abortum, aut violationem censurae, etc.) et cum ei immineat periculum infamiae, si a celebrando se abstinet, ideo supplicat, etc. (ut supra) (H. A. XVIII. 87).

NB. Petitio dirigitur vel ad *Episcopum*, vel ad *S. Poenitentiariam* pro diversitate casus; imo, ad *Datariam*, si casus sit publicus.

10. — *Ad petendam facultatem absolvendi a casibus reservatis.*

Reverendissime Vicarie Generalis,

A Rmo Ordinario ad excipiendas fidelium confessiones nuper approbatus ad biennium, dum confitentibus aures praeberem, occurrit mihi *casus reservatus;* cumque expedire videatur, ut ad me poenitens redeat, hisce humiliter supplico, ut mihi praedicta facultas, saltem pro hac et aliquot vicibus concedatur.

Vel modo sequenti:

Cum propter frequentem populi concursum poenitentes, ceteroquin rite dispositi sine absolutione dimitti, et ad alterum confessarium accedere vix possint, humiliter supplico, etc.

Vel etiam:

Licet ad absolvendum a casibus a Rmo Ordinario reservatis sim approbatus, tamen mihi casus occurrit in litteris approbationis specialiter exceptus. Quod poenitens ceteroquin rite dispositus sit, attamen timere debeam, ne horreat pro gratia absolutionis se sistere coram habente ejusmodi facultatem, Rmum Vicarium generalem hisce quam humillime rogo, ut specialem hanc absolvendi potestatem mihi pro hac vice (vel: pro aliquot vicibus) largiri dignetur, etc.

NB. Aliae FORMULAE reperiuntur apud Jos. Schneider, *Manuale sacerd.* Append. I.

Digitized by Google

INDEX
OPERUM ET AUCTORUM
IN HOC OPERE ALLEGATORUM

A. — *Opera collectiva.*

Acta **Concessionis Tituli Doctoris** in honorem S. ALPHONSI. (Romae 1870).

Acta Pii VI, Pontif. Maximi, quibus Ecclesiae catholicae calamitatibus in Gallia consultum est.; 2 vol. (Romae 1871).

Acta S. Sedis — in Compendium opportune redacta et illustrata. (Ab anno 1865 sqq. (Romae, Propaganda).

Analecta Juris Pontificii. (Romae et Parisiis, 1855 sqq.).

Bullarium, sive Collectio plurimarum Constitutionum Apostolicarum Romanorum Pontificum. — Opera et studio Laertii *Cherubini;* 6 tomi. fol. (Romae, Camera Apostolica, 1617-1672).

Bullarium Pontificium S. Congr. *de Propaganda Fide.* (Romae, 1839 et sqq.).

Bullarium Romanum magnum. Amplissima Collectio (a S. Leone I usque ad Pium PP. VIII). (Romae, 1739 sqq.).

Caeremoniale Episcoporum. (Romae, 1848).

Catechismus Romanus — Apud Joan. Manfrè. (Patavii, 1777).

Code civil **Français,** commenté dans ses rapports avec la Théologie morale par *Th. Gousset;* 5ª édit. (Tournai, 1850).

Codex **Borussicus,** i. e. Preussisches Landrecht.

Codice civile **Austriaco,** con Annotazioni pratiche di Gioachino *Basevi,* giureconsulto; 7ª ediz. (Milano, 1859).

Codice civile **del Regno d'Italia.** (Milano-Napoli, 1877).

Collectanea Constitutionum, Decretorum, Indultorum ac Instructionum **Sanctae Sedis** ad usum Operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad Exteros. (Parisiis, 1870) (citatur: *Collect. S. Sed.*).

Collectio Lacensis — Acta et Decreta Conciliorum recentiorum — Auctoribus Presbyteris S. J. (Friburgi Brisgoviae, 1870-1884).

Corpus Juris Canonici. — (Edidit Ludov. Richter. Lipsiae, 1839).

Corpus Juris civilis romani — Opera et studio Simonis Van Leeuwen; 2 vol. fol. (Antverpiae, 1726).

Correspondance de Rome. (Romae, 1846-1851).

Decreta authentica *S. Congregationis* **Indulgentiis** sacrisque **Reliquiis** praepositae ab anno 1668 usque ad 1882. (Ratisbonae, Pustet, 1883).

Decreta authentica **S. Rituum. Congr.** — Vid. *Gardellini.*

La Scienza e la Fede. (Napoli, 1841, sqq.).

Monitore ecclesiastico — Pubblicazione mensuale ad uso del Clero. (Conversano, 1877 sqq.).

Digitized by Google

Nouvelle Revue Théologique. (Tournai, 1869 sqq.).

Pontificale Romanum. (Romae, 1849).

Raccolta delle Indulgenze. (Romae, 1878).
Revue des Sciences Ecclésiastiques. (Paris etc. 1860 sqq.).
Rituale Romanum. (Edit. typica, Ratisbonae, 1884).

Theologisch-praktische, Quartal-Schrift. (Linz (Austria), 1848 sqq.).
Thesaurus Resolutionum S. Congregationis Concilii. (Romae, 1718 sqq.).

Vindiciae Alphonsianae; 2 vol., edit. 2ª. (Tornaci, 1874).

B. — *Auctores eorumque opera allegata.*

Joseph. **Aertnys**, C. SS. R. Fascicul. *De Occasionariis et Recidivis et de usu matrimonii,* juxta doctrinam S. Alphonsi; (edit. 2ª, Tornaci et Buscoduci, 1883). — *Theologia moralis*, Tornaci, 1886, 2 vol. in-8º.

Simon **Aichner**, Canonicus (nunc Episcopus) Brixinen. — *Compendium Juris Ecclesiastici* ad usum Cleri; edit. 4ª. (Brixinae, 1874).

Franciscus **Albitius**, Card. — *De Inconstantia in fide.* (Amstelodami, 1683).

Cajetanus **de Alexandris**, Cler. Reg. Theatin. — *Confessarius Monialium*, instructus circa earum obligationes, privilegia etc., edit. 2ª, (Venetiis, 1713).

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO, Opera, juxta edit. Taurini ap. Marietti 1846. — Speciatim citata sunt sequentia:

I. Ex operibus moralibus. — 1º *Theologia moralis* (citatur v. g.: *L. VI. 20.* i. e. Lib. VI. n. 20).

2º *Homo Apostolicus* (H. A. XI, 10 i. e. Tract. XI. n. 10).

3º *Istruzione e pratica per li Confessori* (Ist. e prat. *vel* Instr. XI. 20, i. e. Cap. XI. n. 20). Citatur nempe, quando differt a versione latina (Hom. Apost.), et accuratius ultimum S. Doctoris sensum refert.

4º *Il Confessore diretto per le confessioni della gente di campagna,* (cit. v. g. *Conf. dir.* XV. 31).

5º *Praxis Confessarii* (cit. *Praxis*, vel *Prax. Conf.* n. 12).

6º *Examen Ordinandorum* (*Exam Ord.*).

7º *Institutio Catechistica ad populum* (*Inst. catech.*).

8º *Elenchus quaestionum reformatarum,* — I. Elenchus 99 Quaestionum reform. (1755) (cit. *1 Elench. qq. ref.* n. 40) — II. Aliae 23 Propositiones reformatae (1767) (*2 El. qq. ref.* n. 16).

9º *Dissertatio de celebri quaestione* « An liceat usus opinionis probabilis in concursu probabilioris (an 1755) (cit. Diss. 1755. *An liceat*, n. 13).

10º *Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis* (an. 1757), inserta in 3ª Edit. (1757), et 4ª Ed. (1760), et 5ª Ed. (1763) Theologiae moralis, (cit. v. g. Diss. 1757. n. XXXVII).

11º *Breve dissertazione sull'uso moderato dell'opinione probabile* anno 1762 (cit. Diss. 1762. n. 23). In ea S. A. incipit docere *expresse* Æquiprobabilismum.

12º *Apologia contro Adelfo Dositeo* (P. Patuzzi), anno 1764 (cit. Apol. 1764 §. 5).

13º *Dissert.: Dell'uso moderato* (o lecito) *dell'opinione probabile* (Opusc. Clementi XIII dedicatum, an. 1765 (cit. v. g. *Diss. 1765.* cap. IV. n. 32).

Digitized by Google

14° *Dichiarazione del* SISTEMA *che tiene l'autore intorno alla regola delle azioni morali* (1774) (cit. v. g. *Dichiar. del Sist.* n. 49; vel: *Apolog.* 4ª).

15° Epist. *de Maledictione mortuorum*, 1746. (Est primum opusc. mor. S. Alphonsi).

II. Ex OPERIBUS DOGMATICIS. — *Storia delle Eresie.* — *Verità della Fede.* — *Condotta ammirabile della divina Provvidenza.* — Opus in Tridentinum, i. e. « *Opera dommatica contro gli eretici pretesi Riformati* .»

III. Ex OPERIBUS ASCETICIS. — *Glorie di Maria.* — *Gran mezzo della preghiera.* — *La vera Sposa di Gesù Gristo.* — *Selva di materie predicabili ed istruttive.* — *La Messa e l'Officio strapazzati.* — *Pratica d'amar Gesù Cristo.* — *Riflessioni utili ai Vescovi.* — *Regolamento per li seminarj.* — *La Fedeltà dei Vassalli verso Dio.* — *Notificazione al Clero della diocesi di Sant' Agata.*

Jacobus **Alvarez de Paz**, S. J. *Opera spiritualia;* 3. tomi fol. (Lugduni, 1608).

S. Ambrosii, Doct. Eccl. *Opera.* — Edit. Migne.

Eusebius **Amort**, Canonicus Regul. Lateranensis. — *Theologia moralis et scholastica;* 4 tomi fol. (Augustae Vindelicor., 1752)

Philippus **de Angelis**, Canonicus et Professor Jur. Can., *Praelectiones Juris Canonici.* — Lib. 1. 3. et 4. (Romae, 1877-78).

Jos. **d'Annibale**, Episcopus, S. OFFICII assessor, *Summula Theologiae moralis* ad usum Seminarii Reatini; edit. 2ª. (Mediolani, 1881-83). — Vid. etiam sub **Reatinus.**

S. Antoninus, Ord. Praed. Archiep. Florentini, — *Summa theologica;* 4 vol. fol. (Veronae, 1740).

S. Augustini *Opera* — Ed. Migne.

Petrus **Avanzini**, *De Constitutione* APOSTOLICAE SEDIS Commentarii — Edit. manualis. (Romae, 1872).

Joannes **Azorius**, S. J. *Institutiones morales;* 3 vol. fol. (Lugduni, 1625).

Antonius **Ballerini** S. J. Vide **Gury.**

Joan. Henricus **Bangen**, Instructio practica *de Sponsalibus et Matrimonio,* in usum Sacerdotum Curatorum. (Monasterii, 1858).

Gioachino **Basevi** — Vid. *Codice Civile Austriaco.*

Martinus **Becanus**, S. J. — *Summa Theologiae Scholasticae,* fol. (Lugduni, 1690).

Robertus **Bellarminus**, S. J., Cardinalis *Opera,* 7. vol. fol. (Venetiis, 1721-28).

Benedictus XIV, Opera omnia 17 tomi 4° (Prati, 1842-47).

Michael **Benger**, C. SS. R. — 1) *Pastoraltheologie,* 3 vol. (Regensburg, 1863). — 2) *Compendium der Pastoraltheologie.* (Regensb. 1868).

Aemilius **Berardi**, Parochus Faventinae Dioecesis — 1) *De Recidivis et Occasionariis;* edit. 2ª, 2 vol. (Faventiae 1877). — 2) *Praxis Confessariorum,* (ibid. 1879). — 3) *Examen Confessarii et Parochi,* 1885.

Joannes **Berengo**, S. Theol. et J. C. Doctor (nunc Episc. Utinen.) — *Enchiridion Parochorum* seu Institutiones Theol. Pastoralis; edit. 2ª (Venetiis, 1877).

S. Bernardi *Opera* — Edit. Migne.

S. Bernardini Senensis *Opera omnia,* Op. et labore P. Joannis De la Haye; 5 tomi, 4 vol., fol. (Venetiis, 1745).

Carolus Renatus **Billuart**, Ord. Praed. — *Summa S. Thomae,* sive Cursus Theologiae juxta mentem et ordinem D. Thomae; 3 tomi fol. (Venet., 1778).

A. **Bizzarri**, Archiep. Philippen. — *Collectanea,* in usum Secretariae S. Congr. Episcop. et Regular. (Romae, 1863).

Martinus **Bonacina**, *Theologia moralis* — 3 vol. fol.

Digitized by Google

A. **Bonal**, Societatis S. Sulpitii presbyter. — *Institutiones Theologicae* ad usum Seminariorum; edit. 13ª (Tolosae, 1879).

S. **Bonaventura**, Ord. Min., *Opera* — 7 tomi fol. (Lugduni, 1668).

D. **Bouix**, — 1) *De principiis Juris Canonici;* — 2) *De Curia Romana;* — 3) *De jure liturgico;* — 4) *De Episcopo;* — 5) *De jure Regularium;* — 6) *De Parocho;* — 7) *De Capitulis.* (Paris, 1852-59).

Thomas **Bouquillon**, Dr. Theol. et Professor in Seminario Brugensi. — 1) *Institutiones Theologiae moralis fundamentalis:* — 2) *De Virtutibus theologicis;* — 3) *De Virtute Religionis.* (Brugis, 1873-80).

J. B. **Bouvier**, Episc. Cenomanensis — *Institutiones theologicae* in usum Seminariorum; editio 14ª. (Parisiis, 1873).

G. F. I. **Bouvry** — *Expositio Rubricarum* Breviarii, Missalis et Ritualis Romani; 2 tomi. Altera Editio. (Tornaci, 1864).

Januarius **Bucceroni**, S. J. Moral. theol. professor (in Collegio Romano), — *Commentarius de Censuris.* (Romae, 1885). *De Constitutione* Apostolicae Sedis. (Romae, 1886). *Enchiridion morale* (Romae 1887).

Hermannus **Busenbaum**, S. J. — *Medulla Theologiae moralis.* Editio *princeps* (12º, Monasterii, 1650).

C. **Capellmann**, Dr. med. Aquisgranen. — *Medicina pastoralis;* edit. 4ª, latina 1ª (Aquisgrani, 1879).

Aloysius Maria **de Carpo**, Ord. Minor. — 1) *Kalendarium perpetuum*, seu Promptuarium ad recte et facile conficiendum quodcumque Kalendarium juxta Ritum Romanum (Ferrariae 1862). — 2) Compendiosa *Bibliotheca liturgica,* edit. 2ª. (Bononiae, 1879).

Jos. **Carrière**, Presbyter Seminarii S. Sulpitii. — 1) *De Justitia et Jure,* 3 tomi (Parisiis, 1839). — 2) *De Contractibus;* 3 tomi ibid. 1844).

Ferdinandus **Castropalaus**, S. J. — *Opus morale;* editio 3ª Veneta. — 4 vol. fol. (Venetiis, 1721).

Joseph **Catalanus**, Presbyter Oratorii. — *Rituale Romanum...* perpetuis commentariis exornatum; 2 tomi, edit. 2ª fol. (Patavii, 1760).

Petrus **Catalanus**, S. J., *Universi Juris theologico-moralis Corpus integrum;* 2 tomi, fol. (Venetiis, 1728).

Joan. Michael. **Cavalieri**, Ord. Erem. S. Aug. — *Commentaria in authenthica S. Rit. Congregationis Decreta;* 5 tomi in 1 vol. fol. (Venetiis, 1758).

S. Joannis **Chrysostomi** *Opera* — Edit. Migne.

Alessandro **Ciolli**, Sacerd. Florentin. — 1) *Commentario pratico delle Censure latae sententiae;* ediz. 2ª. (Siena, 1877). — 2) *Direttorio pratico del Confessore novello* (Siena, 1883). — 3) *Del Chierico Ordinando* (Firenze, 1885).

Petrus **Collet**, Congr. Miss, *Institutiones theologicae;* 2 vol. 4º. (Venetiis, 1784).

D. **Craisson**, Vic. Gen. Dioec. Valentinen. — 1) *Manuale Juris Canonici;* 4 tomi, edit. 4ª (Pictavii 1875). — 2) *Notiones theolog. circa Sextum.* (Parisiis, 1870). — 3) *Des Communautés Religieuses à vœux simples*, législation canonique et civile (Paris, 1869).

(P. **Cretoni**, Ord. S. Aug.) vid. **Gury**.

Giuseppe **Crispino**, Episcopus Amelien. — *Trattato della visita Pastorale,* ediz. 3ª. (Venezia, 1711).

